2 Dpt A. 9165 (1
4 Germ. g. 261 s-1

LIber Collegii Societatis
IESV Monachii, Cata-
logo inſcriptus. Anno

Digitized by Google

<36640208200012

<36640208200012

Bayer. Staatsbibliothek

3078

Digitized by Google

Collegij Societatis Jesu Monachij 1601

GERMANICA-RVM RERVM SCRIPTORES ALIQVOT INSIGNES, HACTENVS INCOGNITI.

Qui gesta sub Regibus & Imperatoribus Teutonicis, iam inde à Karolo M. vsq; ad Fridericum III. Imp. perpetua ferè serie, suis quique seculis, litteris mandatas posteritati reliquerunt,

TOMVS VNVS.

Nunc primùm editus.

Ex bibliotheca MARQVARDI FREHERI, consiliarii Palatini.

Auctorum Catalogus, qui hoc volumine continentur, post Nuncupatoriam apparebit.

Cum INDICE rerum & verborum in primis memorabilium copiosissimo.

FRANCOFVRTI
Apud heredes Andreæ Wecheli,
Claudium Marnium & Ioannem Aubrium.
M. DC.

Digitized by Google

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

ILLVSTRIBVS, GENEROSIS, NOBILIBVS, SPECTABILIBVS
OCTAVIANO SECVNDO FVGGERO, QVIRINO RECHLINGERO,
IIviris Præf. VII virumq. collegio, & ampliß. Decurionum ordini AVG. VIND.

TAM dudum illa animũ meum cura coquit, Viri antiquitate nobiles, nobilitate illuſtres, poſteaquam ſummo Cæſari, magnis Principibus, illuſtribus patronis, optimo parenti, meritiſsimis amicis, velut per ſuos officii gradus, litteraria quædam deuotionis, obſeruantiæ, amoris pignora dedi; quo tandem in venerabile Patriæ nomẽ pietatem monumento probarem. Patriæ autem, non Ithacæ alicuius; ſed quæ & ſub veteri Imperio ſplendidiſsima cultæ prouinciæ Colonia, & ſub iſto vrbium ocellus dici citra inuidiam meruerit. Cuius quidem ſplendore vt dignum quidquam nec promittere vnquam habui, nec habere ſpero: ita pietatis naturali debito defuncturum aliquatenus putaui, ſi quod ſaltem haberem in omni peculio cariſsimum, etſi non in ſolo meo natum, modo bona fide poſſeſſum, ani-

Digitized by Google

mo lubenti depromerem. Quid illud ergo? Hiſtoriæ Annaliumq; ſcriptores: litterarum genus ad poſteritatem conſeruari vnum omnium maximè dignum. Hiſtoriæ autem patriæ: non magnæ tantum matris Germaniæ, cuius quidem quales quales reliquias omnes ſtudiosè conquirere, repertas Reipublicæ communicare, boni ciuis fuerit: ſed in ea etiam nominatim Vrbis veſtræ. quæ cum in omni Romana hiſtoria paſsim impreſſa decoris ſui ſigna cernit, tum heic etiam Annalium vernaculorum partem (quanta quidem ad nos peruenit) non illibenter recognoſcet. Et hos veteres, id eſt, ſuo quosque æuo annexos. quod ego quidem ad Hiſtoriæ fidem, lucem, auctoritatem plurimùm facere iudico. Quomodo enim illa Teſtis Temporum fidem melius faciet, quàm ſi de proprio ſenſu (vt in foro loquuntur) cauſam ſcientiæ reddat? Addo deniq;, quod huicce præſuperioribus aliorum collectionibus aliquid lenocinari poſſe amicis videtur, hactenus incognitos. Fato ſuo, non merito. ſi quidem luce publica non indignos intelligentes, & in his clariſsimũ non Reipublicæ modò veſtræ, ſed Germaniæ vniuerſæ decus, MARCVS ille VELSERVS, æſtimauerint. Ego quidem bona fortuna inuẽtos, fide optima repræſentare operæpręcium non dubi-

taui:

taui: quoſdã adeò manu mea ex odioſis mẽbranis deſcribere, omnes cum cura recenſere, & (quantum quidem in illa exemplariũ ſingularium raritate licuit) reſtituere non pigratus: vt è tenebris inſontes erepti, non tantum ſquallore illuuieq; deterſa, ſed honeſtiore etiam habitu in publicũ prodeuntes, mutatum multimodis ſęculum aſpicere & mirari diſcerent. Hos igitur inſperatos velutiq; ab Orco reduces hoſpites ad vos primò omniũ, Ampliſs. Patres, adduco. Quos vt comiter exceptos, benignéq; habitos, aliquo Bibliothecæ publicæ nido dignemini, ipſorum nomine pluribus rogarẽ; ſi non inſignem illam & Genio loci propriam, velutiq; cum cœli clementia regionisq; amœnitate congenitam humanitatem veſtram, exteris ipſis paſsim compertã & dilaudatã, eo facto quaſi eleuare videri vererer. Permittetis tamen, vt FREHERVM veterem municipem

(ſi quid id eſt, vſq; à proauis vetus ordinis heres)

licet huic prouinciæ Principũ beneficio inſertum, dulciſsimæ nihilominus Patriæ vſq; memorem, veſtriq; nominis & honoris ſtudioſiſsimum cultorem, & ad omne obſequii genus paratiſsimum profitear. Valete bono publico, & fauete. E Plinianis, Kal. Septemb. anno Chriſti

M D C.

Digitized by Google

AVCTORES HISTORIARVM, QVI HOC TOMO CONTINENTVR.

I.

ANNALES FRANCORVM, rerum sub Pipino, Carolo M. eiusque posteris vsque ad excessum Arnulphi Imp. gestarum, ab anno DCCXIIII. vsque ad annum DCCCC. *Horum partem prius P. Pithœus V. C. ediderat, ad annum vsque 883. quam nos iam multis modis auctiorem & correctiorem, cum reliquorum annorum accessione, beneficio N. V. Marci Velseri damus: &* FVLDENSES *indigitamus, quod rerum Fuldensium & Moguntinarum præ aliis diligens annotatio, in eo cœnobio scriptos & pertextos arguat.*

II.

CHRONICVM LAVRISHAMENSE, à prima vetustissimi eius cœnobii fundatione per Cancorẽ Comitem Rhenensem sub Pipino Rege, vsque ad annum MCLXXIX. sub Friderico Imp. deductum.

Ex manuscripto membranaceo & peruetusto Codice ipsius monasterii, quo etiam donationum & priuilegiorum eius farrago immensa continetur (vnde LIBER TRADITIONVM *monasterii Lorss vulgo vocatur) nunc in Archiuis Palatinis asseruatus.*

Accedit pro continuatione, *De Laurishamensis cœnobii in alium statum conuersione*, insignis locus ex Iohan. Trithemii Abbatis Chronico Spanheimensi nondum edito, in Appendice requirendus.

III.

BRVNO de bello Saxonico, ad Werinherum Episcopũ Merseburgensem: in quo describitur vita HEINRICI IV. Imp. eiusque præcipue bellum cum Saxonibus rebellibus, ab anno circiter MLXXIII. vsque ad annum MLXXXII.

Cum hoc cupidus rerum cognoscendarum lector iungere poterit Lambertum Schaffnaburgensem, qui non alibi magis quam in isto Henrico IV. se diffundit, nec non vitam Henrici huius & Epistolas: præsertim vero bellum eius contra Saxones carmine ab Anonymo descriptum. Nos quia Brunonem hunc suæ patriæ & parti nimis addictum, optimo Principi ad calumniam vsque iniquum deprehendimus, antidoti loco adiecimus Apologiam, nimirum DE VNITATE *Ecclesiæ conseruanda, & schismate inter Henricum IV. Imp. & Gregorium VII. Papam, cuiusdam eius temporis Theologi (siue Venerico Vercellẽsi, siue Walramo Naumburgensi, siue denique Conrado Traiectensi Episcopo tribuamus) librum Apologeticum, olim ab Vlr. Hutteno in Fuldensi bibliotheca inuentum.*

IV.

BVRCHARDI notarii Imperatorii ad Nicolaum Abbatem Sigebergensem de victoria & triumpho Friderici Imp. Barbarossæ & clade Mediolanensium, epistola. *Ex ms. primum edita, qua Frisingensis & Guntherus non modicum illustrantur.*

Item TAGENONIS Decani Patauiẽsis, descriptio expeditionis Asiaticæ in Turcas Friderici Imp. *In Appendice requirenda folio 6.*

V.

GODEFRIDI monachi ad S. Pantaleonem intra muros Coloniæ Agrippinæ, annales diligentissimi ab anno Domini MCLXII. vsque ad annum MCCXXXVII. sub Friderico, Henrico, Philippo, Ottone, Friderico II. Impp. *Hunc cum superiore epistola, mea manu descripsi ex ms. membranaceo V. C. Stephani Broelmani I. C. Agrippinensis. Qui codex nomen quidem Godefridi non præferebat: sed talem cum inter alios, quibus vsus sit, nominet Trithemius in præfatione Chronici sui Hirsaugiensis, idemque ex hoc ipso plurima verbotenus desumpserit (vt vel illa sub anno 1162. & 1164. cum seqq. se offerũt) & vero hic scriptor inter res principum & Episcoporum, signanter Abbatum S. Pantaleonis gesta annotauerit, & monasterii sui sæpe meminerit (vt sub annis 1196. 1208. 1220.)*

1225.

Digitized by Google

1225) coniectura de auctore horum annalium iam non difficilis esse potest.

V I.

Friderici II. Imp. & Siciliæ Regis Epistolæ quædam, tempore schismatis inter Papas Victorem Paschalemq; & Rolandum scriptæ; quæ apud Pet. de Vineis non extant, neque alibi (quod sciamus) editæ sunt. *Has ex collectione variii generis Epistolarum, codice ms. V. C. Pauli Petauii in Parisiensi parlamento Consiliarii, excepta nobis communicauit V. N. Iacobus Bongarsius, Consiliarius & legatus Regius.*

V I I.

Chronicae Avstralis antiquæ excerptũ, per D. Matthæum Mareschalcum de Bappenheim, I. V. D. & Canonicũ Augustensem, ab anno Dom. DCCCLII. vsque ad annum MCCCXXVI. Cui accedit eiusdem Australis historiæ pars plenior de Rudolpho Imp. & sequentibus ab anno MCCLXXVI. vsque ad annum MCCCII.

V I I I.

Chronicæ Avgvstensis antiquæ excerptum, per eundem D. Matthæum Mareschalcum, Ecclesiæ Cathedralis ibidem Canonicum ab anno Dom. DCCCLXXIII. vsque ad annum MCIIII.

Cui accedit pars Chronicæ monasterii SS. Vdalrici & Afræ apud Augustam Vindel. ab anno Domini MCLII. vsque ad annum MCCLXV. *A quo anno sequentia historiam continuant. Insertæ autem huic Chronicæ alicubi apparent res Bauaricæ, & inter alia cœnobii Altahæ inferioris, manu (vt verisimile mihi est) Henrici Steronis, sequentium compilatoris: quæ etiam cum hisce Augustensibus iunctim in eodem Codice inuenta, iunctim repræsentamus.*

I X.

Hainrici Steronis Monachi in Altaich inferiore, ibique sub Hermanno Abbate Capellani transcripta & excerpta ex Chronica cœnobii sui, rerum sub Imperatoribus Rudolpho, Adolpho, Alberto, Henrico VII. ab anno MCCLXVI. vsque ad annum MCCC. gestarum.

Cui Appendicem addiderunt Vlricvs & Conradvs Wellingi fratres, Monachi S. Vdalrici apud Augustam, vsque ad annum MCCCXXXIV.

X.

Hainrici Monachi in Rebdorff Annales rerum ab anno MCCXCV. sub Adolpho, Alberto, Heinrico, Friderico, Ludouico Bauaro, (in quo potissimum se diffundit) Carolo IV. Impp. vsque ad annum MCCCLXII. gestarum.

X I.

Chronicon Elvvangensis Monasterii, excerptũ per prædictum D. Matthęum Mareschalcum ab anno Domini MXCV. vsque ad annum MCCCCLXXVII. sub imperio Friderici III. Austriaci Imp. *A quo sequens Tomus, (iuuante Domino) incipiet.*

Si quis vero scire desiderat, qui & quantus vir Matthæus ille Mareschalcus fuerit, consulat Wolffg. Lazii historiæ Cæsareæ librum VIII. *de migrat. Gent. fol. 574. edit. Basil.*

PAVLI

PAVLI MELISSI FRANCI,

COMITIS PAL. ET EQ. AVR.
CIVIS ROMANI

CARMEN ALCAICVM.

AD NOB. ET CL. VIRVM MARQVARDVM FREHERVM, consiliarium Palatinum.

ANTIQVA *tignorum & veteres domos,*
Rimæ ruinam sicubi præcipem
Minentur, instaurare doctè
Cura sagax amat architecti,
Hac parte & illâ parietibus probè
Stataminandis fulcra trabalia
Rite oggerentis, nec periculum
Non capitis grave submoventis.
Resarciendis fragminibus librûm,
FREHERE, *vester non aliter labos*
Desudat, integrare sollers,
Si qua lacuna debiscat intus,
Operæve querat historiis recens
Textura priscis, gloria Cæsarum
Regumque Francorum, perinde ut
Saxonia quoque Sueviaque
Ducum potentum. Colligis undique
Scrutator urgens, Vindelicis ratâ
Adjute VELSERI *Minervâ,*
Naufragii tabulas relictas
Ævo priori, pluribus & retro
Abhinc peractis ordine seculis,
Easque adunatim coassas.
Quo studio, generose, quantum
Inis disertorum a grege gratiam!
Quantum favorem concilias tuis
Vindex dolabris ascisque!
Præmia quanta faber mereris
Argutus ille, & præreliquis catus!
Heroicorum non modò Manium
Manûs inaurari FREHERO
Cuncta manus cupit & peroptat,
Sed Teutonorum & dædala Principum
Corona, vivos quos sua patria
Adhuc adorat, suspicitque
Præcipuè, diadema dignum
Fronte eruditâ destinat, inclyti
Pignus laboris. Nos tibi nobiles
Per hasce Musas, perque Phœbum,
Nobile calcar & incitamen
Ad clariorum post operum addimus
Inventa vulganda, invidiam citra
Momique fastum, Zoilive
Livida puncta, Canisve tetrum
Latratum hiantis. Perge age pergere
Calle irremisso gnavus & impiger,
Vt plura committas aperta
Ingenij monumenta luci,
Seu Marte fusum condita proprio,
Seu pigriori pulvere vel situ
Neglecta, & abs te diligenter
Erута, peniculoque tersa;
PITHOEVS *alter ceu solitus, mihi*
Convictor olim ad Socraticas dapes,
Et contubernalis quietus
Allobrogum urbe in amœniori.
Nunc te miner, non inferior debinc
Laus consequetur; quanquam hodie tuum
Fama antè chartis parta nomen
Prepete vexit in astra pennâ.

Anno M. DC. Mense Augusto.
Myrtilleti.

IN SCRIPTORES HISTORIÆ GERMANICÆ VETERES, EDITOS A MARQVARDO FREHERO, viro nobilis. & clarissimo.

QVOS tineæ blatteæq; diu rosere nocentes,
Quos situs immundo pulvere pressit iners,
Quos niger æternis livor damnaverat umbris,
Historiæ auctores Teutona terra tuæ;
Illos dat luci patriæ Lux magna FREHERVS,
Non passus genti hoc lumen abesse suæ.

Quæ potius laudē? an qui primus scripsit, an illum
Per quem qua fuerant pœnè sepulta patent?
Magnus uterque labor! sua laus & gloria utrisq;
Dum studia & pietas salva manebit, erit.
Vive diu, ut vivant per te, quos vivere fas est,
Communis patriæ nate FREHERE *bono.*

HENR. MEIBOMIVS, in Iulia Academia Professor Poet. & historicus.

DIRE-

DIRECTORIVM
IN OMNES FERE, QVOS SVPERSTITES HABEMVS, CHRONOLOGOS, ANNALIVM SCRIPTORES, ET Historicos potissimum Romani Germanicique Imperii.

CIVIS hic vsus est, vt cui quidem animus fert, eos scriptores vno tractu & tenore euoluere, atque etiam inter se conferre & coniungere, ordine eo insistat & procedat, qui sinistro latere exhibetur, vbi INCIPIT *scriptum. Cui vero circa vnũ vel alterum annum aliquo inquisito opus est, ideoque scire desiderat, quis scriptor illum habeat, quique ibidem concurrant: is dextrum laterculum teneat: in quo* DESINIT. *annoque reperto (quandoquidem qui eum praecedunt, iam expirauerunt) norit in sequenti adeoq; omnibus sequentibus, donec & ipsi nos destituent, se quod indagat inuenturum.*

INCIPIT, *ab Orbe condito.*

Eusebii Chronologia: *cum suis continuatoribus.*
Pauli Orosii historiarum libri.
Iohannes Zonaras.
Georgius Cedrenus.
Georgius Monachus, & Anastasius Bibliothecarius.
Glycas, & Manasses.
Gregorius Turonensis Episcopus.
Ado Viennensis Episcopus.
Freculphus Lexouiensis Episcopus: quem tamen integrum non habemus.
Hermannus Contractus Comes Veringensis.
Lambertus de Schaffenburg, Monachus Hirsfeldensis.
Marianus Scotus Monachus Fuldensis.
Chronicon *Suarzachense, m. s. apud nos.*
Florentius Wigornensis monachus.
Matheus Westmonasteriensis, Florilegus vulgo dictus.
Godefridus Viterbiensis.
Otto Frisingensis Episcopus.
Richardus Pictauiensis, Cluniacensis Monachus. *m. s.*
Conradus de Liechtenavv, abbas Vrspergensis.
Vincentii Beluacensis Speculum historiale.
Albertus Abbas Stadensis.
D. Gobelini Personæ Cosmodromium.
Antoninus Archiepiscopus Florentinus.
Compilatio Chronologica ex diuersis, *editione* Wecheliana fol. 705.
Wernerus Rolvvinclk Carthusianus.
Henricus Mutius historiographus Germaniæ.
Iohannes Nauclerus præpositus Tubingensis.
Iacobus Philippus Bergomensis Augustinianus.
M. Antonius Coccius Sabellicus.
Bibliotheque Historiale de Nic. Vignier Barrois.

Ab Italia & vrbe condita.

Paulus Diaconus, *cum continuatore suo.*
Cassiodori Chronicon.

)( )(

Martinus Polonus, archiepiſcopus Conſentinus.
Cuſpiniani Conſules.
Ioh. Auentini annales Boiorum.
Antiquites Gauloiſes de Claude Fauchet.

A Chriſto Seruatore nato.

INCIPIT.		DESINIT.
	100	
	200	
	300	
D.Hieronymi Chronologia.	329	Euſebii Chronologia: *quam continuat Hieronymus.*
Marcellini Comitis V C.Chronicon.	380	
Sigeberti Gemblacenſis Annales.	381	
	382	Hieronymi Chronologia: *quam excipit Proſper, & Marcellinus Comes.*
	400	
Burgundicarũ rerum Chronicon, Nicolai Vignierii.	408	
	420	Pauli Oroſii hiſtoriæ.
Francorum Chronica, ex Hunibaldo epitomata pér Trithemium.	431	
Victoris Epiſcopi Tunnunenſis Chronicon.	448	Proſperi Chronologia: *quam continuat victor Epiſcopus Tunnunenſis.*
Siffridus presbyter Miſnenſis.	465	
	500	
	519	Aurelii Caſſiodori Chronicon.
	565	Marcellini Comitis Chronicon.
Iohannis Epiſcopi Gerundenſis Chronicon.	566	Victoris Tunnunẽſis chronicon: *quem continuat Iohannes Biclarenſis epiſcopus Gerundenſis.*
	591	Iohannis Biclaren. epiſcopi Gerundẽſis Chronicon.
Saracenicum Chronicon per Wolffgang. Drechslerum.	596	
	600	Gregorii Turonenſis Epiſcopi hiſtoria Francorum: *quem continuat Scholaſticus quidam.*
	608	Freulphi Lexouienſis Epiſcopi Chronicorum Tomus II. *Reliqua deſiderantur.*
Incerti ſcriptoris fragmentum hiſtoricum Alberto Argentinenſi præfixum.	631	
	666	Chronica Gothorum, Vandalorum, Sueuorum *per P. Pith.*
Annales Francorum Fuldenſes: *in hoc ce Tomo.*	714	
	735	Scholaſticus cõtinuator Gregorii Turonenſis, *edidit Flaccius.*
Adelmi Benedictini annales Carolorum: *hactenus ſine nomine editi, poſt Eginhartum.*	741	

Anti-

INCIPIT.		DESINIT.
	751	Antiquitas Gauloiſes de Claude Fauchet.
M. Adami Bremenſis hiſtoria Eccleſiaſtica.	755	
Chronicon Laurishamenſe.	764	
Annales Caroli M. à poeta incerto ſcripti. *edidit Reineccius.*	771	
Thegani choreſpiſcopi Treueren. opus de vita Ludouici Pii Imp.	778	
Alb. Crantzii Metropolis, de Eccleſiis ſub Carolo M. inſtauratis.	788 800	
	806	Pauli Diaconi, eiuſque continuatoris Ludolphi ſagacis hiſtoria miſcella. Item Anaſtaſii Bibliothecarii hiſtoria Eccleſiaſtica.
	814	Poeta vetus de Carolo M.
	828	Adelmi annales Francorum: *poſt Einhardum editi à Hermanno Com. Neuenario.*
Hirſaugienſe Chronicon Iohānis Trithemii abbatis Spanheim.	830	
	842	Adelmi annalium plenior editio Wecheliana, *inter Einhardum & Turpinum.* fol. 66.
	843	Nithardi chronicorum libri III. *per P. Pithœum.*
Auſtralis chronicæ antiquæ excerptū per M. Mareſchalcum, *in Tomo noſtro.*	852	
	883	Annales Francorum incerti, *per P. Pithœum.*
	900	Annales Francorum Fuldenſes, *Tomo noſtro.*
Chronicon Frodoardi presbyteri Remenſis. *per P. Pithœum.*	919	
	967	Reginonis abbatis Prumiēſis Annales locupletiſſimi.
Pauli Langii Cygnei monachi Bozauienſis chronicon Citizenſe.	968	
Auguſtenſis Chronica, excerpta per D. Matthęum Mareſchalcum. *Tomo noſtro.*	973	
	970	Frodoardi Remenſis chronicon.
	988	Adonis Viennenſis chronicon.
Glabri Rodulphi Cluniacenſis monachi Francorum hiſtoria. *per P. Pithœum.*	1000	
Chronicō Montis-Sereni, cœnobii in diœceſi Magdeburg. m. ſ. *edēdum damus Meibomio.*	1024	
Monachi Pegauienſis hiſtoria de Viperto Marchione. *per Reineccium.*	1040	
Spanheimenſis cœnobii Chronicon, ab Abbate eius Trithemio ſcriptum:	1044	Glabri Rodulphi Cluniacenſ. monachi Francorum hiſtoria. *Quē continuant*

INCIPIT.		DESINIT.
breui ξωὶ σπ̃ edendum.		*alia diuersorum historia in eodem volumine per P. Pithœum.*
Bertholdi presbyteri Constantien. cõtinuatio ad Hermannũ Cõtractum: *in edit. Wechel.*	1057	Iohannis Cedreni historiarum cõpendium. Item Iohannis Curopalatæ Scyllitzæ.
	1065	Hermanni Contracti Chronicon: *quod continuat Bertoldus presbyter Constantiensis.*
Matthæi Paris Monachi Albanẽsis historia Anglica.	1066	
Brunonis historia de bello Saxonico Henrici IIII. Imperatoris. *In hocce Tomo primum edita.*	1073	
	1077	Lamberti Schafnaburg. monachi Hirsfeldensis Annales: *quem in editione Wecheliana continuat Monachus quidam Erphordiensis.*
	1082	Brunonis historia de bello Saxonico Henrici IV. Imp.
	1083	Mariani Scoti Chronicon: *quem continuat Dodechinus Abbas, in editione Wecheliana.*
Elvvagẽsis chronici excerpta per Matthæum Mareschalcum. *Tomo nostro.*	1095	
	1100	
	1104	Chronicon Augustẽse excerptum per Math. Marschalcum.
	1112	Sigeberti Gemblacensis Chronicon: *quem continuat Robertus de Monte, in edit. Wechel.*
Nicetæ Acominati Choniatæ Byzantina historia annorum 86. Græcolatine.	1118	Iohannis Zonaræ Monachi Historiarum compendium, Græcolatinum. *quem excepit Nicetas Choniates, vsq; ad annum 1203. interprete Hier. Wolffio.*
	1124	Monachus Peganiensis de Viperto.
	1126	Chronicon Svvartzachense. m. s.
	1139	Florentii Wigornensis Monachi annales: *quem quidam inde continuat vsque ad annum 1141.*
Moguntinense Chronicon Conradi episcopi.	1140	
	1146	Godefridi Viterbiensis Pantheon.
Augustense Chronicon diffusius S. Vdalrici & Afræ: *interpolatum nonnihil ab Henrico Sterone. Tomo nostro.*	1152	Otthonis Episcopi Frisingensis Chronica. *Quem continuat Otto de S. Blasio editione Wecheliana.*
	1158	Richardi Pistauiẽsis chronicon. m. s.
Godefridi monachi S. Pãtaleonis apud Aprippinam, annales diligentissimi. *Tomo nostro* fol. 239.	1162	
	1170	Radeuicus Frisingensis canonicus, cõtinuator Otthonis Episcopi de vita Friderici Imp. *Continuatus & ipse huc vsq; ab incerto quodam.*
	1179	Laurishamensis cœnobii Chronicon.

INCIPIT.		DESINIT.
		Tomo nostro: *cuius continuatio nonnulla in Appendice.*
	1200	Dodechinus Abbas, continuator Mariani Scoti.
Nicephori Gregorę Byzantina historia annorum 145.	1204	Nicetas Acominatus Choniates: *quem cõtinuo excipit Nicephorus Gregoras & ipse interprete Wolfio.*
Monachi Paduani, de reb. Insubrium libri III. *editio Wecheliana.*	1207	
	1210	Robertus de Monte, continuator Sigeberti. *editione Wechel.*
		Ottho de S. Blasio, continuator Othonis Frisingensis.
Chronicon Colmariense: *edente Vrstisio apud Wechel.*	1211	
Aliud eiusdem loci, paulo diffusius, *per eund.* fol. 37.	1218	
	1215	Montis-Sereni Chronicon. m. s.
	1228	Vrspergensis abbas: *qui ab inde continuatores suos habet.*
		Tholosanum Chronicon. m. s.
	1237	Godefridi Coloniẽsis Monachi annales, *Tomo nostro.*
	1250	Moguntiacum Chronicon Conradi episcopi.
		Vincentii Beluacensis speculum historiale.
	1253	Landgrauiorum Thuringiæ Chronicon. *edit. Wechel.*
	1256	Alberti abbatis Stadensis Chronicon. *edente Reineccio.*
	1258	Fragmentũ incerti M. Alberto Argentinensi præfixum.
Haintrici Steronis Capellani Chronicon Altahense. *Tomo nostro* folio 384.	1265	Chronicon SS. Vdalrici & Afræ apud Augustam. *Tomo nostro.*
M. Alberti Argentinensis, Annales accurati.	1270	Monachi Paduani historia Insubrium.
Guilermi de Nangis, gesta Philippi regis Franciæ. *per P. Pithœum.*	1273	Matthæi Paris Monachi historia Anglica.
Australis chronica paullo diffusior. *Tomo nostro.* fol. 327.	1276	
	1278	Martini Poloni chronicon. *cui addita est continuatio vsq; ad annum* 1320.
	1285	Guilermi de Nangis gesta Philippi Frãciæ Regis.
		Iacobi Meieri Chronicon de rebus Flandriæ.
Annales Turcici Sultanorum Osmanidarum, *de ipsorum lingua in Latinum translati, & commentario illustrati per Ioh. Leunclaium.*	1289	
Heinrici de Rebdorff monachi Chronica. *Tomo nostro.* fol. 411.	1295	

INCIPIT.		DESINIT.
Laonici Chalcocandelis Atahensis historia de origine & gestis Turcorum: interprete Clausero.	1300	Chronicon Altahēse H. Steronis, *quod ibi cōtinuat Vdalricus & Cōradus Wellingi fratres.* fol. 404.
	1302	Australis chronica, *Tomo nostro.*
	1303	Colmarienſe chronicon. *editione Wechel.* fol. 36. & 62.
	1307	Siffridus presbyter Miſnenſis. Matthæi Weſtmonaſterienſis, Florilegi vulgo dicti Flores hiſtoriarum. Quorū continuationem vſque ad annum 1377. vide in hiſtoria Ranulphi monachi Ceſtrenſis.
Hiſtorię Iohānis Regis Bohemię, chronica Aulæ Regiæ inſcripta. m. ſ.	1317	
	1320	Continuator Martini Poloni.
Chroniques & hiſtoires de Iean Froiſſard.	1326	Chronicæ Auſtralis excerptum. *Tomo noſtro.*
	1333	Hiſtoria Iohannis Regis Bohemiæ.
	1341	Nicephori Gregoræ hiſtoria Byzantini: *cuius continuatio ad excidium vſque vrbis Cp. peti poterit è Laonico Chalcocandele.*
	1352	Lamberti Schaffnaburgēſis continuator, Monachus Erfordiēſis, *edit.* Wechel. fol. 264.
	1362	Chronica Henrici Rebdorf. Monachi, *Tomo noſtro.*
	1370	Hirſaugiēſe chronicon Trithemii, *editum Baſileæ. Nam in m. ſ. aliter eſt.*
	1377	Continuator Matthæi Weſtmonaſterienſis.
	1378	M. Alberti Argentinenſis annales.
	1400	Chronique de Iean Froiſſard.
	1418	D. Gobelini Perſonæ Coſmodromiū.
	1426	Hiſtoria de Landgrauiis Thuringiæ, Laonici Chalcocandelis Atahenſis hiſtoria Turcica *græcolatine interprete Clauſero.*
	1460	Antonini archiepiſcopi Florētini chronica.
		Ioh. Auentini annnales Boiorum.
Chroniques de Philippe de Comines.	1464	
	1472	Platina de vitis Pontificum.
	1473	Chronologica compilatio ex diuerſis auctoribus, *edit.* Wechel. fol. 754.
	1477	Elvvangenſe chronicon, *Tomo noſtro.*
	1482	Matthæi Palmerii Chronologia Euſebianæ adiuncta.
		Burgūdicarum rerum chronicon, Nicolai Vignierii.
	1484	Werneri Rolevvinck, faſciculus temporum: *quem inde continuat Iohannes Linturius, edit.* Wechel.

INCIPIT.		DESINIT.
	1486	Iacobi Bergomensis historicum opus.
Pauli Iouii Comensis, episcopi Nucerini, historiarum sui temporis Tomi duo.	1494	Ioh. Cuspiniani Imperatores: *quem excipit Paulus Iouius.*
	1498	Chronique de Philippe de Commines.
	1500	
	1501	Iohannes Nauclerus prępos. Tubingẽsis: *quem continuat Nicolaus Basilius, & alii.*
	1503	Iacobi Philippi Bergomatis Chronicõ.
	1504	Antonii Sabellici Enneades: *quem continuat Caspar Hedio ecclesiastes Argentinensis.*
		Alberti Crantzii historia gentis Saxonicæ, Vandalicæ, & Borealium.
	1514	Continuator Rotecoiuellii, Iohannes Linturius. *edit. Wechel.*
	1515	Chronicon Hirsaugiense Trithemii integrum m.s. nondum editum.
	1515	Pauli Langii Cygnæi Chronicon Citizense.
Iohannis Sleidani rerum sub Carolo V. Imp. in Ecclesia & Rep. gestarum commentarii.	1517	
Item Lamberti Hortensii Montfortii de bello Germanico commentarii.	1519	Bibliotheque historiale de N. Vignier Barrois. *Paris. fol.*
	1526	Chronicon Spanheimense Trithemii, ab eius successore huc vsque continuatum.
	1537	Continuator Abbatis Vrspergensis.
	1539	Henricus Mutius historiographᵘˢ Germaniæ.
		Cõtinuator Sabellici Enneadum, Caspar Hedio.
	1544	Continuatores Naucleri.
	1550	Chronicon Sarracenicum Dechsleri: *quod inde continuat Iohannes Rosinus vsq; ad annum 1594.*
		Annales Turcici, latine editi per Leunclaium: *cum vlteriori eius supplemento*, vsq; ad annum 1587.
	1556	Iohannes Sleidanus: *quem continuat D. Adam Petri Basil.*
		Lambertus Hortensius Montfortius.
	1573	Chronologia incerti Eusebianę & Palmerianæ adiuncta.
		Recentiores apponere & dirigere, non fuit huius loci.

GLOSSARIVM VOCVM SEMILATINARVM AVT BARBARARVM, QVÆ IN HISCE GERMANIcarum rerum ſcriptoribus occurrunt.

Dtractus. 60,23. adquiſitum.

Apſida Eccleſiæ, 14.41. Vide Onuphr. in nominib. Eccleſiaſt.

Baltheus mundialis. 65,23.

Baccina. 95,22. patina. *Baſſin* Gallice.

Banderium, Banerium, quod vulgo *ſtandart.* 237.38. vexillum, ſignum militare. *Bandum*, ſignum Ducis vel Imperatoris, à quo & Bandophori dicti. P. Pith. 2. aduerſar. cap. vlt.

Bannum regium. 80,20. præceptum, edictum, interdictum.

Barboli 288.40. iunguntur vncis ferreis.

Batelli. 287,11. nauigia. *baſteaus* gall.

Barga. 269,47.53. nauiculæ, *barca* Ital. *Barqueta* nauicula, apud Petr. de Vin.

Beneficium. 21,22.44,27.88,21.89,29. & al. Feudum.

Burgenſes, Ciuitatenſes. ciues: opponuntur Comitatenſibus.

Brenigerulus. 327,30. tabellarius, Briefftrager.

Caminata. 238,19. conclaue.

Caraxare, 75,8. notare, ſtigmatizare. Legitur etiam apud Prudentium, & Gregorium Turonicum. Auianus apud Paulum lib. 2. ſentent. titul. 31. *Vtrum cautiones ipſæ ſine aliqua deletura ſint, an fuerint caraxatæ. Caraxatura*, id eſt, cancellatura, in teſtamento B. Remigii, apud Briſſon. 7. formular.

Cariſtia, paſſim. caritas annonæ.

Carrocium, vulgariter *Karratſch.* 456,38. currus triumphalis, qui graphice deſcribitur à Burcardo fol. 237.40. & Petro de Vineis, lib. 2. epiſt. 1. & Pandulpho Collenutio in hiſtor. Neapol. ſub Friderico II. Imp. Currus erat prægrandis, bobus tractus, cum ciuitatis inſignibus, nola, tubicinibus, variiſq; ornamentis: nec in hoſtem niſi publico decreto educi poterat: & Aquilarum olim vicem præſtabat, aut ſi quid illis ſanctius fuit. Antonius Campus in hiſtoria Cremonenſi ſpeciem delineauit.

Carrada vini. 95,28. & alibi. quantum curru vehi poteſt, Fuder Weins.

Caſtrenſe beneficium. 89,29. Burglehen.

Coggones. 287.44. *Coccones.* 288.33. 289.3.

Comparatum. 60.23. emtum, adquiſitum.

Coniecta. 60,29. commeatus, annona, fodrum. Indice epiſtolarum Hincmari ad Ludouicum Regem; *De coniecto Normanis dando.* apud Maſſon. 2. Annal. pag. 160. Vid. etiam Pith. in Gloſſario.

Conuiatores. 357.8. comites, conperegrinantes.

Cruſina gulis ornata. 135,35.

Cruciada, expeditio ſacra cruce ſignatorum in Saracenos, Prutenos, Catharos, &c.

Curia. 252.10. dies iudicialis, Gerichtstag.

Deritta. In priuilegio Ludouici Imp. dato Caſtrucio, in Append. noſtra: *Cum omnibus honoribus, derittis, vſibus, &c.* Iura, conſuetudines, *droicts* Gallis. In veteri inquiſitione ſub Carolo M. quam edidimus in originib. Palat. pag. 48. *Si per derictum deberet attingere ad villam Hurfeldo.* Et poſtea: *quod abſq; vlla ambiguitate per dirictum.* Gallice *par droict.*

Emenda.

*Emenda.*402.39.mulcta.c.18.Ex.de offic.iudic.ordinar.

*Festuca.*50.10.arundo,calamus, quo cessio & traditio solennis fiebat. Vnde Exfestucatio: *His omnibus renunciamus, & manu & calamo exfestucamus.* Vulgo, Mit Mund vnd Halm.

*Feodum.*89,3.beneficium,feudum.

*Fisci.*67,25.81,12.reditus,prouentus.

*Firmitas charta.*347,50.instrumenta,documenta,vulgo Handfest.

*Florent magni.*426.24.

Forestum....sylua,nemus.

Fredum,vel,*freda.*60,24.70,16. & in diplomate Pipini apud Aimon.lib.5.cap.17. Gregor.Turon.libr.4.de gest.B.Martini, cap.26. *Compositionem fisco debitam, quam illi fredum vocant.* Extat etiam vox in capitul.Caroli M.lib.3.cap.30. Genus est exactionis siue tributi.Vnde Fretterey/vexatio.

*Galeidæ.*287,42.& alibi Triremes,*galeres.* Galeæ.c.6.& 17.Ex.de Iudæis.

*Girofagi.*349,55.errones.

Guerra,*Werra*,bellum.Vid.Alberic.Gentil.de iure belli,cap.1.

*Hallenses libræ.*433,46.

Halsperga,loricę,thoraces,μετωπικὰς pro ipsis loricatis & cataphractis in expeditionem ducendis. Vide quæ notauimus ad constitutionem Caroli Crassi Imper. de Feud.

Hereschilt,clypeus militaris.*78,45.88,24.91,43.*

*Huba,hoba,huoba.*89,16.& alibi.mensura agri.Hubas alias seruiles, alias dominicales legimus. Inde Hubestat/Hubezinß. Hubarii,Hubner/Hubleut/ dimidii hubarii,halbe Hubner.

*Ingenia.*270,4. instrumenta, machinæ, *Engins* Gallice. Vide Lipsi.1. Poliorcet. cap.3.

*Inpagati.*439,21.non soluti,*non payés.*

*Insersigna.*444,25.

*Iudices.*238,36.239,30.Doctores.Ita & in c.17.Ex.de election.in 6. Pet.de Vin.lib. 3.epist.11.Marsil.de Pad.par.2.Defensoris cap.2.cir.fin.

*Iuniores.*59,21.60,19.pro liberis,heredibus.

*Lachus.*57,34.& seq.incisio arborum, signatura.

*Leuca,leuga.*14,11.64,3.269,35.milliare Gallicum,continens 1500. passus Romanos,cuius mentio apud Cæsarem,Marcellinum,Iornandem,alios. Vide P. Pithœum,1.aduersar.cap.13. Vna autem Leuga vel leuua habet duas rastas Germanicas.Vide infra in *Rasta.*

*Liti.*56,53.genus hominum dedititicium,libertinum,aut potius servile. Lex Saxon. tit.10.§.1. *Quidquid seruus aut litus iubente Domino perpetrauerit, dominus emendet.* Frisior.tit.11.*Si litus semet ipsum propria pecunia à domino suo redemerit.* Ripuar.tit. 64.§.1.litus tributarius exponitur. Ludouicus Pius Imp. apud Ansegis. libr.4. cap.102.*Aldiones vel Aldiana ea lege viuant in Italia in seruitutem dominorum suorum, qua fiscalini vel lidi viuunt in Francia. Litones* etiam dicit Albert. abbas Stadensis in anno 917. *Plures autem se eis dediderunt proprios: & qui ab eis viuere sunt permissi, Litones sunt ab eodem vocabulo nuncupati. Inde Litones in prouincia Saxonum sunt exorti.* Aliud ab his est Leodes,vasalli,homines,Leute.

*Lobium.*277,33.solarium,pergula,vulgo Laube.

*Loricati.*241,27.cataphracti. Qui & *Loricæ* μετωπικὰς. Dietpoldus apud Tagenonem in Appendice nostro: *Vix cum* XII. loricis processimus. Ita Helmoldus lib.1.cap.28.*Profectus est Dux in Longobardiam cum mille (vt aiunt) loricis.* Et libro 2.cap.13.*Filius quoq; Regis ex concubina natus Christophorus nomine, cum mille (vt aiunt) loricis, venit Aldenburg.* Idem cap.52.*Elegit de exercitu mille loricatos, abiitq; in occursum.* Ita in constitutione Karoli Crassi: *Constringentes eos multo plures halspergas de beneficiis suis sibi ducere, quam illi fatentur se posse vel debere.* Et mox: *Quot decem mansos in beneficio possideant, tot brunias cum duobus scutariis accipiant.* Ita & Galli loquuntur: *Que deux mille cinq cens corselets, & quinze cens harquebusiers, se*

peuuent retirer trois lieues Françoises en campagne rase deuant deux mille lances. De la Noue discours 18. parad. x. 2.

Mallus.79,42. locus iudicii, tribunal. Mallebergus, Mahlstat. Admallatus, citatus, *adiourné.* Vide P. Pith. in glossario capitul. Car. M.

Mannire.79,43. citare, vocare in ius. Pith. ibid.

Mansus, Mansum. Fundus, prædium, hæredium. Pith. ibid. §. si quis de manso, Feud. lib. 1. tit. 1. vbi Cuiac. Legimus Mansum regale, dominicum, indominicatum. *Mansuarij*, villici mansos incolentes, agrosq; exercentes, insulani, gastaldi. qui forte & *Casati* dicuntur, lege Franc. lib. 4. cap. 75. & Iuoni Carnotensi epist. 105. vbi Fr. Iuret.

Manentes,64,9. qui in mansis manent & habitant. Gall. *les manans & habitans.* Helmold. libr. 1. cap. 10. *septem mansis totidemq; manentibus ex hæreditate patrum fuit contentus.* Et mox: *dicitur manentes suos profurto simul omnes damnasse ad mortem.*

Marcha.7,25.15,5.27,33.57,31. & alibi. Limes, confinium, collimitium.

Marchensis.48,24.51,37.52,27.53,17. Marchio, vnde *Marchese* Ital. *Marquis* Gallice. Ἀδάλβερτος Μαρχίων, ait Nicephor. Gregoras fol. 108.

Medo. Tageno in Appendice nostro; Mulsum, temetum, Meth.

Mercatus.69,47.72,5. nundinæ, Marckt.

Ministeriales. 91,37.254,28. §. si ministeriales. De pace tenenda. Germanice Dienstleute/ iunguntur vasallis, diuersi tamen ab illis.

Ministores.270,2. & 50. fossores, qui cuniculos agunt. *Minées* & *minieres*, cuniculi, venæ metallicæ.

Mogonellum.270,30.272,32. machina bellica, quæ & petraria. Vide Lips. in Poliorcet. lib. 3. Dialog. 3. *Magónneau* Gallis, de quo Cl. Fauchet. libr. 2. de la milice & armes.

Munitat.65,42. vbi separantur *Graschapht & Munitat*, id est, comitatus & terminus cœnobii. Id enim est Munitat, vulgo *Mundat*, ab immunitate corrupta voce. Trithem. in Hirsaug. & Spanheim. sæpius. Rudolfus Rex in arbitramento inter Abbatem & Consulatum Wissenburgensem: *Quæstiones etiam, quas ab his, qui extra ciuitatem, in locis tamen ad emunitatem (quæ vulgo dicitur Munitate) spectantibus habitant, ante Cameram prænotati Abbatis deduci contigerit, &c.*

Mundeburde.59,17. defensio, tutela, tuitio, *Manburnie*, Gall. Fr. Pith. in glossario.

Obstagium.411,33. obsidatus, captiuitas, *hostage.* Pactum obstagii apud nos, Leistung.

Palafredus.435,47. corrupte à *paraueredo*, de quo Pith. d. glossar. Inde natum puto nostrum Pferdt.

Paratæ. 60, 25. & apud Aimon. lib. 5. cap. 17. metationes, hospitationes, iungitur mansionibus.

Passagium, expeditio vltramarina in terram sanctam.

Particius Romanorum.61,44.69,54. vbi Ottho Imp. adhuc eum titulum vsurpat.

Petraria.270,2.272,32. machinæ lapides iacientes, tormenta, ballistæ. Lipsius Poliorcet. lib. 3. Dialog. 3. Gallis *Perrieres.* Fauchet. lib. 2. de la milice & armes.

Placitum.19.10. Pith. in glossario.

Precaria. exactionis genus, quod olim precarium, postea necessarium factum est, vulgo Beed.

Præstarium, præstaria, feudum, Lehen/ à præstando, Lehen.

Rasta.64.1. Milliare Germanicum, Raste. In libro Teutonico Heldenbuch / plusquam semel legimus: Wol einer Raste breit. Thurocius in Chronica Vngariæ, cap. XI. *Tulna ciuitas nostro æuo ducatui Austriæ subiecta est, & tres rastas distat à Vienna.* Vocem perantiquam asserit D. Hieronymus in Ioelem: *Vnaquæq; gens certa viarum spacia suis appellat nominibus. Nam & Latini mille passus vocant, & Galli leucas, Perse parasangas, & rastas vniuersa Germania.* Quod aurem ex diplomate isto Ludouici Pii discimus, rastam vnam duabus leugis constare, idem confirmat Auctor incertus de mensuris, Agrimensoribus & Gromaticis subiunctus, edit. Paris. pag. 14. *Milliarius & dimidius apud Gallos leuuam facit, habentem passus mille quingentos. Duæ leuuæ siue milliarij tres apud Germanos vnam rastam efficiunt.*

Regalia

*Regalia.*141,32.33.143,27. reditus regii & fiscales. Alias *Regalia* significat Imperii insignia & ornamenta βασιλικὰ κειμήλια, ἱστία, & σύμβολα, Königliche Zier / quibus Rex inauguratus inuestiebatur: corona, sceptrum, globus, lancea, & alia, quæ describit Godefrid. Viterbiensis, parte 19.

*Repressalia.*391.33. pignerationes mutuæ, vindicandæ iniuriæ ergo, quarum exemplum fol.309. 26. De quibus extant tractatus Iacobi de Canibus, Bartoli & Martini Laudensis.

*Ruberum.*57,29.31. incisio, signatura limitalis.

*Rutelli.*340,11. genus teli, rutabulum.

Sarabatæ, sibi viuentes.232.35.

*Sarianti, Sariantes.*241.48.261,35. & alias sæpius apud eundem Godefrid. vulgo *Sergens.*

*Scamelli.*216,19.24. puto scabella.

*Seneschalcus.*7,14. officium & dignitas eximia apud Francos, de qua prolixe Claud. Fauchet. in originib. dignitat. Franc. lib. 1. cap. 10. & Ioh. Tilius lib. 2. tit. de magno magistro Gall. Olim Seneschalcus genus ministerii domestici erat, vt apparet in lege Alamanor. tit. 79. §. 3.

Solarium. 311,31. vulgo nobis *Soler.* Otfrid. lib. 4. cap. 21. *Giang Pilatus vvidari Mit imo tho in then solari.*

*Spenta.*449,23. eleemosyna, stipis distributio.

*Steura.*411,37.435,1. tributum, exactio, collecta, talliæ.

Stolium. 370,25. classis, στόλος, *armada.*

Stupæ, 339,10. hypocaustæ, stubæ, stufæ, Gall. *estufues.* Stubas Ditmarus etiam, & illa ætas appellat, vt not Lips. in Germania Taciti.

*Supani.*280,50.336,51. proceres Bohemiæ, vnde *Pany eorum.*

*Sumaria.*257,7.261,22. *Saumaria, soumaria*, iumenta clitellaria, *Saumros, Saumier* Gall. In lege Caroli Crassi de Feudis: *Ac duobus sociis soumarius victualibus bene oneratus comitatur*, vbi notaui. *Sauma*, clitellæ, quæ & *Sagma.* Thageno in Appendice nostra: IV. Kal. April. *relictis bigis & quadrigis, iter cum sagmis aggressi sumus.*

*Talenta.*84,6.89,14.95,40. & seq.

*Torneamenta.*271,30. quæ & *Tyrocinia*, Ex. de torneament. *Ioustes*, Iuxtæ, Hastiludia, decursiones, vulgo *Tournier.* Quæ vox etiam ad Græcos peruenisse videtur. Gregoras lib. 10. ὁ δὲ ἕτερος τῶν ἀγώνων Τόρνειον προσαγορεύεται.

Treugæ, induciæ. Ex. de treuga & pace.

*Truca.*400.25. cista, loculus, Truhe.

*Vadium.*83,47.89,33. pignus, *Gage* Gal. In vadium dare. c. 1. Ex. de pignorib. *Engager.* Gageria, c. 1. de feud.

*Vadiare.*376,4. Sponsione certare, *gager:* Wetten.

*Vinna.*61,14.16. & apud Aimon. lib. 2. cap. 20. cuerriculum in flumine positum piscibus capiendis.

*Vngebodending.*79,42. curia non indicta.

*Vollehen.*88,21. forte *Fanlehen.*

*Vsuria.*269,46, *Vsseria.*292,45. seq. naues bellicæ. nescio an forte à Lusoriis corrupta voce.

*Werigeldum.*75,10. Wirgildus, *Wirgild.* pretium quod pro forisfactura penditur. Fr. Pith. in glossario. Veteri Germanorum instituto, vt (auctore Tacito) non modo leuioribus delictis equorum pecorumq; numero conuicti multarentur, sed etiam homicidia hac ratione luerentur: parte mulctæ regi vel ciuitati, parte ipsi qui vindicatur vel propinquis eius exoluenda.

ANNALES FRANCORVM FVLDENSES.

RERVM SVB PIPINO, KAROLO MAGNO, eiusq; posteris, vsq; ad excessum ARNVLFI Imp. gestarum, ab anno Domini DCCXIIII. vsq; ad annum DCCCC. consignatio accurata, in Fuldensi cœnobio cæpta & continuata.

ANNALES SIVE GESTA FRANCORVM, ab Anno incarnationis Domini DCCXIIII. ad annum DCCCC. in Fuldensi cœnobio scripti & continuati.

PIPINVS filius Ansgisi dux Francorum, post mortem Wolfaldi ducis partē Austrię regebat, obtinuitq; regnū Francorum per annos XXVII, cū regibus Hlodauuico, Hildiberto & Dagaberto. Moritur anno secundo Anastasii Imperatoris, qui est ab Incarnatione Domini annus, DCCXIIII, in mense Decembri. Huius filius Karlus ex Altheida, quam posthabita priore coniuge Waltrude duxit vxorem, sub honore Maiordomatus tenuit regnum Francorum annis XXVII.

ANNO DCCXV.

Post mortem Pipini Plidthrudis eius relicta vidua incomparabili odio contra Carlum succensa, custodia eum publica obseruari iubet: vnde ille diuino auxilio liberatus primo certamine contra Ratbodum regem Freſorum qui Coloniam vsq; venerat, mense Martio pugnans, dum fortiter dimicat, magnum exercitus sui damnum consequitur. Dagobertus Rex mortuus est, & Saxones deuastauerunt terram Bazzoariorum.* *f. Baioariorum.

DCCXVI.

Raginfridus Maiordomus & Hilpricus Rex cū exercitu fines Colonienſium & regiones Rheno contiguas vastant, acceptisq; à Plidthrude muneribus reuertuntur.

DCCXVII.

Raginfridus & Hilpricus rex in Vinciaco, die Dominica ante Pascha cum Carlo pugnantes terga verterunt, quos Carlus fugientes cædendo persequitur vsq; Parisios. His temporibus Winfridus, qui postea cum Episcopus ordinaretur, Bonifacii nomen accepit, doctor Catholicus natione Anglus, primum Romam, deinde cum auctoritate Gregorii Papæ in Franciam ad prædicandum verbum diuertit.

DCCXVIII.

Carlus victor regrediens Coloniam venit, receptisq; à Plidthrude thesauris patris sui, regem ibi constituit Hlodarium, nomine, non potestate. Hilpricus vero

& Raginfridus auxilio Eudonis ducis Aquitaniorum instaurata rursus acie, superati fugantur à Carlo.

DCCXIX.

Carlus ad Eudonem mittit, & Hilpricum, qui ad eum confugerat, per legatos recipit. Quo tempore rex Lotharius mortuus est. Bonifacius vir sanctissimus à præsule sedis Apostolicæ Gregorio Mogontiacæ ciuitati metropoli Germaniæ Archiepiscopus ordinatur, & legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ in Franciam mittitur: qui prædicatione sua multos populos, Thuringorum videlicet, Hessiorum & Austrasiorũ ad fidem rectã, à qua diu aberrauerant, conuertit: monasteria quoq; monachorum & virginum primus in partibus Germaniæ instituit.

DCCXX.

Mortuo Hilprico Carlus Teotricum in sedem regni constituit.

DCCXXI.

Carlus Raginfridum persequens, Andegauis ciuitatem capit. Postea Saxones vastando, victor regreditur.

DCCXXII.

Carlus Alamannos & Baioarios armis subegit.

DCCXXIII.

Iterum Alemanni & Baioarii pacis iura temerare nituntur.

DCCXXIIII.

Carlus tranfito Ligere, Eudonem fugat, vastata & incensa regione eius.

DCCXXV.

Sarraceni ab Eudone in auxilium suum vocati cũ rege suo Abdirama, Garonnam Burdigalemq; perueniunt, cunctis locis vastatis & Ecclesiis igne crematis. Basilicam quoq; sancti Hilarii Pictauis incendunt.

DCCXXVI.

Carlus Sarracenis cum manu valida occurrens, & auxilio Dei fretus, regem eorum cum infinita multitudine prostrauit, deuictisq; hostibus cum triumpho regreditur.

DCCXXVII.

Carlus Burgundiã petens, Lugdunum & ciuitates reliquas suæ ditioni subegit.

DCCXXVIII.

Eudo dux moritur, & Carlus Aquitaniæ prouinciam absque bello recepit.

DCCXXIX.

Carlus nauali uectione regnum Fresorum ingreditur, interfectisq; quamplurimis, Popponem ducem eorum interimit, subuersisq; lucis, fanis, victor cum præda magna reuertitur.

DCCXXX.

Sarraceni, collecto exercitu, Auennionem vrbem capiunt, & circumquaq; regiones deuastant.

DCCXXXI.

Carlus assumptis armis vrbem Auennionem obsidione vallat, instructisq; machinis, capiens, magnam Sarracenorum stragem efficit.

DCCXXXII.

Carlus Gothorum fines penetrans, Narbonam obsidet, rege Sarracenorum Athima intus incluso.

DCCXXXIII.

Sarraceni de Hispania audientes vrbẽ obsessam, armati superueniunt: contra quos Carlus dimicans, regem cum populo vsq; ad internecionem deleuit.

DCCXXXIIII.

Sarraceni à Carlo in bello superati: qui gladium effugere poterant, ascensis nauibus, dimersi sunt in mari.

DCCXXXV.

Franci Carlo duce Sarracenos protriuerunt, prædam magnam ducentes, & captiuorum multitudinem.

Regio-

DCCXXXVI.

Regionem Gothicam Carlus cum Francis ingrediens, vrbes famosissimas, Nemausum, Agaten & reliqua castella capit, destructis muris & mœniis earum vsq; ad fundamenta.

DCCXXXVII.

Carlus Saxones tributarios facit.

DCCXXXVIII.

Carlus regionem Prouinciam ingressus, Maurontum ducem qui dudum Sarracenos per dolum inuitauerat, fugere compulit.

DCCXXXIX.

Carlus Prouinciam totam, & cuncta eius maritima loca suæ ditioni subegit.

DCCXL.

Pax & quies regno Francorum per Carlum redditur ad tempus, Gothis superatis, Saxonibus & Fresonibus subactis, expulsis Sarracenis, Prouincialibus receptis.

DCCXLI.

Carlus anno Ducatus sui XXVII. moritur Parisiis, * & apud sanctum Dionysium sepelitur. Cuius filii Carlmannus & Pipinus, sub obtentu Maiordomatus, totius Franciæ regnum suscipiunt, & inter se diuidunt. * al. Casiaci.

DCCXLII.

Carlmannus & Pipinus Hunaldum Aquitaniæ ducem imperio suo resistentem, bello superatum ad Wascones fugere compellunt: simul & Alamannos duce Theotbaldo rebellare temptantes, mira celeritate comprimunt.

DCCXLIII.

Carlmannus & Pipinus Odilonem ducem Baioariorum rebellare conantem prælio superant.

DCCXLIIII.

Carlmannus cum Odilone duce Baioariorum pacem facit. His temporibus fundari cœptum est Fuldense cœnobium à S. Bonifacio, in solitudine Boconia.

DCCXLV.

Carlmannus & Pipinus simul Saxonum perfidiam, vastata eorum regione, vlciscuntur, & castrum Ohseburg capiunt.

DCCXLVI.

Carlmannus Alamannos iterum res nouas molientes, nonnullis eorum interfectis, compescuit. Bonifacius archiepiscopus cum autoritate sedis Apostolicæ, annuente Carlmanno, duas sedes Episcopales cõstituit: vnam in castro Wirziburg, vbi Burghartum collegam suum ordinauit, alteram in loco qui vocatur Eihstat, cui Willibaldus episcopus ordinatus.

DCCXLVII.

Carlmannus relicta, quam tenebat, potestate Romam vadit, ibiq; mutato habitu religiose victurus, in Cassinum ad sanctum Benedictum secedit, & monachus efficitur.

DCCXLVIII.

Grypho frater Carlmanni & Pipini potestatem quandam affectans, ad Saxones se contulit. Pipino vero per Thuringiam ingresso Saxoniam super fluuium Obacra, in loco qui dicitur Horoheim Saxones occurrunt, Gryphonem cum eo pacificare cupientes. Grypho autem nec Saxonibus, nec Francis se credens, in Baioariam fugit.

DCCXLIX.

Pipinus in Baioariam pergens Tassilonem nepotem suum natum ex Hiltrude sorore sua, ducem ibi constituit, Gryphone & Lantfrido inde eductis.

DCCL.

Pipinus Gryphoni in partibus Niustriæ, XII comitatus dedit. Sed ille nec ibi securum se esse ratus, ad Waifarium ducem Aquitaniæ secessit.

DCCLI.

Pipinus missa Romam legatione Zachariam Papam interrogat de regibus

Francorum ex antiqua Meroingorum stirpe descendentium, qui Reges quidem dicebantur, sed potestas regni tota apud Maiorem domus habebatur; excepto quod carte & priuilegia Regis nomine scribebantur, & in Martis campum qui Rex dicebatur plaustro bubus trahentibus vectus, atq; in loco eminenti sedens, semel in anno à populis visus, publica dona solenniter sibi oblata accipiebat, stante coram Maiore domus, & quæ deinceps eo anno agenda essent, populis adnuntiante: sicque Rege domum redeunte, cætera regni negotia Maior domus administrabat. Orat ergo sibi decerni, quis eorum iuste Rex debeat dici & esse; is qui securus domi sedeat, an ille qui curam totius regni, & omnium negotiorum molestias sufferat.

DCCLII.

Zacharias Papa ex auctoritate sancti Petri Apostoli, mandat populo Francorum, vt Pipinus, qui potestate regia vtebatur, regni totius & nominis quoq; dignitate frueretur. Ita Hyldricus Rex, qui vltimus Meroingorum Francis imperauit, depositus & in monasterium missus est. Pipinus vero in ciuitate Suessionum à sancto Bonifacio Archiepiscopo in regem vnctus, regni honore sublimatus est.

PIPINVS rex Francorum.

DCCLIII.

Pipinus iterum Saxonum perfidia prouocatus, regiones eorum deuastat: in qua expeditione Hildigarius Colonien sis Episcopus à Saxonibus interimitur. Grypho frater Pipini cum Italiam petere conaretur, in valle Maurienna, à comitibus fratris sui occisus est. Stephanus Papa Romanus auxilium contra Haistulphum regem Langobardorum petens, ad Pipinum in Franciam venit: à quo honorifice susceptus, apud Parisios duos filios eius Carlmannum & Carlum vnxit in reges.

DCCLIIII.

Bonifacius Archiepiscopus Maguntiacensis Ecclesiæ, euangelizans genti Fresonum verbum Dei, martyrio coronatur, anno Episcopatus sui XXXVI. die quarto mensis Iunii. Post quem Lullus in cathedra eius sedit annos XXXII. Carlmannus frater Pipini cum consilio Haistulfi regis Langobardorum in Franciam veniens ad persuadendum fratri ne exercitum in Italiam duceret, non post multos dies Lugduni vita decessit. Pipinus vero Italiam ingressus Haistulfum superatum & Papiæ inclusum obsides dare, & res sancti Petri reddere sacramento constringit. Stephanus Papa duce Hieronymo fratre Pipini Romam reuertitur.

DCCLV.

Haistulphus sacramenta mentitus, collecto exercitu, Romam impugnando circundat, omnia extra vrbem ferro & igne deuastans. cuius rei nuntium pontifex marino itinere missis legatis, Pipino insinuat, deprecans & obtestans ne inceptum opus, quod sancto Petro promiserat, imperfectum relinqueret.

DCCLVI.

Iterum Pipinus Italiam ingressus Haistulfum Papiæ inclusum obsidet, Rauennam cum Pentapoli reddere compellit, & per Folradum missum suum, sancto Petro Apostolo & Stephano Papæ vicario eius tradit.

DCCLVII.

Haistulphus in venatione quadam equo lapsus, regnum cum vita perdidit. Constantinus Imperator Pipino regi inter cætera munera, etiam organum mittit.

DCCLVIII.

Pipinus Saxonibus superatis tributum imposuit, vt trecentos equos singulis annis sibi soluerent.

DCCLIX.

Wapharius dux in Aquitania tyrannidem exercens, pressuras Ecclesiarum Dei mouit, depræd ationes & iniustitias multas fecit.

DCCLX.

Pipinus Wapharii ducis stultitia permotus, ducto in Aquitaniam exercitu, iustitias Ecclesiarum Dei facere renuentem, rerum iniuste ablatarum restitutionem promittere sacramento coegit.

DCCLXI.

Wapharius iuramenta mentitus Pipino molestus efficitur, & ferro & igne cuncta

cuncta vastando Cauillonem vsque peruenit, Pipinumq; sibi cum suis occurrere compulit.

DCCLXII.

Pipinus cum Carlo filio Burbonem, Cantelam, Clarmontem, aliasq; ciuitates & castella pugnando capit, aliisq; quam plurimis eius dominatui subiectis, etiam Bituricam expugnat.

DCCLXIII.

Tassilo nepos Pipini de exercitu regis se subducens, ad Baioarios secessit.

DCCLXIIII.

Hoc anno contigit hyems valida & præter solitum prolixa.

DCCLXV.

Hiuodgangus Metensis vrbis Episcopus postulauit à Paulo Romanæ sedis Apostolico corpora sanctorum martyrum Gorgonii, Naboris, & Nazarii, & impetrauit; adduxitq; cum honore ab vrbe Roma & in Franciam transtulit.

DCCLXVI.

Corpus S. Gorgonii condidit in monasterio suo quod ipse à nouo ædificauerat, cui vocabulum est Gorzia: S. Naborem in monasterio alio quod dicitur Noua cella. S. vero Nazarium in monasterio Laureshaim, quod est in Germania: in quibus locis miraculis viuunt & gloria.

DCCLXVII.

Lemouica Aquitaniæ Pipino expugnante capta est.

DCCLXVIII.

Pipinus interfecto Waiphario & omni Aquitania subacta rediens, apud Parisios VIII. Kalendas Octobris diem obiit, anno ætatis LIIII. filiiq; eius Carlus & Carlmannus insulas regni suscipiunt.

DCCLXIX.

Carlus cum fratre Carlmanno Hunaldum in Aquitania rebellare & imperio suo resistere conantem, bello superatum capit.

DCCLXX.

Bertha regina filiam Desiderii regis Langobardorum Carlmanno filio suo coniugio sociandam de Italia adduxit.

DCCLXXI.

Carlmannus Rex decessit II. Nonas Decembris in villa Salmuntiaco. sepelitur Remis. vxor eius & filii in Italiam pergunt. Carlus habita synodo in Valentianas, Corbanacum venit, vbi omnes Episcopi, Abbates, Comites & Duces qui fuerunt fratris sui, ad se venientes suscepit, exceptis paucis qui cum vxore Carlmanni perrexerant. *CAROlus M. rex Francorũ.*

DCCLXXII.

Carlus Saxoniam bello aggressus, Eresburgum castrum capit, & idolum Saxonum, quod vocabatur Irminsul, destruit. Vbi cum exercitus præ siccitate siti deficerent, subito in quodam torrente, media die diuinitus aquæ effusæ sunt largissimæ. Saxones iuxta Vifurgim fluuium ad Regem venientes, datis obsidibus XII. cum eo pacificantur. Adrianus Romæ pontificatum suscepit.

DCCLXXIII.

Carlus ab Adriano pontifice pro defensione rerum sancti Petri inuitatus, cum exercitu ad Italiam vadit: cui Desiderius obsistere nitens, clusis Alpium obseratis, occurrit. Franci clusis potiti, Desiderium fugientem & Papiæ inclusum obsident. Carlus orandi gratia Romam vadit, & ab Adriano honorifice susceptus sanctum diem Paschæ cum lætitia celebrat.

DCCLXXIIII.

Langobardi obsidione pertæsi pariter cum rege Desiderio egrediuntur ad Regem. Ille vero altera die cum hymnis & laudibus vrbem ingrediens thesauros regum repertos exercitui distribuit, & cunctum Italiæ regnum adeptus, in Franciam regreditur, ducens secum Desiderium cum coniuge eius. Adalgisus filius eius Constantinopolim fugit. Interea Saxones in Hessis terminos Francorum vastant. Erat

autem ibi in loco qui vocatur Friteslar basilica, quam S. Bonifacius martyr olim dedicans, prophetico spiritu nunquam igne cremandam esse prædixit. Cui cum pagani toto nisu ignē supponere conarentur, diuino pauore perterriti fugę præsidiū sumunt: dumq; iuuenes in vestibus albis basilicā ab igne defendebant, quos & Christianis & barbaris quibusdam diuinitus videre concessum est, vnus tamen ex hostibus iuxta basilicam flexis genibus additis lignis & igni incumbens, specie flantis repertus est mortuus. His temporibus dedicata est basilica S. Nazarii martyris in Laureshaim, & translata sunt ossa eius.

DCCLXXV.

Carlus Saxonū perfidiam vltus, omnes eorū regiones ferro & igni depopulatur. Sigiburgum castrū capit, Æresburgum reædificat. duobus præliis eos superat, vno iuxta Brunesberge, ripas Visurgis fluminis defendere conantes; & altero in Lidbeki, maxima eorum multitudine interfecta. Hruodgaudus Longobardus Italię regnum affectat.

DCCLXXVI.

Carlus contra Hruodgaudū in Italiam profectus eundē interficit. In Saxonia Æresburgum castrum Saxonibus redditū est; Sigiburgum ab eis obsessum, sed non expugnatum.

DCCLXXVII.

Saxones post multas cædes & varia bella afflicti, tandē Christiani effecti Francorum ditioni subduntur, & conuētus in Saxonia habitus, in loco qui vocatur Padrabrūno, vbi Ainalarabi* Saracenus præfectus Cæsar-Augustæ venit ad regem. Ibi Saxones baptizati ingenuitatem & omnem proprietatem suam secundum morem gentis abdicantes, Regi tradiderunt, si à die illa & deinceps Christianitatem, & regi ac filiis eius fidelitatem abnegassent.

*al. Ibinalarabi.

DCCLXXVIII.

Carlus cum exercitu in Hispaniam vsq; Cæsar-Augustam venit. Pampilonem vrbē destruit. De Ainalarabi & de Habitauro præfectis Sarracenorū obsides accepit, Wasconibus & Nauarris subactis, reuertitur in Franciam. Interea Saxones, Widichindo tyranno annitente, Francorū terminos vsq; ad Rhenum ferro & igne deuastant, sed non inulti reuertuntur. Nam ab exercitu Regis, quem contra eos miserat, in loco qui dicitur Lieti super fluuium Adarna pars maxima eorū interfecta est. Eo tēpore monachi Fuldensis cœnobii propter timorem Saxonū assumptis secum S. Bonifacii martyris ossibus, fugerūt de monasterio per millia passuum fere XIIII.

DCCLXXIX.

Carlus more suo Saxonum perfidiam in loco qui dicitur Hocholtz, per se vlciscitur, & omnes acceptis firmat obsidibus in loco qui vocatur Medofulli. Hildibrādus dux Spoletanus ad Carlum venit. Sturmi abbas Fuldensis cœnobii moritur, cui successit Baugolf eiusdem monasterii monachus.

DCCLXXX.

Carlus habito conuentu in Saxonia iterum eam subigit; dispositisq; tam Saxonum quam Sclauorum rebus, orationis causa Romam vadit.

DCCLXXXI.

Pipinus filius Carli Romæ baptizatur ab Adriano Papa, à quo & ipse & frater eius Hludaouicus vncti sunt in Reges. Tassilo dux Baioariæ apud Wormatiā sacramento & obsidibus suę subiectionis fidē facit, honorifice remissus ad sua. Eo tempore multa signa apparuerunt, inter quæ signum Crucis in vestimentis hominum frequentissime visum est. Sanguis etiam è terra ac de cœlo perhibetur fluxisse.

DCCLXXXII.

Carlus habuit conuentum in loco vbi Lippia oritur, cum omnibus primatibus Saxonum, excepto Widichindo rebelle & eis qui cum eo erant. Vbi ad eum venerunt missi Godofridi* regis Danorum: Halpdani scilicet cum sociis suis. Missi quoq; Hunorum Cagani & Iugurri. quibus auditis atq; remissis, Rex quidem in Franciam reuersus est. Saxones vero, suadēte Widikindo, iterum rebelles effecti, legatos regis Adalgisum & Gailonem in Sclauos cum exercitu missos, conserto cum eis prælio in loco qui dicitur Sundtal, non sine grandi clade suorum occiderunt: quorum mors quatuor millium & quingentorum hominum decollatione vindicata est.

*al. Sigifridi.

Hildi-

DCCLXXXIII.

Hildigarda Regina diem obiit 11. Kal. Maij. Decessit & Berhta Regis mater IIII. Id. Iul. Carlus Saxones duobus prælijs magnis vicit, vno in Thiotmelli, altero iuxta fluuium Basa, immensa eorum multitudine interfecta. Eodem anno rex Vastradam duxit vxorem.

DCCLXXXIIII.

Carlus iunior à patre cum exercitu in Saxoniam missus, Westfalaos in prælio superauit & domuit.

DCCLXXXV.

Witukind Saxo Attiniaci ad fidem Carli venit, & baptizatus est, & Saxonia tota subacta. Coniuratio Orientalium Francorum (quæ vocatur Hartrati) contra regem exorta, & cito compressa est.

DCCLXXXVI.

Carlus per Autulfum Senscalcum misso exercitu Britones domuit. Et ipse per Italiam rebus ordinatis, orationis causa Romam vadit. Lullo Mogontiacensi Episcopo defuncto Richolf successit. Auctores conspirationis contra Regem partim morte, partim cæcitate & exilio damnantur.

DCCLXXXVII.

Eclipsis solis facta est XV. Kal. Octob. Carlus cum exercitu Beneuentum ingressus, Capuam venit: Grimaldum filium Aragisi ducis Beneuentanorum in obsidatum accepit. Hruodtrudis filia regis à Constantino Imperatore desponsatur.

DCCLXXXVIII.

Tassilo dux Baioariorum ad Carlum in palatio Ingilēhein veniens, multis periuriis & infidelitatibus conuictus deponitur. Græcorum exercitus à Francis, & Langobardis, & Beneuentanis prælio superatur. Similiter & Auares in Marcha Baioariæ atque Italiæ à regis exercitibus victi & fugati sunt.

DCCLXXXIX.

Carlus per Saxones iter faciens, venit ad Albim fluuium, habens in exercitu suo Francos, Saxones, Sorabos & Abodritos, quorum princeps erat Witzan, Fresones quoque per Habola fluuium nauigio venientes, constructis duobus pontibus, quorum alterum ex vtraque parte castellis muniuit, transito flumine, Sclauorum qui vocantur Wilzzi, terram ingressus, magnis eos prælijs domuit, ac ditioni suæ subiugauit.

DCCXC.

Hic annus à bellorum motibus quietus fuit, quem Rex apud VVormaciam transegit.

DCCXCI.

Palatium VVormacense incendio consumptum est. Carlus propter multa mala & prædationes ac cædes, quas Huni exercuerant in populo Dei, prouocatus, congregato exercitu in Baioaria iuxta Anisam fluuium, cum omni populo suo ieiuniis & obsecrationibus triduo celebratis, exercitum diuidit. Ipse cum Francis, Alamannis, & Baioariis ex Australi parte Danubij per Cummiberg*; Saxonibus & Thuringis cum parte Francorum per littus Septentrionale pergentibus; Frisonibus verò, & qui cum ipsis deputati sunt, nauali euectione per alueum euntibus, Pannoniam ingressi sunt: Hunis perterritis & fugientibus, omnes eorum regiones vsque ad Raba fluuium ferro & igne deuastat.

* m. f. Cumanū montem.

DCCXCII.

Hæresis Feliciana, ipso auctore eam abnegante, apud Reganespurg primum damnata est, qui etiam per Engilberhtum abbatem in præsentia Adriani Apostolici adductus denuò eam confessione facta damnauit. Coniuratio Pipini contra patrem facta in Baioaria, cito detecta & compressa est, auctoribus factionis partim morte, partim exilio & cæcitate damnatis. Pons naualis in Danubio factus est.

DCCXCIII.

Fossa à rege facta est inter Ardantiam & Alemonam fluuios. Prælium factum

est inter Sarracenos & Francos in Gothia, in quo Sarraceni superiores extiterunt. Saxones more solito defecerunt.

DCCXCIIII.

Synodus habita est in Franconofurt, in qua hæresis Feliciana coram Episcopis Germaniarum & Galliarum Italorumq;, præsente magno principe Carlo, & missis Adriani Apostolici Theophylacto & Stephano Episcopis astipulantibus, tertio damnata est, & rata stipulatione damnatio roborata. Fastrada regina moritur, & Mogontiæ apud S. Albanum honorificè sepulta est. Pseudosynodus Græcorũ pro adorãdis imaginibus habita, & falsò septima vocata, ab Episcopis damnatur. Saxones in Sinitfeldt congregati à Carlo subacti sunt, & tertius ex eis homo translatus. His tem- 10
al. Alabanum. poribus Alcuinus * cognomento Albinus, sanctitate & doctrina clarus habetur.

DCCXCV.

Carlus cum exercitu Saxoniam ingenti populatione vastando, peruenit vsque ad locum, quem vocant Liuni, vbi VVitzan dux Abodritorum ad regem pergere volens, à Saxonibus occisus est. In eo loco Tudun, qui in gente Hunorum magnæ potestatis erat, per legatos suos se & terram cum populo cui præerat, Regi daturum & Christianum futurum esse promisit. Rex verò afflictis Saxonibus & obsidibus firmatis in Franciam rediit.

DCCXCVI.

Adriano Pontifice defuncto Leo Papa successit. Cagam & Iugurro principibus 20
Hunorum ciuili bello & intestina clade à suis occisis, campus eorum, quem vocant Hringum, primo per Ehericum ducem Foroiuliensem, deinde per Pipinum filium Regis addictus & captus est; & omnes Hunorum opes ac thesauri sublati, & Carlo in Aquisgrani palatio allati sunt. Tudun secundum pollicitationem suam cum populo suo ad Regem veniens baptizatus, & honorificè remissus est. Saxonia iterum à Rege vastatur.

DCCXCVII.

Barcinona Hispaniæ ciuitas, quæ iam pridem à Francis defecerat, per Zatum Sarracenum præfectum eius Carlo reddita est. Constantinus Imperator à Græcis
al. Addaloha. excæcatus est. Carlus expeditione facta totam Saxoniam vsque * ad Oloha, quæ sita 30
est in littore Oceani, peragrauit, atque in deditionem per obsides acceptam Aquisgrani reuertitur. Vbi Adbellam Sarracenum filium Ibin Mauge Regis, qui à fratre regno pulsus in Mauritania exulabat, ipso se commendante suscepit. Illuc quoque legatus Nicetæ præfecti Siciliæ nomine Teoctife venit cum epistola Imperatoris, quem Rex magnificè suscipiens post paucos dies absoluit, & abire permisit.

DCCXCVIII.

al. Aldefonsus. Carlus cum exercitu hyemauit in Harnstallio Saxonico. Hadofuns * Rex Galletiæ & Hasturiæ per Floram legatum suum papilionem miræ pulchritudinis Regi transmisit. Transalbiani Saxones seditione commota legatos regios, qui ad iustitias faciendas apud eos versabantur, comprehendunt, quibusdam ex eis statim trucida- 40
tis, quibusdam ad redimendum reseruatis; ex quibus aliqui effugerunt, cæteri redempti sunt. Quo audito Rex in desertores arma corripiens, totam Saxoniam inter Albim & Visurgim populando peragrauit. Transalbianos per Eburisum legatum suum & Trasugonem ducem Obodritorum in prælio vicit, cæsis in loco certaminis IIII. millibus, cæteris pacem postulantibus. A quibus Rex acceptis obsidibus Aquisgrani reuersus, epistolam Herenæ Imperatricis (cuius filius Constantinus anno priore excæcatus est) à Constantinopoli per Michael patricium Frigiæ & Theophilum presbyterum pro pace missam suscepit. Quos cùm remisisset, remisit etiam cum eis & Sisinnium fratrem Tarasij Constantinopolitani Episcopi, iam dudum in Italia prælio captum. Hadofuns quoque supradictus Rex prædata Olisippona 50
Hispaniæ ciuitate, insignia victoriæ suæ, loricas, mulos, captiuosque Mauros per Froium & Basiliscum legatos suos misit. Mauri piraticam exercere incipiunt.

DCCXCIX.

Leo Papa à Romanis in letania maiore lingua detruncata excæcatus, & per VVirundum Abbatem & VVinigisum ducem Spolitanum ereptus, ad Carlum in

Saxonia

Saxonia ad Padraprunno deductus est. Ehericus dux Foroiulienſis iuxta Tharſaticam Liburniæ ciuitatem maritimam inſidiis oppidanorum occiſus est: & Geroldus Baioariæ præfectus cum Hunis dimicans interfectus est. Baleares inſulæ poſtulato & accepto Carli auxilio, Mauris & Sarracenis, à quibus priore anno prædabantur, ereptæ ſunt. Signa quoque Maurorum in pugna ſublata, Regi ſunt præſentata. Britannia ciſmarina per VVittonem ducem tota ſubacta, & arma ducum, qui ſe dediderant, inſcriptis ſingulorum nominibus, Regi præſentata ſunt. Nam hi ſe & terram & populum vnuſquiſque tradidit. Patriarcha Hieroſolymitanus reliquias de ſepulchro Domini per monachum quendam regi tranſmiſit. Eazan præfectus ciuitatis, quæ dicitur Oſca, claues vrbis per legatum ſuum cum aliis muneribus miſit.

DCCC.

Rex abſolutum Hieroſolymitanum monachum reuerti fecit, miſſo cum eo Zacharia presbytero de palatio ſuo, qui eius donaria per illa loca ſancta deferret. Ipſe peragratis Oceani Gallici littoribus (quod piratis infeſtum erat) diſpoſitiſque præſidiis reuertens, Turonis ad ſanctum Martinum orationis cauſa peruenit. Vbi Hyldegardis coniunx eius defuncta eſt, & humata. Inde reuerſus propter Leonis Papæ cauſam Romam proficiſcitur, ibique hyemauit, & exercitum cum Pipino filio ſuo in Beneuentanorum terras prædatum ire iuſſit. Leo Papa poſtquam facta de eo quęſtione, nullus probator criminum ei obiectorum eſſe voluit, in baſilica ſancti Petri ambonem aſcendit, poſito ſuper caput ſuum Euangelio, & coram omni populo inuocato ſanctæ Trinitatis nomine, iureiurando ab obiectis ſe criminibus purgauit.

DCCCI.

In die natalis Domini, ante confeſſionem beati Petri Apoſtoli, cùm Rex ab oratione ſurgeret, Leo Papa coronam capiti eius impoſuit, & à cuncto Romanorum populo acclamatum eſt: *Carlo Auguſto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria.* Et poſt laudes more antiquorum principum adoratus eſt, atque ablato Patricii nomine Imperator, & Auguſtus eſt appellatus. Poſt paucos autem dies iuſſit eos, qui Pontificem anno ſuperiori depoſuerant, exhiberi, & habita de eis quæſtione, ſecundum legem Romanam, vt maieſtatis rei capitis damnati ſunt: pro quibus tamen Papa pio affectu apud Imperatorem interceſſit. Nam & vita & membrorum integritas eis conceſſa eſt: cæterum pro facinoris magnitudine exilio deportati ſunt. Terræmotus factus eſt 11. Kalend. Maii per totam Italiam, tam vehemens, vt in quibuſdam locis vrbes ruerent, & montes, & tectum baſilicæ beati Pauli Apoſtoli Romæ cum trabibus ſuis magna ex parte decideret. Circa Rhenum quoque, & in Gallia, & in Germania quædam loca tremuerunt. Barcinona ciuitas in Hiſpania, & in Italia Teate, captæ ſunt, præfectis earum Zatun videlicet Barcinonæ & Roſelmo Teate comprehenſis, Regi pariter præſentatis, & exilio damnatis.

CAROLVS M. Imp. Rom.

DCCCII.

Herena Imperatrix de Conſtantinopoli miſit legatum nomine Leonem Spatarium de pace confirmanda inter Francos & Græcos, & Imperator viciſſim abſoluto illo, miſit Ieſſe Epiſcopum Ambianenſem, & Hemgaudum comitem Conſtantinopolim, vt pacem cum ea ſtatuerent. Iſaac Iudæus Elephantum & alia munera, quæ Aaron Rex Perſarum miſerat, Aquiſgrani Carlo detulit. Tranſalbiani Saxones à Francis vaſtantur. Ortona ciuitas in Italia in deditionem accepta, & Luceria ſimiliter, poſitumque in ea præſidium Francorum. Et Winigiſus dux Spolitanus, qui præſidio præerat, a Grimaldo obſeſſus & captus eſt. Eo anno Baugulfus Abbas Fuldenſis cœnobii, relicta quam habuit poteſtate, Ratgarium ſucceſſorem accepit. Paulinus patriarcha Foroiulienſis obiit.

DCCCIII.

VVinigiſus à Grimaldo redditus, & miſſi Imperatoris de Conſtantinopoli reuerſi ſunt, & venerunt cum eis legati Nicifori Imperatoris tunc rempublicam regentis. Nam poſt aduentum legationis Franciæ, Herenam depoſuerunt. Quos Imperator ad ſe venientes in loco, qui vocatur Salz ſuper fluuium Sala ſuſcepit, & auditos cum epiſtola pactum faciendæ pacis continente remiſit ad propria.

DCCCIIII.

Carlus Saxones Transalbianos cum mulieribus & natis transtulit in Franciam, & pagos Transalbianos Obodritis dedit. Leo Papa ad Imperatorem Carisiaci venit, vbi natale Domini cum eo celebrauit, donatusque magnis muneribus, per Baioariam reuersus est Romam. Causa aduentus eius hæc erat: perlatum est ad Imperatorem æstate præterita, Christi sanguinem in Mantua ciuitate fuisse repertum: propter hoc misit ad Papam, petens vt huius famæ veritatem inquireret. Qua accepta occasione exeundi primo in Longobardiam quasi pro inquisitione prædicta profectus est, inde arrepto itinere ad Imperatorem vsque peruenit, vnde absolutus Romam repedauit. Rihboto Archiepiscopus Treuirensis moritur.

DCCCV.

Carlus iunior in Boemanos Sclauos cum exercitu à patre missus, depopulata prouincia, regem eorum nomine Lechonem occidit. Caganus princeps Hunorum Aquis ad regem venit, & vt postulauit, inter Sabariam & Carnontum habitandi locum accepit, eo quòd Sclauis infestantibus pristinas sedes habitare non potuit. Erat enim Christianus nomine Theodorus. quo ad suos reuerso, & non multo post morte præuento, Cagano per legatos suos petenti ab Imperatore concessus est honor antiquus, quem Caganus apud Hunos iuxta priscum eorum ritum habere solebat.

DCCCVI.

Partitio regni Francorum ab Imperatore facta in villa Theodonis inter filios suos, vt sciret vnusquisque eorum, quam partem tueri & regere debuisset, si pater eum superstitem relinqueret. De hac partitione testamentum conscriptum, & ab optimatibus Francorum confirmatum, & Leonis Apostolici subscriptione roboratum est. Carlus iunior cum exercitu a patre missus in Sorabos super Albim fluuium habitantes, depopulata Sclauorum terra, ducem eorum Miliduoch interfecit. Missa est & manus de Baioaria & Alamannia atque Burgundia in Boemanos, vastataque prouincia non minima portione, absque vllo graui incommodo regressa est. In Corsicam quoque classis à Pipino contra Mauros missa est, cuius aduentum Mauri non expectantes abscesserant. Hadumar tamen ciuitatis Genuæ præfectus contra eos imprudenter dimicans occisus est.

DCCCVII.

Aaron Rex Persarum papilionem & tentoria atrii vario colore facta miræ pulchritudinis Imperatori misit. Erant enim bissina omnia, tam tentoria, quàm funes eorum, diuersis tincta coloribus. Pallia quoque serica multa & pretiosa, & odores atque vnguenta, & balsamum; necnon & Horologium ex auricalco arte mechanica mirifice compositum, in quo XII. horarum cursus ad clepsidram vertebatur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subiectum sibi cimbalum tinnire faciebant, additis in eodem eiusdem numeri equitibus, qui per XII. fenestras completis horis exibant, & impulsu egressionis suæ totidem fenestras, quæ prius erant apertæ, claudebant. Eodem anno Rex Burghardum comitem stabuli cum classe misit in Corsicam, vt eam à Mauris, qui superioribus annis illuc prædatum venire consueuerant, defenderet. A quo, cum venirent, & cum eo decertarent, victi ac fugati sunt, amissis XII. nauibus, & plurimis suorum interfectis.

DCCCVIII.

Godofridus Rex Danorum Abodritos bello aggressos, quamuis multis afficeret malis, cum magno tamen copiarum suarum detrimento rediit, Reginoldo filio fratris sui, & optimis militum suorum, & manu promptissimorum amissis. Carlus verò filius Imperatoris, qui ad resistendum ei, si Saxonum terminos aggredi tentaret, directus fuerat, Albiam ponte iunxit, & cum exercitu, cui præerat, in Linones & Smeldingos (qui & ipsi ad Godofridum defecerant) quanta potuit celeritate transposuit, populatisque circumquaque eorum agris, & transito iterum flumine, cum incolumi exercitu se in Saxoniam recepit. Eardulfus rex Nordanumbrorum regno & patria pulsus, ad Imperatorem venit, & patefacto aduentus sui negotio Romam proficiscitur.

Dertosa

DCCCIX.

Dertosa ciuitas Hispaniæ à Hludouuico filio Imperatoris obsessa, sed non expugnata est. Eardulfus Rex Nordanumbrorum in regnum suum reductus est per legatos Imperatoris, & Leonis Papæ. His temporibus concilium habitum est de processione Spiritus sancti. Quam quæstionem Ioannes quidam monachus Hierosolymis primo commouit, cuius definiendæ causa Bernharius Episcopus Wangionum, & Adalhardus Abbas Corbeiæ monasterii, Romam ad Leonem Papam missi sunt. Imperator autem cùm ei multa de iactantia & superbia regis Danorum nunciarentur, iussit castrum Hesfeld trans Albiam ædificari. Interea Thrasco dux Obodritorum, postquam cum auxilio Saxonum Wilzos & Smeldingos perdomuit, & omnes, qui à se defecerant, reuerti coegit, in emporio Reric ab hominibus Godafridi per dolum interfectus est.

DCCCX.

Hruodrud Imperatoris filia, quæ natu maior erat, VIII. Id. Iul. diem obiit. Imperator verò Aquisgrani adhuc agens, & contra Godafridum regem expeditionem meditans, nuncium accepit classem ducentarum nauium de Nordmannia Frisiam appulisse, totasque Frisiaco littori adiacentes insulas esse vastatas, iamque exercitum illum in continenti esse, ternaque prælia cum Fresonibus commisisse, Danosque victores tributum victis imposuisse, & vectigalis nomine centum libras argenti à Fresonibus iam esse solutas, Regem verò Godafridum domi esse: & reuera ita erat. Qui nuncius adeò Imperatorem concitauit, vt missis in omnes circumquaque regiones ad congregandum exercitum nunciis, ipse sine mora palatio exiens, primò quidem classi occurreret, deinde verò transmisso Rheno flumine, in loco, qui dicitur Lippeham, copias quæ nondum conuenerant, statuit operiri. vbi dum aliquot dies moraretur, Elephas ille, quem ei Aaron rex Persarum miserat, subita morte periit. Congregatis tandem copiis, quanta potuit celeritate ad Alarum fluuium contendit, castrisq; iuxta confluentem eius (quo Wisuræ flumine coniungitur) positis, minarum Godafridi regis præstolatur euentum. Nam rex ille vanissima spe victoriæ inflatus, acie se cum Imperatore congredi velle iactabat. Sed cùm Imperator memorato loco statiua haberet, diuersa rerum nuncia ad eum deferuntur. Nam & classem, quæ Frisiam vastabat, domum regressam, & Godofridum regem à quodam suo satellite interfectum; castellum vocabulo Hohbuochi Albiæ flumini adpositum, in quo Odo legatus Imperatoris, & Orientalium Saxonum erat præsidium, à Wilzis captum; & Pippinum filium eius regem Italiæ V II I. Id. Iul. de corpore migrasse; duasq; legationes de diuersis terrarum partibus, vnam de Constantinopoli, alteram de Corduba, pacis faciendæ causa aduentasse narratur. Quibus ille acceptis, disposita pro temporis conditione Saxonia, domum reuertitur. Tanta fuit in ea expeditione boum pestilentia, vt pene nullus tanto exercitui superesset, quin omnes vsque ad vnum interirent: & non solum ibi, sed etiam per omnes Imperatori subiectas prouincias, illius generis animalium mortalitas immanissime grassata est. Imperator Aquisgrani veniens mense Octobri memoratas supra legationes audiuit, pacemq; cum Niciphoro Imperatore, & cum Ambulaz rege Hispaniæ fecit. Nam Niciphoro Venetiam reddidit, & Hainricum comitem olim à Sarracenis captum, Ambulaz remittente recepit. Godafrido Danorum rege mortuo, Hemmingus filius fratris eius in regnum successit, ac pacem cum Imperatore fecit.

DCCCXI.

Imperator legatos suos Constantinopolim misit, Hattonem Basiliensem Episcopum, & Hug comitem Turonicum, & Aio Longobardum de Aquileia, ad confirmandam cum Niciphoro pacem. Condita verò inter Imperatorem & Hemmingum Danorum regem pax, à duodecim primoribus vtriusque gentis, Francorum videlicet & Danorum, iuxta fluuium Egidoram vicissim secundum ritum ac morem suum datis sacramentis confirmatur. Tres quoque exercitus in totidem partes regni Francorum missi; vnus in Linones, qui eorum terra vastata, Hohbuochi castellum priore anno destructum reparauit: alter in Pannonias ad controuersias Hunorum & Sclauorum finiendas: tertius in Britones ad eorum perfidiam punien-

dam. Qui omnes rebus prosperè gestis reuersi sunt incolumes. Interea Carlus, qui Imperatoris filius maior natu erat, II. Non. Decemb. obiit.

DCCCXII.

Hemmingo Danorum rege defuncto, Sigifridus nepos Godofridi regis, & Anulo nepos Herioldi succedere volentes, cùm inter eos de primatu conuenire non posset, commisso prælio ambo moriuntur: pars tamen Anulonis adepta victoriam, Herioldum & Reginfridum fratres eius reges ibi constituit, quod necessario pars victa concessit. In eo prælio X. millia DCCCCXL. viri cecidisse referuntur. Niciphorus Imperator Græcorum post multas victorias & res prosperè gestas, à Bulgaris occisus, Michaelem successorem accepit. Qui legatos Carli ad Niciphorum missos Constantinopolin audiuit & absoluit, cum quibus & suos legatos direxit, & pacem à Niciphoro inceptam confirmauit: qui etiam, vbi ad Imperatorem Aquisgrani venerunt, scriptum pacti ab eo in Ecclesia suscipientes, more suo, id est, Græca lingua, laudes ei dixerunt, Imperatorem eum & Basileum appellantes. Cum Grimaldo duce Beneuentanorum pax facta, & tributi nomine XXV. millia solidorum auri à Beneuentanis accepta. Classis Danorum Hiberniam aggressa, à Scotis prælio superatur. Hoc anno post meridiem solis eclipsis fuit.

DCCCXIII.

Imperator Amalharium Treuirensem Episcopum, & Petrum Abbatem monasterii Nonantulas, propter pacem cum Imperatore Michaele confirmandam Constantinopolim misit. Hludouuicum filium coronauit, & sibi consortem Imperii fecit. Bernhardum quoque nepotem suum, filium Pipini filii sui, Italiæ præfecit, & Regem appellari iussit. Concilia quinque super statu Ecclesiarum corrigendo ab Episcopis celebrari iussit, quorum vnum Mogontiaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabillione, quintum Arelati congregatum est. Quorum gesta, qui nosse voluerit, in prædictis quinque ciuitatibus inuenire poterit. Pons apud Mogontiacum incendio conflagrauit.

DCCCXIIII.

Carlus Imperator dum Aquisgrani hyemaret, anno ætatis suæ circiter LXXI. regni autem XLVII. subactæque Italiæ XLIII. ex quo verò Imperator & Augustus appellatus est anno XIIII. v. Kal. Feb. rebus humanis excessit. Cui Hludouuicus filius eius successit, & ad suscepti regni administrationem cura conuersa, primo legationes gentium, quæ ad patrem venerant, auditas absoluit; deinde simili modo ad patrem quidem missas ad se verò venientes suscepit, & absolutas remisit; habitoque Aquisgrani generali conuentu populi sui, ad iustitias faciendas, & oppressiones popularium releuandas, legatos in omnes regni sui partes misit, & erepta per vim patrimonia multis restituit.

HLVDOVICVS Pius Imp.

DCCCXV.

Exercitus Francorum à Hludouuico Imperatore ad auxilium Herialdo Danorum regi ferendum contra filios Godofridi in Nordmanniam missus, cùm aduersarii eis congredi non auderent, circumquaq; vicinis *pagis, & acceptis popularium obsidibus XL. reuersus est. Romæ quidam primores in necem Leonis Papæ conspirantes interficiuntur.

**for. Vidii.*

DCCCXVI.

Saxones & Orientales Franci in Sorabos dicto non obedientes missi, contumaciam audacium non magno labore compresserunt. Wascones gentilitia leuitate vsi defecerunt; sed duabus expeditionibus ita sunt edomati, vt tarda eis deditio & pacis impetratio videretur. Leo Papa decessit VIII. Kalend. Iun. Et Stephanus Diaconus Pontifex factus, paucis post ordinationem diebus, ad Imperatorem venit, à quo apud Remorum ciuitatem honorificè susceptus est. Qui statim aduentus sui causas principi insinuãs, celebratis ex more missarũ solenniis; eum diadematis impositione coronauit. Multis deinde inter eos muneribus & datis, & acceptis, & amicitia vicissim firmiter roborata, Pontifex Romam, Imperator Compendium palatium petit.

DCCCXVII.

Eclipsis solis facta est Nonas Febr. eadem nocte stella cometes gladio similis visa est.

eſt. Stephanus Papa IX. Kalen. Feb. diem obiit, cui Paſchalis presbyter ſucceſſit. Hludouuicus Imperator filium ſuum primogenitum Hlodharium coronauit, & nominis atque imperii ſui ſocium ſibi conſtituit, cæteros Reges appellatos, vnum Aquitaniæ, alterum Baioáriæ præfecit. Sclaomir dux Obodritorum, propterea quod regiam poteſtatem, quam poſt mortem Thraſconis ſolus ſuper Obodritos tenebat, cum Ceadrogo filio Thraſconis partiri videbatur, iratus cum populo ſuo ſibi ſubiecto defecit, & miſſa trans mare legatione cum filiis Godofridi amicitias iunxit. Bernardus Rex Langobardorum conſilio prauorum hominum tyrannidem meditatus, cùm ſe à ſuis deſeri vidiſſet, rebus propriis diffidens, apud Cauillionem armis depoſitis Imperatori ſe tradidit. Leonis Imperatoris legati de Conſtantinopoli pro pace ad Imperatorem Hludouuicum miſſi venerunt. quos ille apud Ingilenheim ſuſceptos audiuit ac dimiſit. Ratgarius Abbas Fuldenſis cœnobii accuſatus à fratribus, & conuictus deponitur.

DCCCXVIII.

Bernhardus Francorum iudicio excæcatus moritur: ſimiliter & auctores coniurationis capitali ſententia damnati, luminibus tantũ orbantur; Epiſcopi ſynodali decreto depoſiti monaſteriis mancipantur; cæteri prout quiſq; nocẽtior vel innocẽtior apparuit, vel exilio deportatus, vel tonſus & in monaſteriũ miſſus eſt. Imperator verò Britanniam ciſmarinam bello petens, captisq; rebellionum munitionibus, breui totam in ſuam poteſtatem redegit. Nam Mormano, qui in ea tyrannidẽ exercuit, occiſo, nullus Bretto inueniebatur, qui reſiſteret, aut imperata facere renueret. Eclipſis ſolis contigit VIII. Id. Iul. Irmingardis regina V. Non. Octob. deceſſit. Monaſterio Fuldenſi Eigil Abbas electus & ordinatus eſt.

DCCCXIX.

Sclaomir rex Obodritorum à primoribus ſui populi multis criminibus accuſatus, cùm obiecta ſibi rationabiliter refellere non poſſet, exilio condemnatus eſt, & regnum Ceadrogo filio Thraſconis datum. Similiter & Lupus Waſco de perfidia conuictus, exilio deportatus eſt. Conuentus Aquiſgrani habitus eſt, in quo multa de ſtatu Eccleſiarum & monaſteriorum tractata, atq; ordinata ſunt, legibus etiam capitula quædam perneceſſaria, quia deerant, addita ſunt. Imperator inſpectis pleriſque nobilium filiabus, Iudith filiam Huelpi Comitis duxit vxorem. Contra Liudeuuicũ quoq; Sclauum in Pannonia rebellantem exercitus de Italia miſſus, rebus parũ proſpere geſtis, infecto pene negotio regreſſus eſt. Pipinus filius Imperatoris Waſcones vicit & ſubegit. Hoc anno baſilica ſancti Bonefacii martyris in cœnobio Fuldenſi ab Heſtulfo Archiepiſcopo dedicata eſt in honorem Domini Saluatoris, & omnium Sanctorum eius, translataq; ſunt oſſa ſancti martyris, Kal. Nouemb.

DCCCXX.

Tres exercitus contra Liudeuuicum in Pannoniam mittuntur, quorum vnus de Italia per Alpes Noricas; alter de Saxonia per Carantanorum prouinciam; tertius Francorum, per Baioariam & Pannoniam ſuperiorem ingreſſi, cùm in vnum cõuenerunt, totam pene regionem ferro & igni deuaſtantes, nullo graui damno accepto reuerſi ſunt. Is tamen, qui per Pannoniam ſuperiorem iter fecerat, in tranſitu Draui fluminis ex locorũ & aquarum inſalubritate ſoluti ventris incõmodo grauiter affectus eſt, & pars eius non modica hoc morbo conſumpta. Bera comes Barcenonæ, infidelitatis à vicinis ſuis inſimulatus, cum accuſatore ſuo equeſtri pugna confligere conatus, vincitur; & vt reus maieſtatis capitali ſententia damnatus, parcente ei Imperatore, exilio deportatur. Propter nimietatem pluuiarum aere corrupto, hominum & boum peſtilentia longe lateq; ita graſſata eſt, vt vix vlla pars regni Francorum ab hac peſte immunis poſſet inueniri: fruges quoq; vel colligi non poterant, vel collectæ putruerunt. Vinum etiam propter caloris inopiam acerbum & inſuaue fiebat.

DCCCXXI.

Hludouuicus Imperator Nouiomagi * diuiſionem regni fecit inter filios ſuos. Deinde in villa Theodonis omnes, qui ſuo tempore in exilium miſſi fuerunt, reuocauit, & ſingulos in ſtatum priſtinum reſtituit, poſſeſſiones quoq; iudicio legis in fiſcũ redactas magna liberalitate reſtituit. Hludharius filius eius vxorẽ duxit, & apud

* al. VVarmatia.

Wormaticam hyemauit. Ceadrogo princeps Obodritorum, quia perfidiæ & cuiusdam cum filiis Godofridi factæ societatis notabatur, Sclaomir æmulus eius in patriam remittitur. Qui cùm in Saxoniam veniſſet, ægritudine decubuit, & percepto Baptiſmi ſacramento defunctus eſt.

DCCCXXII.

In regione Thuringorum quodam in loco iuxta fluuium nomine Ceſpis, ceſpes longitudine pedum quinquagenum, latitudine quatuor denũ, altitudine ſexquipedali, de terra ſine manibus & præciſus & ſublatus eſt; & ab eo loco, in quo ſumptus eſt, XXV. pedum ſpatio diſtãs inuentus eſt. Item in parte Orientalis Saxoniæ, quæ Sorabo rum finibus contigua eſt, in quodam deſerto loco, iuxta lacum, qui dicitur Arnſeo, terra in modum aggeris intumuit, & limitem vnius leugæ ſpatio porrectum, ſub vna nocte abſq; humani operis molimine ad inſtar valli ſubrexit. Hludouuicus Imperator ſacerdotum vſus conſilio, de omnibus quæ publicè perperam geſſit, publicã pœnitentiam egit: & poſt hæc cuncta, quæ in regno ſuo corrigenda inuenire potuit, corrigere atq; emendare curauit. Hlodharius in Italiam, Pipinus frater eius, & ipſe vxore ducta in Aquitaniam miſſus eſt. Eigil Abbas Fuldenſis cœnobii defunctus, Hrabanum ſucceſſorem accepit. Ebo Remorum Epiſcopus genti Nordmannorum euangelizauit verbum Dei.

DCCCXXIII.

Hlodharius iuuenis rogante Paſchale Papa Romam veniens, ab eodem coronatur, & à populo Romano Imperator Auguſtus appellatur. Liudeuuicus qui ſuperiore anno propter exercitum contra ſe miſſum, relicta Siſcia ciuitate, ad Sorabos, qui magnam Dalmatiæ partem obtinere dicuntur, fugiendo ſe contulit, & iterum cùm in Dalmatas ad Emuhslum * auunculum Borne ducis peruenisſet, dolo ipſius interfectus eſt. Hoc anno prodigia quædam extitiſſe narrantur, in quibus præcipua fuerunt, in Aquenſe palatio terræmotus, & in territorio Tullenſe iuxta villam Commarceium * puella quædam annorum ferè XII. ab omni cibo per X. menſes abſtinens; & in Saxonia in pago, qui vocatur Frihſazi, villæ XXIII. igne cœleſti concrematæ; & fulgura ſereno atque interdiu de cœlo cadentia; & in territorio Cometenſe Italicæ ciuitatis, in vico Gradabona, in Eccleſia S. Iohannis Baptiſtæ imago ſanctæ Mariæ puerum Ieſum gremio continentis, ac Magorum munera offerentium, in abſida eiuſdem Eccleſiæ depicta, & ob nimiam vetuſtatem obſcurata, & pene abolita, tanta claritate per duorum dierum ſpatia effulſit, vt omnem ſplendorem nouæ picturæ, ſuæ venuſtatis pulchritudine, cernentibus penitus vincere videretur: Magorum tamen imagines, præter munera quæ offerebant, minimè claritas illa inradiauit. Et in multis regionibus ſegetes grandinis vaſtatione deletæ, atque in quibusdam locis ſimul cum ipſa grandine veri lapides, atq; ingentis ponderis decidere viſi. Domus quoq; de cœlo tactæ, hominesq; ac cætera animalia paſſim fulminum ictu præter ſolitum crebro exanimata dicuntur. Secuta eſt ingens peſtilentia, atque hominum mortalitas magna.

* al. Liudemahlum.

* al. Commerciacum.

DCCCXXIIII.

Rex Bulgarorum Omortag pacis faciendæ gratia ad Imperatorem legatos & literas miſit: quos rex auditos remiſit, & cum eis Maghelmum de Baioaria ad memoratum regem direxit. Paſchalis Papa defunctus, & Eugenius pro eo Pontifex conſtitutus eſt. Imperator Hlodharium filium ſuum ad iuſtitias faciendas Romam miſit. Ipſe cum exercitu Britanniam petit, diuiſisq; in tres partes copiis, totam ferro & igni deuaſtat, acceptisq; à perfido Britonum populo, quos imperauerat obſidibus, reuerſus eſt. Hoc anno hyems aſpera, & valde prolixa facta eſt, quæ non ſolum animalia, verumetiam homines quosdam immanitate frigoris extinxit. Ante ſolſtitium quoq; paucis diebus, in territorio Auguſtodunenſe, aere in tempeſtatem ſubita mutatione conuerſo, ingens fragmentum ex glacie ſimul cum grandine decidiſſe perhibetur, cuius longitudo quindenum, latitudo ſeptenũ, craſſitudo duorũ pedũ fuiſſe dicitur.

DCCCXXV.

Iterum Rex Bulgarorum alios legatos ad Imperatorem miſit, de terminis videlicet ac finibus inter Francos & Bulgaros conſtituendis. quibus Rex auditis, per eoſdem

eosdem, qui ad se missi fuerant legatos regi eorum missis literis respondit prout videbatur. Wihomarcus Britto perfidus terminos Francorum incendiis & direptionibus infestare non cessauit, donec ab hominibus Lantberti comitis in domo propria circumuentus & occisus est. Imperator cum filiis Godofridi pacem, quam ipsi petebant, cum eis in marca eorum confirmare iussit. In territorio Tullense iuxta Commerciacum villam puella duodennis, post sacram communionem, quam in Pascha à sacerdote susceperat, primo pane, deinde aliis communibus cibis & potibus ita abstinuit, vt nulla penitus corporis alimenta percipiens, plenum triennium sine omni victus desiderio complerit. Cœpit autem ieiunare anno incarnationis Dominicæ DCCCXXIII. sicut in ipsius anni descriptione superius adnotatum est, & in hoc anno, id est, DCCCXXV. circa Nouembris mensis initium, escam sumere, ac more cæterorum mortalium manducando viuere cœpit.

DCCCXXVI.

Cùm regi Bulgarorum legati sui quod egerant renunciassent, iterum eum, quem primùm miserat, ad Imperatorem cum literis remisit, rogans vt sine mora in dispositione terminorum diffinitio fieret; vel si hoc non placeret, suos quisq; terminos sine pacis fœdere tueretur. quem Imperator susceptum & auditum, sine literis remeare fecit. mense autem Maio apud Ingelenheim habito conuentu, diuersarum gentium legationes auditas absoluit. Quo tempore Herialdus cum vxore, & magna Danorum multitudine, apud Magontiam baptizatus est. Georgius quidam presbyter de Venetia, cum Baldrico comite Foroiulense veniens, organum hydraulicum Aquisgrani fecit. Postea verò cùm Imperator in Salz villa regia conuentum haberet, perlatumque esset ad eius notitiam, quomodo Aizo Gothus de palatio fugiens, ad Sarracenos se contulisset, & inde auxilia contra nostros accepisset, grauiter accepit: tamen ne quid inconsultè ageret, aduentum consiliariorum suorum iudicauit operiri.

Dum hæc aguntur, Hildiuuinus Abbas monasterii sancti Dionysii Romam mittens, annuente precibus Eugenio Apostolicæ sedis tunc præsule, ossa beati martyris Christi Sebastiani accepit, & ea apud Suessonam ciuitatem in basilica sancti Medardi collocauit. vbi dum adhuc in loculo, sicut allata erant, inhumata iacerent, tanta signorum ac prodigiorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni genere sanitatum per diuinam gratiam enituit, vt à nullo mortalium eorundem miraculorum aut numerus comprehendi, aut varietas valeat enarrari.

DCCCXXVII.

Exercitus à rege Sarracenorum Abdiraman ad auxilium Aizoni ferendum, duce Abumaruan regis propinquo, Gerundam venit: cui Pipinus filius Imperatoris cum exercitu missus resisteret, nisi desidiâ ducum, quos copiis præfecerat, tardius quàm rerum necessitas postulabat, is quem ducebant ad marcam venisset exercitus. quæ tarditas in tantum noxia fuit, vt Abumaruan, vastatis Barcenonensium aç Gerundensium agris, villisq; incensis, cum incolumi exercitu Cæsar-Augustam se prius reciperet, quàm à Francorum exercitu potuisset vel videri. Huius cladis præsagia credita sunt visæ multoties in cœlo acies, & ille terribilis nocturnæ coruscationis in aere discursus. Interea Bulgari Sclauos in Pannonia sedentes, misso per Drauum nauali exercitu, ferro & igni vastauere, & expulsis eorum ducibus, Bulgaricos super eos rectores constituerunt. Corpora beatorum Christi martyrum Marcellini & Petri mense Nouembri in Franciam allata sunt. Eugenio Papa post paucos dies mortuo Gregorius presbyter tituli sancti Marcellini pontificatum suscepit.

DCCCXXVIII.

Reliquiæ sancti Marcelli martyris post Pascha ad Aquis palatium delatæ, & per eas ibi multa signa facta sunt. Hludharius cum exercitu ad marcam Hispanicam missus est: similiter & Hludauuicus iuuenis contra Bulgaros. Fœdus cum Nordmannis factum, per negligentiam ruptum, & castra nostrorum a Nordmannis directa sunt.

DCCCXXIX.

Ante Pascha in sabbato sancto terræmotus noctu Aquisgrani factus. Imperator

generalem conuentum menſe Auguſto Wormaciæ habuit. Bulgari nauibus per Drauum fluuium venientes, quaſdam villas noſtrorum flumini vicinas incenderunt.

Bernhardus Comes Barcinonenſis in palatio camerarius conſtitutus, & Hludharius in Italiam profectus eſt.

DCCCXXX.

Commotio contra Imperatorem à primoribus Francorum in Compendio exorta, propter Bernardum, quem in palatio eſſe noluerunt. quo inde depulſo atque fugato in gratiam cum eo redierunt, ſed ad breue temporis ſpatium.

DCCCXXXI.

Conuentu apud Nouiomagum habito, Imperator omnes, qui ſibi contrarii fuerant, velut iuſtè exauctorauit, quoſdam publicis, quoſdam priuatis rebus exſpolians, quoſdam in exilium mittens.

Qua re multum contra ſe & Iudith vxorem ſuam non ſolum populi, ſed etiam filiorum ſuorum animos concitauit.

DCCCXXXII.

Imperator menſe Maio contra Hludouuicum filium ad Auguſtam Vindelicam cum exercitu venit. Inde reuerſus in Aquitaniam, Pipinum filium regno priuauit.

Sed inde poſtquam vxorem abdicauit, cum magna difficultate ad Aquenſe palatium regreſſus eſt. Sol defecit quinto Nonarum Maii, & Luna decimotertio Kalen. Iunii.

DCCCXXXIII.

Imperator initio Quadrageſimæ Wormatiam venit, & ibi vxore reuocata, atque exercitu congregato, contra filios ſuos ad ſe venire volentes, in Aliſatiam profectus, atque ibi à ſuis deſertus ac proditus, & in filiorum poteſtatem redactus eſt.

Erat ibi cum filiis Gregorius Papa Romanus.

DCCCXXXIIII.

Poſt hæc iudicio Epiſcoporum arma depoſuit, & ad agendam pœnitentiam incluſus eſt: vxor in Italiam ducta. Proximaque æſtate ipſe relaxatus arma reſumpſit, vxorem recepit. Hludharium ad Italiam cum his, qui eum ſequi volebant, redire coegit.

Pugnatum eſt eodem anno cum Malfrido & Lamberto: in quo prælio perierunt Vodo comes Aurilianenſium, & Theodo Abbas ſancti Martini Turonenſis, & alii multi.

DCCCXXXV.

Imperator cum filiis Pipino & Hludouuico conuentum generalem habuit apud Lugdunum, diſpoſitiſque ibi illarum partium cauſis ad Aquenſe palatium reuerſus eſt. Normanni Doreſtadum vaſtauerunt.

DCCCXXXVI.

Imperator in palatio Theodenhoue conuentum habuit, ad quem Hludharius venire non potuit, quia grauiter & vſq; ad deſperationem ægrotauit. Quo peracto, Imperator Francofurdum venit, inde ad ſanctũ Marcellinum & Petrum, & inde ad Ingilenheim,

Ingilenheim,& inde Aquenſe palatium rediit. Normanni Anduuerpam ciuitatem incendunt,ſimiliter & Witlam emporium iuxta oſtium Moſæ fluminis, & à Friſionibus tributum acceperunt.

DCCCXXXVII.

Ticenum in Italia III. Kal. Ian. octies noctu tremuiſſe perhibetur. Plures ex primoribus Italiæ defuncti ſunt: inter quos præcipui fuerunt Lantbertus & Hugus. Stella cometes in ſigno libræ apparuit III. Id. April. & per tres noctes viſa eſt. Nordmanni tributum exactantes in Walehram inſulam venerunt, ibique Eggihardum eiuſdem loci Comitem,& Hemmingnm Halpdani filium,cum aliis multis XV. Kalen. Iul. occiderunt,& Doreſtadum vaſtauerunt, acceptoq; à Friſionibus tributo reuerſi ſunt. Imperator omiſſo itinere Italico Aquiſgrani hyemauit.

DCCCXXXVIII.

XV. Kal. Feb. veſperi terræmotus apud ſanctum Nazarium, & in Wormacenſe, & Spirenſe,& Lobadunenſe factus eſt. Naues contra Nordmannos ædificantur. Optima pars regni Francorum Carlo iuueni data eſt. Hludharius & Hludauuicus in valle Tridentina colloquium habuerunt,ante mediam Quadrageſimam. Imperator verò menſe Iunio Nouiomagi conuentu generali habito, conſiliis quorundam ex primoribus Francorum acquieſcens, pacti cõſcriptione Hludouuico filio ſuo regnum Orientalium Francorum, quod prius cum fauore eius tenuit, interdixit. Ille autem intelligens ex inuidia conſiliantium talem prodiſſe ſententiam, edicto prius habito III. Kal. Decemb. ad Franconfurt cum ſuis venit. Contra quem Imperator quaſi ſibi aduerſantem cum exercitu veniens, Mogontiaci natalem Domini celebrauit. Pipinus quoque filius eius Rex Aquitaniorum menſe Nouembr. eiuſdem anni defunctus eſt.

* *Vide Orig. Palat. M. F. cap. 7.*

DCCCXXXIX.

Imperator verò poſt peractam feſtiuitatem natalis Domini & Theophaniæ, VII. Id. Ianuar. cum exercitu nauigio Rhenum tranſiit, obuios habens Saxones, partim minis,partim ſuaſionibus Adalberhti Comitis abductos. Quo cognito Hludouuicus nefas eſſe ſciens filium patri repugnare, cedendumque tempori iudicans, in Baioariam ſe recepit. Imperator autem in Franconofurt veniens, ibique manens, ieiunium quadrageſimale inchoauit: inde pergens in Alamanniam, iuxta lacum Brigantcum Paſcha celebrauit. Poſt Paſcha verò menſe Maio Wormatiam veniens,Hludhario filio ſuo de Italia in fidem eius venienti reconciliatur, regnumque Francorum inter eum & Carlum filium ſuum minimum diuidit: Hluthario quidem,qui maior natu erat,nominis ſui dignitatem & ſedem regni tribuens, Hludouuico verò filio ſuo minori pro eo, quod eum offenderat, Baioariorum prouincia tantum conceſſa. Poſt Kal. autẽ Iul. Hlutario ad Italiam redeunte, Imperator aſſumpto ſecum Carlo,ad diſponendas Aquitaniorum res,Occidentem proficiſcitur.

Eodem quoque anno ſtella cometes in ſigno arietis apparuit, & prodigia alia in cœlo viſa ſunt. Nam & cœlum noctu ſerenum rubuit, & per aliquot noctes igniculi plurimi inſtar ſtellarum per aerem diſcurrere videbantur.

DCCCXL.

Hludouuicus filius Imperatoris partem regni trans Rhenum, quaſi iure ſibi debitam affectans, per Alamanniam facto itinere venit ad Franconofurt, multorum ad ſe Orientalium Francorum animis prudenti conſilio conuerſis. Quo comperto, Imperator de Aquitania infecto negotio redire compulſus, Druogonem Archicapellanum & Adalbertum comitem cum aliis multis præmiſit ad tuendum littus Occidẽtale Rheni fluminis, ipſe verò ſecutus in Aquiſgrani Paſcha celebrauit. Hiſdem temporibus per aliquot noctes rubor aeris nimius apparuit, ita vt vnus trames ardẽs ab Euro, alter à Circio exoriens, in conum coirent, & quaſi coagulati ſanguinis ſpeciem in ſummitate cœli monſtrarent. Poſt Paſcha autem Imperator collecto exercitu filium per Turingiam vſq; ad terminos Barbarorum perſequitur, excluſumq; à finibus regni per Sclauorum terram cum magno labore Baioariam redire compellit. Ipſe verò rebus in partibus illis ordinatis,ad Salz villam regiam reuerſus, dies Letaniarum & Aſcenſionis Domini ſollemnia celebrauit. In ipſa autem vigilia Aſcen-

sionis Domini, hoc est III. Id. Maii, Eclipsis Solis circa septimam & octauam horam diei facta est tam valida, vt etiam stellæ propter obscuritatem solis visæ sint, rebusque color in terris mutaretur. Imperator verò illis diebus morbo correptus ægrotare cœpit, & per Mœnum fluuium nauigio ad Franconofurt, inde post dies paucos in insulam quandam Rheni fluminis prope Ingilenheim delatus, morbo inualescente XII. Kal. Iul. diem vltimum clausit, corpusq; eius Mettis ciuitatem perlatum in basilica sancti Arnulfi confessoris honorificè sepultum est.

HLVTHARIVS Imp. Rom.

Hlutharium verò de Italia sero venientem Franci loco patris eius super se regnaturum suscipiunt. Hunc enim ferunt Imperatorem morientem designasse, vt post se regni gubernacula susciperet, missis ei insigniis regalibus, hoc est, sceptro imperii, & corona. Quod fratres eius non consentientes, contra eum insurgere parant, ac primum ei in suburbanis Mogontiacis cum exercitu venienti, frater suus Hludouuicus cum manu valida Orientalium Francorum partem regni ab Oriente Rheni defensurus occurrit: initoq; pacto, & dilato in aliud tempus placito, Hlutharius contra Carlum Occidentem proficiscitur, Hludouuicus verò Orientales Francos, Alamannos, Saxones & Turingios sibi fidelitatis iure confirmat.

DCCCXLI.

Interea cùm circa contigua Rheni loca præsidia poneret, & littus Orientale contra Occidentalium irruptionem defendere pararet, Hlutharius nuntio rumore permotus, omissa Karli insecutione, reuersus inchoante mense Aprili iuxta Wormatiam cum exercitu clam transiit Rhenum, & Hludouuicum a quibusdam suis proditum, ac pene circumuĕtum Baioariam redire coegit, positisq; custodibus partium illarum, quos sibi fideles esse arbitratus est, denuo ad resistendum Karlo, qui iam tunc vltra Mosam castra ponere moliebatur, studia conuertit & vires. Igitur dũ hæc agerentur, Hludouuico per nuntios Karli ad auxilium vocato, & per Alamanniam iter facienti, Comites quos Hlutharius tutores partium suarum dimiserat, in Renense* occurrunt cum exercitu, ortoq; prælio, Adalbertus Comes & incentor discordiarum occiditur, & cum eo innumerabilis multitudo hominum prosternitur, III. Id. Maii. Itaq; Hludouuicus hac congressione victor Rhenum transiens, Karlo fratri auxilium laturus, in Gallias pergit. Vbi cùm conuenissent tres fratres in regione Alcedronense iuxta villam Fontinatam, & de partitione regni concordare nõ possent, renuente Hluthario, qui sibi monarchiam vindicabat; ferro decernendum, & Dei iudicio causam examinandam decreuerunt. Factumq; est inter eos VII. Kal. Iul. prælium ingens & tanta cædes ex vtraq; parte, vt nunquam ætas præsens tantam stragem in gente Francorum antea factam meminerit. Et Hlutharius quidem ipsa die ad Aquense palatium reuertitur: Hludouuicus verò & Carlus castris potiti, collectis ac sepultis eorum cadaueribus, qui ex sua parte ceciderant, ab inuicem discedunt; & Carlo in Occidentalibus remanente, Hludouuicus quasi mediante mense Augusto, venit ad villã regiam, quæ vocatur Salz. Hlutharius verò iterum suis vndique collectis, Mogontiacum veniens, Saxones cum Hluthario filio suo paruulo obuiam sibi Nemeti venire præcepit. Ipse autem Rhenum transiens, quasi Hludouuicum fratrem suum vsq; ad exteras nationes fugaturus, infecto negotio redit Wormatiam, vbi celebratis filiæ suæ nuptiis, rursus contra Carlum in Gallias pergit: vbi totò hyberno tempore inani labore consumpto, Aquisgrani reuertitur. Cometes stella VIII. Kal. Ian. sub signo Aquarii apparuit.

*al. Rentense.

DCCCXLII.

Hludouuicus verò videns Hlutharium in pristina pertinacia perdurantem, nec adhuc velle desistere victum, collecta Orientaliũ nõ modica manu, Rhenũ transiit, ciuitates in Occidentali Rheni littore positas, quæ partibus Hlutharii fauebãt, in deditionem accipit, occurritq; ei Carlus apud vrbem Argentoratum, quæ nunc Strazburgus vocatur: vnde pari intentione pergentes, Hlutharĩ in villa Sentiaca morantẽ, & à suis desertũ, in quibus non parũ confidebat, fugere cõpellunt XVII. Kal. April. Putãtes autẽ eum (vt fama vulgabat) rebus desperatis Italiã petere, partẽ regni, quam catenus habuit, inter se dispertiũt. Hlutharius verò collecto fido satis exercitu, apud Madasconã Galliæ vrbẽ consedit. Quem cõsecuti fratres sui cùm iam vidissent proniorem

niorem ad faciendam cum eis pacem, fœdus inire maluerunt, quam diutius cõtentionibus deseruire; ea tamen conditione, vt è partibus singulorum XL. ex primoribus electi in vnum conuenientes regnum æqualiter describerent, quo facilius postmodum inter eos pari sorte diuiderentur. Quibus gestis, Hludouuicus inde reuersus mense Augusto in villa quæ vocatur Salz, habito generali conuentu, in Saxoniã pergens, validissimam conspirationem libertorum legitimos dominos opprimere conantium, auctoribus factionis capitali sententia damnatis, fortiter compescuit. Circa autumnum vero apud Wormatiam Karolo fratri occurrit, Hluthario in villa Thiotonis morante, cum missi eorum in Confluente castello conuenientes de partitione regni concordare non possent, dilato in aliud tempus placito, singuli ad sua reuertuntur. Eodem anno Eclipsis Lunæ facta est in Kal. April. v. feria ante Pascha, decima hora noctis.

DCCCXLIII.

Descripto regno à primoribus, & in tres partes diuiso, apud Virdunum Galliæ ciuitatem, tres Reges mense Augusto conuenientes, regnum inter se dispertiũt: & Hludouuicus quidem Orientalem partem accepit, Karlus vero Occidentalem tenuit, Hlutarius qui maior natu erat, mediam inter eos sortitus est portionem: factaq; inter se pace & iuramento firmata, singuli ad disponendas tuendasq; regni sui partes reuertuntur. Karlus Aquitaniam, quasi ad partem regni sui iure pertinẽtem, affectans, Pipino nepoti suo molestus efficitur, eumq; crebris incursionibus infestãs, grande detrimentum proprii sæpe pertulit exercitus.

Gregorius IIII. Papa obiit, in cuius locum subrogatus est Sergius: & Mauri Beneuentum occupauerunt.

DCCCXLIIII.

Karlus Bernhardum Barcenonensem ducem incautum, & nihil ab eo mali suspicantem occidit. Pipini duces Karli exercitum superant VII. Id. Iunii. in quo prælio ceciderunt Hugo Abbas patruus Karli, & Rihboto Abbas, Raban quoq; signifer, cum aliis multis ex nobilibus. Hludouuicus Abodritos defectionem molientes bello perdomuit, occiso rege eorum Gozzomuil, terramq; illorum & populum sibi diuinitus subiugatum per Duces ordinauit. Hrabanus quoque sophista, & sui temporis poetarum nulli secundus, librum quem *de laude sanctæ crucis Christi* figurarum varietate distinctum difficili & mirãdo poemate composuit, per Ascrihum & Hruodbertum monachos monasterii Fuldensis, Sergio Papæ sancto Petro offerendum transmisit.

DCCCXLV.

Nordmanni regnum Karli vastantes per Sequanam vsq; Parisios nauigio venerunt, & tam ab ipso, quam incolis terræ accepta pecunia copiosa, cum pace discesserunt. In Fresia quoq; tribus præliis conflixerunt, in primo quidem victi, in secundis vero duobus superiores effecti magnam hominum multitudinem prostrauerunt. Castellum etiam in Saxonia quod vocatur Hammaburg, populati, nec inulti reuersi sunt. Karlus cum Brittonibus conflixit, & cum grandi damno exercitus sui, ipse cum paucis vix euasit. Hludouuicus XIIII. ex ducibus Boemanorum cum hominibus suis Christianam religionem desiderantes suscepit, & in octauis Theophaniæ baptizari iussit. Tempore vero autumni, in Saxonia apud Padraprunno generale placitum habuit, vbi fratrum suorum & Nordmannorum, Sclauorum quoq; & Bulgarorum legationes suscepit, audiuit & absoluit. Hlutharius Folcratũ ducem Arelatensem, & reliquos comites illarum partium rebellare molientes in deditionem accepit, & prout voluit, Prouinciam ordinauit.

DCCCXLVI.

Gisalbertus vassallus Karli filiam Hlutharii Imperatoris rapuit, & in Aquitaniam profectus, in coniugem accepit. Hludouuicus Occidentem profectus mense Martio cum Karlo placitum habuit, in quo vterq; eorum publice contestatus est, suæ non fuisse voluntatis quo Gisalbertus filiæ Hlutharii iungeretur, vt his auditis, Hlutharius placari facilius potuisset. Inde reuersus iuxta lacũ Briganticum II. Non. April. Pascha celebrauit, postea cum Hluthario locutus, volens eum cum Karlo pa-

cificare, cum res non haberet effectum, circa medium menſem Auguſt. cum exercitu ad Sclauos Margenſes defectionem molientes profectus eſt. Vbi ordinatis, & iuxta libitum ſuum compoſitis rebus, ducem eis conſtituit Raſticem nepotem Moimari. Inde per Boemanos cum magna difficultate & grandi damno exercitus ſui reuerſus eſt.

His temporibus Mauri Romam cum exercitu venientes, cum non poſſent vrbem intrumpere; Eccleſiam ſancti Petri vaſtauerunt.

DCCCXLVII.

Hic annus à bellis quieuit, quem Hlutharius & Hludouuicus mutua familiaritate tranſegerunt. Nam vterq; eorum ad domum alterius inuitatus, conuiuiis & muneribus Regiis honoratus eſt. Hludouuicus tamen Hlutharium & Karlum, ita vt voluit pacificare non potuit, renuente Hluthario propter iniuriam ſibi à Giſalberhto vaſallo Karli in raptu filiæ ſuæ factam. Nordmanni Doreſtatum incendentes vaſtauerunt. Otgarius Mogontiacenſis Epiſcopus x i. Kal. Maii obiit, in cuius locum Hrabanus ordinatus eſt, v i. Kal. Iul. Qui in eodem anno, iubente Hludouuico Rege, apud Mogontiacum ſynodum habuit circa Kal. Oct.

Per idem tempus mulier quædam de Alamannię partibus, nomine Thiota, Pſeudo-prophetiſſa Mogontiacum venit, quæ Salomonis Epiſcopi parochiam ſuis vaticiniis non minime turbauerat. Nam certum conſummationis ſeculi diem, aliaque perplura Dei ſolius noticiæ cognita, quaſi diuinitus ſibi reuelata, ſcire ſe fatebatur, & eodem anno vltimum diem mundo imminere prædicabat. Vnde multi plebei vtriuſq; ſexus timore perculſi ad eam venientes munera illi ferebant, ſeque orationibus illius commendabant, & (quod grauius eſt) ſacri ordinis viri doctrinas Eccleſiaſticas poſtponentes, illam quaſi magiſtram cœlitus deſtinatam ſequebantur. Hæc in præſentiam Epiſcoporum apud ſanctum Albanum deducta, & diligenter de ſuis aſſertionibus requiſita, presbyterum quendam ſibi ea ſuggeſſiſſe, & ſe talia quæſtus cauſa narraſſe profeſſa eſt. Quapropter ſynodali iudicio publicis cæſa flagellis, miniſterium prædicationis quod inrationabiliter arripuit, & ſibi contra morem Eccleſiaſticum vindicare præſumpſit, cum dedecore amiſit, ſuisq; vaticiniis tandem confuſa finem impoſuit.

DCCCXLVIII.

Hlutharius & Hludouuicus menſe Februario colloquium habuerunt in Cõfluente caſtello, vbi pars Hlutharii illud quidem (ſicut fama vulgabat) maxime moliebatur, vt Hludouuicus poſthabita Karli amicitia, ſibi germanitatis iure ſociaretur. Hludouuicus vero memor pacti quod cum Karlo dudum cum adteſtatione diuini nominis inierat, ſuaſoria machinamenta ingenioſe declinans, finito colloquio, ad ſuos reuerſus quaſi mediante menſe Auguſto Boemanos eruptionem molientes per Hludouuicum filium ſuum miſſa aduerſus eos expeditione contriuit, legatosq; pacis gratia mittere, & obſides dare coegit. Circa Kal. autem Octob. generale placitum habuit apud Mogontiacum, in quo legatos fratrum ſuorum & Nordmannorum Sclauorumq; ſuſcepit, audiuit & abſoluit. Homines etiam Hrabani Epiſcopi aduerſus dominum ſuum conſpirantes, publice conuictos cum eo pacificauit. Legatos ſuos ad fratrem ſuum Hlutharium in Theotonis villa placitum habentem pro Giſalberhto qui eodem anno ad fidem eius venerat, reconciliationis gratia direxit. Goteſcalcus quoq; quidam presbyter de prædeſtinatione Dei praue ſentiens, & tam bonos ad vitam quam malos ad mortem perpetuam ineuitabiliter à Deo prædeſtinatos eſſe affirmans, in conuentu Epiſcoporum rationabiliter (vt plurimis viſum eſt) conuictus & ad proprium Epiſcopum Ingumarum Remis tranſmiſſus eſt; prius tamen iuramento confirmans, ne in regnum Hludouuici vltra rediret.

DCCCXLIX.

Boemani more ſolito fidem mentientes contra Francos rebellare moliuntur. Ad quorum perfidos motus comprimendos Hernuſtus dux partium illarum, & inter amicos Regis primus, Comitesq; non pauci atque Abbates cum exercitu copioſo mittuntur. Barbari vero pro pace & ſecuritate ſua obſides ſe daturos & imperata facturos per legatos ad Thachulfum directos promittunt, cui præ cæteris credebãt, quaſi

quasi scienti leges & consuetudines Sclauicæ gentis. Erat quippe dux Sorabici limitis, sed in illa expeditione iam tunc grauiter vulneratus. Nam pridie cum exercitus vallum hostium vi magna inrũperet, & resistentibus aduersariis ex vtraq; parte multi sine discretione sauciarentur, ipse in sinistro genu sagitta percussus est. Cũ legatis vero qui missi fuerant, quo minus ab eis debilitas eius deprehenderetur, equo sedẽs simulata sanitate locutus est: cumq; quibusdam ex primatibus per missos suos legatorum verba nuntiasset, indignati sunt aliqui eorum aduersus eũ, quasi cæteris præferri cupiens, summam rerum gerendarum in se vellet inclinare; & citato impetu, inconsultis cæteris, bellum hostibus paci studentibus intulerunt, statimq; experti sunt, quid sine timore Dei propria discordium possit virtus & audacia. Hostes enim effecti superiores, cædendo persecuti sunt eos vsq; in castra, occisorumq; spolia in conspectu eorum securi detrahentes, tantis eos terroribus affecerunt, vt euadendi spe penitus priuarentur. Vnde coacti obsides dabant eis à quibus suscipere dedignati sunt. vt inlæsi ab hostibus, & via tantum publica pergentes in patriam reuerti potuissent. Et vt maior confusio superbientibus, & de sua virtute præsumentibus fieret, contigit eodem anno post non multi temporis spatium in villa Hohstedi,* quæ in territorio Mogontiaco, spiritum nequam per os cuiusdam arreptitii protestari, bello se Boemanico præfuisse, sociosq; suos spiritum Superbiæ atq; Discordiæ fuisse, quorum dolosis machinationibus Franci Boemanis terga vertissent.

* bod. Hoesle.

DCCCL.

Rorùc natione Nordmannus, qui temporibus Hludouuici Imperatoris cum fratre Harialdo vicum Dorestadum iure beneficii tenuit, post obitũ Imperatoris defuncto fratre apud Hlutharium qui patri succẽssit in regno, proditionis crimine falso (vt fama est) insimulatus, tentus & in custodiam missus est: vnde fuga lapsus in fidẽ Hludouuici regis Orientalium Francorum veniens, cum per annos aliquot ibi moraretur, & inter Saxones qui confines Nordmannis sunt, mansitaret; collecta Danigenarum non modica manu, cœpit piraticam exercere, & loca regni Hlutharii Septentrionalis Oceani littoribus contigua vastare: venitq; per ostia Rheni fluminis Dorestadum, & occupauit eam atq; possedit. Et cum à Hluthario principe sine periculo suorũ non posset expelli, cum consilio senatus legatis mediantibus in fidem receptus est, ea conditione vt tributis cæterisq; negotiis ad Regis ærariũ pertinentibus fideliter inseruiret, & piraticis Danorũ incursionibus obuiãdo resisteret. Nordmanni Godafrido duce per Sequanam ascẽdentes, regnũ Karli prædantur, ad quorum expulsionem Hlutharius in auxilium vocatus, cum sibi pugnandum esse cũ hoste putaret, Karlus clam mutato consilio Godafridum cum suis in societatem regni suscepit, & terram eis ad inhabitandum delegauit. Hlutharius vero aduentum suum illo superuacuum videns, ad propria reuersus est.

Eodẽ anno grauissima fames Germaniæ populos oppressit, maxime circa Rhenum habitantes. Nam vnus modius de frumento Mogonciaci vendebatur decẽ siclis argenti. Morabatur autem eo tempore Rabanus Archiepiscopus in quadã villa parochiæ suæ cui vocabulum est Winzella, & pauperes de diuersis locis venientes suscipiens quotidie plusquã trecentos alimento sustentabat, exceptis his qui in præsentia illius assidue vescebantur. Venit autem & mulier quædam pene consumpta inedia cũ puerulo paruulo, inter cæteros refocillari desiderans: quæ prius quã limen portæ transcenderet, præ nimia imbecillitate corruens spiritum exhalauit, puer vero mamillã matris mortuæ quasi viuentis de sinu protrahens & sugere tentans multos intuentes gemere ac flere coegit. Quidam etiam in illis diebus de Grabfeldon cũ vxore sua & filio tenero in Thuringiam proficiscens, vt malum inopiæ temperare posset, vxorẽ in itinere in quadã silua positus sic affatus est: Nonne, inquit, melius est vt puerum istum occidamus & manducemus carnes eius, quã omnes inedia cõsumamur? Illa vero contradicente ne tantũ scelus committeret, tandẽ vrgente fame filium de brachiis maternis per vim rapuit, & voluntatem opere cõplesset, nisi Deus illũ sua miseratione præuenisset. Nam (sicut idem postea in Thuringia positus plurimis retulit) cum euaginasset gladium vt mactaret filium, & in ancipiti positus necem distulisset, vidit eminus duos lupos super vna cerua stantes, & lacerantes carnes

eius, statimq; parcens filio ad cadauer ceruæ cucurrit, & lupos inde abigens, tulit de carnibus prægustatis, & cum incolum filio ad vxorem reuersus est. Prius enim, quãdo filium tulerat de manibus matris, paululum ab ea declinauerat, ne illa moriẽtem puerum videret vel audiret. At illa, veniente marito, videns recentes carnes & cruore perfusas, putabat filium occisum, & cecidit retrorsum pene exanimis. Ille autem accedens consolatus est eam, & erigens illam, ostendit ei puerum viuentem. Tunc illa resumpto spiritu Deo gratias egit, quia filium sanum recipere meruit: nec minus ille quod eum Deus à liberi interfectione innocuum dignatus est conseruare. Ambo tamen de carnibus lege prohibitis necessitate coacti se recrearunt.

DCCCLI.

Sorabi Francorum fines crebris incursionibus atq; incendiis infestant. Vnde Rex commotus cum exercitu per Thuringiam iter faciens, terram eorum ingressus, graui eos obsidione fatigauit, perditisq; frugibus & omni spe victus adempta, magis eos fame quam ferro perdomuit. Pipinus Rex Aquitaniæ comprehensus à suis, Carlo Regi cum regno traditur, effectusq; clericus Suessioni in monasterium sancti Medardi retruditur. Similiter & Carlus frater eius iunior, cum de regno Hlutharii profectus, fratrem inuisere disposuisset, tentus est à comitibus Caroli Regis, & illo iubente tonsus in Corbeiense monasterio missus est in custodiam.

DCCCLII.

Henaldus Nordmannus qui superioribus annis iram domini sui Horuc Danorum Regis fugiens, ad Regem Hludauuicum se cõtulit, ab eo benigne susceptus, baptizatus, ac fidei Sacramentis imbutus est: cum per plures annos honorifice inter Francos haberetur, tandem principibus Borealium partium, & custodibus Danici limitis, quasi lubricæ fidei & molimine proditionis cœpit esse suspectus: vnde & ab eis occisus est. Habita est autem & Synodus ex voluntate atq; præcepto eiusdem sereniſſimi principis in ciuitate Mogontia metropoli Germaniæ, præsidente Hrabano venerabili eiusdem vrbis Archiepiscopo, cum omnibus Episcopis atq; Abbatibus Orientalis Franciæ, Baioariæ & Saxoniæ: & illi quidem de absoluendis quæstionibus ecclesiasticis tractatum habebant, Rex vero cum principibus & præfectis prouinciarum publicis causis litibusque componendis insistens, postquam Synodalia eorum decreta suo iudico comprobauit, & legationes Bulgarorum Sclauorumq; audiuit & absoluit, Baioariam reuersus est: vbi ordinatis & dispositis quæ videbantur necessaria, sine mora rediens per alueũ Rheni fluminis nauigio venit Coloniam. Vbi cum quibusdam ex Hlotharii fratris sui principibus habita locutione, profectus est in Saxoniam ob eorum vel maxime causas iudicãdas, qui à prauis & subdolis iudicibus neglecti & multimodis (vt dicunt) legis suæ dilationibus decepti, graues atq; diuturnas patiebantur iniurias. Suberant etiã & aliæ causæ ad se ipsum specialiter aspicientes, possessiones videlicet ab auita vel paterna proprietate iure hæreditario sibi derelictæ, quas oportuit ab iniquis peruasoribus iusta repetitione legitimo domino restitui. Igitur in loco qui appellatur Nimia* super amnem, quẽ Cornelius Tacitus scriptor rerum à Romanis in ea gente gestarum, Visurgim, moderni vero Wisuracha vocant, habito generali conuentu, tam causas populi ad se perlatas iusto absoluit examine, quam ad se pertinentes possessiones iuridicorum gentis decreto recepit. Inde transiens per Angros, Harudos, Suabos & Holsingos,* & per mansiones singulas, prout se præbuit opportunitas, causas populi iudicans, Thuringiam ingreditur. Vbi apud Erpesfurt habito conuentu, decreuit inter alia, *vt nullus Præfectus in sua præfectura, aut Quæstionarius infra quæsturam suam, alicuius causam aduocati nomine susciperet agendam: in alienis vero præfecturis vel quæsturis singuls pro sua voluntate, aliorum causis agendis haberent facultatem.* Inde profectus diem natalis Domini in Reganesburg celebrauit.

* al. Mimida.

* al. Holsingor.

DCCCLIII.

Nordmanni per Ligerem fluuium venientes Turonum Galliæ ciuitatẽ prædantur, & inter alias ædes Ecclesiam quoq; sancti Martini confessoris, nemine resistente succendunt. Aquitanorum legati Ludouuicum Regem crebris supplicationibus sollicitant, vt aut ipse super eos regnum susciperet, aut filium suum mitteret, quieos

qui eos à Karli regis tyrannide liberaret: ne forte ab extraneis & inimicis fidei, cum periculo Christianitatis, quærere cogerentur auxilia, quæ ab orthodoxis & legitimis dominis inuenire nequirent.

Hemmo Halberensis Episcopus v i. Kal. April. defunctus est, in cuius locum Hildigrim Episcopus est ordinatus. Reginhericor Episcopus v i. Kal. Septemb. de hoc mundo transiens, Folchardum successorem reliquit. Hadauuart quoq; Mimidensis Episcopus x i i i. Kal. Octob. diem clausit vltimum, cathedramq; suam Theotrico dimisit. In Kal. autem Septemb. basilicam sancti Bonefacii martyris noctu fures ingressi, partem de thesauro Ecclesiæ abstulerũt, & ita hactenus res latet, vt neq; auctores facti inuestigari, neq; pecuniæ aliquod possit indicium reperiri.

DCCCLIIII.

Hludouuicus filius Hludauuici regis ad Aquitaniam pergit, volens experiri si vera essent, quæ patri suo per legatos gentis promittebantur. Cum ergo venisset, & non esset susceptus nisi ab ea tantum sola cognatione, quam Karlus maxime offendit propter interfectionem Gozberti eorum propinqui, quem iussit occidi; cæteris omnibus ad susceptionem eius dissimulantibus, aduentum suum illo superuacuum fuisse ratus, cum suis se circa tempus autumni in Franciam recepit. Nordmanni, qui continuis x x. annis regni Francorum fines per loca nauibus accessibilia cædibus & incendiis atque rapinis crudeliter vastabant, congregati de regionibus, per quas prædandi cupiditate dispersi fuerant, in patriam suam reuersi sunt: Ibiq; inter Horuc regem Danorum & Gudurm filium fratris eius qui eatenus ab eo regno pulsus piratico more vixit, orta contentione ita se mutua cæde mactauerunt, vt vulgus quidem promiscuum innumerabile caderet, de stirpe vero regia nisi vnus puer nullus remaneret, Domino sanctorum suorum iniurias vlciscente, & aduersariis digna factis retribuente.

DCCCLV.

Apud Mogontiacum * terra vicies tremuisse perhibetur. Aeris insolita commotio turbinibus ac tempestatibus plagisq; grandinum multis damnũ intulit. Fulminum ictibus ædes plurimæ crematæ sunt, inter quas basilica sancti Chiliani martyris Nonis Iuniis, clero laudes vespertinas celebrante, repentino ictu percussa & succensa est: & mirum in modum sub laquearibus domus ignis pendulus inlæsa materia tamdiu oberrabat, donec ossa sancti martyris, & totius Ecclesiæ thesaurus efferretur inlæsus. Clericorum quoq; nonnulli fulmine tacti, inlæsis vestibus, per diuersa membrorum loca graues combusturas habuisse reperti sunt. Fertur etiam quendam in illis regionibus hominem ita cœlesti igne combustum, vt consumpto corpore vestis ab igne remaneret inlæsa. Sequentis vero mensis die octaua instante sollemnitate natalis eiusdem sancti Martyris, muros Ecclesiæ, quos prius cœlestis non consumpsit ignis, subito terribilis exorta tempestas funditus euertit. Quam ruinam mors Episcopi Gozbaldi subsecuta est, qui tertio de hinc mẽse, id est, x i i. Kal. Octob. præsentẽ vitam finiens, Harnũ discipulum suum sibi successorem reliquit.

* al. Wirtzporch.

Rex quoq; Hludouuicus in Sclauos Margentes contra Rasticen ducem eorum sibi rebellantem, parum prospere ducto exercitu, sine victoria rediit, malens aduersarium firmissimo (vt fertur) vallo munitum ad tempus dimittere, quam militum suorum periculose pugnando damna sustinere. Magnam tamen prouinciæ partem prædiis & incendiis vastauit exercitus, nec paruam multitudinem hostium castra Regis inuadere cupientium vsq; ad internecionem deleuit, sed non impune: quia post reditum Regis, Rastices cum suis insecutus plurima trans Danuuium finitimorum loca prædando vastauit.

Mense vero Octob. x v i. Kal. Nouemb. per totam noctem igniculi instar spiculorum Occidentem versus per aerem densissime ferebantur. Hlutharius Imperator renunciãs omnibus quæ habuit, Prumiense monasterium ingressus, effectusq; ibi monachus, v i. Kal. Oct. mortalẽ hominem exuit, & ad vitã perrexit æternam. Principes aũt & optimates regni filium eius Hlutharium super se regnare cupientes, ad Hludouuicum Regem Orientalium Francorum patruũ eius in Franconofurt eum adducentes, cum consensu & fauore illius sibi regnare consentiunt.

HLVDOuicum Hlotharium per.

DCCCLVI.

Menſe Februario IIII. die menſis defunctus eſt Hrabanus Archiepiſcopus Mogontiacenſis Eccleſiæ, habens in Epiſcopatu annos IX. menſem vnum & dies quatuor: cui ſucceſſit Karlus magis ex voluntate Regis & cõſiliariorum eius, quam ex conſenſu & electione cleri & populi. Deceſſit autem & Hatto Abbas Fuldenſis cœnobii, pridie Id. April. in cuius locum per electionem fratrum & auctoritatem regiam ordinatus eſt Thioto vnus ex ipſis monachis.

Menſe vero Auguſto Hludouuicus Rex collecto exercitu, per Sorabos iter faciens, Ducibusq; eorum ſibi coniunctis, Dalmatas prælio ſuperat, acceptisq; obſidibus tributarios facit. Inde per Boemanos tranſiens, nonnullos ex eorum ducibus in deditionem accepit. In qua expeditione perierunt Comites Bardo & Erpf, cum aliis quampluribus.

DCCCLVII.

Rex Hludouuicus menſe Februario colloquium habuit in Confluente caſtello cum Hluthario nepote ſuo. Tempore vero Quadrageſimæ placitum habuit apud Wangionum ciuitatem. Ruoruc Nordmannus qui præerat Doreſtado, cum conſenſu domini ſui Lutharii Regis claſſem duxit in fines Danorum, & conſentiente Horico Danorum Rege, partem regni quæ eſt inter mare & Egidoram, cum ſociis ſuis poſſedit. Otgarius Epiſcopus & Hruodoltus Comes Palatii, & Hernuſtus filius Hernuſti Ducis, cum hominibus ſuis in Boemanos miſſi, ciuitatem Wiztrachi Ducis ab annis multis rebellem occupauerunt, expulſo ab ea Scala-Iugato * filio Ducis Wiztrachi, qui tyrannidem tunc in ea exercebat. Quo per fugam lapſo, & ad Raſticen ſe conferente, frater eius qui ab eo patria pulſus apud Cziztiborum Sorabum exulabat, ad regem fideliter veniens loco fratris Dux conſtituitur.

* al. Sclauitago.

Habita eſt autem & ſynodus apud Mogontiacum circa Kal. Octob. præſidente Carolo Archiepiſcopo, vbi inter alia quæ ventilata ſunt de iure eccleſiaſtico, præſentata eſt epiſtola Guntharii Colonienſis Epiſcopi ad Altfridum Epiſcopum directa, in qua legebatur, contigiſſe Coloniæ XVII. Kal. Octob. terribilem valde tempeſtatem: populo cuncto præ nimio horrore in baſilicam ſancti Petri confugiente, & ſignis Eccleſiæ concrepantibus, vnanimiter Dei miſericordiam implorante, ſubito fulmen inorme ignei draconis inſtar baſilicam ſcidiſſe ac penetraſſe, atque ex omni illa multitudine tres homines diuerſis quidem locis, ſed vno ictu in mortem deieciſſe, presbyterum ſcilicet iuxta altare ſancti Petri, diaconum vero ad altare ſancti Dionyſii, laicum autem ad altare ſanctæ Mariæ; alios etiam numero ſex, eodem impetu ita proſtrauiſſe, vt elati ſemiuiui vix conualeſcerent. Feruntur & alia prodigia his temporibus Treuiri contigiſſe, quæ ideo ſcribere diſtuli, quia de eis certum nuncium non habui.

DCCCLVIII.

In Kalendis Ianuariis terræmotus magnus factus eſt per ciuitates & regiones diuerſas, maximus tamen apud Mogontiacum, vbi maceriæ antiquæ ſciſſæ ſunt, & Eccleſia ſancti Albani martyris ita concuſſa eſt, vt murus de faſtigio cadens, oratorium ſancti Michaelis ad occidentem baſilicæ bicameratum cum tecto & laquearibus ruina ſua confringens terræ coæquaret.

Menſe autem Februario Rex cum quibuſdam conſiliariis ſuis in Forcheim colloquium habuit. Inde condicto placito & deſignatis ad hoc ſpecialiter Comitibus, in villa Alamanniæ quæ vocatur Vlma, Notingum Epiſcopum & Eburhardum Comitem miſſos Hludauuici nepotis ſui ſuſcepit & audiuit. Poſt mediam autem Quadrageſimam venit in Franconofurt, & ibi Paſcha celebrauit. Interea miſſi quos ad Lutharium nepotem ſuum directos habuit, veniunt, eumq; iuxta condictum, in Confluente caſtello Regi occurſurum eſſe nunciarunt. Rege autem promiſſionibus eius credente, & ante dies Letaniarum ad condictum diem & locum veniente; Lutharius promiſſa mentitus, neq; ipſe venit, neq; de ſuis aliquem mittere voluit. Fœdus enim cum Carlo contra Regem iniit, quod vterq; eorum iuramento firmauit. Qui cum ſe vidiſſet inluſum eſſe, reuerſus in Franconofurt cum multa de vtilitate regni cum ſuis tractaret atq; diſponeret, tunc etiam decreuit tres exercitus in

tus in diuersos regni sui terminos, esse mittendos, vnum quidem per Karlmannum filium suum seniorem in Sclauos Margenses contra Rasticen, alterum vero per Ludauuicum filium suum minorem in Obodritos & Linones; tertium autem per Tracholfum in Sorabos dicto obedire nolentes; vt sedatis extrinsecus aduersariorum tumultibus, facilius intrinsecus regni gubernacula disponeret.

Mense autem Iulio collectis & ordinatis exercitibus freq; profectis, repente die media subiit Regem curarum maxima moles. Legati enim ab Occidente venerunt Adalhartus Abbas & Oto Comes, postulantes eum, vt populo periclitanti & in angustia posito præsentia sua subueniret. Quod nisi celeriter fieret, & ex parte eius spe liberationis priuarentur, à paganis cum periculo Christianitatis quærere deberent defensionem, quam à legitimis & orthodoxis dominis inuenire non possent. Tyrannidem enim Karoli se diutius ferre non posse testati sunt, quia quod ex eis pagani extrinsecus, nemine resistente aut scutum opponente, prædando, captiuando, occidendo, atq; vendendo reliquissent, ille intrinsecus subdole sæuiendo disperderet; nec quenquam esse in omni populo qui iam promissionibus aut iuramentis eius fidem adhibere præsumeret, cunctis de bonitate illius in desperationē cadentibus. Quibus auditis Rex grauiter conturbatus est. Duplici enim premebatur angustia, quoniam si populi votis acquiesceret, contra fratrem (quod impium esset) agere deberet: si autem fratri parceret, à periclitantis populi liberatione, quod æque impium esset, cessare deberet. Ad hoc accessit etiam non modicus angustiarum cumulus, vulgi videlicet æstimatio, suspicantis totum quod actum fuerit in huiusmodi negotio, non voto fieri populo consulentis, sed sola intentione regnum dilatare cupientis. Quod longe aliter esse quam se vulgi fert opinio, cuncti consiliorum Regis conscii veraci sermone testantur. In tali igitur curarum molestia positus, tandem consilio sapientium acquiescens, simul & conscientiæ suæ puritate præditus, maluit multorum vtilitatibus consulere, quam vnius hominis pertinaciæ cōsentire: precibusq; legatorū fauens, votis populi præsentiam eius desiderantis, cum Dei adiutorio se ad futurum promisit. Mediante autem mense Augusto Wangioni collecto comitatu per Alisatiam profectus: venit in Galliam ad villam regiam, in regno Karoli, quæ vocatur Ponticona, vbi occurrerunt ei fere omnes primates partium illarum, exceptis eis quos tunc Karolus secum in præsidio habuit, pugnans contra Normannos super Ligerem fluuium, qui vt audiuit Ludouuicum esse intra terminos regni sui, dimissa obsidione, cum exercitu occurrit ei in loco qui vocatur Briacus; visaq; multitudine Orientalium simul & eorum qui è suis contra tyrannidem eius coniurauerant, cum se virtute cerneret imparem, nec posse sine grandi periculo suorum cum fratris copiis in acie congredi, dispositio tamen & quasi ad pugnandum milite ordinato, ipse quidem cum paucis latenter abscessit. Exercitus vero in loco certaminis derelictus, cognito ducis abscessu ad Ludouicum transiuit. Ille vero sedato impetu populi Karlum persequi cupientis, ad disponenda regni negotia, quasi libera vtens potestate, diligentiam curamque conuertit. Et primum quidem nimis incauta ductus securitate, omne robur totius exercitus, quem ab Oriente secum adduxerat, remisit in patriam; frustra in desertores & proprii domini proditores spei suæ fiduciam ponens, quorum etiam consilio ibi decreuit hyemare; ignarus per omnia imminentis sibi periculi, quod ei parabatur ex parte Karoli, cuius animum ad vltionem iniuriarum suarum erexerāt filii Chuonradi Comitis, Ludouuicum securum & paucos esse qui cum eo ex suis remanserant, indicantes: quos ille quidem quasi sibi fideles ad explorandos, sibique renuntiandos actus Karli transmiserat. Illi vero fidem mentiti & Karlo coniuncti, quomodo Ludouuicus ex improuiso cum multitudine exercitus obrueretur, tota intentione moliebantur. Interea nuntiatum est ei in Oriente rempublicam Sorabici limitis esse turbatam, eo quod Sorabi, duce eius Cziſtiboro nomine, sibi fidelissimo, insidiose peremptο, defectionem meditarentur. Ac per hoc, ille quidem ad comprimendam seditionem exortam, in regnum suum quanta potuit celeritate regressus est. Karlus vero post discessum eius sedem regni sui nullo aduersante sine difficultate recepit.

Villa quædam haud procul ab vrbe Pinguia sita est Caput montium vocata, eo quod ibi montes per alueum fluminis Rheni tendentes, initium habent, quam vulgus corrupte Cammunzi* nominare solet, vbi malignus spiritus euidens nequitiæ suæ ostendit indicium. Nam primum quidem lapides iaciendo, & parietes domorum quasi malleo pulsando, hominibus loci illius infestus efficitur; deinde vero manifeste loqui, & furtim sublata quibusdam prodere, post hæc discordias inter habitatores eiusdem loci seminare: denique omnium animos contra vnum hominem concitauit, quasi peccatis illius exigentibus cæteri talia paterentur. Et vt maius odiũ aduersus eum excitaret, in quamcunq; domum idem homo intrauit, statim malignus spiritus illam excussit. Igitur ex necessitate coactus cum vxore & filiis foris manſit in agris, omnibus propinquis suis sub tectum suum illum suscipere timentibus. Sed nec ibi tutus fuisse permissus est. Nam cum vnuersas fruges suas congregasset, & in aceruos collegisset, spiritus nequam ex improuiso veniens cunctas incendit. Vt autem animos vicinorum illum interficere cupientium placare potuisset, idem ipse ferro feruente, de omnibus quæ ei obiiciebantur criminibus se ostendit immunem. Missi sunt igitur ab vrbe Mogontiaca presbyteri atque diacones cum reliquiis & crucibus, qui malignum spiritum ab eo loco expellerent. Sed illis in quadam domo, vbi maxime sæuiebat, letanias agentibus, & aquam benedictam spargentibus, antiquus hostis nonnullos ex eadem villa illuc conuenientes iactando lapides cruentauit: tamen modicum temporis à sua infestatione quieuit. Postquam vero inde discesserunt qui missi fuerant, idem hostis multis audientibus lugubres edidit sermones. Nam presbyterum quendam nominatim exprimens, se sub cappa illius stetisse professus est ea hora, quando aqua benedicta aspergebatur in domo. Quibus se præ timore signantibus, idem hostis de eodem presbytero, *Meus*, inquit, *proprius est seruus: à quo enim quis superatur, huius & proprius est seruus. Quia nuper (me suadente) cum filia procuratoris istius villæ concubuit.* Quod factum nullus mortalium ante sciebat, exceptis his qui hoc crimen perpetrauerant. Patet ergo quia, iuxta veritatis sententiam, nihil opertum est quod non reueletur. His & huiusmodi malis apostata spiritus in loco supra dicto per tria annorum curricula infestus non ante cessauit, donec vniuersa pene ædificia succendio consumeret.

* al. Cammun. vmf. mons Lurtaberch.

DCCCLIX.

Ludouuicus Rex quasi inchoante verno tempore, de Gallis rediens Wormatiã venit. Cum frequentibus legatorum suorum discursibus fratris ac nepotis sui animos sibi reconciliare studeret, eorumq; responsa per internuntios reciproca relatione susciperet; tandem cõdicto tempore, singuli cum æquo numero principum suorum ex aduersa parte nominatim expressorum, iuxta Anternacum castellum, in quadam insula Rheni fluminis nauigio vecti conuenerunt, reliquo singulorum comitatu super littus ex vtraq; parte fluminis consistente. Vbi cum diu varia & anceps actarum simul & agendarũ rerum agitata esset disputatio, condicto placito autumni tẽpore iuxta Basalã cõmuniter habendo, singuli cũ suis ad propria reuersi sunt. Hludouuicus tamen eis qui priore anno à Karlo deficiẽtes sui effecti sunt, honores quos prius habuerãt, impetrare nõ potuit. Dilata enim res est in futuro placito finiẽda. Interea vero cũ suis habita locutione, Tiothonẽ Fuldensis cœnobii Abbatẽ ad Hludauuicũ regem Italię nepotẽ suum & ad Nicolaum Apostolicũ apologetica intentione Romã misit, responsa eorũ, si esset possibile, ad condictũ regale placitũ perlaturum. A quibus honorifice susceptus, cũ de gestis præteriti anni Regẽ per omnia rationabiliter excusaret infamiæ, Apostolica fultus epistola rediens, iuxta lacũ Brigantium ad Regem venit, de loco prædicto placiti iã tunc reuersum, quia ad condictum diem vel locum placiti neuter sibi Regum occurrerat. Qui cum de legatione sua Regi per omnia satisfeciſſet, accepta licentia ad proprium rediit monasterium.

Vrbs Mogontia cum locis sibi contiguis, per totum anni circulum immani terrę motu vexatur. Probus presbyter religiosus, cuius casta conuersatio & doctrinæ sanctæ studium Mogontinam illustrauit Ecclesiam, VII. Kal. Iunii, diem obiit. Sed quoniam per omnia longum est texere, qualiter in supra dicta Ecclesia sine fastidio die noctuque fructuoso labore desudauerit, vel quomodo omnia omnibus

factus

factus fuerit vt cunctos lucrifaceret Christo, saltim aliqua virtutum illius duobus versiculis non pigeat memoriæ commendare, vt ex his cætera diuinitus illi collata facilius valeant intelligi.

Quam prudens, humilis, patiens, castusq; fuisset,
Littera vel lingua nulla referre potest.

DCCCLX.

Hybernum tempus asperum nimis & solito prolixius erat, frugibusq; & arborum prouentibus pernoxium. Nix quoq; sanguinolenta in plerisq; locis cecidisse reperta est. Mare etiam Ionium glaciali rigore ita constrictum est, vt mercatores qui nunquam antea nisi vecti nauigio, tunc in equis quoq; & carpentis mercimonia ferentes Venetiam frequentarent. Hludouuicus Rex & Carlus frater eius, neposq; eorum Hlutharius, cum primatibus suis in Confluente castello conuenientes, pacem inter se & fidelitatem mutuam singuli iuramento firmauerunt, cuius sacramẽti series huiusmodi fuit: *Amodo & quamdiu vixero, istum fratrem meum Karlum, & nepotes meos Ludouuicum & Lutharium atque* Karlum, *ad Dei voluntatem, & sanctæ Ecclesiæ statum & honorem atque defensionem, & ad nostram communem salutem & honorem, & ad populi Christiani nobis commissi saluamentum & pacem, & ad legis ac iustitiæ & rectæ rationis conseruationem, quantum mihi Dominus scire & posse donauerit, & ipsi me obaudierint, & à me ipsi quæsierint, vero consilio, & secundum quod mihi rationabiliter & salubriter possibile fuerit, sincero auxilio adiutor ero ad regnum illorum continendum, & nec in vita, nec in membris, neq; in regno illorum eos forconsilsabo* * *in hoc, vt ipsi erga me simílem promissionem faciant & conseruent.*

* *al. forũ consil.*

DCCCLXI.

Hludouuicus Rex conuentum habuit in Reganesburg tertia septimana post sanctum Pascha, in quo Ernustum summatem inter omnes optimates suos quasi infidelitatis reum publicis priuauit honoribus. Vtonem quoq; & Berngarium fratrem eius atq; Sigihardum Comites, Waldonemq; Abbatem, cum aliis nonnullis, quasi complices infidelitatis eius, similiter exauctorauit. E quibus Vto & Berngarius cum Waldone fratre suo in Gallias ad Karlum Regem secesserunt, cæteris intra patriam in proprietate sua remanentibus. Karlmannus quoq; filiorum Regis maximus, res nouas molitus est. Expulit enim duces quibus custodia commissa erat Pannonici limitis & Carantani, atq; per suos marcam ordinauit: quod Regis animũ rebellionem suspicantis non parum commouit.

DCCCLXII.

Carlemannus per sacramenta pacis & securitatis suæ Reganesburgum venit, & reddita ratione conuicit aduersarios, patriq; suo reconciliatur, iuramento confirmans ne contra eius iustam potestatem quicquam deinceps mente malicioſa machinaretur. Et Karlemannus quidem ad sua cum pace reuertitur, Rex vero Mogontiam profectus, occurrentem sibi ad colloquium nepotem suum suscepit Lutharium regem. Eodem quoque anno Rex ducto in Obodritos exercitu, ducem eorum Tabamuizilem rebellantem dicto obedire, & filium suum cum aliis obsidibus dare coegit.

DCCCLXIII.

Carlemannus filius Regis qui prælatus* erat Carantanis, tam multis criminibus & tam magnis apud patrem absens accusatus est, vt merito reus maiestatis haberi debuisset, si ea quæ in eũ dicta sunt, ab accusatoribus probari potuissent. Quod Regis animum adeo commouit, vt per se ipsum coram frequentia populi sui protestatus sit; Karlemannum filium suum ab eo tempore & deinceps donec ipse viueret & regnaret, sua voluntate publicis honoribus nunquam esse potiturum. Quo audito Karlemannus ab itinere quo ad palatiũ ire cœperat, perterritus in Carinthiam se recepit, ibi tutari apud suos quos sibi fideles arbitratus est, volens, donec patris ira quiesceret, & ipse per internuncios veraces sibi fallaciter obiecta purgaret. Interea Rex collecto exercitu, specie quidem quasi Rasticen Margensium Sclauorum ducẽ cum auxilio Bulgarorum ab Oriente venientium (vt fama fuit) domaturus, re au-

* *for. præfectum.*

tem vera ad Carantanos filium expugnaturus accessit: qui reuera ad id temporis defenderet, nisi proditione Gundachari Comitis sui deciperetur incautus, qui totum pene robur exercitus secum habens, quasi vada fluminis N. hostibus prohibiturus, cum omnibus copiis transiuit ad Regem, & prælatus est Carantanis, sicut ei prius occulte promissum est, si dominum suum fraude decepisset. Et hic quidem præfecturæ dignitatem hoc modo promeruit. Karlemannus vero per iuramenta principum venit ad patrem, de obiectis sibi criminibus securus, quia innocens erat, & testimonio conscientiæ fretus, lætum se per omnia exhibebat atque iucundum.

Ea tempestate Karlus Archiepiscopus Mogontiacensis Ecclesiæ 11. Non. Iunii defunctus est; Luitbertus eiusdem sedis honore sublimatus 11. Kal. Decemb. In regno quoque Lutharii, pro eo quod dimissa vxore legitima alteram duxit, synodus in Mettis cõgregata est omnium Episcoporum eius præter Hungarium Traiectensem, quem ægritudo detinuit. Aderant & missi Nicolai Romani Pontificis ob eandem causam diligenter inuestigandã directi. In quo negotio ventilato, Rex factũ suũ propter quod arguebatur, consilio & auctoritate Episcoporum suorum se fecisse testatus est. Quod illi non inficiantes, quasdam assertiones rationum verisimiliũ quibus gestæ rei qualitatem munire nisi sunt opposuerunt, easq; literis comprehensas, vt legati Apostolici suggesserunt, per Guntharium Agrippinæ Coloniæ, & Theotgaudum Treuerensem Galliæ Belgicæ Archiepiscopos, Nicolao, Apostolicæ sedis Pontifici probandas transmiserunt. Qui cõuocato Romanæ sedis Episcoporũ concilio, & Mettensem anathematizauit synodũ, & ad se missos Episcopos deposuit & cõmunione priuauit; iuste quidẽ & canonice, vt scriptis suis ipse testatur; iniuste vero, sicut illi rescriptis & assertionibus firmare conãtur. Propterea partis vtriusq; scriptorum seriem his annalibus inserendam esse iudicaui, discernendæ rei veritatẽ lectoris arbitrio relinquens. Et hæc quidem sunt Apostolicæ sedis decreta synodalia: *Nicolaus seruus seruorũ Dei reuerẽdissimis & sanctiss. fratribus nostris Archiepiscopis in regno Ludouuici Regis Germani cõstitutis. Scelus quod Lutharius Rex, si tamẽ Rex veraciter dici possit, qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrenat, sed lubrica eneruatione magis ipsius illicitis motibus cedit, in duabus feminis Teutberga scilicet & VValdrada commisit, omnibus manifestum est. Sed & dudum Episcopos Theutgaudum & Guntharium in tali facto eum habuisse tutores atq; fautores, pene totus nobis orbis vndiq; ad limina seu sedem Apostolicam confluens referebat, absentibus quoq; idipsum nostro scribentibus Apostolatui. Quod nos tanto credere renuimus, quanto de Episcopis tale quid audire nullatenus sperabamus, donec ipsi Romam tempore concilii venientes, coram nobis & sancta synodo tales inuenti sunt, quales fuerant à multis sæpissime prædicati, ita vt scriptura quam suis stipulanerant manibus, quamq; volebam vt nostro roboraremus chirographo, caperentur, & dum muscipulam innocentibus opponere satagerent, insidiis suis illaqueati sunt ipsi: sicq; completum est; Deo auctore, quod in prouerbiis legitur: Frustra iactatur ante oculos rete pennatorum: si quidem ipsi obligati sunt & ceciderunt. Nos vero qui in hoc flagitium falso ceciidisse dicebamur, fauente Domino cum iustitiæ propugnatoribus resurreximus & erecti sumus. Igitur decernente nobiscum sancta synodo, in præsentia depositi & ab officio sacerdotali excommunicati, atq; à regimine Episcopatus alienati indubitanter existunt. Vnde vestra fraternitas canonum normam custodiens, & decretorum sanctiones obseruans caueat, ne hos quos nos abiecimus, recipere in sacerdotum catalogo quis præsumat. Depositionis autem sententia quam in prædictos Theutgaudum & Guntharium protulimus, cum cæteris capitulis quæ sancto concilio nobiscum sanciente promulgauimus, inferius annexa monstrabitur.* DE SYNODO IN METENSIVM VRBE A THEVTGAVDO ET GVNTHARIO ARCHIEPISCOPO CONGREGATA PENITVS ABOLENDA CAPITVLVM. *Synodum quæ nuper, id est, sub piissimo Imperatore Ludouuico per indictionem* XI. *mense Iunio, in Metensium vrbe ab Episcopis qui nostrum præuenerant iudicium, collecta est, quiq; Apostolicæ sedis instituta temere violauerunt, ex tunc, & nunc, & in æternum iudicamus esse cassatam, & cum Ephesino latrocinio repudiatam Apostolica auctoritate in perpetuum esse sancimus damnandam, nec vocari synodum, sed tanquam adulteris fauentẽ, prostibulum appellari decernimus.* DEPOSITIO THEVTGAVDI ET GVNTHARII ARCHIEPISCOPORVM. CAP. II. *Theutgaudum*

dam Treuerenſem primatẽ Belgicæ prouinciæ & Guntharium Agrippinæ Coloniæ Epiſcopos, nunc corã nobis & ſancta ſynodo, ſub geſtorum inſinuatione qualiter cauſam Lotharii Regis & duarum mulierum eius Theutbergæ ſcilicet & VValdradæ ſe recognouerint & iudicauerint, ſcriptum ſuper hoc propriis roboratum manibus offerentes, nihilq; ſe plus vel minus aut aliter egiſſe ore proprio multis coram poſitis affirmantes, & ſententiam quam à ſede Apoſtolica in Ingiltrudem vxorem Boſonis ſanctiſſimus frater noſter Mediolanenſis Archiepiſcopus Tado & cæteri coepiſcopi noſtri petierant emittendam, & nos diuino ſuccenſi zelo ſub anathematis obteſtatione canonice protuleramus, publice viua voce ſe violaſſe confitentes, in quibus omnibus inuenimus eos Apoſtolicas atq; canonicas ſanctiones in pluribus exceſſiſſe, & æquitatis normam nequiter temeraſſe, omni iudicamus ſacerdotii officio permanere penitus alienos, ſpiritus ſancti iudicio & beati Petri per nos auctoritate omni Epiſcopatus exutos regimine conſiſtere definientes. Quod ſi iuxta præcedentem conſuetudinem, tanquam Epiſcopi auſi fuerint aliquid de ſacro miniſterio contingere, nullo modo liceat eis, nec in alia ſynodo reſtitutionis ſpem aut locum habere ſatisfactionis, ſed & communicantes eis omnes abiici de Eccleſia, & maxime ſi poſtea quam didicerint aduerſus memoratos prolatam fuiſſe ſententiam, eiſdem communicare tentauerint. De cæteris Episcopis, cap. III. Cæteri autem Epiſcopi qui complices horum Theutgaudi ſcilicet & Guntharii vel ſectatores eſſe feruntur, ſi cum his coniuncti ſeditionem, coniurationes vel conſpirationes fecerint, vel ſi à capite, id eſt, à ſede beati Petri, illis hærendo diſſenſerint, pari cum eis damnatione teneantur aſtricti. Quod ſi cum ſede Apoſtolica, vnde eos principium Epiſcopatus ſumpſiſſe manifeſtum eſt, ſapere de cætero per ſemetipſos vel miſſos ad nos legatos cum ſcriptis ſuis profeſſi extiterint, nouerint ſibi à nobis veniam non negandam, nec amiſſionem honorum ſuorum pro retro-actis præſumptionibus, aut ſubſcriptionibus quas pro inſanis fecerunt geſtis, per nos vllo modo formidandam. De Engildrvda. Cap. IIII. Engildrudam filiam quondam Mactifredi Comitis, quæ Boſone proprio viro relicto, ecce tam per ſeptem circiter annos hac atq; illac vagabunda nuper cum fautoribus ſuis regulariter anathematizauimus, ſed propter contumaciam iterato anathematis vinculis duximus innodandam. Sit igitur à patre & filio & ſpiritu ſancto vno & vero Deo, ab omnibus ſanctis patribus, & ab vniuerſa ſancta Dei catholica & Apoſtolica Eccleſia, & à nobis penitus anathema, cum omnibus complicibus communicatoribus atq; auxiliatoribus ſuis, ita vt, ſicut iam decreuimus, ſi quis ei communicare vel fauere in aliquo præſumpſerit, ſiquidem clericus fuerit, in eodem vinculo conſtrictus, officium clericatus amittat, monachi vero & Laici ſi inobedientes decreto præſenti fuerint, ſimiliter anathematizentur. Sane ſi eadem mulier ad virum ſuum reuerſa fuerit, vel Apoſtolicam beati Petri ſedem Romam properans, veniam ei poſt dignam ſatisfactionem proculdubio non negabimus. Veruntamen ſub priori vinculo anathematis, quo illam prius & nunc obligauimus, interim conſtricta permaneat. Si quis autem eidem Engiltrudæ Apoſtolicam beati Petri ſedem Romam ſpecialiter properanti vel occurrenti ineſcius communicauerit, aut ſciens opem in veniendo præſtiterit, nullo pro hoc vinculo teneatur innexus. De sententiis atqve interdictis sedis apostolicæ Cap. V. Si quis dogmata, mandata, interdicta vel decreta pro catholica fide, pro Eccleſiaſtica, diſciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione ſceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum à ſedis Apoſtolicæ præſule ſalubriter promulgata contempſerit, anathema ſit. Epiſcopi vero ſupradicti poſtquam damnati ſunt, hæc reſcripſerunt. Cap. I. Nicolao Pontifici, Guntharius atque Theutgaudus. Patres noſtri & fratres coepiſcopi ad te nos direxerunt, & nos ſponte iuimus, conſulere videlicet, expleta generali legatione, tuum magiſterium ſuper his ſpecialiter quæ pariter, prout nobis viſum fuit, & adiicientibus notũ eſſe potuit, iudicauimus, auctoritates rationesque quas ſecuti fuimus ſcriptis oſtendentes, vt tua ſapientia, perſcrutatis omnibus, quid inde ſentires & quid velles, nobis paterno demonſtrares affectu, nosque fraterna caritate procurares, & ſi melius illud tua ſanctitas inueniret, vt nos inſtrueres & doceres, ſuppliciter obſecrauimus, parati, quicquid rectius & probabilius eſſet, libenter amplecti. Cap. II. Sed nos per tres hebdomadas tuum expectantes reſponſum, nihil certitudinis nihilque doctrinæ nobis expreſiſti. tantum quodam ate in publico dixiſti, nos excuſabiles apparere & innocentes iuxta aſſertiones noſtri libelli. Cap. III. Ad vltimum autem nos euocati ad tuam præſentiam deducti ſumus, nihil aduerſitatis ſuſpicantes, ibiq; obſeratis oſtiis facta more latrocinali conſpiratione, ex clericis & laicis turba collecta & permixta, nos violenter inter tantos opprimere ſtuduiſti, longa ſcilicet intercapedine à noſtris

& clericis & laicis separatos, atq; sine synodo & sine canonico examine, nullo accusante, nullo testificante, nullaq; disputationis discretione dirimente, vel auctoritatum probatione conuincente, absque nostri oris confessione, absentibus aliis metropolitanis & diocesaneis coepiscopis & cõfratribus nostris, extra omnium omnino consensum, tuo solius arbitrio & tyrannico furore nosmet damnare voluisti, subito quadam tibi cartula & improuise porrecta lectoris officium assumens, assistente lateri tuo Anastasio olim presbytero ambitus damnato & deposito & anathematizato, cuius scelerato magisterio tuus præcipitatur furor. CAP. IIII. *Ergo tuam prauam sententiã à zelo rectitudinis alienam, iniustam & inrationabilem, canonicis legibus contrariam, nequaquam recipimus, imo cum omni cœtu fraterno, quasi nefas atq; maledictum frustra prolatum contemnimus atque abiicimus, tibique anathematorum & religionis sacræ abiectorum & contemptorum fautori & communicatori reuera communicare nolumus, contenti totius Ecclesiæ communione & fraterna societate, quam tu arroganter te super exaltans despicis, teque ab ea elationis tumore indignum faciens segregas.* CAP. V. *Igitur ex tua leuitatis temeritate propria tibimet sententia anathematis plagam inflixisti, exclamans, Qui Apostolica præcepta non seruat, anathema sit, quæ tu multipliciter violare & violasse dignosceris, diuinas leges simul & sacros canones calcans, & quantum in te est, euacuans, prædecessorum tuorum Pontificum Romanorum vestigia sequi nolens. Nunc ergo qui fraudulentiam & calliditatem experti sumus, indignationem quoque tumidumque potentatum agnoscimus, nihil tibi tuaque superbiæ cedimus, qua nos ad vota nostrorum, quibus faues, inimicorum obruere festinabas. Sciesque nos non tuos esse, vt te iactas & extollis, clericos, quos vt fratres & coepiscopos recognoscere, si elatio permitteret, debueras. Et hæc tibi nostri ordinis non insciis, nimium tua improbitate compulsi respondemus, non quasi ad illatam nobis contumeliam prouocati, sed contra tuam iniquitatem ecclesiastico zelo accensi, nec nostræ vtilitatis personam attendentes, sed omnem nostri ordinis vniuersitatem, cui vim inferre conaris, præ oculis habentes.*

DCCCLXIIII.

Guntharius Coloniæ ciuitatis Episcopus pœnitentia ductus quod contra dominum Apostolicum iniustæ rationis contentionem inchoauerat, reconciliationis suæ & emendationis gratia Romam profectus, in præsentiam, Apostolici viri Nicolai venit: sed veniam minime consecutus est. Hludouuicus Rex in mense Augusto, vltra Danubium cum manu valida profectus, Rasticen, in quadam ciuitate quæ lingua gentis illius Douuina, id est puella dicitur obsedit. At ille, cum regiis copiis congredi non auderet, atque loca sibi effugiendi denegata cerneret, obsides quales & quantos Rex præcepit, necessitate coactus dedit; insuper cum vniuersis optimatibus suis, fidem se cunctis diebus Regi seruaturum esse iuramento firmauit, licet illud minime seruauerit.

Hludouuicus & Karolus Reges & fratres apud Dusicam villam mense Septemb. conuenientes fœdus ineunt, & quidquid inter eos leuitate humana vel suggestione militum perperam gestum fuerat, sibi mutuo dimittunt, cuncta retro obliuioni tradenda censentes. Huius autem fœderis pactum inuiolabiliter omni tempore conseruandũ, testes & admonitores idonei ex vtraque parte statuuntur. Nam Hludouuicus ex parte Karoli Hincmarum Remensem Episcopum & Engilrammum comitem: Karolus vero ex parte Hludouuici Luitbertum Archiepiscopum & Altfridum antistitem elegit, vt si forte ab aliquo eiusdem pacti iura læderentur, his admonentibus & gesta priora ad memoriam reuocantibus, facilius in pristinum statum reformari possent. Guntharius Coloniæ ciuitatis Episcopus pœnitentia ductus quod ministerium sacerdotale ab Apostolico sibi interdictum contingere præsumpserat, Romam profectus est; sed restitutionis vel satisfactionis locum minime inuenit.

DCCCLXV.

Ruodolfus Fuldensis cœnobii presbyter & monachus, qui apud totius pene Germaniæ partes doctor egregius & insignis floruit Historiographus & poeta, atque omnium artium nobilissimus auctor habebatur, V III. Id. Mar. diem vltimum feliciter clausit. Decessit autem eodem anno Ernustus comes.

Arsenius Episcopus Nicolai Papę Romanę vrbis legatus, ob pacẽ & concordiã

inter

inter Hludouuicum & Karolum fratrem eius, nec non Hlutharium nepotem eorũ renouandam atque constituendã, missus est in Franciam, qui apud villam regiam Franconofurt à Hludouuico rege honorifice susceptus, & muneribus magnificis honoratus, condictoq; inter eos placito de supradicta conuentione apud Agrippinã Coloniam habituro, ad Karolum regem in Galliam pergit. Illic quoq; mirifice à Rege susceptus, regalibusq; donis sublimatus, propter condictum placitũ Agrippinam (vt diximus) Coloniam venit, ibiq; obuiam ei duo fratres Hludouuicus videlicet atq; Karolus, absente Hluthario nepote eorum, ad condictum placitum conuenerunt, multisq; ibidem causis bene dispositis, cum pace reuertitur Romam.

DCCCLXVI.

Werinharius Comes vnus ex primoribus Francorum apud Hludouuicum Regem accusatus, quasi Rastizen suis hortationibus aduersus eum incitasset, publicis priuatus est honoribus. Arsenius Episcopus Nicolai Romani Pontificis legatus ob pacem & concordiam inter Hludouuicum regem & nepotes eius Hludouuicum videlicet Italiæ Imperatorem, & Hlutharium fratrem eius, missus est in Franciam: qui mense Iunio veniens apud Franconofurt, à Hludouuico Rege honorifice suiceptus est, a quo absolutus in Galliam perrexit, & Theutpergam reginam à Hluthario dudum dimissam (sicut ei ab Apostolico iniunctum fuerat) eidem restituens, Waldradam concubinam eius in Italiam duci præcepit; & vt Hlutharius Theutpergam, quemadmodum rex legitime sibi coniunctam deinceps tractaret reginam, duodecim ex optimatibus eiusdem Regis iuramento firmare coegit. Deinde in regnum Karoli profectus, multisque ibi, quorum gratia illuc venerat, bene dispositis, Romam reuersus est.

Hludouuicus Hludouuici regis filius grauiter ferens, quod Rex quædam beneficia illi subtrahens, Karlmanno fratri suo reddidit, patri molestus efficitur. Nam nuntiis per vniuersam Thuringiam & Saxoniam missis, quos potuit ad se traxit, & contra Regem rebellare disposuit. Werinharium quoque, Vtonem, & Berengarium Comites à patre suo depositos, suis adhibens consiliis, pristinam eis dignitatem se restituturum esse promisit. Sed & Heinricum principem suæ militiæ ad Rastizen destinauit, obnixe postulans, vt eiusdem conspirationis fautor fieri non recusaret. Quo comperto Rex Karlmannum ad tuitionem Baioariæ derelinquens, concitus venit in Franciam, & à suis vndique confluentibus honorificè apud Franconofurt susceptus est, & conspirationem exortam facile extinxit. Tanta etenim multitudo fidelium suorum cum eo tunc aderat, vt pars aduersa, nisi timor filii eius adfuisset, ligari proculdubio potuisset. Interea Guntpoldus quidam de satellitibus Karlmanni contra dominum suum volens dimicare, amisso exercitu vix viuus euasit. Hludouuicus vero mediante Luitberto Archiepiscopo aliisque pacis amatoribus, mense Nouemb. apud Wormatiam patri suo reconciliatur.

Ea tempestate apud Mogontiacum quidam de hominibus Luitberti Archiepiscopi orta seditione interfecti sunt, quorum mors grauiter in auctores seditionis vindicata est. Quidam enim in ligno suspensi, alii manuum & pedum summitatibus amputatis, etiam lumine oculorum priuantur: nonnulli omnia sua relinquentes, & mortem euadere cupientes, exules effecti sunt. Legati Bulgarum Radesponam ad Regem venerunt, dicentes regem illorum cum populo non modico ad Christum esse conuersum, simulq; petentes, vt Rex idoneos prædicatores Christianæ religionis ad eos mittere non differret.

DCCCLXVII.

Rex Hludouuicus Bulgarum petitionibus annuens Ermenricũ Episcopum cum presbyteris & diaconibus ad propagandã fidem catholicã præfatæ genti destinauit. Sed cùm illuc peruenissent, Episcopi à Pontifice Romano missi totam illam terram prædicando & baptizando iam tunc repleuerant. Quapropter isti accepta à rege licentia redierũt in sua. Hlutharius rex promissionem suam, quam super Theutperga regina legato pollicitus est Apostolico, irritam ducens, atq; iuramentum optimatum suorum floccipendens, iterum Waldradæ ab Italia reuocatæ, se clanculo sociauit. Vnde Nicolaus Apostolicus diuino zelo commotus, per diuersas Christianæ reli-

gionis prouincias Italiæ videlicet & Germaniæ, Neustriæ, atque Galliæ regibus & Episcopis destinauit epistolas, in quibus eam cum vniuersis complicibus & communicatoribus fautoribusque suis à consortio S. Ecclesiæ vsque ad pœnitentiæ satisfactionem sequestrauit. Misit præterea epistolam filiis Hludouuici Regis, de honore parentum seruando.

Ruodbertus Karoli Regis Comes apud Ligerim fluuium contra Nordmannos fortiter dimicans occiditur, alter quodammodo nostris temporibus Machabæus: cuius prælia, quæ cum Brittonibus & Nordmannis gessit, si per omnia scripta fuissent, Machabæi gestis æquiparari potuissent. Terræmotus per plurima loca factus est VII. Id. Octob.

DCCCLXVIII.

Nicolaus Pontifex Romanus Episcopis Germaniæ duas destinauit epistolas, vnam quidem de factionibus Græcorum, alteram verò de Theutgaudi & Guntharii Episcoporum depositione, in qua refert, eos septem capitalia crimina commisisse, & ob hoc pristinæ dignitatis restitutionem nequaquam eos in sempiternum recipere posse commemorat. Synodus apud Wormatiam mense Maio habita est præsente Hludouuico Rege, vbi Episcopi nonnulla capitula de vtilitate Ecclesiastica conscribentes, Græcorum ineptiis congrua ediderunt responsa. Hlutharius Rex Romam profectus, summo studio nisus est Waldradam cum consensu & fauore Nicolai Pontificis sibi matrimonio coniungere: sed eum iam defunctum reperiens, in Beneuentum ad fratrem suum Hludouuicum perrexit, & huius copulæ fautorem illum fore postulauit apud Adrianum, qui Nicolao in pontificatu successit: sed petitionis effectum minimè consecutus est.

Eodem anno stella cometes per aliquot noctes apparuit, fontes quoque & flumina propter nimiam imbrium inundationem crescendo intumuerunt, & per diuersa loca in frugibus & ædificiis damnum fecere non modicum. Hanc plagam fames etiam magna cum ingenti pernicie humani generis per totam Germaniam & Galliam secuta est.

DCCCLXIX.

Sclaui (qui vocantur Behemi) terminos Baioariorum crebris incursionibus infestant, & quasdam villas incendio tradentes, mulieres inde duxere captiuas. Contra quos Hludouuicus Rex tutores partium illarum interim misit, donec ipse opportuno tempore suorum vindicaturus iniurias, in desertores arma corriperet. Karlmannus exercitibus Rastici bis numero congressus victor extitit, prædam inde capiens non modicam, sicut ipse literis ad patrem suum destinatis retulit. Sorabi & Siusli iunctis sibi Beheimis & cæteris circum circa vicinis, antiquos terminos Thuringiorum transgredientes, plurima loca deuastant, & quosdam sibi incautè congredientes interficiunt.

Cundachar vassallus Karlmanni, qui multis periuriis & dolosis machinationibus Hludouuico Regi eiusque filiis sæpenumero extitit infidelis, & proprium dominum derelinquens ad Rasticen defecerat, contra patriam more Catilino dimicare volens occisus est. Hic Karlmanni ducibus ad locum certaminis appropinquantibus, dixisse fertur ad eos, quibus erat à Rastizo prælatus: *Pugnate fortiter vestram patriam tuentes, ego enim in hoc certamine vobis proficuus non ero; quoniam sanctus Emmerammus cæteriq; Sancti, in quorum reliquiis Hludouuico Regi filiisq; illius fidem me seruaturum esse iuraui, meum clypeum & hastam tenentes, mea brachia & visum deprimunt, & me vndique constrictum quasi loris ligatum retinent, ita vt nec manum quidem ad os mittere valeam.* Dum hæc infelix loqueretur, nostris superuenientibus occubuit, Domino illi infidelitatis suæ condignam mercedem retribuente. Quod cùm regi relatum fuisset, omnes in commune laudare Dominum, signis etiam cunctarum in Reganesburg Ecclesiarum concrepantibus, pro interitu hostis extincti præcepit. Hlutharius Rex infecto negotio, propter quod Romam venerat, in regnum suum redire volens, apud Placentiam Italiæ vrbem mense Iulio diem obiit, plurimiq; de optimatibus illius in eodem itinere consumpti sunt.

Mense verò Augusto Rex Hludouuicus collectis copiis in tres partes dimisit exercitum.

ercitum. Æquinoctium suum cum Thuringis & Saxonibus ad comprimendam Sorabum audaciam destinauit: Baioarios verò Karlmanno in adiutorium fore præcepit, contra Zuentibaldum nepotem Rastizi dimicare volentem: Ipse autem Francos & Alamannos secum retinuit aduersus Rastizen pugnaturus. Cumque iam proficiscendum esset, ægrotare cœpit. Vnde necessitate compulsus, Karolum filiorum suorum vltimum eidem exercitui præfecit, Domino exitum rei commendans. Qui dum cum exercitu sibi commisso in illam ineffabilem Rastici munitionem, & omnibus antiquissimis dissimilem venisset, diuino auxilio fretus, omnia mœnia regionis illius cremauit incendio, & abscondita quæque in siluis vel defossa in agris reperiens, cum suis diripuit, omnesque sibi congredientes fugere compulit vel interfecit. Nec minus Carlmannus regnum Zuentibaldi nepotis Rastizi, igne & gladio depopulatur, vastataq; omni regione Karlus & Karlmannus fratres conuenerunt, de victoria sibi cœlitus data gratulantes. Interea Hludouuicus frater illorum cum Sorabis manum conserens, primò quidem quibusdam occisis, hostes terga vertere coegit: deinde verò non modica ex eis multitudine prostrata, & Behemis (qui à Sorabis mercede conducti fuerant) partim occisis, partim turpiter ad sua redeuntibus, cæteros in deditionem accepit.

Dum hæc in diuersis locis gerebantur, Hludouuicus Rex apud Radasbonam Baioariæ ciuitatem graui detinebatur infirmitate, ita vt medici illum sanitatem recuperare posse desperarent. Quapropter omne aurum & argentum, quod in thesauris illius inueniri potuit, per diuersa monasteriorum loca distribuit, & pauperibus erogauit: vnde & a cœlesti medico, cui se suaq; omnia commendauit, curari promeruit. Karolus verò Rex comperta Hludouuici fratris sui infirmitate, regnũ Hlutharii inuasit, & secundum libitum suum disposuit, atq; ad se de eodem regno venire nolẽtes publicis priuatisq; rebus priuauit. Qui etiam prauorum vsus cõsulio, in vrbe Mettensi diadema capiti suo ab illius ciuitatis Episcopo imponi, & se Imperatorẽ & Augustum, quasi duo regna possessurus, appellare præcepit. Omnes autem Hludouuici Regis filii in diuersis locis rebus prosperè gestis, sine damno militum suorum, cum triumpho regressi sunt. Behemi dextras sibi à Karlmanno dari petunt & accipiunt.

DCCCLXX.

Hludouuicus Rex de infirmitate sua conualescens, mense Februario in purificatione sanctæ Mariæ ad Franconofurt villam regni sui peruenit, ibiq; plurimos de optimatibus Hlutharii diu illum opperientes, in suum suscepit dominium, & beneficium illis a Karolo sublatum restituit. Nonnulli etiam, qui prius cum Karolo fuerant, eum deserentes, ad Hludouuicum venerunt. Luitbertus Moguntinæ sedis Archiepiscopus cum quibusdam suffraganeis suis profectus Coloniam, Willibertum presbyterum iussu Hludouuici Regis & totius cleri & populi electione, etiam Karolo nolente, in locum Guntharii ordinauit Episcopum.

Zuentibald nepos Rastizi propriis vtilitatibus consulens, se Karlmanno vna cum regno, quod tenebat, tradidit. Vnde Rastiz vehementer iratus, nepoti occultè ponit insidias, & eum in conuiuio nihil mali suspicantem iugulare disponit, sed gratia Dei à periculo mortis liberatus est. Nam antequam illi, qui eum necaturi erant, domum intrarent, surrexit de loco conuiuii, annuente sibi quodam eiusdem fraudis conscio; & quasi cum falconibus ludum exercens, præparatas deuitauit insidias. Rastiz autem videns denudatum consilium suum, nepotem cum militibus quasi comprehensurus insequitur: sed iusto iudicio Dei captus est laqueo, quem retendit. Nam ab eodem nepote suo comprehenditur, ligatur, & Karlmanno præsentatur: à quo sub militibus illum ne elaberetur obseruantibus, in Baioariam missus, vsque ad præsentiam Regis seruandus in ergastulum retruditur. Karlmannus verò regnum illius nullo resistente ingressus, cunctas ciuitates & castella in deditionem accepit, & ordinato regno atque per suos disposito, ditatusque gaza regia [illegible] titur.

Rex autem Hludouuicus dies Letaniarum & Pentecostes in villa Bisesler[illegible] Wormacense celebrauit. Inde à Karolo ad colloquium inuitatus, mense Iun[illegible] Occidentem profectus est: sed in itinere in quodam solario positus, ruente ædificio,

& ipſe pariter corruit, grauem patiens membrorum colliſionem: tamen ſimulata ſanitate cum Karolo colloquium habuit, & diuiſo inter ſe Hlutharii regno, Aquiſgranum reuerſus eſt, ibiq; per plures dies iacuit ægrotus.

Apud Mogontiacum per aliquot noctes aer totus rubore quaſi ſanguine perfuſus enituit. alia etiam prodigia viſa ſunt in cœlo. Nam nubes quædam ab Aquilone quadam nocte aſcendit, altera ab Oriente & meridie econtra venit, ſpicula ignea inuicem ſine intermiſſione mittentes, tandemque in ſummitate cœli coeuntes, & ſe quaſi exercitus in prælio confundentes, non modicum timorem ſimul & admirationem cernentibus ingerebant: omnes tamen rogabant in bonum monſtra conuerti. Ipſa quoque ciuitas terræmotu bis numero concuſſa eſt. Nonnulli etiam in pago Wormacenſi meſſem colligentes, propter Solis calorem ſolito grauiorem extincti referuntur. Plurimi quoque in Rheno flumine ſuffocati perierunt. Sed & mulier quædam in feſtiuitate ſancti Laurentii, cæteris ad Eccleſiam properantibus, panes coxit venales; quæ à vicinis ſuis admonita, vt tantæ diei honorem tribueret, & Eccleſiam peteret, noluit omittere, quin opus cœptum quæſtus cauſa expleret: ſed cùm reuerentiæ ſanctorum præpoſuiſſet lucrum terrenum, & ex eadem maſſa farinæ, de qua prius fecerat nitidos panes, poſtea formatos miſiſſet in fornacem, ſubito eosdem atramento repperit nigriores. Igitur confuſa foras cucurrit, & peccatum, quod commiſit in tranſgreſſione tantæ ſollemnitatis, & damnum, quod de interitu panum pertulit, palam omnibus qui aderant indicauit. Boum quoque peſtilentia in nonnullis Franciæ locis immaniſſime graſſando, multis irrecuperabile intulit damnum.

Habita eſt autem & ſynodus in ciuitate Colonia iuſſu Hludouuici regis VI. die Kalend. Octob. præſidentibus metropolitanis Epiſcopis prouinciarum, Luitberto Mogontiacenſium, Berthulfo Treuerorum, Williberto Agrippinenſium, cum cæteris Saxoniæ Epiſcopis. Vbi cùm plurima ad vtilitatem Eccleſiaſticam pertinentia ventilaſſent, etiam domum ſancti Petri eatenus minime conſecratam dedicauerũt. Feruntur etiam in eadem nocte, quando baſilica mane erat conſecranda, voces malignorum ſpirituum auditæ inter ſe loquentium, & valde dolentium ſe ab obſeſſis diutiſſime ſedibus expelli debere. Morante autem Hludouuico Rege in Aquenſe palatio, venerunt ad eum legati Hludouuici Imperatoris de Italia, ſimulque Adriani Papæ; quos ille ſuſcipiens abſoluit. Et poſt paululum inde tranſiens circa Kalen. Nouembr. in Baioariam profectus eſt, ibique cum ſuis colloquium habens, Raſtizen graui catena ligatum ſibi præſentari iuſſit, eumque Francorum iudicio & Baioariorum, nec non Sclauorum, qui de diuerſis prouinciis Regi munera deferentes aderant, morte damnatum, luminibus tantum oculorum priuari præcepit.

DCCCLXXI.

Hludouuicus & Karolus Hludouuici Regis filii dure accipientes, quod quandam partem regni Francorum, quam Rex illis ſub teſtamento poſt obitum ſuum habendam delegauerat, ab eis auferri & Karlmanno fratri illorum tradi fama volitante audierunt, congregata multitudine non modica, Spirenſem pagum occupant, contra Regem rebellare diſponentes. Quod cùm Rex comperiſſet, de Baioaria profectus venit ad Franconofurt in Kalend. Feb. miſſisque nuntiis, animos filiorum ſuorum ſibi reconciliare nititur. Sed cùm reciproci nuncii diu laborantes rem ad effectum perducere non potuiſſent, tandem condicto placito, atque pace ex vtraq; parte iuramento firmata, Rex quidem in Baioariam ſe recepit, filii verò illius in loca ſibi delegata profecti ſunt.

Zuentibald nepos Raſtizi apud Karlmannum infidelitatis crimine inſimulatus, in cuſtodiam miſſus eſt. Sclaui autem Marahenſes ducem ſuum periſſe putantes, quendam presbyterum eius ducis propinquum nomine Sclagamarum ſibi in principem conſtituunt, ei minantes interitum, niſi ducatum ſuper eos ſuſciperet. Qui eisdem neceſſitate coactus aſſenſum præbens, contra Engilſcalcum & Willihelmum duces Karlmanni prælia mouere, & eos ex obſeſſis ciuitatibus expellere nititur. Illi vero aduerſus hoſtem pari intentione dimicantes, & nonnullos de exercitu eius proſternentes eum fugere compulerunt.

Rex

Rex Hludouuicus menſe Maio, iuxta conductum placitum, venit ad villam Tribure, ibiq; filiorum ſuorum animos propter obcæcationem cuiusdam Saxonis, ad iracundiam prouocauit, ita vt ad eius colloquium nollent venire. Erat enim is, qui excæcatus fuerat, Heimrichi Comitis vaſſallus. Rex autem filios inde tranſeuntes in villa Gerichesheim proſecutus, vix ad ſuum inuitauit colloquium, & blandis ſermonibus & beneficiorum pollicitationibus aliquo modo mitigauit.

Deinde menſe Iunio ad Occidentem profectus, loca ad ſe pertinentia peragrauit. Interea Zuentibald cùm nullus crimina, quæ ei obiecta fuerant, probare potuiſſet, à Karolomanno dimiſſus, & muneribus regiis honoratus in regnum ſuum rediit, ducens ſecum Karlmanni exercitum, quaſi Sclagamarum expugnaturus. Sic enim per dolum Karlomanno promiſerat, ſi ei ad patriam reditus concederetur. Sed ſicut ſolet incautos & de ſe præſumentes ſequi ignominia, ſic illi contigit exercitui. Nam Zuentibald cæteris caſtrametantibus, vrbem antiquam Raſtizi ingreſſus eſt, ſtatimque Sclauiſco more fidem mentitus, & iuramenti ſui oblitus, non ad expugnandum Sclagamarum, ſed ad vlciſcendam contumeliam à Karlmanno ſibi illatam vires ſtudiumq; conuertit. Deniq; Baioarios nihil mali ſuſpicantes, & minus ſe obſeruantes, cum magno exercitu in caſtris aggreſſus eſt, & multos ex eis viuos comprehendit, cæteris pene omnibus occiſis, exceptis his, qui prius ſe prudenter de caſtris ſubtraxerant, omnisq; Noricorum lætitia de multis retro victoriis conuerſa eſt in luctum & lamentationem. Quibus auditis Karlmannus de exercitus ſui interitu nimium conſternatus eſt, & neceſſitate compulſus omnes obſides, qui in ſuo regno erant, iuſſit colligi, & Zuentibaldo reddi; vixq; vnum virum nomine Ratbodonem inde ſeminecem recepit.

Menſe Auguſto Hludouuicus Rex cum Karolo fratre ſuo colloquium habuit prope Maſa fluuium, ſed nec ibi filios ſuos ſecum pacificare potuit. Noluerunt enim ad eius colloquium venire, propter dilationem beneficiorum, quæ eis promiſſa fuerant. Cùm autem falſus rumor exiſſet, Hludouuicum Italiæ Imperatorem ab Adalgiſo duce Beneuentano inſidioſè peremptum fuiſſe, & Rex triſtis de Aquenſe palatio in Orientales partes regni ſui rediret; ilico filii eius obuiam ei venientes, & quibusdam beneficiis ab eo acceptis, ſine vlla difficultate regi reconciliantur.

Rex autem menſe Octob. cum ſuis colloquium habuit in Franconofurt. Inde in Baioariam profectus, contra Behemos irruptionem in regnum ſuum molientes, tutores partium ſuarum miſit, Arnum videlicet Epiſcopum & Ruodoldum comitem, aliosq; cum eis. Aduerſarii autem quendam locum vallo firmiſſimum circundederunt, iter anguſtum in ipſo aditu facientes, ad inſidias ſcilicet illorum, qui terminos obſeruabant; vt ſi forte aliquis ex illis illuc veniret, in ipſo anguſto itinere nuſquam declinare valens occideretur. Interea Sclaui Marahenſes nuptias faciunt, ducentes cuiusdam ducis filiam de Behemis. Quod cùm ſupra dicti viri, id eſt, Arni & alii, qui cum eo erant, comperiſſent, ilico armati aduerſarios ſequebantur. Illi autem fugientes, ad vallum memoratum ignari venerunt, ibiq; propter loci anguſtiam, equis & armis derelictis, vix nudi euaſerunt. Noſtrates verò ſuperuenientes DCXLIIII. equos cum frænis & ſellis, atq; eiusdem numeri ſcuta, quæ fugientes dimiſerant, inuenerunt, & hæc nullo reſiſtente tollentes ad caſtra læti reuerſi ſunt.

DCCCLXXII.

Menſe Ianuario circa Epiphaniam Baſilii Græcorum Imperatoris legati cum muneribus & epiſtolis ad Ludouuicum Regem Radasbonam venerunt; atq; ei, inter cætera xenia, cryſtallum miræ magnitudinis, auro gemmisq; pretioſis ornatum cum parte non modica ſalutiferæ crucis obtulerunt. Qui honorificè ſuſcepti, & congrua reſponſione accepta, redierunt in ſua.

Rex verò mediante quadrageſima apud villam Foracheim generali conuentu habito, filios ſuos de regni partitione inter ſe diſſidentes pacificauit, & quam quisq; partem poſt obitum ſuum tueri deberet, liquido deſignauit. Ibi etiam Hludouuicus & Karolus filii eius in conſpectu totius exercitus fidem ſe illi ſeruaturos eſſe omni tempore vitæ illorum, iuramento firmauerunt. Inde Rex in Baioariam reuerſus, Paſcha celebrauit.

Menſe autem Maio miſit Thuringos & Saxones contra Sclauos Marahenſes, qui quoniam regem ſecum non habebant,& inter ſe concordes eſſe nolebant,idcirco hoſtibus terga verterunt,& plurimis ſuorum amiſſis turpiter redierunt:ita vt quidam Comites in illa expeditione fugientes,à mulierculis illius regionis verberati, & de equis in terram fuſtibus deiecti referantur. Iterum quidam de Francia mittuntur Karlmanno in auxilium contra Sclauos ſupra dictos, alii deſtinantur contra Behemos,qui Dei adiutorio freti,duces quinque,quorum iſta ſunt nomina,Zuuentislan, Witislan, Heriman, Spoitiman, Moyslan, cum maxima multitudine ſibi rebellare nitentes,in fugam verterunt,& alios quidem occiderunt, alios vero in fluuio Fludaha* ſubmerſerunt. Qui autem euadere potuerunt,in ciuitate defecerunt. Deinde parte non modica illius prouinciæ depopulata, incolumes reuerſi ſunt. In hac expeditione Luitbertus Archiepiſcopus primatum tenuit. Hi verò,qui Karlmanno miſſi ſunt in auxilium,id eſt,Aran Epiſcopus,& Sigahardus Abbas Fuldenſis monaſterii, quamuis fortiter hoſtes premendo pugnaſſent, plurimis tamen ſuorum amiſſis cum magna difficultate regreſſi ſunt. Sed cùm Karlmannus cædes & incendia in Marahenſibus exercuiſſet, Zuentibald miſſo clam exercitu copioſo, Baioarios, qui ad tuendas naues in littore Hiſtri fluminis relicti fuerant,occupauit, & alios occidit, alios necauit in flumine,alios verò duxit captiuos; nullusque inde, niſi Embrico Radasbonæ ciuitatis Epiſcopus,cum paucis euaſit.

* al. Fuldaha.

Omne tempus æſtiuum grandinibus variisque tempeſtatibus pernoxium extitit.Nam grando plurimis locis fruges deuaſtauit, horrenda etiam tonitrua & fulmina pene quotidie mortalibus interitum minabantur, quorum ictibus prævalidis homines & iumenta in diuerſis locis exanimata, & in cinerem redacta narrantur. Domus quoq; ſancti Petri apud Wormatiam igne cœleſti conſumpta eſt, & muri penitus euerſi.Sed & terræmotus III.Non.Decemb.hora prima Magontinam conſumpſit ciuitatem. Rex autem diſpoſita Baioariorum regione, ad Franconofurt menſe Decemb.venit, ibiq; natale Domini celebrauit.

DCCCLXXIII.

Menſe verò Ianuario cum ſuis vndique venientibus de ſtatu regni ſui & vtilitate in loco ſupradicto placitum habere diſpoſuit,ibique, Domino fauente, eius bonitas magnifice demonſtrata eſt,& quorundam malitia illi inſidiantium denudata. Nam cùm VII.Kalend.Feb.curiam introiſſet, in præſentia illius & optimatum ſuorum,Epiſcoporum videlicet atq; Comitum,malignus ſpiritus Karolum filium eius minimum inuaſit,& grauiter vexauit, ita vt à ſex viris fortiſſimis vix teneri potuiſſet. Et quidem ſatis iuſte : qui enim Regem à Deo electum & ordinatum decipere voluit,ipſe deceptus eſt,& qui patri ſuo inſidioſe laqueos tendere conſiliatus eſt,ipſe in laqueos Diaboli incidit,quatenus ex ipſa vexatione diabolica diſceret,non eſſe conſilium contra Deum.Rex autem,& omnes, qui cum illo erant, vehementer contriſtati lachrymas fuderunt.Cumq; duceretur ad Eccleſiam, vt Epiſcopi pro eius ſanitate Domino ſupplicarent, nunc exili, nunc grandi voce clamitans, morſum ſe tenentibus aperto ore minabatur.Conuerſus igitur Rex ad æquiuocum ſuum,ait: *Videsne,ô fili,cuius dominio vos mancipatus tu & frater tuus,quando aduerſum me aliquid ſiniſtri machinari cogitatis? Modò intelligere poteris,ſi antea noluiſti,quod,iuxta veritatis ſententiam nihil opertum eſt,quod non reueletur.Confitere ergo peccata tua,& age pœnitentiam,& Deum humiliter poſtula,vt tibi relaxentur. Ego etiam,quantum in me eſt, indulgentiam tibi tribuo.* Idem verò Karolus poſt ſedatam infeſtationem diaboli, viua voce, multis audientibus,retulit ſe toties aduerſæ poteſtati traditum, quoties contra Regem conſpirationem iniiſſet.Karolus Galliæ tyrannus, paterna miſeratione depoſita, Karlmannum filium ſuum in diaconatus officio poſitum excæcari præcepit.

Exactis autem diebus quadrageſimæ, & hebdomada Paſchali finita, Rex de Franconofurt tranſiens in villa Biſeſtat prope Wormatiam placitum habuit, filioſq; ſuos Hludouuicum videlicet & Karolum,ad audiendum ſingulorum cauſas conſtituit, vt quicquid illi per ſe terminare non poſſent, patris iudicio reſeruarent. Vnde accidit, vt vndiq; conuenientium querimoniis legitimè terminatis, vnusquisq; cum gaudio rediret in ſua.Venerunt quoq; illuc Sigifridi Danorum Regis legati pacis faciendæ

ciendæ gratia inter illos & Saxones, & vt negotiatores vtriusq; regni inuicem transeuntes & mercimonia deferentes emerent & venderent pacifice. Quæ omnia Rex ex sua parte rata fore permisit. Quidam etiam de Alamannia nomine Berthrammus, qui superiori anno in Marahensibus Sclauis fuerat comprehensus, à Zuentibaldo dimissus, venit ad Regem, & legationem sibi ab eodem duce iunctam retulit, sicut prius iuramento constrictus se facturum esse pollicitus est.

Inde Rex circa Kalend. Maii Mogontiacum veniens, per alueum Rheni fluminis nauigio vectus Aquense palatium petiit, ibique cum suis secretum habuit colloquium, & Rorichum per obsides ad se venientem in suum suscepit dominium *. * for. hominium.

Deinde mense Augusto cùm apud vrbem Mediomatricorum generalem conuentum habuisset, Halbdeni frater Sigifridi Regis etiam suos ad eum nuntios misit, eadem postulans quæ frater suus postulauerat, videlicet vt Rex legatos suos ad fluuium nomine Egidoram, qui illos & Saxones dirimit, mitteret, & illi eisdem occurrentes pacem ex vtraque parte omni tempore stabilem confirmarent. Obtulerunt quoque iidem nuntii gladium Regi pro munere, aureum habentem capulum, obnixe flagitantes, vt Rex dominos suos, supradictos scilicet Reges, in loco filiorum habere dignaretur, & illi eum quasi patrem venerari vellent cunctis diebus vitæ suæ. Iurabant etiam iuxta ritum gentis suæ per arma sua, quod nullus deinceps de regno dominorum suorum, regnum Regis inquietare, aut alicui in illo læsionem inferre deberet. Quæ omnia Rex gratanter accepit, & postulata se facturum spopondit. Quibus in patriam reuersis, Rex per Alsatiam transiens, Argentoratum venit, ibique Rheno flumine transito, in Baioariam profectus est.

Eodem anno facta est fames valida per vniuersam Italiam atque Germaniam, & multi inedia consumpti sunt. Tempore verò nouarum frugum, noui generis plaga & prima in gente Francorum visa, Germanicum populum, peccatis exigentibus, non mediocriter afflixit. Nam vermes quasi locustæ, quatuor pennis volantes, & sex pedes habentes, ab Oriente venerunt, & vniuersam superficiem terræ instar niuis operuerunt, cunctaque in agris & in pratis viridia deuastabant. Erant autem ore lato, & extenso intestino, duosque habebant dentes lapide duriores; quibus tenacissimas arborum cortices corrodere valebant. Longitudo & grossitudo illarum quasi pollex viri: tantæque erant multitudinis, vt vna hora diei centum iugera frugum prope vrbem Mogontiam consumerent. Quando autem volabant, ita totum aerem per vnius milliarii spatium velabant, vt splendor Solis in terra positis vix appareret. Quarum nonnullæ in diuersis locis occisæ, spicas integras cum granis & aristis in se habuisse repertæ sunt. Quibusdam vero ad Occidentem profectis, superuenerunt aliæ, & per duorum mensium curricula pene quotidie suo volatu horribile cernentibus præbuere spectaculum. In Italia in pago Brixiensi tribus diebus & tribus noctibus sanguis de cœlo pluisse narratur.

Mense Iunio Hruodulfus quidam Nordmannus de regio genere, qui regnum Karoli prædis & incendiis sæpenumero vastauerat, classem duxit in regnum Hludouuici Regis, in comitatum scilicet Abdagi Regis, missisque nunciis præcepit habitatoribus loci illius tributa sibi soluere. Qui cum respondissent, se non debere tributa pendere, nisi Hludouuico Regi eiusque filiis, & se nequaquam in hoc negotio ei assensum esse præbituros; ille vehementer iratus, iurauit præ superbia, se cunctis maribus occisis, mulieres & paruulos cum omni substantia illorum, in captiuitatem esse ducturum, ignarus vindictæ, quæ eum de cœlo erat secutura. Statimque terram illorum ingressus, bellum aduersus eos instaurauit. Illi autem Dominum inuocantes, qui eos sæpius ab hostibus liberauit, hosti infestissimo armati occurrerunt, confertoque prælio ipse Hruodulphus cecidit primus, & cum eo octingenti viri. Cæteri vero cum ad naues effugere non potuissent, in quodam ædificio se tutati sunt, quod Frisiones obsidentes conferebant ad inuicem se quid de eis facere debuissent. Cumq; diuersi diuersa dixissent, vnus Nordmannus, qui Christianus effectus longo tempore cum eisdem Frisionibus conuersatus est, & eiusdem certaminis dux erat, cæteros hoc modo affatus est: *O boni commilitones, sufficit nobis huc vsque pugnasse, quia quod modo*

nos paucicontra plurimos prævaluimus hostes, non nostris deputandum est viribus, sed Dei gratiæ. Scitis etiam quod oppido lassi sumus, & plurimi nostrum graviter vulnerati; isti autem, qui hic intus latitant, in desperatione positi sunt. Si contra eos pugnare cœperimus, non eos sine cruenta obtinebimus victoria: si autem illi fortiores extiterint (varius enim euentus est prælii) forsitan nobis expugnatis securi discedent iterum nocituri. Consultius ergo mihi videtur, vt obsides ab eis accipiamus, & quosdam ex illis inlæsos abire patiamur ad naues, & obsides interim retineamus, donec mittant vniuersam pecuniam quam in nauibus retinent: prius tamen præstito sacramento, ne vltra in regnum Hludouuici regis redeant. Huius itaque consilio cæteri assenserunt, & obsidibus acceptis quosdam ad naues ire permiserunt. Illi autem miserunt pecuniam valde multam, & obsides quos dederant receperunt: prius tamen (vt dixi) præstito sacramento ne vltra in regnum Hludouuici Regis redirent. ac deinde cum magnâ cõfusione ac suo detrimento etiam sine duce, à finibus illis discesserunt.

Mense Nouemb. Agathon Archiepiscopus Basilii Græcorum Imperatoris legatus, ad renouandam pristinam amicitiam cum epistolis & muneribus ad Hludouuicum Regem Radasbonam venit. Quem Rex honorifice suscepit & absoluit. Trachulfus comes & dux Sorabici limitis mense Augusto defunctus est.

DCCCLXXIIII.

Hyems aspera nimis & solito prolixior, nix quoque immensa à Kalen. Nouemb. vsq; in æquinoctium vernale sine intermissione cadens, magnum hominibus fecit impedimentum siluas petere, lignaque colligere. Vnde accidit, vt non solum animalia, verumetiam homines plurimi frigore perirent. Sed & Rhenus & Mœnus glaciali frigore constricti, longo tempore se sub vestigiis incedentium calcabiles præbuerunt. Sorabi & Siusli, eorumq; vicini, Thaculfo defuncto defecerunt. Quorum audaciam Luitbertus Archiepiscopus & Ratolfus Thaculfi successor vltra Salam fluuium mense Ianuario profecti, prædis & incendiis sine bello compresserunt, & eos sub pristinum seruitium redegerunt.

Eodem mense Hludouuicus iunior apud sanctos Marcellinum & Petrum cum quibusdam patris sui consiliariis secretum habuit colloquium, quod Regem de Baioaria traxit in Franciam. Venit enim circa Kalend. Februar. ad Franconofurt, ibique de concordia & statu regni cum fidelibus suis consiliatus est. Diebus autem Quadragesimæ cum negotiis sæcularium rerum depositis, orationi vacaret, vidit quadam nocte in somnis genitorem suum Hludouuicum Imperatorem in angustiis constitutum, qui eum hoc modo Latino affatus est sermone: *Adiuro te per Dominum nostrum Iesum Christum, & per trium maiestatem, vt me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, vt tandem aliquando vitam possim habere æternam.* Hac ergo visione perterritus epistolas per cuncta regni sui monasteria destinauit, obnixe postulans, vt animæ in tormentis positæ suis apud Dominum precibus interuenirent. Vnde datur intelligi, quod quamuis memoratus Imperator multa laudabilia & Deo placita fecisset, plurima tamen legi Dei contraria in regno suo fieri permisit. Si enim (vt cætera omittam) hæresi Nicolaitarum firmiter & virilliter restitisset, & monita Gabrielis Archangeli, quæ Einhardus Abbas duodecim capitulis comprehensa ei obtulit legenda & facienda, obseruare curasset, forsitan talia non pateretur. Sed quia (vt scriptum est) Deus nullum peccatum dimittit impunitum, & iuxta Apostolum, Non solum qui id faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte; merito pœnas luere visus est, qui dum potuit, sibi commissorum errata vel admonitus corrigere noluit.

Rex autem Hludouuicus in hebdomada Paschali Fuldense monasterium petiit causa orationis, & inde reuersus generalem habuit conuentum in villa Tribure. Inde in Italiam per Alpes Noricas transiens, cum Hludouuico nepote suo & Ioanne Romano Pontifice, haud procul ab vrbe Verona, colloquium habuit. Indeq; rediens cum Karlmanno & Hludouuico filiis suis in villa Foraheim locutus est: Ibiq; legatos Zuentibaldi pacẽ petentes & fidelitatem promittentes suscepit. Cuius legationis princeps erat Iohannes presbyter de Venetiis, qui etiam, vt ei Rex omni ambiguitate remota crederet, quicquid verbis dicebat, sacramento firmabat, videlicet vt

Zuentibald

Zuentibald Regi fidelis permaneret cunctis diebus vitæ suæ, & censum à Rege constitutum per annos singulos solueret, si ei tantummodo quietè & pacificè à Rege viuere concederetur. Behemorum quoq; nuntia Rex audiuit & absoluit, & post hæc in Baioariam se recepit.

Mense autem Iulio de Baioaria venit ad Franconofurt: & inde post paululum transiens, apud villam Biburg conscensis nauibus ad Aquasgrani palatium perrexit, exactoq; ibi tempore non modico, tandem mense Decembri cum fratre suo Karolo habita collocutione apud sanctum Lantbertum, rediit in Franciam, venitq; Mogontiacum XIII. Kalen. Ianuar. & inde ad Franconofurt, ibiq; natalem Domini celebrauit.

Hoc anno fame & pestilentia per vniuersam Galliam & Germaniam grassantibus, penè tertia pars humani generis consumpta est. Hemma quoque Regina morbo paralysi correpta vsum loquendi amisit.

DCCCLXXV.

Rex Hludouuicus hyemanit in Franconofurt, & post Pascha perrexit in Baioariam inuisere Reginam. Inde rediens circa Kal. Iunii venit ad Tribure, ibiq; generale placitum habuit. Tunc inter Francos & Saxones seditio non modica exorta est, & nisi Hludouuicus iunior citius cum suis interueniisset, iam districtis gladiis mutua se cæde truncassent. Stella cometes VIII. Id. Iunii, in Aquilonali parte, prima hora noctis apparuit, plus solito scintillans comasq; spargens, rem stupendam, imo lugendam, quæ citò secuta est, sua apparitione præmonstrans; quamuis adhuc peccatis nostris exigentibus, grauiora significare timeatur. Nam villa quædam in pago Nitense Asgabrunno, à fluminibus & torrentibus longè remota, subitanea imbrium inundatione penè deleta est, & octuaginta octo homines vtriusq; sexus in ea deleti. Dū enim homines eiusdem loci v. Non. Iul. dormitum issent, nihil mali suspicantes, tanta pluuia vno momento cœlitus lapsa est, vt omnes vineas & arbores quas tangebat in eadem villa radicitus extirparet, ædificia funditus euerteret, iumenta & animalia cum omnibus quæ in domibus erant perditioni traderet. Ecclesia quoq; eiusdem villæ cum suo altari ita deleta est, vt modo cernentibus nullum suæ constructionis præbeat indicium. Erat autem ibi videre misera. Nam cùm fœminæ liberis, & viri coniugibus manum porrigentes subuenire niterentur, impetu aquarum rapti, vna cum eis, quibus auxilio esse volebant, extincti sunt. Sed & cadauera longo tempore tumulata, vi aquarum de sepulchris soluta, cum vasculis quibus inerant, in terminis alterius villæ reperta sunt.

Mense Augusto Rex Hludouuicus cum filiis & fidelibus suis colloquium habuit in villa Tribure. Interea Hludouuicus Italiæ Imperator obiit: cuius corpus trāslatum Mediolani, in basilica sancti Ambrosii sepultum est. Quod cùm Karolus Galliæ tyrannus comperisset, ilico regnum Italiæ inuasit, & omnes thesauros, quos inuenire potuit, vnca manu collegit. Vnde Hludouuicus Rex iratus, Karlmannum cum exercitu per Baioariam destinauit in Italiam: Ipse verò, iuncto sibi æquiuoco suo, cum manu valida regnum Karoli ingressus est, vt eum de Italia exire compelleret. Exercitus autem, qui Regem sequebatur versus ad prædam, cūcta quæ inuenit, diripuit atq; vastauit. Karolus verò audito Karlmanni aduentu in Italiam, primò clausis Alpium se defendere nititur, sed nihil proficit. Carlmannus enim loca accessu difficilia cum suis præoccupauit. Ille autem dum negotium ferro decernendum timuisset (est enim lepore timidior) ad calliditatem solitam conuertitur. Nam aurum & argentum gemmasq; pretiosas infinitæ multitudinis Carlmanno obtulit, vt eum sibi placare, & à paterna fidelitate segregare potuisset: iurauitq; se de Italia cito exiturum, & Hludouuici fratris sui iudicio illud regnum disponendum seruaturum, si Karlmannus inde discederet. Quo inde discedente, & promissionibus illius credente, ille quæcunq; pollicitus est, mentitur, & quanta potuit velocitate Romam profectus est, omnemq; senatum populi Romani pecunia more Iugurthino corrupit, sibiq; sociauit, ita vt etiam Iohannes Papa votis eius annuens, corona capiti eius impolita, eum Imperatorem & Augustum appellare præcepisset. Qualiter autem regnum illud postea cum suis disposuerit, qualiterve cum thesauris, quos tulerat, in regnum suum

CAROLVS II. Imp.

redierit, quantasque cædes & incendia in itinere exercuerit, quia certum non habui latorem, scribere nolui. Melius est enim tacere, quàm falsa loqui.

DCCCLXXVI.

Hludouuicus Rex misericordia motus, multorumque precibus exoratus, ne Galliæ regionem propter Karoli stultitiam perderet, in regnum suum mense Ianuario rediit, venitque Magontiacum post Epiphaniam, & inde ad Franconofurt, ibiq; cum suis sequenti mense colloquium habuit. Similiter mediante quadragesima fecit. Hemma Regina apud Radasbonam Baioariæ ciuitatem obiit, sepultaque est in Ecclesia sancti Emmerammi martyris. Frisiones qui vocantur Occidentales cum Normannis dimicantes victores extiterunt, omnesque thesauros, quos Normanni plurima loca spoliando congregauerant, abstulerunt atque inter se diuiserunt. Karolus Rex de Italia in Galliam rediens, nouos & insolitos habitus assumpsisse perhibetur. Nam talari Dalmatica indutus, & baltheo desuper accinctus pendente vsque ad pedes, nec non capite inuoluto serico velamine, ac diademate desuper imposito, dominicis & festis diebus ad Ecclesiam procedere solebat. Omnem enim consuetudinem Regum Francorum contemnens, Græcas glorias optimas arbitrabatur. Et vt maiorem suæ mentis elationem ostenderet, ablato Regis nomine, se Imperatorem & Augustum omnium Regum cis mare consistentium appellari præcepit. Plurima etiam incredibilia se contra Hludouuicum Regem & regnum illius facturum esse minatus est. Denique inter cætera iactantiæ suæ verba, dixisse fertur, se tantam multitudinem de diuersis locis congregaturum, vt Rheno flumine ab equis exhausto, ipse per aridum alueum eiusdem fluminis esset transiturus, totumque Hludouuici regnum vastaturus. Cuius minæ facillime sedatæ sunt. Nam Hludouuico suum exercitum congregante, ille timore perterritus legatos misit, pacemque petiit. Cumq; nuntii ex vtraque parte sæpius directi eos pacificare studuissent, Hludouuicus ægrotare cœpit, & crescente quotidie infirmitate, v. Kalend. Septemb. in palatio Franconofurt diem vltimum clausit. Cuius corpus transtulit æquiuocus illius, & in monasterio S. Nazarii, quod dicitur Lauresham, honorifice sepeliuit.

Karolus vero Hludouuici morte comperta, regnum illius cupiditate ductus inuasit, & suæ ditioni subiugare studuit, existimans se (vt fama vulgabat) non solum partem regni Hlutharii, quam Hludouuicus tenuit, & filiis suis vtendam dereliquit, per tyrannidem posse obtinere, verumetiam cunctas ciuitates regni Hludouuici in Occidentali littore Rheni fluminis positas suo regno addere, id est, Mogontiam, Wormatiam, & Nemetum, filiosque fratris per potentiam opprimere, ita vt nullus ei resistere vel contradicere auderet. Primum igitur Aquense palatium petiit, & inde cum omni exercitu suo profectus in Colonia Agrippinensi concedit. Missis etiam prius legatis ad optimates Hludouuici, vt proprium dominum desererent, & ad se venirent, venientibus quidem plurima beneficia ac dona promittens, aliter vero facientibus, rerum sæcularium priuationem, vel exterminium minitans. Cui Hludouuicus qui patri in illis locis hæres successerat, cum paucis occurrit, & in Aquilonali ripa Rheni fluminis castra sua posuit, suorum operiens aduentum. Misitque interea nuncios ad Karolum dicens: *Cur ascendisti ad bellandum contra me? quandoquidem nec exteris gentibus bellum est antiquo* populo penitus inferre præceptum, *nisi pacem oblatam respuerint. Reuertere quæso pacifice in regnum tuum, & esto contentus gloria tua, & noli regnum nobis à genitore nostro iure hæreditario derelictum, more tyrannico inuadere, & iura propinquitatis, quæ inter nos naturaliter existunt, huiusce modi factionibus violare. Memento etiam sacramentorum tuorum, quæ patri meo non semel neque bis præstitisti; simulque considera periculum Christianæ plebis, si in hac pertinacia irreuocabiliter persistere volueris. Esto, forsitan confidis in multitudine exercitus tui, quem de diuersis locis conduxisti, & ideo bella mouere te delectat. Quare ergo non cogitas, quia apud Deum impossibile non est liberari in multitudine vel in paucis? Refrena igitur animum tuum ab huiusmodi appetitu, quoniam ea quæ peragere arbitraris, qualem exitum habeant, penitus ignoras.*

* for. alicui.

Sed cũ ille his & aliis similibus rationabiliter cõuentus, nullo modo assensum prębere voluisset, stimulãte auaritia, Hludouuicus quadam nocte se subtraxit de castris, & Rheno

& Rheno flumine transito, in castello Anternaco cum suis consedit, dispersusq; est per diuersa loca omnis pene exercitus illius ad colligenda equorum pabula. Ille verò iterum nuncios ad Karolum destinauit, pro pace inter eos componenda. At Karolus pacem simulans,& fraudem in corde meditans,se paci consensurum & legatos ad Hludouuicum missurum pro communi vtilitate,subdola falsitate promisit.In eadem enim nocte cum omni exercitu suo properauit,vt Hludouuicum cæteris extinctis comprehenderet,ac sedes luminum illius euacuaret,postea regnum illius, quasi nullo resistente, possessurus. Willibertus autem Coloniæ Agrippinæ ciuitatis Episcopus,Karoli fraudulenta consilia intelligens, cæteris trepidantibus eum constanter adiit,obnixè postulans,ne ita ferociter ac barbarè faceret erga nepotem, ea quæ pacis sunt sectantem.Sed cùm eum à praua voluntate reuocare non potuisset, quendam presbyterum suum nomine Hartuuigum per compendiorem viam destinauit, & Hludouuico præparatas insidias,& ipsius Karoli insinuauit aduentum.Qui statim lorica indutus, & totam fiduciam suam in Domino ponens, cum paucis qui secum erant (dispersos enim congregare non poterat) Karolo viriliter occurrit, iussitq; omnes ex sua parte candidis vti vestibus,pro signo cognoscendæ societatis. Saxones autem, quoniam prima fronte contra hostes positi erant, primum iniere certamen, sed multitudine aduersariorum territi, parumper terga verterunt. Franci autem Orientales ex vtraque parte fortiter repugnantes, ac signiferis Caroli occisis, cæteros fugere compulerunt. Quos Hludouuicus persecutus strages non paucas dabat. Plurimos etiam ex optimatibus Karoli viuos comprehendit, quos propter suam humanitatem seruari iussit incolumes. Karolus verò turpiter fugiens, relictis thesauris, quos secum habebat,cum paucis pene nudus euasit. Hi autem,qui cum Hludouuico erant, reuersi ad cæsorum spolia detrahenda, quantas ibidem prædas in auro & argento,& vestibus,& armis, & loricis, & equis variaq; supellectile tulissent, nullus valet edicere. In hoc certamine contra Karolum proculdubio cœlitus dimicatum est.Nam (sicut captiui inde adducti narrare solebant) apparente Hludouuico & his, qui cum eo erant, tantus timor omnem Karoli exercitum inuasit, vt prius se victos putarent,quàm ad pugnam venirent; Et (quod maioris est admirationis) equorum latera, quibus insidebant calcaribus tundebant & cruentabant;sed illi,quasi ad stipitem ligati immobiles permanebant. Armis quoq; suis pugnabant, sed paucos vulnerabant. Acies enim armorum,quasi retusæ essent,neminem penitus lædebant. Hæc in VIII. Id. Octobr. contra nouellum Sennacherib gesta sunt,vt qui prius propter mentis elationem Deum cognoscere noluit, modo victus & confusus intelligat, quod non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est, & aliquando auaritiæ & superbiæ suæ modum imponat.Hludouuicus post fugam Karoli ad palatium Aquisgrani perrexit,& dispositis,prout voluit,his quæ ad se pertinere videbantur,cum triumpho ad Franconofurt rediit.

Sequenti autem mense Karlmannus & Hludouuicus atque Karolus Ludouuici Regis filii in pago Recensi conuenientes,paternum inter se regnum diuiserunt, & sibi inuicem fidelitatem seruaturos esse sacramento firmauerunt. Cuius sacramenti textus Theutonica lingua conscriptus,in nonnullis locis habetur*.

* apud Nithard. lib. 3.

DCCCLXXVII.

Hludouuicus Rex mense Ianuario generali conuentu habito apud Franconofurt,quos de regno Karoli tenuit captiuos remisit in Galliam. Sclaui (qui vocantur Linones & Siusli) eorumq; vicini defectionem molientes, solitum dare censum renuunt. Quos Hludouuicus Rex missis quibusdam fidelibus suis circa mediam quadragesimam sine bello compressit,acceptisq; obsidibus nonnullis & muneribus non paucis,eos sub pristinum redegit seruitium.

Karolus Galliæ tyrannus,æstiuo tempore cum exercitu Italiam petiit, & Ticini residens magnoperę nisus est, qualiter Karlmanno illuc aduentanti aditum denegaret in illam prouinciam.Carlmannus verò cum manu valida Noricorum diuersorumq; Sclauorum Italiam ingreditur,contra Carolum dimicare volens. Quòd cùm Carolus comperisset,ilicò(iuxta consuetudinem suam) fugam iniit. Omnibus enim diebus vitæ suæ vbicunq; necesse erat aduersariis resistere; aut palam terga vertere,

aut clam militibus suis effugere solebat. & in eodem itinere dysenteriæ morbo correptus, cum magna periit tristitia. Cuius corpus cùm sui satellites ad sepulturam, quam ipse sibi apud sanctum Dionysium parauerat, transferre voluissent, propter nimium fœtorem putidi cadaueris, quo grauabatur exercitus, in Burgundia in quodam monasterio sepelierunt.

Karlmannus optimates Italiæ ad se venientes suscepit, & disposita, prout voluit, regione, reuersus est in Baioariam. Hludouuicus Rex partem regni Hlutharii cum fratribus Karlmanno & Karlo æqua lance diuidit. Hludouuicus Karoli Regis filius timore perterritus propter iniurias à patre suo Regi illatas, legatos ad eum dirigit, pacem postulat, & se de omnibus, quæ contra eum genitor suus gesserat, excusare nititur. Cuius legatos Rex audiuit & absoluit. Post hæc Aquense palatium petiit, ibique natalem Domini celebrauit.

In hoc anno febris Italica, dolorq; oculorum Germanicum populum grauiter vexauit, maxime circa Rhenum habitantes. Pestilentia quoq; ingens secuta est exercitum Carlmanni de Italia redeuntem, ita vt plurimi tussiendo spiritum exhalarent.

DCCCLXXVIII.

Mense Ianuario Rex Hludouuicus de Aquis transiens venit ad Franconofurt, & ibi sequenti mense cum suis colloquium habuit, Karlmannus partem regni Hlutharii, quam priori anno à fratribus sibi retinendam acceperat, Hludouuico reddidit. Hludouuicus Rex à diebus quadragesimæ vsq; ad mensem Maium moratus est in villa regia quæ vocatur Salz, & inde transiens apud Franconofurt generalem habuit conuentum, missisq; nunciis ad fratrem suum Carolum, partem regni Hlutharii, quam à Karlmanno acceperat, cum eo diuidit.

Lantbertus Witonis filius, & Adalbertus Bonifacii filius Romam cum manu valida ingressi sunt, & Iohanne Romano Pontifice sub custodia retento, optimates Romanorum fidelitatem Karlmanno sacramento firmare coegerunt. Quibus inde discedentibus idem Pontifex domum sancti Petri ingressus, omnes thesauros quos ibi repperit, ad Lateranis transtulit, & altare sancti Petri cilicio cooperuit, & cuncta ostia eiusdem Ecclesiæ clausit, nullumq; ibi officium ad Dei cultum pertinens per plures dies celebratum est, & (quod dictu nefas est) omnibus vndiq; illuc causa orationis conuenientibus negabatur introitus, erantq; ibi omnia confusa. Memoratus autem Pontifex conscensis nauibus per mare Tyrrenum regnum Caroli intrauit, ibiq; per totum pene moratus est annum. Tandem assumpto Bosone Comite, qui propria vxore veneno extincta filiam Hludouuici Imperatoris de Italia per vim rapuerat, cum magna ambitione in Italiam rediit, & cum eo machinari studuit, quo modo regnum Italicum de potestate Carlmanni auferre, & ei tuendum committere potuisset.

Rex Hludouuicus ad Aquas in mense Octobri perrexit, & cum æquiuoco suo Caroli Regis filio haud procul inde colloquium habuit. Eclipsis Lunæ facta est III. Id. eiusdem mensis vltima hora noctis. Sol quoq; in IIII. Kal. Nouemb. post horam nonam ita obscuratus est per dimidiam horam, vt stellæ in cœlo apparerẽt, & omnes sibi noctem imminere putarent. Boum pestilentia in Germania immanissime grassata est, maxime circa Rhenum. Quam cladem non mediocris hominum mortalitas secuta est. Villa quædam in Wormacense haud procul à palatio Ingileheim sita est, nomine Walahesheim, vbi res miranda contigit. Nam dum animalia mortua quotidie de domibus traherentur in agros, canes, qui in eadem villa erant, iuxta morem suum eadem cadauera laniando comederunt. Quadam vero die pene vniuersi, in vnum locum congregati inde discesserunt, ita vt nullus eorum postea neq; viuens neq; mortuus inueniri potuisset.

DCCCLXXIX.

Hludouuicus Rex natale Domini celebrauit in Forahheim, inde in Baioariam profectus est inuisere Karlmannum, qui graui detinebatur infirmitate. Nam paralysi morbo correptus vsum loquendi amisit. Ibiq; optimates eiusdem regionis ad se venientes suscepit, ea videlicet ratione, vt post obitum Karlmanni nullum alium super se regem susciperent, vel regnare consentirent. Inde transiens Pascha celebrauit in Franconofurt.

Ludouui-

Ludouuicus Caroli regis filius III. Id. April. apud Compendium obiit palatium, ibique sepultus est. Quod cum Rex comperisset, cum magno exercitu in Galliam perrexit, venitq; vsq; Viridunum. Exercitus autem qui eum sequebatur, quoniam à ciuibus illis sibi victui necessaria iusto pretio emere non potuisset, versus est ad prædam, & pene vniuersam depopulatus est ciuitatem. Rex vero missis quibusdam fidelibus suis vltra Mosam fluuium ad optimates regionis illius, reuersus est in Franciam, venitq; Mogontiacum, & inde ad Franconofurt, ibiq; Erambertum Comitem de Baioaria aliosque nonnullos ad se venientes suscepit, quos Arnolt propter quandam dissensionem inter Karlmannum patrem suum & eos factam, publicis priuauit honoribus, & de regno expulit. Horum causa Rex in Baioariam profectus, dissidentes aliquo modo ad concordiam reuocauit, & eis pristinam restituit dignitatem. Quod quorundam offendit animos, quasi Rex iuramenti sui præuaricator existeret. Quod aliter intelligunt qui eiusdem iuramenti sunt conscii. Nam Karlmannus qui prior natu erat, primus inter fratres se iuramento constrinxit, & omnia quæ in illo continentur sacramento, se seruaturum esse promisit. Deinde Hludouuicus eodem tenore iurauit, ea tamen videlicet ratione vt si Karlmannus ea quæ promisit, inuiolata seruaret, ipse eadem ex sua parte rata custodiret. Sed quoniam Karlmannus in diuisione regni Longobardorum, iuramentum suum irritum duxit, Hludouuicum proculdubio à suo iuramẽto reddidit immunem: & idcirco crimine periurii nõ tenetur obnoxius. Karlmannus autem tandem Hludouuicũ ad se accersiuit, & quoniam loqui non poterat, ei seipsum & vxorem & filium vniuersumq; regnum scripto commendauit. Cui Rex Episcõpatus & Abbatias & Comitatus ad seruitium delegauit; & disposita, prout voluit, regione, rediit in Franciam. *HLVDOVVICVS III. Imper.*

Interea Hugo Hlutharii ex Waldrada filius tyrannidem in Gallia exercebat. Contra quem Rex quosdam fideles suos destinauit, vt eum inde expellerent. Qui venientes nonnullos ex hominibus illius in quodam castello iuxta Viridunum obsederunt, & castello potiti alios quidem occiderunt, alios vero in exilium miserunt, alioscq; etiam capillis & cute detracta, cum magna confusione inde expulerunt, & castellum destruxerunt.

DCCCLXXX.

Hiems aspera & solito prolixior. Nam Rhenus & Mœnus fluuii glaciali rigore constricti longo tempore se calcabiles præbuerunt. Rex Hludouuicus natale Domini celebrauit in Franconofurt, postea in Galliam profectus, filios Hludouuici ad se venientes suscepit, totumq; regnum Hlutharii suæ ditioni subiugauit. Inde ad expugnandos Nordmannos qui in Scalta fluuio longo tempore resederunt, conuertit exercitum, initoq; certamine, plusquam v. millia ex eis prostrauit. In quo prælio Hugo filius regis occubuit. In Saxonia cum Nordmannis infeliciter dimicatum est. Nam Nordmanni superiores existentes duos Episcopos, quorum ista sunt nomina, Thiotrih & Marcuuart; & duodecim Comites his nominibus appellatos, Brun Ducem & fratrem Reginæ, Wigmannum, Bardonem, alterum Bardonem, & tertium Bardonem, Thiotherium, Gerricum, Liutolfum, Folcuuartum, Auan, Thiotricum, Liutharium, cum omnibus qui eos sequebantur, occiderunt. Præterea XVIII. satellites regios cum suis hominibus prostrauerunt, quorum ista sunt nomina; Aderam, Alfuuini, Addasta, Aida, Alcer, Aida, Dudo, Bodo, Wal, Adaluuini, Werinhart, Thiotrich, Ailuuart: exceptis innumerabilibus, quos in captiuitatem duxerunt.

Rex vero de Gallia rediens in Franciam Pascha celebrauit in Francofurt. Sclaui (qui vocantur Dalmatii, & Behemi, atque Sorabi, cæterique circumcirca vicini audientes stragem Saxonum à Nordmannis factam, pariter conglobati, Thuringos inuadere nituntur, & in Sclauis circa Salam fluuium Thuringis fidelibus prædas & incendia exercent. Quibus Poppo Comes & dux Sorabici limitis occurrit, & diuino auxilio fretus eos prostrauit, vt nullus de tanta multitudine remaneret. Karlmannus frater Hludouuici & Karoli XI. Kal. April. obiit.

Hludouuicus mediante mense Augusto apud Wormatiam cum suis collo-

quium habuit,& quoſdam ex fidelibus ſuis obuiam legatis nepotum ſuorum ad villam Gundolfi tranſmiſit, quoſdam etiam contra Hugonem tyrannidem exercentem in Galliam deſtinauit. Heinricus vero & Adalbertus & cæteri qui cum eis erant,cum Thiotbaldo principe militiæ Hugonis qui robur exercitus ſecum habebat,iniere certamen,& ceciderunt multi ex vtraque parte vulnerati: in quo conflictu Heinricus cruentam obtinuit victoriam. Cumq; illi qui de villa Gundolfi,& illi qui de prælio reuerſi fuerant, in vnum conueniſſent, pari intentione cum filiis Hludouici contrà Boſonem in Galliam pugnaturi perrexerunt, & Madaſconam vrbem expugnantes, Bernardum,qui in ea principatum tenebat,in deditionem accipiunt. Buoſo vero fugiens vltra Rodanum fluuium in vrbe Vienna ſe tutatus eſt. Nordmanni in Gallia prædas & incendia exercent,& inter plurima loca & monaſteria quæ depopulati ſunt, etiam Baiorzuna, vbi pars maxima Friſionũ habitabat, incendio concremarunt; & inde reuertentes Nouiomagum vallo firmiſſimo,& muris circundantes,hyemandi ſibi locum in palatio regis parauerunt. Quibus Rex Hludouuicus cum manu valida occurrit, & propter hyemis aſperitatem,& loci firmitatem,rebus parum proſpere geſtis,reuerſus eſt.

Hoc anno in Wormacenſe,& in Nitenſe,& in plurimis locis regni Hludouuici ſterilitas frugum & omnium rerum penuria Germanicum populum non mediocriter afflixit.

DCCCLXXXI.

Hybernum tempus valde prolixum fuit,& animalibus diuerſi generis pernoxium. Nam tellus verno tempore glaciali rigore conſtricta,animalibus ſolita negauit paſcua,& illa fame & frigore maxima ex parte perierunt, etiam propter ſterilitatem anni prioris.

Rex poſt Paſcha in Galliam profectus, Hugonem Hlutharii ex Waldrata filium ad ſe venientem in ſuum ſuſcepit dominium, * & ei Abbatias & Comitatus in beneficium dedit, vt ei fidem ſeruaret. Sed ille prauorum vſus conſilio,fidem mentitus Regi moleſtus efficitur. Quapropter regis exercitus illum perſecutus in Burgũdiam fugere compulit,Rex vero cum ſuo nepote Hludouuico apud villam Gundolfi congruum habuit colloquium. Inde tranſiens omne tempus æſtiuum in Baioaria moratus eſt. Nepos vero illius cum Nordmannis dimicans,nobiliter triumphauit. Nam nouem millia equitum ex eis occidiſſe perhibetur. At illi inſtaurato exercitu & amplificato numero equitum,plurima loca in regione regis noſtri vaſtauerunt,hoc eſt,Cameracum,Traiectum,& pagum Hasbanicum,totamque Ripuariam,præcipua etiam in eis monaſteria,id eſt,Prumiam,Indam,Stabulam,Malmundarium & Aquenſe palatiũ, vbi in capella Regis equis ſuis ſtabulum fecerunt. Præterea Agrippinam Coloniam & Bunnam ciuitates cum Eccleſiis & ædificiis incenderunt. Qui autem inde euadere potuerunt,ſiue canonici ſiue ſanctimoniales, Mogonciacum fugerunt, theſauros Eccleſiarum & ſanctorum corpora ſecum portantes.

* ſor. homitium.

Rex apud Franconofurt graui infirmitate laborabat, & quia ipſe non potuit, exercitum ſuum contra Nordmannos deſtinauit. III. Kal. Ianuarii ante galli cantum Magonciæ terræ motus factus eſt magnus, ita vt ædificiis conquaſſatis, vaſa fictilia (ſicut compoſitores luti fatebantur) inuicem ſe conlidentes frangerentur.

DCCCLXXXII.

Stella cometes X V. Kal. Febr. prima hora noctis apparuit,comas ſuas ſupra modum ſpargens,& rem infauſtam (quæ cito ſecuta eſt) ſua apparitione præmonſtrans. Nam Hludouuicus inualeſcente morbo X III. Kal. Decemb. diem vltimum clauſit, cuius corpus translatum, & in monaſterio ſancti Nazarii,quod dicitur Lauresham, iuxta patris ſui tumulum ſepultus eſt. Quod audiens exercitus qui contra Nordmannos fuerat miſſus, ab expugnatione hoſtium deſiſtens, infecto negotio rediit. Quorum Nordmanni inde tranſeuntium veſtigia ſecuti, cætera quæ prius dimiſerant,incendio cremauerunt vſq; ad Confluentem caſtellum, vbi Moſella Rhenum ingreditur. Murus Magonciæ ciuitatis reſtaurari cœptus,& foſſa murũ ambiens extra vrbem facta. Nordmanni de ſua munitione egreſſi, Treuerenſem vrbem inua-

ſerunt

serunt,& habitatoribus vrbis partim expulsis,partim occisis totam in Non. April. incenderunt. Quibus Walah Mettensis Episcopus incaute cum paucis occurrens occisus est. Nordmanni ereptis quas poterant rebus omnibus,ac quam pessime & visui horribilior erat, quibusdam locis & Ecclesiis dimissis, quibusdam concrematis,reuersi sunt in suam munitionem,quæ circumsepta constabat secus littus Mosę fluminis loco qui dicitur Ascloha,de Rheno milliar. XIIII.

Karolus quippe cum audisset obitum fratris sui maioris,de Italia iam Imperator factus per Baioariam iter suum in Franciam direxit,placitum generale ad Wormatiam tenuit,receptis primoribus & regno fratris sui mense Maio. Post hæc præparatis copiis ex omni regno suo, Longobardis, Alamannis, Franciscque secum assumptis, ille ex occidentali parte contra Nordmannos, Baioarii ex orientali Rheni fluminis vsq; ad Antrinacha, tandem se transmiserunt : ibi diuiso exercitu Baioarii cum principe eorum Arnolfo, Franci cum Heimrico missi manu cum valida ante Regem & exercitum,vt quasi incautos & inæstimantes quandam partem inimicorum extra munitionem inuenirent & insidiis caperent,secundum illum nobilissimi poetæ versum volentes: CAROlus III. Imper.

Quid moror vtrum armis contingat palma, dolisue?

Et ita factum foret,ni nostri muneribus corrupti (vt fama refert)de parte Francorum proditores essent & impedirent. Sed tamen paucis occisis, reuersi sunt ad Regem. Redeuntibus illis, alio Rex arrepto itinere cum omni exercitu fines & munitionem Nordmannorum ipsis cum eorum regibus, id est, Sigifrido & Godefrido, principibus Wrm,Halsintus inclusis occupauit : castra exercitus in circuitu prope ciuitatem fieri præcepit, sicq; per dies XII. obsessam constrinxit.Mira itaque res & stupenda obsidentibus & obsessis quadam die occurrit. Nam XII. Kalen.Augusti post medium diem tenebrosa subito caligo tota castra operuit,fulgure & tonitrũ cõcrepante,& talis grando, vt nullus antea mortalium se tale quid vidisse profiteretur: non (vt solitum est) lapides descendere plana & æquali superficie,sed cornuta & inæquali & aspera facie, omnibus cernentibus insolitum & magnum præbuit spectaculum.Mirabile & incredibile dictu,vt vix grossitudo eorum potuerit pollice &medio circumdari. Nam & ita equi stupefacti fuerunt,vt effractis sudibus & habenis, partim extra castra,partim in castris errore & stupore versarentur. Ciuitatis quoque quam obsederant, propter impetum aeris,magna pars corruit,ita vt vna cohors coaceruatim posset equitando ingredi, nisi vallo quod circumierat, suspensa constaret. Igitur per tot dies obsidens tam magnus exercitus æstiuo in tempore propter putredinem cadentium hominum ægritudine correptus ac pertæsus est. Nec minus inclusi simili molestia premebantur. Consultum est ex vtraque parte, vt datis ex nostra parte obsidibus, Sigifridus Rex qui manu validior erat, veniret extra munitionem supra V I.milliaria ad Regem. Primum iuramento contestatus est,quod ex illa hora,& vltra vsque dum Karolus Imperator viueret,nunquam in suum regnum hostili prædatione esset iturus: dehinc Christianitatem professus,ipsum Imperatorem patrem in baptismate acquisiuit. Duos ibi dies læti insimul versabantur, cum remissis nostris obsidibus de munitione, ipse econtrario cum maximis muneribus remissus est ad sua. Munera autem talia erant. In auro & argento bis mille libræ & LXXX.vel paulo plus,quam libram per XX.solidos computamus expletam. Ita compositis rebus regrediens , etiam Rex in Confluente castello cuncto exercitui amabilem licentiam redeundi concessit. Ciuile bellum inter Saxones & Thuringos exoritur,machinãtibus Poppone fratre Heimrichi & Eginone Comitibus.Magna post clade Poppo cum Thuringis inferior extitit.

In illis diebus redeuntibus Baioariis domum, magna & immanis pestilentia in tota Norica excreuit,vt sæpe duo cadauera in vnum tumulum sepelirentur.Rex autem morabatur in Germania,& ante natalem Domini placitum habuit ad Wormatiam,vbi multiformis nuntiis Marauorum aliarumque gentium receptis,& auditis compositisq; rebus, remeauit in Alemanniam. Heinricus quoq; missus est contra Nordmannos,ibi prospere, prout potuit,dispositis rebus reuersus est.

DCCCLXXXIII.

Cæsar in Alamannia natalem Christi celebrauit: inde paulatim iter suum ad Baiovvariam dirigens, Pascha domini honorifice Radaspona ciuitate mansit, ibique habito conuentu, diuersis rebus ab Italia auditis, illuc reuersus est. Igitur Romæ præsul Apostolicæ sedis, Ioannes prius de propinquo suo veneno potatus, deinde quum ab illo simulq; aliis suæ iniquitatis consortibus longius victurus putatus est, quam eorum satisfactum esset cupiditati, qui tam thesaurum suum quam culmen Episcopatus rapere anhelabant, malleolo dum vsq; in cerebro constabat, percussus, expirauit. Sedet etiam ipse constructor malæ factionis, concrepente turba, stupefactus, à nullo læsus, nec vulneratus mortuus. Non mora apparuit, in cuius vice, omni populo Romano vnanimiter confortante, Marinus qui in id tempus Romana in vrbe archidiaconus tenebatur, ordinari compactum est. Imperator obuiam Papæ pergit, & illum loco nuncupante Nonantula, pro vt merito, honorifice suscepit. Ibi inter alia Vuito comes Tuscianorum reus Maiestatis accusatur, quod ille profugus euasit. Sed tamen illa fuga totam Italicam terram timore concussit: quia statim manu cum valida gentilium de gente Mauritanorum fœdera firmiter pepigit. Perangarius vero consanguineus Imperatoris mittitur ad expoliandum regnum Vuittonis, quod ille quadam parte peregit, & quadam peregisset, in per corruptionem morbi ac infirmitatem exercitus sui reuerteret, & iam per totam Italiam humanum genus ita inualescente morbo, vt in curtem & inter militiã & ipsum Regem hæc miseria perueniret. Iterum inter Popponem & Egnionem discordia cum crudeli bello concrepat: quorum Poppo, pro vt antea solebat, inferior extitit Heinricus frater Popponis scilicet quum Nordmannorum manum validam Prumiam venire cognoscit, vsq; eos (vt dicunt) nullo euadente cum suis, ad internecionem deleuit, & ille vero vulneratus euasit.

DCCCLXXXIIII.

Reuerso ad Alamanniam Regi habitum est in villa, quæ dicitur Cholonpurum, generale conuentum. Inde edictum est Baiovvarios ad Italiam contra Vuitonem belligera manu proficisci. Quippe Pannonia magnum detrimentum patitur, cuius rei vnde exordium narratur assumpsisse, stilo enucleamus. Igitur quum duo fratres Vuillihalmus & Engilscalchus terminũ regni Baiovvariorum in Oriente à Rege (id est, seniore Hludouuico) concessum contra Marauonos tenuerunt, multaque pro patria tuenda conflictando sudasse feruntur. Tandem diem vltimum huius aeris in eadem voluntate finiuere permanentes. Cum vero non esset honor illorum filiis redditus, Arbo in comitatum domno Rege concedente successit, quod prædictorum virorum pueruli illorumq; propinqui in contrarium accipientes & vertentes, dixerunt alterutrum fieri, & Arbonem comitem si non recederet de comitatu parentorum suorum, & seipsos ante faciem gladii morituros. Hoc experimẽto Arbo concussus, amicitiam iniit cum Zuentibaldo duce Marauorum gentis, firmatoq; inter illos fœdere filium suum obsidem fieri non tardauit. Nec minus ipsi prædicti pueri consulunt quosdam primores Baiovvaricæ gentis, collatisq; propinquis, ac vndiq; copiis, fortior manus in id tempus illis adstabitur. Comitem à rege constitutum inhonorifice expellebant, comitatumque illis in vsum vsurpauerunt. hoc ergo factum est. Post obitum Hludouuici regis, natorumque eius Carlmanni & Hludouuici, quorum successor frater illorum minimus in regno extitit, qui mox, pro vt antea tenuit, Arboni prædictum Comitatum reddidit. Sed tamen ex hac re contexta (vt prædiximus) detrimentũ Pannoniam sentire IIII. versiculis prosæ intertextis, ad suauitatem legentis, quonam modo hoc fieret, pandemus.

Omne, dicit Iesus, fieri non stabile regnum
In se diuiduum, & nil dissociabile firmum.
Hinc dolus, anxietas, tibi formosissima tellus,
Hinc labor exoritur, quondam Pannonia felix.

Igitur eodem anno, quo illi pueri prædictum comitem Arbonem à Rege commendatorum exortem fieri honorum impetrauerunt, Zventibaldus dux Maravorum,

uorum,plenum doli & astutiæ cerebrum, non immemor vtriusq;,quanta ab anteceſſoribus iſtorum puerorum cum gente ſua, vſque dum ad illos terminum Baiovvariorum prætenderunt, paſſus ſit mala; inſuper etiam amicitiæ ac iuramenti, quæ cum Arbone iniit pepigitque, ad hoc vindicare proficiſcitur,& perfecit. Nam de ſeptẽtrionali parte Hiſtri fluminis apprehenſo Werinhario de pueris Engilſcalchi, qui tres habuit mediocri.* Vezzilloni quoque comiti, qui illorum propinquus erat, dextram manum cum lingua, & (monſtri ſimile) verenda & genitalia, vt nec ſignaculo deſiſtente, abſciderunt. homines vero illorum quoſdam ſine dextra leuaque reuerſi ſunt. Exercitus ſcilicet iuſſu ducis, igne deuaſtat omnia. inſuper vltra Danubium miſſis ſpiculatoribus, vbicunque proprietas & ſubſtantia prædictorum ſit puerorum, igni tradita ſine mora eſt. hoc ſcandalum antefacti puerulis ſpacio vnius anni ſentitur. hinc equidem non confidentibus à rege pueris aliquid boni propter delictum, quod in Arbone commiſere, receſſerunt. ſtatueruntque fieri homines Arnolfi Carlmanni regis filius qui tunc Pannoniam tenuit. Quo audito, Zvventibaldus dux miſit nuncios ad eum, & ait illi; *Inimicos meos ſuſtentas, ſi eos non dimiſeris, nec me tecum pacificatum habebis.* Alteram etiam occaſionem aduerſus eum protulit: *Tui homines in vitam meam, nec minus in regnum meum doloſe cum Bulgaris conſiliauerunt, qui priore anno ſuum regnum vaſtauere*: *hoc volo mihi cum iuramento, verum non eſſe, conteſtari.* quorum neutrum vnquam ſe facturum Arnolfus renunciauit. Itaq; dux non diu collectis ex omni parte Sclauanorum copiis, magno cum exercitu inuadit Pannoniam immaniter, ac cruenti more lupi mactat, igne & ferro maximam partẽ deuaſtat, deterit, & conſcindit: ita vt non immerito iſtã ad miſeriam hic verſus componi,

Hic patriæ planctus, ſimul & miſerabile funus.

Quo acto dolore per antefactum puerile conſilium, ſpacio vniũs anni, dux cum exercitu ſuo non læſus remeauit in ſua.

Cæterum vero inſtanti anno, quo iſta computamus, iterum dux, coagulata multitudine, hoſtiliter Pannoniam hoſtilem exercitum infert: vt ſi quid antea remaneret, nunc quaſi ore lupi per totum deuoraſſet. Tanta enim multitudine in iſto itinere pollebat, vt in vno loco ab ortu vſque ad veſperum lucis exercitus eius præterire cerneretur. Cum tanta enim multitudine in regno Arnolfi per XII. dies exſpoliando verſabatur. demum pro vt voluit proſpere reuerſus eſt. Poſtea quoque miſſa quadam exercitus ſui parte ſupra Danubium. quod audientes filii Vuillihelmi & Engilſcalchi, qui maiores natu erant, Megingor, & Papo, quibuſdam Pannoniorum ſecum aſſumptis, contra illos incaute venerunt: ſed tamen pugnam certaminis inire non vtile. nam ad illos victoria conceſſit. Iſti fugæ præſidium quærentes Megingor & Papo, in flumine qui dicitur Hrapa, vitam finiuere. Frater vero Berhtoldi comitis cum aliis quam plurimis à Sclauanis tentus eſt. attendant, iudicent, atque contendant detractores veri, & quibus huius ſuaſoribus rei vel conſilii primordia placuerint, placeant etiam ſubſequentia mala. Vituperauere autem pacem, qua conſeruata, Pannonia conſeruata eſt; qua vero vitiata, per ſpacium tantum iſto continuato tertio anno dimidio inſtanti Pannonia de Hraba flumine ad Orientem tota deleta eſt. Serui & ancillæ cum paruulis ſuis conſumpti ſunt, primoribus quibuſdam tentis, quibuſdam occiſis: Et (quod turpius erat) truncatis manu, lingua, genitalibus, remiſſi ſunt. hæc enim omnia procul dubio geruntur, ſiue per miſericordiam, ſiue per iram Dei. Sed iram Dei iuſtam vindictam fieri appellamus, quæ indubitanter non niſi iuſta ſit, vnquam euenire creditur. Imperator per Baiovvariam ad orientem proficiſcitur, veniensque prope flumen Tullinam, monte Comiano colloquium habuit, ibi inter alia veniens Zvventibaldus dux, cum principalibus ſuis, homo (ſicut mos eſt) per manus Imperatoris efficitur, conteſtatus illi fidelitatem iuramento, & vſque dum Karolus vixiſſet, nunquam in regnum ſuum hoſtili exercitu eſſet venturus. Poſtea veniente Brazlanuorum duce, qui in id tempus regnum inter Drauo & Sauo flumina tenuit, ſuique militiæ ſubditus adiungitur. Rex per Carentam in Italia perrexit, proſpere Papia natalem Chriſtri celebrauit.

DCCCLXXXV.

Proxima die S. Epiphaniæ, habito generali conuentu, Vuito dux Spolitanorũ, qui antea fuga ab Imperatore lapsus est, cum iuramento excusauit, se non esse reũ maiestatis, ad fidelitatem regiam susceptus est. Post obitum Karolomanni regis qui tunc Galliam rexerat, Cæsar regnum ipsum aggreditur, receptisque primoribus, & dispositis ibi rebus, pro vt voluit, remeauit in Franciam, ad edictum placitum VVormacense obuiam Apostolico. Sed dum ipse Papa iam medio itineris spatio foret correptus celeri infirmitate expirauit. Gotafridus rex accusatur, vt in regnum Francorum cum Nordmannis consuleret, ab ipsis etiã accusatoribus occisus est. Hugo filius Hlotharii incaute in regno Imperatoris agens oculorum luce orbatus est. Pax in oriente inter Arnolfum & Zvventibaldum, præsentibus scilicet Baiovvariorum principibus, susiurando constare firmatur.

Marinus pp. ob.

DCCCLXXXVI.

Natalem domini Imperator Radaspona celebrauit, inde inuitatus ab Apostolico Italiam petiit, Liutvvardum episcopum Romam misit, ibi multimodis rebus, prout cõplacuit, dispositis, inter alia summus præsul à Rege interrogatus decreuit, vt Episcopis, quorum parochiæ de incendiis gentilium penitus vastatæ apparent, aliæ sedes eis non occupatæ concederentur. Die S. Palmarum, sed tio vrbe Papia inter satellites Regis & ciuibus infeliciter orta, nam ex vna parte multis occisis, ex alia ciuium vrbis multi vulnerati propter affinitatem Imperatoris, qui tunc ad curtem Olonnam Pascha mansit: timore in fugam lapsi, in via vitam finiuere.

Post Pascha, habito generali Papiæ conuentu Imperator per Burgundiam obuiam Nordmannos in Galliam, qui tunc Parisiis erant, vsque peruenit. Occiso ibi Henrico Marchensi Francorum, qui in id tempus Niustriam tenuit. Rex parum prospere actis rebus, reuertitur in sua. Discordia inter Perangarium cognatum Regis, qui foro Iulienſe fruitur, & Luitvvardum episcopum oritur, propterea Perangarius mittens Vercellinam vrbem expoliare, ibique veniens, multis rebus Episcopi abreptis, pro vt voluit, reuersus est.

Tempore authumni plus solitum inundationes aquarum excreuerunt inæstimatæ. Nam in oriente erumpentibus per littus fluctibus, villæ inopinate circundatæ subito feruntur: ita vt cum inhabitantibus viris, fœminis, infantulis vsque in abyssum delatæ cernuntur. Inter alpes vero talis rapacitas aquarum & collisio lapidum fuit, vt flexuras & vestigia viarum per diuexa montis latera nullo modo prospici potuerint.

DCCCLXXXVII.

Imperator Elisacia magna infirmitate adgrauatur. Postea parum conualescens ad Alamanniam proficiscitur, vergens curtem Podonam, pro dolore capitis incisionem accepit. Transacto Die S. Paschæ habitum est placitum Weibilinga, ibi inter alia Berngarius ad fidelitatem Cæsaris peruenit, magnisque muneribus contumeliam, quam in Luitvvardo priori anno commiserat, componendo absoluit. Mortuo itaq; Buosone, paruulus erat ei filius de filia Hludouuici Italici regis: quem Imperator ad Rhenum villa Chiricheim * veniens obuiam: honorifice suscepit ad hominem, sibique adoptiuum filium eum iniunxit. Alamanni contra Luitvvardum Episcopum dolose conspirauere, qui tunc maximus consiliator Regis in palatio fuit, & eum à præsentia Imperatoris omni honore priuatum abire compellunt. Mox vero Cæsar grauissima infirmitate detentus est. ab illo ergo die male inito consilio Franci, & more solito Saxones & Duringi, quibusdam Baiovvariorum primoribus, & Alamannorum ammixtis cogitauerunt deficere à fidelitate Imperatoris, nec minus perficere: Igitur veniente Karolo Imperatore Franconofurt, isti inuitauerunt Arnolfum filiũ Karlmanni regis, ipsumque ad seniorẽ elegerunt, sine mora statuerunt ad regem extolli. Karolus nitens bellum contra Arnolfum regem instaurare, sed non proficit. Concussit timore Alamannos, quibus maxime negocium sui regni habebat commissum, omnes penitus ab eo defecerunt, vt & iam ministri ab eo defecti, sub celeri fe[illegible]atione ad Arnolfum regem se iunxerũt. Karolus dum se vndiq; à suis desertum sentit, & nescius quid sui causæ consilium possit fieri: tandem mu-

** Kircheim, hodie.*

ARNOLfus Imper.

nera

nera ad Regẽ direxit, expoſcens ſua gratia vel pauca loca in Alamannia ſibi ad vſum vſq; in finem vitæ ſuæ largiri, quod Rex ita fieri conceſſit. Sed tamen nec hoc diu apud ſe retinuit. Nam paucos dies in locis à Rege ſibi conceſſis religioſe morabatur, poſt Chriſti natiuitatem die Idus Ianu. vltimum diem feliciter clauſit, & mirum in modum vſq; dum honorifice Augenſi Eccleſia ſepelitur. cælum apertũ multis cernentibus viſum eſt, vt aperte monſtraretur, qui ſpretus terrenæ dignitatis ab hominibus exuitur, Deo dignus cœleſtis patriæ vernula mereretur feliciter haberi. *Meynam Vul.*

DCCCLXXXVIII.

Rex Arnolfus vrbe Radaſpona receptis primoribus Baiovvariorum, orientales Francos, Saxones, Duringos Alamannos, magna parte Sclauanorum, natalem Domini & Paſcha ibidem honorifice celebrauit. Illo diu morante multi reguli in Europa & regno Karoli ſui patruelis excreuere. Nam Perengarius filius Eberhardi in Italia ſe regem facit. Rudolfus vero filius Chuonradi, ſuperiorem Burgundiam apud ſe ſtatuit regaliter retinere. Inde itaq; Hludouuicus filius Buoſeni, & Vuito filius Lamberti Galliam Belgicam, nec non prouinciam, pro vt reges habere propoſuerunt. Odo filius Rodberti vſq; ad Ligerim fluuium & Aquitanicam prouinciam ſibi in vſum vſurpauit. Deinceps Arnolfus ſe regẽ haberi ſtatuit. His auditis rex Franciam petiit, habitoq; ad Franconofurt generali conuentu diſpoſuit aduentare Wormaciam. Quod vero Odo comperiens, ſalubri vtens conſilio, conteſtans ſe malle ſuũ regnum gratia cũ Regis pacifice habere, quam vlla iactantia contra eius fidelitatem ſuperbire, veniensq; humiliter ad Regem & gratanter, ibi recĩpitur: rebus ab vtraq; parte, pro vt placuit, proſpere diſpoſitis, vnuſquiſq; reuerſus eſt in ſua. Rex contra Rodolfum Eliſaciam progreditur, inde ad eum miſſo Alamannico exercitu, ipſe per Franciam Baiovvariam reuerſus eſt. Rudolfus enim inito conſilio cum primoribus Alamannorum ſponte ſua ad Regem vrbem Radaſponam vſq; peruenit, multaq; inter illos conuenienter adunata, ipſe à Rege cum pace permiſſus, ſicuti venit, ad ſua remeauit. Italiam equidem cum exercitu aggredi complacuit. Sed Perangarius, qui parumper antea cum Vuitone dimicans cruento tyranno, hoc præcauens, ne Italicum regnum cum tam valida manu ingreſſus perperã pateretur, miſſis ante ſe principibus ſuis, ipſe vero oppido Tarentino Regi ſe præſentauit. ob id ergo & à Rege, eſt clementer ſuſceptus, nilq; ei antequæſti regni abſtrahitur; excipiuntur curtes nauium, & ſagum. exercitui itaq; non mora licitum erat domum redeundi. Rex autem paucis ſecum aſſumptis, forum Iulienſe penetrans, curtẽ Corontanam natale Domini celebrauit. Tanta namq; in iſto itinere conſternatio equinorum cadauerum fit, vt vix vnquam talis fieri memoria mortalibus traditum ſit.

DCCCLXXXVIIII.

Luitbertus Mogontinæ vrbis nobilis Archiepiſcopus ab hac vita migrauit. cuius viuendi ordo quali probitate maneret, per omnia longum eſt explicare. tamen licet pauca in quibuſdam verſiculis breuiter expediatur.

Largus erat multum, patiens, humilisq;, benignus,
Omnibus exemplum in bonitate manens.
Hiſter qua fluitat, currit Hrenusq; bicornis,
Litterulis doctis doctior ipſe fuit.

Graue igitur tempus hoc anno incanduit. nam Italia febris tuſſiendo perplurimos vexabat, inundationes aquarum plus ſolito excreuere, ciuilia bella circumquaq; regiones conquaſſantur, peſtilentia ſparſim, ac fames inopinata, vltra modum incubuit. Grandine vero contritis frugibus mortales inopiam frugum cum miſeria patiuntur. Sed inter alia execrabile prodigium in regione Thuringorum viſum eſt. Namque è cœlo aqua, non (vt ſolet pluuia) ſtillatim deſcendere, ſed coaceruatim quaſi fluens torrens irruit, per tres villas vno momenti ictu euulſis ædificiis, ter centum cadauera mortuorum, impulſione aquarum campo deiecta colligebantur.

Exeunte menſe medio Rex apud villam, quæ dicitur Forahhem, generale conuentum habuit, ibiq; diſputans de ſtatu regni ſui, conſultum eſt, vt eodem tenore primores Francorum, prout Baioarii iuramento cõfirmarent, ne ſe detraherent à

principatu & dominatu filiorum eius, Zwentibulchi quidem & Ratoldi, qui ei de concubinis erant nati. quod quidam Francorum ad tempus renuentes, tandem regiæ satisfacientes voluntati, dextram dare non recusabant, eo tamen modo, vt si de legali sua vxore hæres ei non produceretur. Aduenientibus etiam ibidem vndique nationum legatis, Nordmannorum, scilicet, ab Aquilone Sclauanorum, pacifica optantes. quos Rex audiuit, & sine mora absoluit. Inde itaq; edictum est, in exercitum ire ad Obodritos, sed antea placitum curte regia Franconofurt haberi cum Francis Regi complacuit. peruentum igitur est, sicuti antea dispositum erat, ad Obodritos cum maximo exercitu. Sed tamen ibi parumper rebus prospere gestis: Rex data exercitui licentia ad Franconofurt celeri festinatione reuersus est. Inde per Alamaniam paulatim transgrediens Baiouvariam vrbe Regino honorifice natalem Domini celebrauit.

DCCCXC.

Mediante vero quadragesima Rex Pannoniã proficiscens, generale conuentum cum Zwentibaldo duce, loco qui vulgo appellatur Omuntesperch, habuit. Ibi inter alia præficitur dux à Formoso Apostolico, rogatus Regẽ enixe interpellabat, vt vrbe Roma domũ S. Petri visitaret, & Italicum regnũ à malis Christianis & imminentibus paganis ereptũ ad suum opus restringẽdo dignaretur tenere. Sed Rex multimodis causis in suo regno excrescentibus præpeditus, quamuis non libens, postulata denegauit. Post Pascha mense medio, villa quæ dicitur Forahheim cum suis conloquium habuit. Ibi ad eum filia Hludouuici, Italici regis, vidua Bosoni tyranni, magnis cum muneribus veniens, honorifice suscepta ac ad propria remissa est. Rex ibi rebus dispositis, pro vt placuit, causa orationis in Alamannia Augeam Constantiamq; peruenit. Inde regrediens vrbe Radaspona, natalem Christi celebrauit. Salomon Constantiæ Episcopus vir vitæ probabilis obiit. cui æquiuocus eius Salomon iunior, tertius siquidem tunc eiusdẽ nominis vocabulo, in sedẽ episcopus concessit.

DCCCXCI.

Rex legatos suos pro renouanda pace ad Marauos transmisit. Embricho Regino vrbe Episcopus, vir patiens, humilis, sobrius, fidusq; manebat, grauis ætate feliciter diẽ vltimum clausit. Ipsa vero ciuitas diuina vltione mirũ in modum subito incensa cũ omnibus machinamẽtis, ẽt ecclesiis. 4. Id. Augusti concremata est, exceptis domo S. Emmeramni martyris, & Ecclesia S. Cassiani, media vrbe constituta, ab igne diuinitus defensæ sunt. Nordmanni igitur fines occidentalium Francorum inuadentes, quid ad defendendum exercitus à Francia dirigitur. Ibi Sundaroldus Mogunciacensis Archiepiscopus incaute illis occurrens interfectus est, in cuius locum Haddo Abbas Augensis cœnobii homo subtilis ingenii antistes constituitur. Arnolfus ergo rex ob hoc vlciscendum in Nordmãnos cum Francis Alamanico exercitu inutile secum assumto, iter arripuit. Sed Alamanni quidẽ ægrotantes à Rege domum relapsi sunt: ipse cum Francis ad occidentem prospere profectus est. Nordmanni deuastata ex maxima parte Hlotharici regni regione prope fluuium Clyla, loco qui dicitur Louonnium sepibus (more eorum) munitione cepta, securi consederunt. Ex improuiso enim Rex & exercitus peruenere ad eundẽ locum. Transito igitur celeriter eodẽ fluuio (nec mora) meditatũ est, prælio applicari. Cunctati namq; Regi, ne tã valida manus periclitaretur, quia interlatẽte palude, ex parte vna, ex altera circũfluẽte ripa, nõ donatur facultas equitibus aggredi: oculis, cogitatione, cõsilio, huc illuc peruagabatur, quid cõsilii opus sit, q; Francis pedetentim certare inusitatũ est, anxie meditans, tandẽ heros primores Francorũ aduocãs sic alloquitur patiẽter: *Viri Domini, recolẽtes, & semper sub Dei gratia patriã tuendo fuistis inuincibiles, inspirate animis, si ab inimicis, quãdo quidẽ more paganismo furẽtib. piũ sanguinẽ parentũ vestrorũ effusum vindicari recolitis, & sacra sub honore sanctorũ creatoris vestri tẽpla euersa iã in patria vestra cernitis: ministros ẽt Dei summo gradu consistẽtes prostratos videtis: nũc milites agite, ipsos sceleris factores ante oculos habẽtes, me primũ equo descendentẽ, signa manu pferentẽ sequimini, nõ nostrã sed eius qui omnia potest, cõtumeliã vindicantes, inimicos nostros in Dei nomine aggredimur.* His incitati dictis, omnibus senibus & iuuenibus par volũtas & audacia, pedestre bellũ aggredere datur, prius Regẽ flagitantes, vt equitãdo eos procurarer, ne quid eis pugnantib. à tergo insidiis inimicorũ timendũ sit. Clamor Christianis in cœlũ attollitur, nec minus

Pagani

Pagani more suo clamantes, signa horribilia per castra mouebantur. Euaginatis gladiis ex vtraq; vt lapis ferro, in inuicem ad inuicem concursum est. Erat autem ibi gens fortissima inter Nordmannos Danorum, quæ nunquam antea in aliqua munitione & capta & superata auditur. dure certatum est, sed non indui (subueniente gratia Dei) victoria ad Christianos concessit. Nordmanni fugæ præsidium quærentes, flumen quod antea eis à tergo pro muro habebatur, pro morte occurrebat. Nam instantibus ex altera parte cæde Christianis, coacti sunt in flumen præcipitari. coaceruatim se per manus & colla cruribusque complectentes, in profundum per centena & millia numero mergebantur, ita vt cadaueribus interceptum alueum amnis siccum appareret. In eo prælio cęsi sunt duo reges eorum, Sigiffridus scilicet & Godafridus, regia signa x v i. ablata, & in Baiovvariam in testimoniũ transmissa sunt. Eodem in loco, die.. Kal. Leitanias Rex celebrare præcipit: ipse cum omni exercitu laudes Deo canendo processit, qui talem victoriam suis tribuit, vt vno homine tantum occiso de parte Christianorum (quod compertum est) tanta millia hominum ex altera parte perierunt.

DCCC XCII.

Rex de Francia cum victoria in Alamania curte regia Vlma honorifice natalem Domini celebrauit, inde Orientem proficiscitur, sperans sibi Zvventibaldum ducem obuium habere. Sed ille, more solito, ad Regem venire renuit, fidẽ & omnia ante promissa mentitus est. Inde rex irato animo in Hengistfeldono cum Brazlauone duce colloquium habuit. ibi inter alia quærens tempus & locum quomodo possit terram Marauorum intrare. Consultum est enim, vt tribus exercitibus armatis regnum illud inuaderet. Rex equidem assumptis secum Francis, Baioariis, Alamannis, mense Iulio Marauam venit: ibi per IIII. hebdomadas cum tanta multitudine, Vngaris etiam ibidem ad se cũ expeditione venientibus, omnem illam regionẽ incendio deuastandam versabatur. Missos etiam suos inde ad Bulgarios & regem eorum Landomir, ad renouandum pristinam pacem cũ muneribus, mense Septembri, trãsmisit, & ne coemtio salis inde Marauanis daretur, exposcit. Missi autem propter insidias Zvventibaldi ducis terrestre iter non valentes habere, de regno Brazlauonis per fluuiũ Odogra vsq; ad Gulpam, dein per fluentes Saue fluminis nauigio in Bulgaria perducti. ibi à Rege honorifice suscepti, eadem via, qua venerant, cũ muneribus mense Maio reuersi sunt. Poppo dux Thuringorum honoribus priuatus est.

DCCCXCIII.

Ante quadragesimam Rex per totam occidentalium Francorum prouinciam, monasteria, Episcopatus, causa orationis obibat. Engilscalchus, iuuenili audacia vir, qui post rapta de concubina Regis filia, ad tempus se Marauos exul contulit. Posthęc ad gratiam Regis non longum veniens, Marchensis in Oriente effectus est. Ibi audacter contra primores Baioariæ in rebus sibi summis agens iudicio, eorum vrbe Radaspona incaute palatium Regis prolapsus, & Regi pręsentatus, obcœcatus est. Hinc etiam & Willihelmus filius patruelis eius missos suos ad Zvventibaldum ducẽ dirigens, reus maiestatis habebatur. capite detruncatus est. frater quoq; eius cum Marauanis exul delitescens, insidioso consilio ducis, cum aliis quam plurimis interfectus est. Arrepto itaq; Rex itinere, iterum regnum Zvventibaldi ducis ingreditur cum exercitu maxima parte illius regionis exspoliata propter insidias positas, magna cum difficultate itineris in Baioaria ad regiam curtem Otingam reuersus est, de qua ei nõ multum post filius nascebatur, quem Hado Mogontiacensis Archiepiscopus & Adalpero Augustæ Vindel. Episcopus sacro fonte baptismatis Chrismantes, nomine aui sui Hludouuicum appellauerunt. Missi autem Formosi apostolici cũ epistolis & primoribus Italici regni ad Regem, in Baioaria aduenerunt, enixe deprecantes, vt Italicum regnum, & res S. Petri ad suas manus à malis Christianis eruendum aduẽtaret: quod tunc maxime à Widone tyranno affectatum est. quod Rex apud vrbem Regino honorifice recipiens, & cum muneribus postulata annuens, abire permisit. Hiems aspera & plus solito prolixa extenditur, ita vt mense Martio nix in quibusdam locis per quinq; dies mensura in profundo vnum pedem habere videretur: inde per Baioariam maxima penuria vini facta, oues & apes perditæ.

DCCCXCIIII.

Sonitus tonitrui magni increpuit v. Kal. Febr. ipse mox in itinere positus natalem Domini curte regia Weibilinga mansit. Inde cum Alamannico exercitu Italiam intrauit. Pergamum ciuitatem primum cum comite Widonis Ambrosio sibi rebellem sentit, ob hoc Rex mente commotus, iussit castra exercitus, ipse adequitans, in ambitu supra montem vsq; ad murum ciuitatis promoueri. Conserti sunt enim ita vesperascente iam die pugnantes, vt cætera pars noctis par obsidentibus & obsessis vigilandum erat. Aurora insurgente Rex missarum sollennitate completa vrbem ad expugnandum exercitum per circuitum distribuit.

Vide Herman.

* *Deest folium.* * DCCCXCV. 10

Potestati reconciliatos se subdidere. Iterum Rex à Formoso Apostolico per Epistolas & missos enixe Romam venire inuitatus est. Rex vero cum consilio Episcoporum suorum, petitionibus suis satisfacere decreuerit: mẽse septembri de Francia & Alamannia in Italia promouit exercitum. Venientes quippe vltra Padum, ibi diuiso exercitu Alamannos per Boloniam ad Florentinam vrbem ire permisit, ipse cum Francis per superiores partes alpium curtem, quæ dicitur Turris, sic vsq; ciuitatem Lunam progreditur. ibi natale Domini celebrauit.

DCCCXCVI.

Igitur propter nimiam intempestatem aeris, & immoderatam effusionem imbrium, & vltra modum inundationibus aquarum, omnis exercitus per deuexa montium cacumina impedita sunt, passim errando laboriose peruagatus. Vnde etiam maxima pestilentia equorum & plus solito, propter difficultatem itineris aggrauando excreuit. ita vero vt totus pene exercitus suppellectile suum inconsueto more per sellatos more equitum boues trahebant. Adhæc interim malus rumor Regem nec non exercitũ commouit. Prengarium scilicet nepotem eius à fidelitate sua defecisse, & in Italiam iam pro hoc reuersum esse. Adalpertum videlicet Marchensem Tusciæ mutuis colloquiis Perngarii, ne aliquo modo ad Regis fidelitatem intenderet.

His & talibus auditis Rex graui molestia, totusq; exercitus, maxima anxietate & penuria præoccupatus, tandem vrbem Romam aduenerunt. Super hæc omnia nouum genus anxietatis exercitui occurrit. Nam aduentantibus illis Ageldrudis vidua Vuidonis portas in circuitu murorum omnes serrando præoccupauit, vt omnibus patiter ad domum S. Petri introitus denegaretur. Quod Rex moleste accipiens, in commune consilium cum omni exercitu ad Ecclesiam beati Pancratii conuenit. Post, solemnitate missarum celebrata, Rex exercitũ vnanimiter interrogauit: quid facto opus sit. Conueniunt omnes cum lachrymis, fidem promittentes, confessionem coram sacerdotibus publice agentes, indicto vnius diei ieiunio, bello Vrbem expugnare in commune acclamatum est. Cunctantibus ergo cunctis redire in castra, Rex murum prospiciendo circumibat, Dei nutu subito inter obsessis & obsidentibus insperate contentio exoritur, concursus ex omni parte plebis, omnes vociferantes Vrbem bello expugnare, omnibus in pugna par voluntas. nec mora aduenerunt murum lapidibus, defensores murorum depellunt, multitudo virorum portis se constipat, alii securibus & spadis portam & vectes ferratos incidunt, alii murum perfodiunt, alii per scalam muros ascendunt; sicq; Dei prouidentia firmissima & nobilissima vrbs, nullo ex parte Regis de tanto exercitu succumbente, iam vesperascẽte die, nobiliter cũ triumpho expugnata est, Apostolico & vrbe de inimicis liberato. Omnis namq; Senatus Romanorũ, nec non Græcorum Schola, cum vexillis & crucibus ad pontem Miluium venientes, Regẽ honorifice cum hymnis & laudibus suscipientes ad vrbẽ perduxerunt. Iam Apostolicus paterno amore diligendo Regem, ante paradisum, loco qui dicitur Gradib. S. Petri suscipiẽs, & honeste ad basilicã beatorum principum Apostolorum lætificando introduxit. & secundum morẽ antecessorum suorum, imperialem consecrationem capiti sibi imponens, Cæsarem Augustum appellauit, dispositis ibi multimodis rebus, omnis Romanorum populus ad S. Paulum cum iuramento Imperatori fidem promittentes. iuramentum vero illud ne quem lateat, hic inserere proposuimus: *Iuro per hæc omnia Dei misteria, quod*

saluo

salvo honore, & lege mea atq; fidelitate domini Formosi Papæ fidelis sum, & ero, omnibus diebus vitæ meæ, Arnolfo Imperatori, & nunquam me ad illius infidelitatem cum aliquo homine sociabo, & Lamberto filio Agildrudæ & ipsi matri suæ ad sæcularem honorem nunquam adiutorium præbebo, & hanc ciuitatem Romam ipsi Lamperto, & matri eius Agildrudæ, & eorum hominibus, per aliquod ingenium aut argumentum non tradam. Posthæc autem Constantinus & Stephanus, qui maiores inter Senatum erant, rei maiestati esse accusati sunt, quia cum Agildrudæ prius Vrbem capiendam conspirauere: quos Rex sine mora comprehendi & secum in Baioaria transferri præcepit. Vrbem vero ad suas manus custodiendam Faroldo cuidam Vassallo concessit. Ipse xv. tandem die, postquam venerat, ab Vrbe digressus est. Comperta denique Agildruda in ciuitate Spoletana morare, quam ad expugnandum mox iter arripuit. Sed antequam ad locum destinatum peruenisset, graui infirmitate capitis detentus, imperfectum reliquit, & cum omni festinatione paruulo filio suo, nomine Ratold, qui ei de concubina erat, ad fidem Italicæ gentis Mediolanum dimisso, per vallem Tridentinam, mense Maio in Baioariam reuersus est. Sed non multo post etiam filius eius, quem in Italia dereliquit, per lacum Cumense ad eum reuersus est. Post mortem etenim Waltfredi Foro-Iulii Marchensis qui multum fideliter ad Imperatorem Veronam contendendo retinuit, illico Perngarius regnum Italicum inuasit, & vsque ad flumen Adduam quasi hæreditario iure contra Lantbertum in participationem recepit. Maginfredus comes Mediolanensis ab Alantberto filio Widonis capitali sententia interfectus est: filius eius atque gener oculorum lumine orbati sunt.

At Romæ Formosus Papa defunctus die S. Paschæ, in cuius locum consecratur Bonifacius, qui podagrico morbo correptus vix x v. dies superuixisse reperitur in cuius sedē successit Apostolicus nomine Stephanus vir fama infamandus, qui antecessorem suum Formosum inaudito more de sepulchro eiectum, & per aduocatum suæ responsionis depositum foras extra solitum sepulturæ Apostolicæ locum sepeliri præcepit.

Pacem ergo Græci eodem anno cum Auaris (qui dicuntur Vngari) facientes. quod eorum conciues Pulgari in prauum vertentes, hostili expeditione contra eos insurgunt, & omnem regionem illorum vsque portam Constantinopolitanam deuastando insecuntur. Quod ad vlciscendum Græci astutia sua naues illorum contra Auaros mittunt, ac eos in regnum Bulgarorum vltra Danuuium transponunt. Illi transpositum manum cum valida gentem Bulgarorum ingressi, maximam partem cedendo neci tradiderunt. Hoc audientes positi in expeditione Bulgari cum omni festinatione primū deliberare ab infesto hoste recurrunt, cōsertoq; illico prælio, victi sunt, iterum pari tenore recuperare nitentes, secundo caruere victoria. Tandem miseri inscii quam consolationis causam & remedii potuissent inuenire, currunt omnes ad vestigia vetuli illorum regis Michaelis, qui eos primum ad Christianæ religionis veritatem conuertit, inquirentes quid eis ab imminenti periculo euadendum consuleret, qui indicto triduano ieiunio pœnitentiam de inlata Christianis iniuria agere, dein auxilium à Deo quærendum esse præmonuit. Quo peracto durum imminere certamen. pugnantibus vero ambabus acerrime partibus, ad vltimum misericordia Dei victoria quamuis cruenta Christianis concessa est. Quis enim gentilium Auarorum strages tantis congressionibus enumerando possit exponere; quum Bulgarorum, ad quos victoria concessit, numero xx. millia equitum cæsa inueniuntur. Stipantibus denique iisdem in partibus inter se conflictibus, Imperator Pannoniam cum vrbe Paludarum tuendam Braxlauoni duci suo in id tempus commendauit. Leo vero Imperator Græcorum Lazarum quendam vocatum episcopum ad Cæsarem Augustum cum muneribus transmisit. Quem ille apud vrbem Radasbonam gratanter accipiens, paucos cum dies secum retinuit: tandem honoribus ditatum remisit in sua.

DCCCXCVII.

Cæsar vero cum curte regia Otingæ natalem Domini celebrauit, Aduenientibus ibidem ad eum Marauorum missis qui pro pace custodienda, ne exules eorum

profugi reciperentur ab Imperatore flagitant, quos Rex vt audiuit, absoluit, & sine mora abire iussit. Ipse vero, habito generali conuentu, vrbe Regino propter grauitatem corporis in Baioaria secretis locis hiemare disposuit. Fames valida per vniuersam regionem Baiovvariorum incubuit, ita vt multi inedia consumerentur.

*Maio. Exeunte autem mense *medio, habitum est placitum vrbe Wormacia, ibi inter alia Zuentibaldus filius Imperatoris ad eum veniens; quem ille benigne suscipiens, quibusdam primoribus suis, qui priori anno abeo honoribus priuati sunt, cum eo pacificatis, cæterisque negotiis, pro vt potuit, ibidem inter se dispositis, placabilem licentiam in sua redeundi donauit. Curte vero Triburia, habito generali conuentu Fuldense cœnobium causa orationis petiit. Quo peracto ad curtem, quæ dicitur Salz, peruenit, aduenientibus ibi ad eum cum muneribus Soraborum missis, quos vt audiuit, absoluit, & abire permisit.

His ita expeditis, contigit vt gentis Behemitarum duces ad Imperatorem Arnulfum, qui tunc temporis ciuitate Radaspona moratus est, aduenerunt, offerente ei munera regia, & sua suorumque fidelium suffragia contra eorum inimicos Marahabitas scilicet postulantes, à quibus sæpe (vt ipsi testificati sunt) durissime compremebantur. Quos ergo duces Rex Imperator gratuito suscipiens, Verbaque consolationis ex pectoribus abundantius inserui, & lætabundos donoq; honoratos patriam in suam abire permisit, totumque illius anni tempus autumnale finitimis in locis Aquilonaribus Danubii Ymbrisque fluminis sese sustentauit. Hac etiam in ratione, si supradictæ genti necessitas auxilii sui immineret, paratus cum suis fidelibus existeret.

DCCCXCVIII.

Postea vero, Anno incarnationis Domini DCCCXCVIII. Inter duos fratres gentis Marahensium, Moymirum videlicet ac Zentobolchum, eorumq; populum dissensio atq; discordia grauissima exorta est; ita etiam vt si vterq; alterum suis viribus insequi atque comprehendere valeret, capitalem subiret sententiam. Tunc vero Rex Imperator ista sciens, Marchiones suos Luitbaldum scilicet, & Arbonem comitem, vna cum cæteris fidelibus suis, parti quæ ad se spem ac confugium habuit, auxilium ad eorum liberationem protectionemque Bavvarios suos primates transmisit. At illi more gladii igneque, pro vt poterant, inimicos suos humiliauerunt, & deuastando necauerunt. Istius ergo dissensionis & disruptæ pacis inter supra nominatos fratres Arbo comes, & Iharico filio suo instigante, instructor, delatorque atque proditor esse conuincitur, & ob hanc causam præfectura sua ad tẽpus caruit, quam non multo post accepit. Deinceps autem quidam, qui erat quondam princeps cum cæteris primoribus gentis Bavvariorum nomine Erimbertus, qui postea Regi suisque rebellis extitit, à Priznolano quodam Sclauo duce, qui & ipse Imperatori fidus probatur, comprehensus dinoscitur, & à Luitbaldo strenuo comite aliisq; vinculis illigatus Regi à Drantesdorf est præsentatus, Christi Domini natale anni instantis finiente. Iterum autem expeditione ordinata tempore hiemali, Bavvariorum principes cum suis fines Marahabitarum fortiter atque hostiliter inuaserunt, & manu valida loca illorum desertantes, prædamque colligentes, domumq; reuertentes habentes ea. ...

Vide Herman. DCCCXCIX.

Tum vero multis temporibus inauditum scelus, & quod non oportuit facinus de regina Ota diuulgatum est, id est, vt corpus suum in latebroso ac iniquo manciparet coniugio. Quod ipsum Radaspona vrbe mense Iunio, iuxta primorum præsentium iudicium LXXII. iurantibus definitum comprobatur.

Ipso quoq; tempore eiusdem magni & communis placiti ciuitate Regia Rex paralysi solutus infirmatus est. Secundum autem vt Regi nociuum quoddam à viris ac feminis daretur, vt inde paralyticus efficeretur, quorum vnus vocabatur German, qui reus maiestatis conuictus, & ideo Otingæ decollatus est: alter vero fuga lapsus in Italia latuit. Et alia quoq; femina nomine Rodpure, quæ eiusdem sceleris auctrix deprehensa, certa examinatione, inueniebatur, Epilinga in patibulo suspensa interiit.

Deniq; non post multum temporis Bavvarii terminos Maraborum confi-

denter

denter iterato intrantes,& quæcunq; poterant diripiendo populati sunt, & Zentobolchum puerum filium antiqui ducis Zventobolchi suumq; populum de ergastulo ciuitatis in quo inclusi morabantur,eripuerunt,ipsamq; ciuitatem igni succenderunt,atq; in fines patriæ suæ pro misericordia secum abduxerunt.

Interim autem Isauricus tyrannidem suam sine cessatione contra Regem exercens : quod vehementer Rex accipiens decreuit nauigio, quia iam tunc infirmus corpore fatigaretur,ciuitatem Mutarensem,in qua ipse Isauricus erat,aggredi: quod & factum est. Illo vero resistente,Rege quoq; & suis fortiter viriliterq; superantibus, atq; ciuitatem oppugnantibus,demum ipse Isauricus,vi compulsus cum vxore & his quæ ad se pertinebant exiuit, & Imperatori sese præsentauit. Tunc Rex custodibus illum custodiendum commendauit,quatenus Radasponam produceretur. at ille timens ne puniretur,fugam iniit, & Marchenses vsq; fugit. Quorum itaq; adiutorio suffultus vt prius partem regni subripuit, eandem totum secum retinendo obtinuit. Engilmarus Patauiensis Episcopus obiit, in cuius locum Wihingus quidam Alamãnus contra instituta patrum prius Marahunensis ab apostolico destinatus Episcopus, Rege concedente successit. Sed non multo post à Deotmaro Archiepiscopo, cæterisq; suffraganeis suis, contra voluntatem Regis, canonicali iudicio abiectus, ac Richhardus ad eandem sedem Episcopus in idipsum tempus ordinatus est.

DCCCC.

Imperator vrbe Radispona diem vltimum clausit, & honorifice in domo Emmerammi martyris Christi à suis sepelitur. Ludovvicus filius eius, qui vnicus tunc paruulus de legali vxore natus illi erat,in regnum successit. Cuius frater de concubina,Zventiboldus nomine,Gallicanum regnum secum retinẽs, res & Ecclesiarum crudelitate sua immoderate affectans, maximum crimen, eo quod Rotpodo Treuirensi archiepiscopo contra sacerdotalem honorem baculo suo in capite percutiens intulit,à suis tam Episcopis quam comitibus omnibus desertus est. Ipse vero recuperare nitens cum paucis contra eos incaute dimicans,vitam cum regno finiuit. *ARNOLfus Imp. obit 8. Id. Decẽb.*

Baiovvarii per Boemanniam ipsis secum assumptis regnum Marabauorũ cunctis per tres hebdomadas deuastantes inruperunt. Tandem cum omni prosperitate domum reuersi sunt.interim vero Auari,(qui dicuntur Vngari) tota deuastata Italia, ita vt occisis Episcopis quamplurimis Italici contra eos depellere molientes, in vno prælio vno die ceciderint x x. millia. Ipsi namq; eadem via,qua intrauerunt Pannoniam, & maxima parte deuastantes,regressi sunt. missos illorum sub dolo ad Baioarios pacem optando,regionem videlicet ad explorandum transmiserũt. Quod(proh dolor) primum malum, & cunctis retro trãsactis diebus inuisum damnum Baiovvarici regni contulit. Igitur ex improuiso cum manu valida, maximo exercitu, vltra Anseum fluuium, regnum Baiovvaricum hostiliter inuaserunt, ita vt per quinquaginta millaria in longum & in transuersum igne & gladio cuncta cædendo & deuastando iam vna die prostrauerint. Quod vero perientes vlteriores Baiovvarii dolore compulsi,e contra festinare disponunt. Sed hoc Vngari præcognoscentes, cum his quæ deprædauerunt redierunt,vnde venerunt,ad sua in Pannoniam. Interim vero quædam pars de exercitu illorum de Aquilonari parte Danubii fluminis partem illam deuastando procupere. Quod vt Luitpoldo comiti compertum foret, moleste hoc patiendum ferens, contra exisse cum quibusdam primoribus Baiovvariorum, vno tantũ Euchario Patauiensis sedis Episcopo comitante, vltra Danubium eos insequendum se transposuit. Consertoq; illico cum illis prælio, nobiliter dimicatum est, sed nobilius triumphatum. Nam in prima congressione belli tanta Dei gratia Christianis occurrit,vt mille cc.gentilium inter occisos,& qui se in Danubio merserunt,perempti inueniantur. Vix tantum vnum de Christianis occisum in apparatu belli inueniunt,in cœlo inde Deo gratias clamantes ferebant, qui non in multitudine hominum, sed misericordiarum suarum pietate, bene sperantes in se seruasset. Tandem læti post tantam victoriam.*.in eodem namq; loco,post victoriam illis cœlitus datam congressi...magno.*.*.

CHRONICON LAVRISHAMENSE.

A PRIMA EIVS COENOBII FVNdatione per Cancronem comitem Rhenensem sub Pipino rege, vsque ad annum Domini MCLXXIX. sub Friderico Imp. deductum.

E PERVETVSTO CODICE IPSIVS Monasterii, in archiuis Palatinis.

CHRONICON LAVRESHAMENSE.

DE FVNDATIONE LAVRESHAMENSIS monasterii.

ANno Dominicæ incarnationis DCCLXIIII. Pippini vero regis Francorum (qui ex sententia Zachariæ Papæ deposito Hilderico, per beatum Bonifacium Magontinæ sedis archiepiscopum & martyrem, ex præfecto palatii in regiam dignitatem est vnctus, ac postea per Stephanum Papam apostolica vnctione confirmatus) anno XII. Cancor illustris Rhenensis pagi comes cum matre sua religiosa & Deo acceptabili Willisvvinda, vidua Ruperti comitis, monasterium Lauresham in insula, quæ nunc appellatur Aldenmunster, initiantes venerabili Rutgango Metensis Ecclesiæ archiepiscopo ad instituendam inibi monasticæ professionis militiam tradiderunt: nullius quidem episcopii seu cuiuslibet iuri aut dominio subiicientes; sed quia minus id per se poterant, tanquam consanguineo & tum in Dei rebus viro spectatissimo perficiendum gubernandumque sub traditionis titulo commendantes. Qui vt desiderii sui promtiorem sortirentur effectum, famulorum Dei qui illic adunandi erant, prouidentes commodis Ecclesiam in Scarra cum suis appenditiis, prædium suum in Magontia, villam quoque Hagenheim cum omni integritate in possessionem eiusdem monasterii contulerunt, ecclesiamq; ibidem in honore beati Petri Apostoli præfatum Pontificem consecrare exorauerunt.

Cancor comes pagi Rhenensis.

Rutgangus Metens. archiepiscopus.

Donatio domnæ Willisvvindæ, & filii eius Cancronis Comitis, de Hagenheim.

ANno duodecimo regnante domno nostro Pippino rege, sub die IIII. Id. Iulii, ego Willisvvinda Deo sacrata, & filius meus Cancor Comes, pro Dei intuitu vel pro animæ nostræ remedio seu & pro æterna retributione, vt non inueniat in nobis vltrix flamma quod deuoret, sed Domini pietas quod coronet, ideoque nos in Dei nomine donamus ad sacrosanctam ecclesiam sancti Petri seu ceterorum sanctorum, quæ est constructa in loco nuncupato Lauresham, in pago Rhenense, super fluuium Wisgoz, quam nos propter nomen Domini nouo adsificauimus, vbi præest vir venerabilis Ruodgangus archiepiscopus & abbas, donatumq; in perpetuum esse volumus, & promtissima voluntate confirmamus: hoc est, villam nostram in pago Wormatiense, in loco qui dicitur Hagenheim, super fluuium Salusiam, quæ mihi de parte genitoris mei nomine Adelhemi legibus obuenit, vel vndecunq; tam de alode, quam de comparato, seu de quolibet adtractu ad nos noscitur peruenisse, cum integritate sua, terris, domibus, ædificiis, campis, pratis, vineis, siluis, aquis aquarumve decursibus, farinariis, litis, libertis, conlibertis, mancipiis, mobilibus & immobilibus, peculio vtriusque sexus tam maiore quam minore genere vel ætate, quicquid dici aut nominari potest, re inexquisita cum omni suppellectile, sicut à nobis moderno tempore

tempore poſsideri dinoſcitur, donamus, tradimus atq; transfundimus: ita vt ab hac die iam dictus domnus Ruodgangus, vel ſui monachi qui ibidem in ipſo monaſterio habitare videntur, vel ſucceſsores eorum habeant, teneant, atque poſsideant, & quicquid exinde facere pro oportunitate loci ipſius voluerint, liberam & firmiſsimam in omnibus habeant poteſtatem. Si quis vero quod futurum eſſe non credimus, ſi nos ipſi, vel aliquis de heredibus vel pro heredibus noſtris, ſeu quælibet vlla extranea perſona vel quicunque contra hoc teſtamentum, quod nos ſpontanea voluntate fieri decreuimus, venire temptauerit, aut id infringere voluerit: ante tribunal Chriſti in die iudicij rationem cum ipſo ſancto Petro deducat, & inſuper inferat partibus ipſorum monachorum vna cum partibus fiſci auri libras 5. argenti pondera decem, & quod repetit, hoc omnino euindicare non valeat, ſed præſens donatio teſtamenti huius omni tempore firma & inuiolata permaneat ſtipulatione ſubnixa. Actum Lauresham publice ſub die & tempore duo ſupra. Signum † Williſvvindæ Deo ſacratæ, & ſignum † Cancronis Comitis filij eius, qui hoc teſtamentum fieri & firmari rogauerunt. Signum Heimerici filij Cancronis. Ego Automadus Treuerorum epiſcopus ſubſcripſi. Ego Albericus epiſcopus. Ego Iohannes epiſcopus. Ego in Dei nomine Helmericus notarius ex iuſſu domini Ruodgangi archiepiſcopi cartam hanc ſcripſi, diemq; & tempus vt ſupra deſignaui.

DONATIO CANCRONIS DE BIRſtat, & termino ipſius villæ.

EGo in Dei nomine Cancor, & Angila coniux mea, cogitantes caſum humanæ fragilitatis, qualiter peccata noſtra poſsimus minuere (donante domino) & æterna gaudia peruenire, idcirco pro animæ noſtræ remedio, vt dominus Ieſus Chriſtus veniam de peccatis noſtris tribuere dignetur, donamus, tradimus, vel firmamus ad monaſterium ſancti Petri quod appellatur Lauresham, ſeu & ſanctum Nazarium martyrem, qui ibidem in corpore requieſcit, vel ad illam congregationem monachorum quæ ibidem conuerſari videtur, vbi vir venerabilis Gundelandus abbas præeſſe videtur, donatumq; in perpetuum eſſe volumus & promtiſsima voluntate confirmamus: hoc eſt, terram & ſiluam quæ eſt in illa marcha de Birſtat, ſeu in ipſo fine: de illo rubero qui eſt de eccleſia ſancti Nazarij ad partem meridianam inter partem ſancti Petri, per Agilofum & ſuos conſortes pro ſigno inciſa: & inde ad partem orientalem vſque in fluuium certum Wiſgoz, vbi marcha de Baſinsheim coniungit: & de ipſo rubero ad partem Aquilonis, ſicut ipſa inciſio arborum in ipſa die facta fuit, quæ vulgo lachus appellatur ſine diuiſio: & ſic ad illam ligneam crucem quæ eſt poſita iuxta illam viam quæ venit de Birſtat, & inde ad partē Aquilonis: ſicut illa inciſio arborum ſeu lachus in ipſa die facta fuit, vſq; ad illum monticulum, qui quaſi terminus apparet: & inde per ipſam inciſionem arborum ſiue lachum vſque in certum Wiſgoz, vbi marcha de Baſinsheim coniungit: quicquid infra illam inciſionem arborum ſeu lachum ſine diuiſionem vſque ad marcham de Baſinsheim, de dote Angilæ, vel de qualibet parte noſtra ibidem videtur eſſe portio, ſiue poſſeſsio vel dominatio, tam terris, quam ſiluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, omnia & ex omnibus totum & ad integrum ad iam dictum monaſterium ſiue ad ſanctum Nazarium à die præſente donamus, tradimus atque transfundimus in Dei nomine perpetualiter poſsidendum: ita vt ab hac die ipſi monachi vel ſucceſſores eorum habeant, teneant atque poſsideant, & neque nos neque vllus de heredibus noſtris, neque vlla obpoſita extranea perſona de ipſa terra vel de ipſa ſilua vllo vnquam tempore ipſos monachos vel ſucceſſores eorum eiicere nec contradicere poſsit, nec vllam inquietudinem vel calumniam generare præſumat: ſed ad iam dictū monaſteriū omni tempore proficiat in augmētis. Si quis vero (quod futurum eſſe minime credimus) ſi nos ipſi aut vllus de heredibus noſtris, ſeu quælibet vlla extranea obpoſita perſona contra hanc donationem à nobis factam venire tentauerit, aut eam infringere vel immutare voluerit, caueat ne iram Dei omnipotentis acquirat, & inſuper inferat vna cum ſocio fiſco auri libras 3. argenti pondo 5. multam ſuſtineat, & quod repetit euindicare non valeat, ſed præſens donatio iſta omni tempore firma & inuiolabilis permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum in monaſterio Lauresham publice, ſub die Kalend. Iunij, anno ſecundo regnantibus glorioſiſsimis regibus Karolo & Karlomanno. Signum Cancronis Comitis & Angilæ coniugis eius, qui hanc donationem fieri & firmari rogauerunt. Signum Thurincberti fratris ipſius Cancronis, & Heimerici filij ſui, & aliorum. Ego Guario lector hanc donationem ſcripſi.

Reuerendus itaque Pontifex Rutgangus votum ac petitionem venerabilis Williſvvindæ filiique eius Cancronis gratanter amplexus, cum ipſius monaſterii curam gubernationemq; per ſe exequi non poſſet, vtpote & eccleſiaſticis & regalibus negotiis iugiter occupatus, Gundelandum germanum ſuum, prudentem admodum & ſanctæ conuerſationis virum, fratrique per omnia ſimilem, eidem loco præfecit, ipſumq; cum omnibus pertinentiis ſuis eo tenore, quo ſibi tradita fuerant, ſuæ diſpenſationi commendauit. Fratres quoque maturæ ætatis & conſilii Dominiq; timentes, Reginfridum videlicet & Vluinum cum aliis XIII. à Gorzienſi monaſterio (quod ipſe pridem conſtruxerat) cum ipſo direxit, cuncta eis neceſſaria tam in alimentis quam in cæteris ſubſidiis impartiens. Interim miſſis ad Apoſtolicam ſedem legatis, pro cuius liberatione ab oppreſſione Haiſtulfi regis Longobardorum multa inſtantia laborauerat, expetiuit à Paulo Papa corpora ſanctorum Martyrum, in quorum honore conſtructas à ſe monaſteriorum conſecraret eccleſias. Cuius deuotionem ac meritum erga Romanam Eccleſiam apoſtolicus Pontifex debito fauore proſequens, tranſmiſit ei ſanctum Nazarium, Naborem, & Gorgonium, per Williharium Sedunenſem Epiſcopum delatos ad Gorzienſe monaſterium. Euoluto dehinc anni circulo in eccleſia Gorzienſi ſanctum Gorgonium, in eccleſia Hylariacenſi ſanctum Naborem collocauit; beatum vero Nazarium ad Laureshamenſe monaſterium deſtinauit. In cuius occurſum tota ſimul prouincia, plebsq; vtriusque ſexus, iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus, vſque ad ſaltum qui Voſogus dicitur, cateruatim ruunt; Comitesq; nobiliſſimi Cancor & Warinus, cæterique id locorum illuſtres & ſpectabiles viri, theſaurum beati corporis ſibi diuinitus deſtinatum propriis humeris excipiunt, & cum hymnis canticisque ſpiritualibus proſequente infinita populi multitudine vſque ad locum cœlitus prouiſum deferunt.

GVNDELANDVS, abbas primus.

Gortz.

Lamb. Schaffn. 765.

B. Nazarii ipſius.

Voſegus ſaltus.

Aldenmunſter.

Verum quia ſinus inſulæ illius, de qua ſupra meminimus, breuis admodum & conſtrictus tantæ multitudinis receptui & cotidianæ frequentiæ non ſufficiebat; & ſitus ipſe loci monaſterio, tanti nominis & dignitatis per merita ſui martyris poſtmodum futuro non adeo competebat: eadem omnium vota, eadem ſententia fuit, vt in editiorem locum vti nunc cerni datur, tam monaſterii quam eccleſiæ fabrica multo amplianda transferretur. Cuius rei executio Gundelando abbati per venerandum Pontificem artius iniuncta eſt, & ab ipſo ſtrenue ſatis & magnifice effectui mancipata. Qui non multo poſt humanis rebus exemptus migrauit ad Dominum; vir egregius meritiq; incomparabilis, & omnibus efferendus præconiis. Qui inter cætera valde memorabilia Stephanum Papam ad Galliam euocans, & Pippinum cum totis Francorum viribus contra Longobardorum tyrannidem accingens, exarchatum Rauennatem, pluraque beati Petri patrimonia Romanæ ſedi reſtitui iuge ſtudium & operam impendit. Clerum quoque ſuæ dioceſis à religionis feruore iam tunc (vt & nunc) omnimodis exorbitantem, inſtar cœnobiorum adunans, regularia eis præcepta qualiter in eccleſia militare deberent, vitæque neceſſaria ſufficienter inſtituit. Monaſteria quoq; Hilariacenſe, Gorzienſe, Laureshamenſe à fundamentis exſtruxit. Poſt cuius exceſſum Gundelandus traditum ſibi à fratre locũ ſumma induſtria & religionis obſeruantia gubernabat, creſcebatque in dies locus ipſe, & magnificabatur ab omnibus, tam in rebus quam in poſſeſſionibus: ſed & quod maius eſt, in diuino cultu & ſanctæ obſeruationis profectu, atq; dominici gregis incremento, Domino cooperante & ſancti martyris ſui Nazarii merita confirmante ſequentibus ſignis.

Rutgangi bona merita.

KAROLVS M. rex Francorum.

Anno deinde Dominicæ incarnationis DCCLXXVI. regni vero Karoli regis & poſtea Imperatoris anno VIII. Heimericus comes filius Cancronis, mortuis patre & auia cernens præfatum locum ex paruo & modico ad tantum rerum & famæ prouectum, eminentiam, nitebatur eum ſibi proprietatis titulo vendicare. Cuius rei actione ad palatium delata, & allegatione vtriusq; partis audita, iuxta legem Francorum diffinitum eſt; Gundelandum iure poſſidere, quod ſibi fuerat à fratre ſine contradictione collatum: nec Heimericum poſſe repetere, quod pater eius & mater probantur ſoſpites in ſcriptis tradidiſſe. Heimerico igitur ſe de hoc loco legaliter abdicante. Gundelandus accepit à rege chartam euindicatoriam, hunc modum conti-

Heimericus Cancronis f.

nentem: *Præceptum euindicatorium magni Karoli. Karolus gratia Dei rex Francorum, vir illustris. Veniens ad nos Haristellio palatio vir venerabilis Gundelandus abba de monasterio Lauresham, vbi sanctus Nazarius martyr in corpore requiescit, nobis innotuit, eo quod homo aliquis nomine Heimricus de ipso monasterio calumnias generare voluisset, dum diceret, quod suus pater Cancor eum de ipso monasterio vestitum dimisisset. Et ipse Gundelandus præsens astabat, & causam in omnibus denegabat, dum diceret, quod auia ipsius Heimerici nomine Willisvvinda, vel genitor suus Cancor germano suo domino Ruodgango Archiepiscopo tradidisset vel confirmasset, & talem cartam nobis exinde protulit ad relegendum. Tunc ipse Heimricus ante nos taliter fuit professus, quod de hac causa, vel de ipso monasterio superius nominato in antea nunquam tempore debeat calumniam generare, sed per festucam ante nos exinde dixit existum. Tunc nos vna cum fidelibus nostris, id est, Hagino, Rathlando, Wichingo, Frodegario, comitibus: necnon & vassis nostris Theodorico, Bertholdo, Alburino, Frodberto, Gunthmaro, taliter visi fuimus iudicauisse, vt de hac causa omni tempore ipse Abbas habeat euindicatum atque elitigatum, & sit illis in postmodum ex hac re sublata causatio.*

Gundelandus igitur abbas in iuris sui quieta possessione, tunc dictante iustitia, tum regia auctoritate confirmatus, Laureshamense monasterium cum omnibus illuc pertinentibus in manus & mundeburdem * glorioſi regis Karoli tradidit, quatenus priuilegiis insigniretur regalibus. Cui benignissimus rex priuilegia libertatis & æmunitatis contulit, liberamque abbatis electionem fratribus eiusdem monasterii in perpetuum præstitit. quorum tenor talis est: *Karolus Dei gratia rex Francorum, vir illuster, omnibus episcopis, abbatibus, comitibus vestrisq; iunioribus, atq; missis nostris discurrentibus: Quicquid pro oportunitate ecclesiarum, vel quiete seruorum Dei erexerimus, hoc nobis proculdubio Domino adiuuante ad æternam beatitudinem proficere confidimus. Igitur dum vestræ solertiæ notum est, qualiter bonæ recordationis domnus Ruotgangus archiepiscopus in monasterio quod vocatur Lauresham, quod ei per traditionem Willisvvindæ & Cancrini obuenerat, monachorum turmam non modicam propter seruitium omnipotētis Dei coadunauit: vbi ob integram deuotionem sanctum corpus beatissimi Nazarij recondidit. supra quod etiam Gundelandum monasterij abbatem atq; heredem in eodem sancto loco post se visus est reliquisse. Sed postea dum præfatus Gundelandus abbas cerneret ipsius sancti loci imminere periculum, atq; vereretur, ne desolatio propter intentionem iniquorum hominum & ipsis monachis fieret, ad nostram visus est accessisse præsentiam, qui & ipsum monasterium in manu nostra tradidit, etiam & secum omnem congregationem suam in mundeburdem & defensionem nostram plenius commendauit. Quem nos gratulanti animo tam propter mercedis augmentum, quam & pro eodem grege saluando visi fuimus percepisse. Petiit etiam memoratus abbas suiq; monachi talem à nobis auctoritatem, vt quotiescunque abbatem iam dicti monasterij ex hoc contigerit seculo migrare ad Dominum, inter se quem dignum honoris huius inuenerint, vnanimiter ex semetipsis eligere deberent. Quorum petitionem ob amorem Dei & nostræ mercedis cumulum nequiuimus denegare: sed ita præstitisse vel in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes enim iubemus, quia cognoscimus quod ipsa congregatio sub recto ordine viuere, & in regula sancti Benedicti conuersari desiderat, vt nostro quidem permisso semper super se ex ipsa congregatione, qui Deo acceptabilis sit, eligere valeant abbatem, quatenus inter ipsum gregem * quia bom ibidem congregati in vnum præstare, ne quis ex aduerso eum diripiendum adueniat, sed de proprio semper gaudere patrono valeant: quia nolumus, vt per aliquam occasionem ipsi monachi, quos domnus Ruodgangus etiam & Gundelandus ad opus Dei exercendum congregauerunt, vllo vnquam tempore exinde alienati aut dispersi, nec ipsi nec successores eorum esse debeant: sed sicut in testamento illius donationis, quam per Willisvvindam & Cancrinum adepti sunt, continetur, ita in omnibus circa ipsam congregationem sit conseruatum, vt valeant regulam sancti Benedicti perpetualiter, sicut ordo edocet, & corporis fragilitas permittit, custodire, & sub nostra (vt diximus) mundeburde vel defensione in ipso monasterio quiete viuere vel residere. Propterea hanc præceptionem nostram eis dedimus, per quam omnino iubemus, vt nullus quislibet de Episcoporum personis, in cuius parochia ipsum monasterium fundatum esse cernitur, aut de cæteris hominibus, quis iam dictum Gundelandum abbatem vel monachos ex ipso monasterio & homines qui ad eos iuste & rationabiliter spectare videntur, inquietare aut contingere, vel contra rationis ordinem facere præsumat, sed semper valeant sub nostra defensione, seu sub heredibus nostris omni tempore (vt di-*

* Id est, defensionem.

ximus) quieti residere, & ea quæ illis propter nomen Domini concessimus, bene semper in omnibus perfrui: quatenus delectet abbatem vel monachos ex ipso monasterio pro nobis & nostra subsequente progenie seu gente Francorum, domini misericordiam adsentius deprecari. Et vt hæc autoritas firmior habeatur, vel per tempora melius seruetur, manu propria subter firmauimus, & de annulo nostro sigillari iussimus. Signum Karoli gloriosissimi regis. Witgowo vice cognoui.

Item, eiusdem priuilegium immunitatis, & de libera electione abbatis.

*Karolus Dei gratia rex Francorum, vir illuster, omnibus fidelibus nostris tam præsentibus quam & futuris. Cum recta petitio sacerdotum pro oportunitatibus locorum sanctorum pertinens ad aures clementiæ nostræ processerit, talem decet esse obauditam vel effectu in Dei nomine mancipatam, vnde æterni retributoris veniam mereamur adipisci, & eos delectet pro stabilitate regni nostri iugiter exorare, vel in omni parte erga nostrum fideliter assistere. Igitur cognoscat magnitudo seu vtilitas vestra, quod nos ad monasterium, quod dicitur Laureshaim, quod est constructum in honore beatorum apostolorum Petri & Pauli vel ceterorum sanctorum, & vbi pretiosus domnus & sanctus præclarus martyr Nazarius in corpore requiescit, & in virtute fulgescit, & venerabilis vir Gundelandus abba vna cum norma monachorum præesse videtur, infra pagum Rhenensem, super fluuium Wisgoz, integram immunitatem eius merito compellente plena & integra gratia pro mercedis nostræ augmento vel pro eius quiete aut successorum illorum visi fuimus concessisse. Quapropter hoc præceptum specialius decernimus ordinandum, quod in perpetuum volumus esse mansurum, vt neq; vos neq; iuniores seu successores vestri, nec quislibet de iudiciaria potestate accinctus, in curtu vel villis ipsius monasterij aut ecclesiæ suæ aspicientes, in quibuslibet pagis atq; territoriis, tam quod præsenti tempore videtur possidere, vel dominicare, quam quod adhuc ex munere Regum seu reginarum, seu quod pro collata populi, vel de comparato, vel de quolibet adtractu augmentare vel inmeliorare seu adtrahere potuerint, ad causas audiendum, vel freda vndiq; exactandum, nec fideiussores tollendum, nec mansiones aut paratas faciendum, nec ad homines suos tam ingenuos quam & seruientes seu accolas ipsius monasterij distringendum, nec vllas redhibitiones publicas requirendum, nec exactandum quod ad partem fisci nostri exinde redhibetur, penitus ingredi iudiciaria potestas, aut missi nostri discurrentes non præsumant. Sed omnes villas suas sub immunitatis nomine cum omnibus fredis, aut coniectas * seu publicas redhibitiones concessas, omnia (sicut superius comprehensum est) tam ipse Abbas quam & successores sui in Dei nomine valeant possidere vel dominari: vt nullus quislibet de fidelibus nostris tam præsentibus quam & futuris, hoc quod nos pro nostra mercede vel pro stabilitate (Deo adiuuante) regni Francorum ad ipsam casam Dei indulsimus vllo vnquam tempore vel quolibet ingenio irrumpere videatur, sed (sicut superius meminimus) nostris & futuris temporibus absque vlla contrarietate partibus prædicti monasterij volumus in omnibus esse conseruatum atque indultum. Et vt hæc auctoritas firmior habeatur & per tempora melius conseruetur, manu propria subter decreuimus roborare, & de annulo nostro sigillari præcepimus. Signum Karoli gloriosissimi regis. Rado ad vicem Rindberti recognoui. Datum in mense Maio, anno quarto regni nostri. Actum Theodone villa, palatio publico, feliciter.*

Tali priuilegiorum prærogatiua insignitum Laureshamense monasterium piissimus rex Karolus, etsi nondum nomine, re tamen ipsa diuus Imperator & semper Augustus, ampliori adhuc munificentia per idem tempus sublimauit. cui villã Hep-
Heppẽheim villa. henheim cum omnibus terminis & appenditiis suis omni integritatis iure contulit.

Subsequente post hæc anno, id est, Dominicæ incarnationis DCCLXXVII. sed à fundatione siue exordio Laureshamensis monasterii, anno XIII. regni vero Karoli (ex quo defuncto fratre suo Karolomanno monarchia ad eum transiit) anno VI. Gundelandus abbas perfecta iam templi fabrica, & vt domum Dei decebat, o-
Spirea ciuitas. mni specie decoris exornata, apud Spiream ciuitatem Regi occurrit, magnopere deprecans, vt ipsius ecclesiæ consecrationi præsens interesse dignaretur. Cui pius rex benigne assentiens cum regina Hildigarda filiisq; Karolo, Pippino, Ludvvico, ac plurimis regni principibus, per Lullum Magontinæ sedis archiepiscopum, & beati Bonifacii episcopi & martyris successorem, atque per episcopos Megingozum, Wiomudum, Angitrammum, Waldricum, magnifico apparatu & summa veneratione, in capite Kalendarum Septembrium dedicationem eiusdem ecclesiæ celebrauit,

brauit,corpusq; beati martyris Nazarii domini & patroni nostri in eam maximo deuotionis honore transtulit. Vbi quanta miracula, quæ virtutum insignia per ipsius merita diuinitus effulserint,quanta pro diuersis morbis, casibus, miseriis, angustiis remedia pro ex tunc & deinceps prouenerint; non est nostræ facultatis euoluere, præsertim cum sit de his libellus a maioribus nostris prosaico metricoq; stylo satis elucubrate compositus. *Anno 774. secundum annales Karoli M. & Fuldenses.* *Miracula B. Nazarii.*

Præterea quoque excellentissimus Rex inter cætera liberalitatis suæ dona, quæ velut alter Salomon in simplicitate cordis sui Domino lætus obtulit, villam Obbenheim sitam in pago Wormaciense super fluuium Rhenum, cum omni integritate Laureshamensi monasterio tradidit, per quam eandem ecclesiam in die consecrationis largissime dotauit. *Oppenheim villa.*

Tantis munificentiæ suæ beneficiis adiecit clementissimus rex piscationis concessionem in Reno flumine in loco cognominato Godenouua, infra finem Hostat, vt abbas & fratres licentiam haberent ad vinnam faciendum & ad piscandum, pro oportunitate ecclesiæ & stipendio ipsorum fratrum: & vt de silua, quæ ad illam villam aspicit (cum fructuosa nullatenus esse videretur) vinnam faciendi vel emendandi haberent potestatem,in quantum eis opus esset prendere vel copulare. Item vt in alia marca, quæ ad Virnheim pertinet de pago Lobodense, vsque ad fluuium Wisgoz viam integram ad carracandum * siue itinerandum habere debeant, & super ipsum fluuium contra ipsum viam faciendum, tam super fluuium Wisgoz,quam & sup alios lacus. Cætera quoq; multimodis monasterii vtilitatibus oportuna cõcessit. * carrigandum.

Breui dehinc interiectu tẽporis Gundelãdus instante sibi diuino vocationis brauio,misit ad regem Aquisgrani,consulens & obsecrans, quatenus ei liceret extremũ vitæ cursum iam peragendi aliqua de monasterii rebus impendia pro animæ remedio pauperum indigentiæ prærogare.Qui(vt erat pronæ in omnes clementiæ,& maximę circa inopes compassionis) indulsit ei tertiam partem, rerum duntaxat mobilium,in pauperum pro arbitrio suo distributionem. Instruantur hoc exemplo nostri temporis ecclesiarum prælati,qui rebus earum & possessionibus sibi creditis insolẽter abutuntur:cum pater iste,imperialis abbas, regni princeps, diues & præpotens, magnæ famæ,clari generis, nihil præsumpserit absq; regis vel consilio vel præcepto, etiam in ipso mortis articulo,de rebus monasterii disponere. Tanta tunc erat religionis cura,iuris obseruantia,legum regumq; reuerentia. Rexit ipsum locũ annos XIII. *Nota.*

ANNO Dominicæ incarnationis DCCLXXIX.

Gundelando igitur deposito carnis onere ad cœlestia commigrante,substituitur HELMERICVS, vir religiosus & sapiens, fratrum quidem electione ex ipsius congregationis corpore,& glorioſi regis Karoli institutione. Hic ecclesiæ laquearia fecit,pauimentum strauit,tumbam sancti Nazarii auro argentoq; decorauit, altare etiam simili impensa & opera mirificauit,quod postea ad ecclesiam sancti Petri, quę dicitur Altenmunster,translatum est. *HELMERICVS abbas II.*

Iste pater amissis seu casu seu imprudentia quibusdam donationum chartis,quibus res monasterii continebantur insertæ,regiam expetiuit auctoritatem, quatinus ea,quæ bona fide & iusto titulo absq; omni interpellatione eatenus possidebat,iterato confirmaret priuilegio,quod tale est: *Karolus gratia Dei rex Francorum & Longobardorum,ac patritius Romanorum. Notum sit omnibus fidelibus nostris tam præsentibus, quam & futuris,qualiter veniens Helmericus abba in præsentiam nostram nobis innotuit, eo quod cartæ per diuersa loca ecclesiæ suæ sancti Nazarij peritæ fuissent & naufragatæ, & res eorum per diuersa loca habuissent, vnde ad præsens vestiti essent in regno nostro Deo propitio, & vbicunque ad præsens vestiti fuissent. Nos pro eius petitione tale præceptum ei emisimus, atq; prædecessoribus suis, dum ipsa casa Dei vestita fuit ad præsens, omnia & ex omnibus ex nostra auctoritate absq; refragatione cuiuscunq; quieto ordine, quicquid iuste & rationabiliter antea tenuerunt per dationes aut commutationes, ex nostra auctoritate habeant & defensare valeant secundum legem,sicut per apertam cartam vsq; nunc auctoritas regum defensauit & denuo confirmauit. Et vt hæc auctoritas firmior habeatur, vel per tempora melius conseruetur, de annulo nostro subter sigillauimus. Signum Karoli gloriosissimi regis. Giltbertus ad vicem Radonis recognouit.*

ANNO Dominicæ incarnat. DCCLXXXV.

RICHBODO abbas III.

Decedente quoq; Helmerico, expletis in regimine annis v. substituitur RICHBODO, vir plane dilectus Deo & hominibus, simplex & sapiens, atq; tam in diuinis, quam in secularibus disciplinis adprime eruditus. Deinde per annos decem in archiepiscopatum Treuerensem à piissimo rege Karolo prouectus, præsedit ibidem annos x. menses VIII. Qui statim in primordio destructis ligneis domibus, in quibus fratres eatenus commanebant, in Aquilonali videlicet parte, claustrum muris circumdans ad meridianam partem (vti nunc videtur) transtulit: dormitorium quoque cum ecclesia triplici fecit; cancellos circa requiem beati Nazarii ex auro argentoq; mirifice vestiens, pauimentum etiam coram altari vario stratum marmore sublimauit. Præfuit Laureshamensi monasterio annis XX. mensibus VIII. Treueris defunctus, Lauriss æ sepultus est.

ANNO Dominicæ incarnationis DCCCV.

ADALVNGVS abbas IV.

Post excessum Richbodonis successit ADALVNGVS, vir potens in opere & sermone, & iuxta cor Domini electus. Qui susceptо huius loci regimine, nobiliter cuncta extrinsecus, nobilius quoq; templum intrinsecus vario venustauit decore. Quippe altare dominicum (vt nunc est) quatuor ex partibus tabulis argenteis inclusit, nec minus altare ad crucem, atq; S. Iohannis Baptistæ, sanctæ quoq; Mariæ virginis, præterea altare S. Petri in ecclesia triplici mirifice perornauit: auream quoq; crucem & opere & materia aliis pretiosiorem fabre fieri iussit. Multis deniq; virtutibus florens, decursis in huius loci regimine annis XIII. sapientiæ ac pietatis merito vitam consummauit honestam. Iste pater regnante iam tunc Ludovvico pio, Karoli Magni ac beati diui Imperatoris ac semper Augusti filio, ac veluti post bellicosum patrē Dauid Salomone pacifico, imperialem expetiuit magnificentiam, quatinus de libertate & immunitate Laureshamensis monasterii & abbatis electione paternam roboraret auctoritatem. Idem etiam piissimus Imp. paternam concessionem de piscatione in Reno, cum cæteris eis confirmauit.

*LVDOVICVS pius Imperator. Imma Caroli M. F. Einhardus notarius. * Ita nominatur in sequentibus literis Ludouici Imp. & ipsius Einhardi, uncta Imma: Quā postea mortuā grauissime luxit, vt appareat ex epistolis ad ipsum consolatorijs Lupi abbatis Ferrariæ, sub Carolo Caluo Imp. & respōsione ipsius Einhardi, in quibus Venerabilis coniux, fidissima coniunx gratissima vxor, nobilissima fœmina, memorabilis fœmina vocatur. Quæ elogia aliquam huic narrationi fidem conciliare videntur: sed & illa verba Lupi epist. 11. Neque enim huic infortunio cedere debetis, qui blandimēta leuioris fortunæ fortis semper animo deiecistis.*

DE MICHLENSTAT.

QValiter vero cella Michelenstat sub hoc piissimo principe Carolo M. per venerabilē Einhardū Laureshamēsi monasterio accesserit, prout à maioribus nostris memoriæ traditū est, perstringamus. Est enim res tū cognitu & admiratione digna, cum quanta vel qualis olim imperialis excellentiæ & erga subditos pietas, & erga deuotos liberalitas, & erga suorum excessus clementia fuerit, euidens exemplum. Hic igitur Einhardus Archicapellanus notariusq; Imp. Caroli, cum in aula regia laudabiliter seruiēs, diligeretur ab omnibus, à filia quoq; ipsius Imperatoris Imma * nomine, regi Græcorum desponsata, amabatur ardentius. Aliquantum temporis fluxerat, & amor alternus cotidie inter ambos per augmenta crescebat. Vtrosq; enim timor retardauit, & offensio regia, ne tam grauia conueniendi inirent conamina. Sed amor improbus omnia vincit. Deniq; cū idē vir egregius inremediabiliter amando æstuaret, auresq; virginis per internunciū appellare nec præsumeret, nouissime sumpta de semetipso fiducia, nocturno tēpore latenter ad puellæ tēdebat habitaculū. Ibidemq; pulsans clanculū, & intrare permissus, tanquā allocuturus iuuenculā de regali mandato, statim versa vice solus cū sola, secretis vsus alloquiis, & datis amplexibus, cupito satisfecit amori. Interea cum iam appropinquante luce diei, per silentia noctis, vnde venerat, regredi vellet, de improuiso niuē haud modicā decidisse cognouit; & ne per vestigia pedū viriliū agnitus proderetur, foras exire timuit: ambosq; pro conscientia facti, anxietas simul & formido intus remanere cōpulit. Cumq; nimia sollicitudine fluctuantes, quid facto opus esset, deliberarēt; tandē elegantissima iuuencula, quam audacē faciebat amor, consiliū dedit, vt ipsa quidem super se insidentē inclinata exciperet, eumq; vsq; ad locū illius hospitio cōtiguum ante lucanū deportaret, ibiq; eo deposito, rursum per eadē vestigia cautius obseruata rediret. Eam noctē Imperator diuino (vt creditur) nutu insomnem duxit, diluculoq; consurgens, eminusq; de aula prospiciens, intuitus est filiam suam sub præfato onere nutanti gressu vix incedere, & ad condictum locum deposita, quā gestabat sarcina, celeri repedare recursu. Quibus multo intuitu perspectis, Imp. partim admiratione, partim dolore pmotus, nō tamē

absque

absque diuina dispositione id fieri reputans, sese continuit, & visa interim silentio suppressit. Interea Einhardus sibi conscius certusq; rem nullo modo dominũ suum Regem diu latere posse, tãdem inter angustias reperto consilio Imperatorem aggreditur, flexis genibus missionem postulans, asserens tot & tantis seruitiis suis condigna non rependi præmia. His auditis Rex dissimulato rei & euentu & exitu diu cõticuit: dehinc eum certificans se postulationi eius quantocius responsurum, diem constituit: statimq; consiliarios primosq; sui regni & cæteros quosq; sibi familiares passim euocatos conuenire iussit. Congregata itaq; magnifica diuersarum dignitatum frequentia, ita exorsus est: Imperatoriam inquiens maiestatem nimis iniuriatam esse & despectatam, in indigna filiæ suæ * notariiq; sui copulatione, & exinde non mediocri sese agitari perturbatione. Quibus nimio stupore perculsis, & de rei nouitate & magnitudine quibusdam adhuc ambigentibus, Rex innotuit eis euidentius, referẽs eis à primordio quid per semetipsum oculata fide cognouerit, consiliumq; eorum atq; sententiam expostulans super hoc. At illi inter se diuersi diuersa sentientes, in præsumptorem huius rei duras & varias dedere sententias, aliis sine exemplo puniendum, aliis exilio damnandum, aliis alio modo disperdendum (vt cuique impetus erat) adiudicantibus. Porro quidam ex eis tanto mitiores, quanto sapientiores, habita secum deliberatione quam intime Regem exorauere, quatenus ipse rem per semetipsum examinare, & secundum diuinitus ei collatam sapientiam diffinire dignaretur. Verum vbi Rex singulorum circa se affectum ponderauit, & inter diuersorum sententias, quid potissimum consilii sequeretur expendit, sic eos alloquutus est: *Non ignoratis*, inquit, *humanum genus variis subiectum esse casibus, & frequenter euenire, vt res nonnullæ, quæ contrariis initiis inchoantur, meliorem aliquando sortiantur exitum. Proinde non est desperandum, sed potius super hac re, quæ & grauitate & nouitate sui nostrum exuperat ingenium, diuinæ prouidentiæ (quæ nunquam in sui dispositione fallitur, quæq; etiam malis bene vti nouit) pietas est exspectanda & expetenda. Quapropter tam tristis facti à notario meo non exigam pœnas, per quas infamia filiæ meæ magis videbitur augeri quàm minui. Vnde dignius & laudabilius imperij nostri gloriæ arbitramur congruere, vt data adolescentiæ venia, legitimo eos matrimonio coniungam, & rei probrosæ honestatis colorem superducam.* Regis igitur audita sententia, fit incomparabile gaudium, magnitudoq; animi eius ac mansuetudo summis effertur laudibus. Interim Einhardus iussus adesse, ingreditur: quem Rex exopinato salutans, ita eum placido vultu alloquitur: *Iamdudum auribus nostris à vobis delata est querimonia, quod seruitiis vestris regali munificentia hactenus non responderimus digne. Sed (vt verum fatear) maxime super hoc culpanda est vestra negligentia: quandoquidem licet sustineam tot & tanta negotia solus, tamen si quid voluntatis vestræ compertum haberem, seruitia vestra digno fuissem prosecutus honore. Verum ne vos diutino sermone protraham, querimoniis vestris amplissima donatione satisfaciam: & vt vos etiam fidelem mihi vt prius & benevolum posthac sentiam, iuri vestro nuptum tradam meam filiam, vestram scilicet patricẽ, quæ quandoque alte succincta vestræ subuectioni satis se morigeram exhibuit.* Protinus ad Regis edictum cum multo comitatu adducta est eius filia, quæ roseo vultum perfusa rubore, tradita est per manus patris in manus prædicti Einhardi, cum dote plurima, prædiorum quoq; nonnullorum, cum innumeris aureis argenteisq; donariis, aliisq; pretiosis suppellectilibus. Quibus etiam piissimus Imperator Ludouicus post obitũ patris, prædia sua videlicet Michlenstat & Mulenheim, quæ nunc appellatur Seliginstat, tradidit, huiusmodi donationis priuilegio:

* *forte naturalis.*

In nomine Domini Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, Ludovvicus diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus. Imperatoris celsitudini moris est, fideliter sibi famulantes donis multiplicibus atq; honoribus ingentibus honorare atq; sublimare. Proinde nos morem parentum nostrorum regum videlicet prædecessorum nostrorum sequẽtes, libuit celsitudini nostræ fidelem quendam nostrum nomine Einhardum de quibusdam rebus proprietatis nostræ honorare, atque in sui iuris potestatem liberalitatis nostræ gratia conferre. Nec immerito, quippe cum & fidelitatis obsequio & obedientiæ deuotione hoc apud serenitatem nostram digne mereatur adipisci, qui totis iussibus vsquequaq; nostro seruitio, nostris iussionibus fideliter parere studet. Inde nouerit experientia atq; vtilitas omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam & futurorum, quia concessimus eidem fideli nostro Einhardo, necnon & coniugi suæ Immæ, in partibus Ger-

Michelſtat. Odenwald. maniæ locum qui vocatur Michlinſtat, in ſylua quæ vocatur Odonevvald, in cuius medio eſt baſilica lignea modica conſtructa, de qua in omnem partem quaqua verſus pertinent ad eundem locũ inter campum & ſyluam leugæ duæ, id eſt, raſta vna. Intra cuius menſuræ circumplexum manent præſenti tempore ſerui noſtri proprij XIIII. cum vxoribus ſuis & filiis. Præter hos ſunt in eodem loco inter maſculos & fœminas mancipia XL. Hunc locum cum terminis ſuis ſub integritate & mancipiis ſuis, necnon & villam quæ dicitur Mulenheim, quæ eſt in pago Moynecgouveſita ſuper ripam fluminis Moyni, quæ quondam Drogonis Comitis poſſeſſio fuit, & habet baſilicam paruam muro factam, in qua villa ſunt manſi XIX. & ſerui præſenti tempore manentes cum vxoribus & liberis numero XIII. ceu & in altera villa eodem vocabulo ſuper eundem fluuium, quæ vocatur inferior Mulinheim, in qua ſunt manſi IV. & ſerui manentes totidem cum vxoribus & paruulis, qui pertinent ad ſuperius dictam villam. Hanc villam, id eſt, ſuperiorem Mulinheim, cum appenditiis ſuis & mancipiis propriis ad eam pertinentibus. Et hæc omnia ſupra ſcripta, cum eccleſiis, villaribus, domibus, mancipiis, ſyluis, terris, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, cultum & incultum, cum omnibus adiacentiis & appenditiis, totum & ad integrum, prædicto fideli noſtro Einhardo & coniugi eius Immæ in proprium per hanc noſtræ donationis auctoritatem conceſſimus: ita videlicet, vt quicquid ab hodierna die in futurum de prædictis rebus & locis, vel de his, quæ ad eas pertinent, iure hereditario facere voluerint, in omnibus potiantur arbitrio faciendi, & nullus quislibet ex fidelibus S. Dei Eccleſiæ & noſtris, de præſcriptis rebus memorato fideli noſtro & coniugi ſuæ à nobis conceſſis aliquid abſtrahere aut minuere tentet: ſed liceat eis ipſas res quiete habere & poſſidere, & cui voluerint iure hereditario relinquere. Et vt hæc auctoritas largitionis noſtræ per curricula annorum inuiolabilem atque inconuulſam perpetuo obtineat firmitatem, & à fidelibus noſtris tam præſentibus, quam futuris, ſeu etiam à ſucceſſoribus noſtris à nobis facta verius certiusque credatur, eam manu propria ſubterfirmauimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus. Heliſachar recognoui. Data III. Iduum Ianuar. Anno Chriſto propitio primo imperij Domini Ludouici piiſſimi Imperatoris Auguſti, Indictione VII. Actum Aquiſgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

Mulnheim.

Venerabilis itaque Einhardus ob honorem ſimul & amorem excellentiſſimi Karoli & piiſſimi Ludovvici Imperatorum, præfatum locum & cellam Michlenſtat cum ſuis pertinentiis Laureshamenſi monaſterio tradidit, atque per huiusmodi teſtamentum confirmauit:

Dominus ac redemptor noſter corporaliter in terris conuerſatus, homines variis peccatorum ſordibus inquinatos admonere dignatus eſt, dicens: Date elemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Et iterum: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula. Idcirco nos, in ipſius Dei omnipotentis & iſta iubentis nomine, Einhardus & Imma ſimul de ſalute animarum noſtrarum cogitantes, & de abolendis peccatis noſtris, beatæque ac perpetuæ vitæ præmiis conſequendis pari deuotione tractantes, hoc teſtamentum facere decreuimus, per quod ſpontanea & integra voluntate donamus, quod ab hodierna die donatum eſſe volumus, id eſt, cellam noſtri iuris vocabulo Michlenſtat, ſitam in pago Plumgouue, in ſilua, quæ dicitur Odenevvalde, ſuper fluuium Mimilingum, quam nobis glorioſiſſimus princeps domnus Ludouicus Imperator largiſſima liberalitate conceſſit, & de iure ſuo in noſtrum ius ſolenni donationi tranſtulit, ac præcepti ſui auctoritate in proprietatem nobis confirmauit. Hanc (vt diximus) cellam ſub integritate cum omnibus appenditiis & terminis ſuis, & cum omnibus ad ſe pertinentibus, id eſt, baſilicis, domibus, ceteriſque ædificiis, terris, pratis, ſiluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, cultis locis & incultis, mobilibus rebus & immobilibus, ac ſeipſas monentibus, mancipiis diuerſi ſexus & ætatis numero centum, donamus & tradimus ad baſilicam ſiue monaſterium venerandi martyris Chriſti Nazarij, quod vocatur Lauresham, & eſt conſtructum in pago Rhenenſe in ripa fluminis, quod dicitur Wiſgoz, vbi tempore præſenti vir venerabilis Adalungus abba Deo ſeruientis congregationis paſtor & rector eſſe cognoſcitur. Ea videlicet ratione memoratam donationem atq; traditionem facientes, vt quamdiu in hac mortalitate diuina iuſſione vixerimus, habeamus prædictam cellam in noſtra poteſtate & ſub noſtra ordinatione, abſq; vllius perſonæ aut poteſtatis contradictione vel impedimento, tam ſimul quam ſingillatim per ſucceſſionem, ſi vno ſuperſtite alter è nobis ante deceſſerit. Filios quoq; ſi nos habere contigerit, vnus

exeis

ex eis in eadem possessione nobis iure precario succedat. Post obitum vero nostrum memorata cella cum omni integritate ad prænominatum venerabile monasterium absque vllius contradictione recipiatur, & in eius potestate atque dominio perpetuo permaneat. Et si aliquis contra hoc nostræ donationis testamentum resultare voluerit, aut illud conuellere atq; euacuare tentauerit, primitus Christum & sanctum martyrem eius Nazarium nefandis ausibus suis contrarium sentiat, & insuper fisco distringente multam de rebus propriis parti prædicti venerabilis monasterii coactus exsoluat, auri videlicet libram vnam, argenti pondo XII. *Et hoc testamentum atque hæc donatio nostra firma & inuiolata permaneat. Et si quocunque tempore à quolibet homine aliud instrumentum in nostro nomine prolatum fuerit, quod huic nostro testamento contrarium sit, indicium datorum anterius vel posterius habens, etiamsi manu nostra videatur vel dicatur esse firmatum, vacuum & inane remaneat, & nullum effectum obtineat, sed (vt prædiximus) hæc donatio nostra perenni stabilitate firma & inuiolabilis perseueret, stipulatione subnixa. Et vt hoc testamentum iuxta legis consuetudinem integram firmitatem accipiat, propriæ manus subscriptione illud firmare decreuimus, & idoneorum testium, qui ipsam viderunt signaculis roborari fecimus. Facta donatio in Laureshamo monasterio* II. *Id. Septembr. anno* VI. *regni domni nostri Ludouvici gloriosissimi Imp. in Dei nomine feliciter. Ego Einhardus peccator & donator recognoui & manu propria subscripsi. Ego Imma consensi & subscripsi. Signum Rabangarii. Signum* Warbotonis. *Signum* Wolfberti *& aliorum. Ego Hirmimarus diaconus & notarius Imperialis rogante Einhardo hoc testamentum scripsi & subscripsi.*

Huius donationis suæ tenorem & locorum terminorumq; descriptionem ipse Einhardus hoc modo designauit: *Quoniam sunt quidam qui fastu seculari turgentes, & semetipsos amantes, à Christi fidelibus sacris ecclesiis seu monasteriis contradita inuadunt, aut vt sibi hereditario iure retineant, aut mundali baltheo in beneficio diuidant: ego Einhardus ne in his, quæ de regia manu Ludouuici Imperatoris in loco Michlenstat contraxi, manus iniquorum prænaleat, aduertat obsecro fidelium tam sequentium, quam præsentium memoria, qualiter in vnum sint collecta, quibusve expressa vocabulis. Postquam enim locum prænominatum Laureshamensium dominationi subiugare disposui, adscitis quibus notum fuerat, terminum & vocabula locorum diligenter inuestigaui, & recenti memoria notarium meum Lutherum exprimere literis iussi; ea videlicet circumspectione, quia multorum monasteriorum eis prædia coniunguntur, & diuersorum dominorum beneficia circumquaque terminantur. Hæc igitur terminorum loca & locorum vocabula designantur hoc modo: dum à monte Momenhart incipiunt, & totum eundem montem vsque ad plateam comprehendunt: à platea vsq; ad duplicem quercum, inde inter Vlenbuoch & Rumpheshusen ad quercum: de quercu in fluuium Bramaha: per huius descensum in Willinebach: per huius ascensum vsque ad lapideum riuulum: Inde ad Willineburch, per vnam portam intro, per alteram foras: Inde in ripam Enterum. Per huius descensum ad Langenuirst, vbi Langenuirst scinditur: super Langenuirst ad Breitensol: inde per Exchendal in flumen Vrdella: per huius ascensum in Vinsterbuch: inde ad Phaphenstein Einhardi: à Phaphensteine supra Richgeresshneiten: inde ad verticem Clophendales ad Clophenbeck: inde in Cuningesbrunnen: per huius descensum in Mimelingen*: per huius ascensum ad Manegoldescellam: ab hac in fluuium Mosaha: per huius ascensum in Geroldesbrunnen: inde ad Ellenbogen in flumen Braubach: per eius descensum in Mimelingen: ex qua ad quercum inter Graschapht & Munital*: inde iterum ad montem Mamenhart.*

Descriptio marcha pertinentis ad Michlenstat.

** Hodie Mutlingst.*

** Id est, inter comitatū & immunitatem, seu terminum cœnobii.*

Quomodo autem & ex qua reuelatione prædictus Einhardus monasterium Selinginstat cōstruxerit, & prædium suum Mulinheim eidem cōtulerit, ex libro quem ipse *de translatione & miraculis sanctorum Macellini & Petri martyrum* edidit, plene poterit dinosci.

Seligenstat. Vide Lup. epist. 60.

Verum piissimus Imperator LVDOWICVS ecclesiam quoque in Siggenheim, super fluuium Necchar in pago Lobotengouue, per idem tempus in elemosyna Laureshamensi monasterio concessit.

Sackynheim.

Mortuo LVDOWICO Imperatore pio, cum regnasset annis XXVII. & Metis ad S. Arnulfum sepulto, filii eius Ludouuicus, Lotharius & Karolus grauiter inter se de imperio dissidentes per maximam suorum adtritionem imperium patris tandē inter se diuiserunt: & Karolo qui minimus natu erat, occidentalia regna, id est, Germania vsq; ad Renum, atq; trans Renum nōnullæ ciuitates: Lotharius qui maximus natu erat, sortitus est regnum quod ab eo traxit vocabulum, & prouinciam, & cum

LOTHARIUS Imp.

Italia totum Romanum imperium. Hic Lotharius Ansfrido tunc palatino comiti, illustri & spectabili viro ob egregia merita prædium suum in Geizefurt in pago Hatuarienſi ſuper fluuium Nerſe, & in pago Laumenſi in villa Sodeia ſuper fluuium Geldiome, iure proprietatis contradidit. quod postea idem Ansfridus (vt suo in loco patebit) Laureshamenſi monasterio sub abbate Dietrocho contulit. Prædium etiam suum in Gannita villa, in prædicto pago, hic idem princeps Laureshamenſi monasterio tradidit.

Geizefurt.

Gent, Villa.

LVDOVICVS rex Francia orientalis.

Langen Villa.

Huius Lotharii frater Ludouuicus, quem diximus in diuisione imperii orientalem Franciam sortitum, iustus, pius, misericors, ac circa ecclesias Dei immensæ benignitatis extitit. Vnde & Laureshamenſi monasterio plurima beneficia contulit, inter alia villam Langungon, sitam in eodem pago Renense. Et cum regnasset annos XXXIIII. ibidem etiam sepeliri se moriens præcepit.

SAMVEL abbas V.

Niuhusen.

Adalungo abbate defuncto SAMVEL à puero ibidem educatus subrogatur, nec multo post Wormacienſi episcopo inthronizatur. Vbi ecclesiam beati Cyriaci, quæ appellatur *Niuhusen*, à fundamentis exstruens, armarium huius loci ex parte euacuauit, & in vtriusque ecclesiæ regimine annis XVII. expletis, diem clausit extremum.

Bibles. Wattenheim, Zullestein.

Sub hoc tempore præfatus rex Ludouuicus illustri comiti Werinhero prædia sua in villis Bibisloz & Wadtinheim sitis in eodem pago Rhenense ſuper fluuium Wisgoz & villam Zullestein sitam in ripa fluminis Rheni, cum portu & omni integritate sua, regia auctoritate tradidit: quæ mox idem Werinherus Laureshamenſi monasterio assignauit, & ad dies vitæ suę in precariam accepit. Ipse etiam in ecclesia, quæ dicitur Varia, sepultus est.

Tantis igitur & tam magnificis regum donationibus, atq; fidelium Dei multimodis oblationibus, cum iam Laureshamense monasterium quam maxime dilataretur, & per omnes fere Teutonici regni prouincias copiosis sparsim abundaret possessionibus: Samuel episcopus & abba à regia impetrauit auctoritate, quatinus sibi suisq; successoribus liceret pro oportunitate monasterii legitimam prædiorum commutationem vsq; ad menses tres quacunque facere, & possessiones passim dispersas quoquo modo colligere.

ANNO Dominicæ incarnationis DCCCLV.

EIGELBERTVS abbas VI.

Samueli successit EIGELBERTVS ex ipsius congregationis corpore electus, qui & parentum nobilitate & vniuersa morum honestate præclarus, annis nouem felici dispensatione creditam sibi rexit ecclesiam. Cuius rogatu præfatus rex Ludovvicus Laureshamenſi monasterio concessit, vt vnam nauem per Rhenum fluuium huc illucq; discurrere, & omni tempore transmeare, & ad portum Wormaciam ciuitatem absque vllo theloneo peruenire, ob vtilitatem & necessariam monasterii liceret; & vt nullus episcopus vel abbas, nec abbatissa, neq; comes, aut vicarius, seu centenarius, aut clusarius, nec pontonarius, neq; vllus iudex seu aliqua potestas vllam eis hoc nomine molestiam aut calumniam facere præsumat.

ANNO Dominicæ incarnat. DCCCLXV.

THIODROCHVS abbas VII.

Abrinberg.

Post Eigelbertum THIODROCH abbas subrogatur, qui nouit & conseruis mensuram tritici erogare, & in augmentatione Dominici gregis gaudere. Hic ecclesiam in Obbenheim & monasterium in monte Abrahæ fundotenus erexit, & XII. annis cursu consummato coronam accepit iustitiæ.

Sub hoc patre prædictus palatii comes Ansfridus prædium suum in Geizefurt, aliasq; res proprietatis suæ à Ludovvico rege sibi traditas, & quicquid habebat in pago Darnon, in marcha vel villa Sodoia, quæ sita est super fluuium Geldiun in comitatu Giselberti, sancto Nazario contulit.

LVDOVICVS III. rex Germaniæ.

Ludovvico rege fratre Lotharii Imp. & Karoli, qui (vt supra dictum est) in diuisione regni orientalē Franciam sortitus est, rebus humanis exemto, successerunt filii eius, Karlomannus, videlicet pater Arnolfi Imp. & Karolus postea Imperator, atque Ludovvicus III. Qui vbi patrem in Laureshamenſi monasterio tumulauit, paternæ statim benignitatis & liberalitatis erga idē monasterium induit affectum. Nam anno dominicæ incarnat. DCCCLXXV. Thiotroho abbate defuncto, sub BABONE, qui eidē succedens

BABO abbas VIII.

succedens præfatum locum VI. annis gubernauit, præmemorato Werinhero comiti prædium suum in Winenheim tradidit, & per ipsum in ius & Dominium sancti Nazarii transfudit. *Weinheim.*

ANNO Dominicæ incarnationis DCCCLXXXI.

Post Babonem WALTHARIVS abbas subrogatus, duobus annis eidem loco præfuit. Sub quo idem rex Ludouuicus prædium suum nominatum Aberinesburg, in pago Lobodengouue, quē antea coniugi suæ Liutgardi præstitum habebat, cum ædificiis & pertinentiis omnibus sancto Nazario contulit. *WALtharius abbas IX. Abrinsburck. Vid. Orig. Palat. cap. 8.*

Ludouuico rege Germaniæ filio Ludouuici defuncto, & iuxta patrem apud Lauresham in ecclesia quæ dicitur Varia (quam ipse huius rei gratia cōstruxerat) sepulto Karolus frater eius à Iohanne Papa Imperator ordinatus, paternæ fraternęque pietatis erga ipsum suū locum imitator enituit, & exemplo antecessorum suorum priuilegium libertatis & de electione abbatis eidem monasterio confirmauit. *CAROlus Crassus Imper.*

ANNO Dominicæ incarnationis DCCCLXXXIII.

Walthario GERHARDVS abbas vir nobilis & strenuus successit, & X. annis eiusdem loci regimen tenuit. Sub quo etiam idem Imperator Karolus prædium suum in villa Alahesheim, in pago nuncupato Wormazfeld, in comitatu Walonis, sancto Nazario tradidit. *GERHARDus abbas X. Alesheim Gilla.*

Karolus multis in Imperio emergentibus malis animo & corpore deficiens, optimatibus regni ad supradictum Arnolfum, Karlomanni fratris sui filium, Ducem Carinthiæ certatim transeuntibus, regno deiicitur; & miseranda rerum facie, Imperator post Karolum Magnum nulli postponendus, egenus efficitur, adeo vt desperatis rebus non iam de regno sed de victu cogitans ab Arnoldo subsidia vitæ præsentis expoſceret. A quo aliquos in Alemannia fiscos veluti pro stipe cōsecutus, non multo post in Augea insula diem clausit extremum. Post hunc ditionis eius regna soluuntur à sua compage, dum quisque de suis nititur regem creare. Quod quodam præsagio videtur accidisse. Nam Regum genealogia cœlitus prouisa secundis exuberabat successibus, donec in Karolo Magno non solum regnum Francorum, sed & imperii Romani summum obtineret fastigium. Post cuius discessum eodem quo accesserat modo cepit fortuna diffluere, donec ex defectu regiæ stirpis solus hic inueniretur regno Francorum gubernando idoneus, & regalis prosapia à beato Arnolfo duce & episcopo prodiens, in hoc Arnolfo duce & Imperatore quasi progressus sui penultimum limitem acciperet. quod in Chronicis plenius reperitur. *ARNOLfus Imper.*

Hic igitur Arnolfus auitę patruelisq; pietatis exemplo erga Laureshamense monasterium munificus admodum exstitit: cui initio libertatis & immunitatis priuilegium dedit. Deinde quasdam res proprietatis suæ in comitatu Wormacienſi in Rocchesheimero marcha, & insulam vnam quæ nominatur Sigenvvort, iacentem in ripa Rheni, & in comitatu Lobodenense in villa Sunthoue, Sigolfo tunc temporis Laureshamensi præposito tradit. Idē fiscum proprii iuris sui nominatum Bruochmagat, in Elisatia, ad S. Nazarium donauit. *Roxheim. Sigenuuort. Sanshemium. Brumat.*

ANNO Dominicæ incarnat. .....

Defuncto Gerhardo abbate, fratribus eiusdem monasterii de quibusdam insolentiis apud Arnolfum iam tunc Imperatorem accusatis, & ob hoc ab electione abbatis interim suspensis, Adelbero Augustensis episcopus, vir magnæ in Christo grauitatis & reuerentiæ, dispensatorie per Imperatorem ibidem instituitur. Qui post annos quinque religionis vigore reformato, postposito omni seculari honore & commodo quod inde consequi potuit, malens in cœlestibus thesaurizare, monasterii curam vltro resignauit, fratribusque eligendi abbatis pristinam libertatem imperiali auctoritate redintegrauit, quamdiu talem illic inuenire possint qui scientia & morum honestate talis sit, vt tantam congregationem queat & sciat regere, & regali dignitati iusta obsequia præbere. *Adelbero episcopus August.*

LIVTHERVS itaq; anno Domini incarnat. DCCCXCV. strenuus sanctæ religionis amator & morū vitęq; probitate laudabilis in abbatē eligitur, nec multo post in episcopalem gradum apud Mindonensem ecclesiam prouehitur: vnaq; rēgiminis *LIVTHERus abbas XI.*

virga vtraq; detinuit loca. Sub quo præfatus Adelbero episcopus ius suũ quod in
Gernsheim villa. loco qui dicitur Kerenesheim, in pago Renense, per imperialis præcepti confirmationem habebat, promtissima voluntate cum manu aduocati sui Herigeri sancto Nazario cum omni integritate tradidit: & vicissim per precariam complacitationis & causa familiaritatis res quasdam, nimirum ecclesiolam infra ipsum monasterium sitam, in qua reliquias sanctas Dei genitricis Marię & sanctæ Afræ beatissimę martyris Christi & sancti Magni eximii confessoris Christi reconditas habebat, cum mansiunculis & cæteris necessariis hortis & pratis, cumq; duabus seruilibus prebendis & vna monachica sibimetipsi prebenda, insuper villam Winenheim & Birkenouua & Gunnenbach & Lieberesbach & Liutereshusen, Scarram & Bibiloz cum pertinentiis suis, de abbate Laureshamensi & fratribus cum manibus aduocatorum eorum Adalvvini & Bennilini, ad dies vitę suæ potestatiue ac securiter & quiete obtinendas & fruendas, per precariam suscepit.

LVDOVVICVS IIII. Imper. Arnolfo Imperatori successit filius Ludouuicus, Zundeboldo fratre eius apud Mosam interfecto ab hostibus: Adelberone supradicto Augustensi episcopo adhuc viuente, & Liuthero in abbatem nondum electo, sed Hattone Magontinæ sedis archiepiscopo Laureshamensis cœnobii curam per regiam institutionem gubernante. Siquidem inter Gerhardum & Liutherum abbates Adelbero episcopus annis v.
Hatto archiepisc. Magunt. Hatto episcopus annis XIII. ordine dispensatorio eidem loco præfuerunt: donec ipsis fratribus sub Cunrado rege plenaria electionis libertas restituta est, à quo etiam Liutherus ex fratrum electione abbatia inuestitus est. Iste itaque rex Ludouuicus ex petitione eiusdem Adalberonis fidelis & intentissimi nutritoris sui, quasdam res proprietatis suæ in pago Lobotingouue in comitatu Liutfridi constitutas, quas quidam homines Helmerich videlicet faber & Engilbrecht forestarius in locis Sunthone & Scara nuncupatis ad dies vitæ suæ fruendas possidebant, Sigolfo monacho tunc ipsius monasterii præposito & per ipsum sancto Nazario tradidit.

Per idem ferme tempus Hatto Magontinæ sedis archiepiscopus, iam tũc Laureshamensi cœnobio vice abbatis præsidens, commutationem prædiorum cum Reginbodone ingenuo viro fecit, dans ei de partibus sancti Nazarii in pago Glemisgovve in villa vel marcha Hirslanda, & in Dicingon, & in Geringon, quæ loca, iacent in Comitatu Gozberti comitis; & in pago Entrichgouue in villa vel marcha Audinesheim, & in Rutgesingon, & iacent in comitatu Walahi comitis; & ab eo accipiens in dominicatam curtem, quam ille propter suum seruitium & interuentum aliorum fidelium à Rege in proprietatem acquisierat, sitam in pago Lobodenense in comi-
Virnheim. tatu Liutfridi comitis, nuncupatam Virnunheim, cum mancipiis, siluis, & omnibus vtilitatibus suis. Quam traditionem & commutationem Hludouuicus rex rogatu eiusdem archiepiscopi & abbatis suæ auctoritatis præcepto confirmauit.

Cunigund matrona. Præterea matrona quædam illustris Cunigund nomine res proprietatis suæ in villis Nivvenheim, Strazheim atque in Westheim sancto Nazario tradidit, quas à præfato archiepiscopo & abbate cum aliis rebus sancti Nazarii de monasterio sanctimonialium cognomento Rothaha, in precariam accepit.

Idem quoq; archiepiscopus Hatto prædiũ Riamnas, in Rœtia Curiense, quod Arnolfus Imp. Ratperto donauerat, per concambium sancto Nazario adtraxit, dando illi vicissim quicquid monasterium in locis Wilheim, Pistinga, & Hosinga habuerat.

Post Ludouuicum Karolus occidentale regnum adeptus est. Nam antea Galliarũ populus cũ consensu Arnolfi Imperat. incursu crebro Northmannorum compulsus Vdonem ducem regem elegit, qui eis contra Northmannos propugnator indefessus extitit: atq; ita deinceps ab hoc regno Galliarum facta discessio est. Vdone mortuo successit Karolus. In horum Karolorum decessu in vtriusq; regni fastigio Karolorum illa celsa progenies facta est de medio: quæ primo anno Pippini regis
CVNRADus Imper. Francorum vsq; ad obitum istorum in regia dignitate claruit annis CLXXIII. Cunradus vero frater Eberhardi marchionis Orientalis, regni partẽ circa Rhenum tenuit. Qui etiam Laureshamensi monasterio libertatis & immunitatis priuilegium

contu-

contulit,& libertatem eligendi abbatis fratribus cœnobii redintegrauit, ex quorum electione LIVTHERVS abbatia ab illo inuestitus est.

Huius regis vxor Chunegunda locũ proprietatis suæ Ginga appellatum, cum omni iure regaliq; præcepto sancto Nazario tradidit : atq; ibidem in ecclesia quæ dicitur Varia, se tumulari præcepit. Ipse quoq; prædia sua in Wattenheim & Virnheim, in pago Rinicgouue, in comitatu Vtonis, quæ cappellanus eius Werinolf in beneficium concessa tenebat, post obitum illius ad monasterium donauit. Regnauit annis VI. *Gingen.*

Post Cunradum regem generali principum habito conuentu Heinricus cognomento Saxo filius Ottonis ducis Saxonici in regnum sublimatur: ex quo diua Ottonum genealogia processit. Hic contra Rutpertum regem Gallicanæ Franciæ præliis multis terminos regni Lotharici (sicut hactenus conseruantur) obtinuit: & tam Vngariorum quam Sclauorum Burgundionumq;, cum quibus sæpe cõflixit & semper vicit, bellicis impeditus tumultibus Imperator non est ordinatus. Regnauit annis XVI. Reliquit autem heredem regni Ottonem primum, qui nulli post Karolum magnum secundus victricibus semper armis regni sui terminos dilatauit. vnde cognomen vt vocaretur Magnus promeruit iste. *HEINRICVS Saxo Imper.* *OTTHO M. Imper.*

ANNO Dominicæ incarnationis DCCCCXXI.

EBERGISVM in Laureshamensi monasterio à puero educatum, & post Liutherum nepotem suum Midonensi ecclesiæ subrogatum, & compatrem suum, eiusdem etiam abbatiæ honore XVII. annis sublimauit, ipsiq; loco priuilegia libertatis quater innouauit. *EBERGISVS abbas XII.*

Post Ebergisum Otto sereniſſimus rex germanum suum BRVNONEM Colonienſis sedis archiepiscopum,& omnium virtutum floribus adornatum, eidẽ monasterio præfecit. Hic inter cætera pietatis opera, quæ non solum in ecclesia sibi cõmissa, sed etiam per totum fratris regnum fideliter & feliciter gessit, apud sedis suæ metropolin tria monasteria cõstruxit: vnum apud sanctum Pantaleonem, vbi conditus requiescit, aliud ad S. Andream apost.lum, tertium ad S. Martinum. Lauresham ensi quoq; monasterio inter plurima liberalitatis suę dona thuribulum argenteũ magnum & duos nolarum circulos argenteos contulit,& XXX. hubas in villis Brunagad & Mumenheim,& Grioz,& Walahon,& Bernesheim, & Moresheim, in pago Elisazatis, a fratre suo Ottone S. Nazario dari expetiuit. Præfuit eidem cœnobio annis IIII. *BRVNO abbas XIII.*

ANNO Dominicæ incarnat. DCCCCXLVIII.

Dehinc GERBODO vir omni vitæ morumq; integritate spectabilis eiusdem monasterii regimini succedit, & XXII. annos in commissa sibi dispensatione fideliter expleuit. Hic ecclesiam satis decoram in supradicto loco Bruomat, aliamq; in Wibelingen exstruxit: pauimentum ante altare sanctæ crucis vsq; in medium marmore strauit, calicem aureum sine patena, lampades argenteas quatuor fieri iussit: apparatus diuinis officiis aptos plurima ex parte ecclesiæ contulit, paradisum totum plumbo operuit: pulpita ante portas eiusdem paradisi fabricauit, refectorium augmentauit, dormitorium renouauit, ædificium necessariorum prominens aptauit, domum lapideam in castello Michlenstat ædificauit: curtem Gingen nuncupatam reacquisiuit. priuilegium quoq; libertatis à rege Ottone impetrauit. *GERBODO abbas XIIII.* *Michlēſtat.*

Idem rex Otto ad eius petitionem, & interuentu coniugis suæ Adelheidæ, in villa eiusdem cœnobii quæ Basinesheim dicitur, mercationes publicas fieri concessit : vt & in alia eiusdem villa Wezinloch nominata in comitatu Cunradi comitis: & quicquid in thelonei lucris vel alia qualibet vtilitate exinde prouenturum videretur, ad seruitium S. Michaelis Archangeli in Abramesberg vel S. Nazarii in Lauresham donauit. *Bensheim.*

Idem ipse priuilegium libertatis eidem monasterio tertio confirmauit, Imperator iam ordinatus, his verbis : *In nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Otto Dei gratia rex Francorum & Longobardorum, * ac patricius Romanorum. Notum sit omnibus tam*

Huius loci meminit, causamque huius tituli exponit D. Lupol. de Bebenburg. in tract. de iurib. Imperii. cap. V. in fi.

præsentibus quam & futuris fidelibus, qualiter ob amorem Dei & animæ nostræ remedium, abbatiam cœnobio Lauresham appendentem in vnum deinceps esse collectam, & ipsum cœnobiũ regulari ordine & abbate solide & inconuulse per omnia semper vigere decreuimus. Quapropter obsecrante venerabili abbate Gerbodone, eidem monasterio nostra electione inthronizato, hoc nostræ autoritatis præceptum fieri voluimus, quæ præcedentiũ Augustorum, scilicet illustris & magni Karoli, pijq; Hludouuici benignitatem imitando, regularem monachis illius monasterii de abbate electionem indulgemus, & ipsam abbatiam ex integro potestati abbatum ad communem vtilitatem monachorum Deo ibi famulantium subdimus. Statuimus etiam Episcopum in cuius parrochia situm est monasterium, ex qualibet occasione ibi irrumpere, seu monachos irrationabiliter inquietare non debere; nec ex rebus monasterii in omni Imperii nostri ditione thelonei exactionem fieri: nec publicum iudicem, seu quemlibet ex iudiciaria potestate, vel aliquam aliam personam quicquam potestatis aut negocii, sine voluntate aut permissu abbatis, in omnibus sæpedicti monasterii rebus habere vel exercere. Quicquid ius fisci exinde exigere potuerat, ex integro in vsus monasterii cedere præcipimus. Homines quoq; ingenuos seu seruos in possessionibus monasterii commanentes distringere, siue ipsas possessiones contra abbatis decretum intrare, seu ad causas audiendas, seu mansiones faciendas aut freda vel tributa exigenda, vel vllam in aliquo violentiam faciendam, omnibus omnino hominibus per hanc nostræ immunitatis conscriptionem prorsus interdicimus atque ab huiusmodi aut simili præsumptione cunctos per omnia tempora inhibemus: quatenus abbas & monachi omnia illuc aspicientia sub nostra tuitione quo ordine quietiore possederint, eo liberius pro statu imperii nostrag; salute Deo vacent. Et vt hoc auctoritatis nostræ præceptum firmum & stabile permaneat, annuli nostri impressione signari iussimus, & manu propria subterfirmauimus. Signum Domini Ottonis serenissimi Imperatoris augusti. Luidolfus Cancell. ad vicẽ Brunonnis archicapellani recognouit Data VII. *Kal. Februar. anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi,* DCCCCLXIII. *Indictione* VI. *Regnante pio Imperatore Ottone anno* XXVIII. *Actum Papiæ feliciter. Amen.*

Huius Imperatoriæ Maiestatis præceptum Siluester Romanæ sedis Pontifex mediante Berbodonis abbatis industria Apostolica autoritate confirmauit, qui de libertate eiusdem monasterii tale decretum promulgauit: SILVESTER *Episcopus seruus seruorum Dei vniuersis sanctæ Dei Ecclesiæ filiis. Notum fieri volumus vniuersis tam præsentibus quam futuris, Abbatiam quæ vocatur Lauresham Dominio Regum siue paparum solummodo subiectam antiquitus fuisse. Post vero tam imminutione rerum, quam peccatis increscentibus à priori statu degenerasse. Nunc autem à dilecto filio nostro Ottone Cæsare Augusto moniti, per interuentum* Willigisi *Magontini Archiepiscopi, ac Franconis Wormatiensis Episcopi, suorumque fidelium, atque omnium eiusdem prouinciæ Episcoporum, simulq; Berneharii Verdensis Episcopi prædictam Abbatiam ad priorem statum nostra auctoritate redire iubemus, atq; frui liberalitate quam antea habuisse manifestum est, hoc est vt Regum atque paparum tantum dominio subdatur, alienæ vero potestatis penitus fiat extorris. Cuius loci Abbas siue Monachi, quamdiu religiose atque beate vixerint, cum quiete & pace, & absq; contradictione cuiuslibet personæ maneant. Si vero religionem reliquerint, ac negotiis illicitis, secularibusq; operam dederint, à Papa Romano monendos decernimus & corrigendos. A quo moniti si non emendantur, Regiæ potestati deputamus. Hoc ergo nostræ constitutionis priuilegium ratum & inuiolabile esse per omnia tempora volumus. Quod si quis irritum facere præsumserit, inprimis iram Dei incurrat, sitq; anathema maranatha. Scriptum per manus Petri notarii ac scriniarii S. Romanæ Ecclesiæ, in mense Octobri, Indictione* XIII. *Bene valete.*

Addidit quoq; idem Imperator præfato monasterio mercatum & teloneum in Wezenloch, vt ad seruitium S. Michaelis in Abramesberch seu S. Nazarii in Lauresham applicaretur. His & huiusmodi Imperialis munificentiæ priuilegiis reuerendus abbas Gerbodo per interuentum venerabilis ac Deo amabilis Adelheidæ Imperatricis Augustæ Laureshamense monasterium pristinæ libertati reformauit, & res eiusdem tam intestinis quam extraneis cladibus quacumq; dispersas & profligatas recolligens redintegrauit. Vnde & in pago Dehsendron in præsidatu Ansfridi comitis in villa vocabulo Empele Ecclesiam quondam fundatam, sed alluuione aquarum collapsam reædificauit. Super quæ Eberkarus Leodiensis Ecclesiæ Episcopus facta synodali inquisitione, quo loco fundata, qualiter dotata, quando diruta fuisset, si vestitura eius Laureshamensi monasterio cum decimis suis iuste ac legitime

Adelheid Imper.

Empele Villa.

gitime attineret, Canonico iudicio, ac septem illustrium ex codē comitatu virorum iuramento diligenter inuestigauit: eamq; rędificatā in honore S. Nazarii & S. Lamberti nimirum Kal. Octob. consecrans dedicauit, & decimas Episcopali iustitiæ tum adiudicatas sub testimonio totius synodalis conuentus Laureshamensis cœnobii iuri & Dominio ad eiusdem Ecclesiæ titulum perpetuo impendendas resignauit. Testes Adelbertus corepiscopus, Bubo Leodicensis præpositus, Irimbolt, Wodibalt Laureshamensis præpositus, & alii multi. Actum Leodii anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCCCLXVIII. Indictione XII. Anno vero regni Ottonis serenissimi regis XXXIIII. Imperii autem ipsius VIII.

ANNO Dominicæ incarnat. DCCCCLXX.

GERBODONE palmam supernæ vocationis adepto SALEMANNVS vir Deo dignus, diuina humanaq; sapientia plenus ac omni bonitate conspicuus, ex assensu sereniss imorum Imperatorum Ottonis & filii eius, omniumq; fratrum ac familiæ conniuentia pastor & rector eiden loco præficitur. Qui inter multa ac magnifica pietatis opera, quæ per singula longum est enarrare, iussit tabulam ad altare principale auro gemmisq; pretiosissimis adornari, & crucem magnam simili operis schemate parari: frontem ciborii super requiem Martyris versus altare respicientē auro purissimo vestiri, & tres libros ex ebore & argento mirifice venustari. Moralia in tribus voluminibus compleuit, duos nolarum circulos argenteos ecclesiastico ornatu adiecit: strata pauimenti fine tenus perfecit. Postremo iam senio confectus iuuenilem tertii Ottonis Imperatoris offensam, qua cum frustra impetebat, non sustinens monasterii curam resignauit, & quod reliquum in carne vixit temporis, habitauit secum. Rexit hunc locum annis XXVII. *SALEMANNVS abbas XV.*

Hic in principio introitus sui quartum cœnobii eiusdem libertatis & immunitatis priuilegium à Diuo Imperatore Ottone impetrauit.

ADDITIO. Hoc loco historiam de Ottone Imper. & comite quodam Abbatiæ Laurissensi inhiante, inserere operæ pretium videtur, quam Liutprādus Ticinensis Leuita litteris mandauit, libro III. cap. XV. in hæc verba: *Comes quidam tunc pradiues cum eo erat, cuius multitudo militum Regis aciem condecorabat. Hic itaq; videns quamplurimos ex Regis acie desertores ac transfugas fieri: non interiorem sed exteriorem considerans hominem, tacitus hæc secum voluere cœpit: Quicquid à Rege in hac turbatione constituto petiero, sine dubio impetrabo, præsertim cum & acre nobis bellum immineat, ac se ne deseram timeat. Nuncios itaq; directis Regis supplicat, vt Abbatiam quandam Laureshem dictam, pradis ditissimam, sibi concedat: cuius possessionibus quod sibi deerat, militibus suis ministrare præualeat. Rex autem columbina non solum simplicitate, sed (vt erat) viperina calliditate suffarcinatus, non hoc quid portenderet minime aduertere potuit, vnde & huiusmodi nuncius apologeticum dedit: Fili quid super hac re sentiam, verbis ipse potius explicabo, quam nuncius. Quod qui hos direxerat audiens, immensa est affectus animi lætitia, sperans se quod poposcerat impetrasse. Vnde & more impatiens Regem adiit, eumq; sententiam super hac re promere postulauit. Cui Rex populo circumstante, Obedire, inquit, magis oportet Deo quam hominibus. Quis enim sanum sapiens ignorat, te hac non humilitate petitionis, sed comminationis auctoritate dixisse? Scriptum est enim: Nolite sanctum dare canibus. Quod quamuis a Doctoribus spiritualiter intelligendum esse prædicetur, ego tamen satis me dare canibus sanctum censeo, si Monasteriorum pradia, quæ a religiosis viris Deo sunt militantibus tradita tulero, & seculo militantibus dedero. Tibi vero tam procaciter iniusta petenti, sub testimonio totius populi, nec hoc nec aliud vnquam te a me accepturum esse testificor. Si cordi tibi est cum cæteris infidelibus anolare: quanto citius, tanto melius. His auditis, quia facies speculum est mentis, cordis verecundiam vultus rubore nudauit, concitusq; Regis ad pedes corruens, se peccasse, se graniter deliquisse confessus est.*

OTTONI magno Imperatori augusto successit filius eius Otto secundus, viuēte adhuc patre Romę Cæsar appellatus, & ob insignia quæ cum Sarracenis gessit, prælia, *pallida mors Sarracenorum* cognominatus. *OTTHO II. Imper.*

Hic etiam patris exemplo priuilegium libertatis Laureshamensi monasterio, rogatu prælati Salemanni abbatis tradidit. Quod etiam Benedictus Papa Apostolica auctoritate commendauit & roborauit.

Hic OTTO secundus huius nominis Imperator Romæ mortuus, in Paradiso S. Petri condigno honore sepelitur. *OTTHO III. Imper.*

Huius filio patris æquiuoco admodum paruulo & necdum regni gubernaculis apto, Respublica per venerabilem Adelheidem auiam suam & Imperatricem Theophaniam matrem suam nobiliter administrata est. Quousq; puer ipse litteris

diuinis & humanis adprime instructus, ad tantæ virtutis insigne emicuit, *vt Mirabilia Mundi* appellaretur.

Hic patris auiq; persequens vestigia libertatem Laureshamensis monasterii, interuentu Salemanni abbatis, sua quoq; auctoritate roborauit. Rogatu quoq; memorati abbatis Salemāni, idem Rex publicum mercatum in villa Wezzenloch & in Steine, cum omni reditu ex thelonei lucris & aliis vtensilibus ad S. Nazarium donauit.

Wisselach.

ANNO Dominicæ incarnat. DCCCCLXXXXVII.

Salemannus igitur Abbas vir eximii meriti soli Deo placere desiderans, relicta monasterii cura, in qua & pro qua iugiter sollicitus turbabatur erga plurima, theoricam quietem amplexus, optimam partem elegit; nec multo post carne solutus migrauit ad Dominum. Cui Werinherus cognomine pius ex ipsa congregatione substituitur, omnibus quidem meritorum præconiis dignus, sed nulli pietate secundus, expletisq; duorum annorum curriculis diem clausit extremum.

WERINherus pius abbas XVI.

Hic a prædicto tertio Ottone Imperatore præcepta de mercato in Winenheim, & moneta in Brumogad, & in pago Helisaze sito, impetrauit.

Weinheim. Brumat.

ANNO Dominicæ incarnat. DCCCCXCIX.

WERINHERO pio successit alter WERNHERVS, eiusdem quidem nominis, sed nō eiusdem meriti, neq; natalium suorum professionisue dignitati religione respondens aut moribus. Qui & dictante iustitia, & regia præscribente censura infra annum dimidium, sicut inconsiderate inuectus, ita præcipitanter deiectus est.

WERNERus II. abbas XVII.

ANNO Dominicæ incarnat. M.

Post quem subrogatur GEROLDVS, vir pietatis præcipuę, & magnæ in Christo reuerentiæ, quiq; antecessorum suorum insequutus vestigia, familiam sibi creditam fideliter ac prudenter tribus annis & sex mensibus gubernauit.

GEROLdus abbas XVIII.

Vnde & ab HENRICO secundo priuilegiū libertatis Ecclesiæ suæ impetrauit.

OTTONE tertio Imperatore Romæ defuncto, & per Heribertū Colonien-sem Archiepiscopum atq; Godefridum ducem Aquisgrani sepulto, HENRICVS Dux Bavvariorum Imperii fascibus arreptis Rex eligitur, & Maguntiæ solenniter ordinatur. Cuius quanta fuerint iustitiæ & pietatis insignia, testatur illa nobilis, quā condidit, & in qua conditus est, Babenbergensis Ecclesia. Siquidem tanto religionis amore ducebatur, vt *Monachorum pater* appellaretur.

HENRIcus Imp.

Hic (vt prædictum est) rogatu GEROLDI Abbatis libertatem Laureshamensis monasterii suo quoq; præcepto roborauit.

ANNO Dominicæ incarnat. ...

Post GEROLDVM BOBBO illustri natalium exortus prosapia, relicto seculari militiæ baltheo, ad ipsius loci regimen prouectus est. Qui quo magis fugiebat gloriam, eo magis assequebatur, affluentibus sibi cum Ecclesiasticæ dignitatis incrementis, terrenarum facultatum amplissimis successibus. Hic inter cætera memorabilia calicem aureum magni ponderis & pretii, cum patina simul aurea stolam quoq; egregii operis auro contextam ad ornatum Ecclesiæ contulit. Ac præcepta complura de statu & honore Laurishamensis cœnobii ab HENRICO Secundo rege (de quo supra diximus) accipere elaborauit: inter alia mercatum in Oppenheim, & bannum forastis in Otenevvalt. Præfuit eidem loco annis XIII. ibidem quoq; sepultus.

BOBBO abbas XIX.

HENRIcus II. Imp.

ANNO Dominicæ incarnat. ...

BOBBONE palmam supernæ vocationis assequuto, REGINBALDVS, vir iuxta cor Domini, electus subrogatur, in spiritualis militiæ studiis à puero educatus, & antecessorum exempla facile exæquans, posterorum forma speculumq; futurus.

REGINbaldus abbas XX.

Qui adepto dignitatis gradu, inter cætera pietatis opera, misericordiæ cōpassionisq; viscеribus totus affluebat: adeo vt inter beatos pauperes regnū cœlorū possidens iustitia eius maneat in seculum seculi, & elemosinas eius enarret omnis ecclesia sanctorum. Ad hoc etiam templi faciem coronis decorauit: eorum altius exstructum desuper arcubus fabrefactis augmentauit; altare ad crucem auro argentoq; cinxit, insuper thesaurum Ecclesiæ in pluribus ampliauit.

Mona-

Monasterium Abrinsberg in honore S. Michaelis archangeli à fundamentis inceptum ædificauit,& monasticis mansionibus congrue circumaptatis,Fratribus ibidem Deo militantibus necessaria affatim procurauit;ipsamque Ecclesiam Crucibus & tabulis fabrefactis alioq; quamplurimo ornatu magnifice venustauit. *Abrinsberg monasterium vide Orig. Palat. ca. 8.*

Postea diuina dispensante gratia;quæ glorificantes se glorificat, ob insignem famæ meritorumque prærogatiuam, à Cunrado rege secundo (de quo post dicturi sumus) in cathedram Spirensis Ecclesiæ prouectus est,dignus fungi sacerdotio Domini, & habere laudem in nomine ipsius. Præsedit Laureshamensi monasterio annis. ... *Vide Ispergen. in Spir. Episcop. 22.*

10 HENRICO diuæ memoriæ Imperatore Secundo de medio facto,deficiente regia prole,quæ regno succederet,orta est inter principes non modica contentio. Qua diuinitus sedata in CVNRADVM Regem,quem dicunt de Weibelingen,conuenit regni vniuersalis electio. A quo (vt aiunt)processit adhuc permanens Imperialis prosapia. Nam Cunradus genuit Henricum III. Henricus item Henricum IV.Henricus quoque Henricum V. Imperatores Spiræ sepultos. Fridericus dux ex sorore Henrici V. Cunradum regem, & Fridericum II. ducem,Fridericusque II. dux Fridericum Imperatorem. Inter hos omnes tantum medius erat Lotharius Imperator,non huius,sed Saxonici generis. *CVNRADus II. Imp.*

Hic itaque CVNRADVS secundus rex, rogatu præfati REGINBALDI *Gent, in Flandria.*
20 abbatis, tradidit S. Nazario omne suum regale ius in mancipiis in Gannita ea scilicet ratione, vt nullus Comes, Vicecomes, aut alia quælibet iudiciaria persona, in eisdem mancipiis aliquam deinceps habeat sui iuris exercendi potestatem,siue ad placitum suum constringendi, seu bannum persoluendi,nisi prædictus Abbas suiq; successores,& quem ipsi Aduocatum elegerint,&c.

ANNO Dominicæ incarnat.

Reuerendo patre REGINBALDO Spirensis Ecclesiæ (vt diximus) infulis decorato, HVMBERTVS violenter intruditur, nulla quidem fratrum aut militum electione, aut Canonica institutione, sed aulicorum (quorum fauorem sibi multa pecunia, vtpote præpositus, & Ecclesiæ pseudoœconomus, diu cõciliauerat) studiis
30 & patrociniis fultus; nec per ostium intrans, sed aliunde ascendens. Qui statim in ipso introitu nefariæ cupiditatis totas laxauit habenas, notamque ambitionis velut sub honestatis prætextu colorabat, mirum in modum discordantibus vitiis : idem & auarus, & prodigus. *HVMBERTus abbas XXI.*

Primus siquidem (& vtinam solus) alter post Ezechiam Manasses, Laureshamensem Ecclesiam, illam (inquam) filiam Sion inclitam,& amictam auro primo, profanauit, expilauit, profligauit, atque illo nobili & augusto ornatu & thesauro, Regum, Imperatorum Dei fidelium, & antecessorum suorum feruentibus studiis amplissime conlato, subrepto per hunc,immo prorsus direpto,manũ quoque suam misit foris ad omnia desiderabilia eius. Nam cognatis suis, quos sibi potius secula-
40 ris fastus,quam naturæ germanitas deuinxerat,& quorum ambitu ad hanc dignitatem aspirauerat, exposuit res Ecclesiæ distrahendas,atque prostituit;& quæ ipsi monasterio,fratrumq; vsui,stipendiisq; seruiebant, sub beneficii nomine distribuit,videlicet Hagenheim, Cruftillam,Gruonouua,Luodenbach,Sachsenheim, Burifelden,Heidebach. Vineas quoque in Dochsenheim vberes,& perquam optimas,sacrosancto altaris ministerio antiquitus dedicatas. Ad extremum purpuram pretiosissimam, auro per totum contextam, capacitate longitudinis totius sanctuarii ambitum cingentem,profanis ignibus iniecit,& aurum quod plurimum inerat,eliquari fecit: aurum scilicet sitiens, & aurum bibere gestiens. Cuius non modica particula à quodam fratre, qui zelo Phinees ductus præceps irruit, ex incendiis,erepta, *Dossheim.*
50 vsque ad tempora nostra hic durauit: Postremo & ipsa cum reliquiis vasorum domus Dei per Nabuzardan in Babylonem abducta. Verum qualiter diuina vltione in auctorem tantæ præsumptionis animaduersum sit,prout a maioribus nostris accepimus,non ab re visum est hic inserere: vt discant Ecclesiarum prælati, quorum exempla imitantur, eorum exitum pertimescere. Nam protinus inter ipsius purpuræ incendia, cœpit acerrimo vitalium ac totius corporis dolore æstuque discruciari,

nocteq; insequuta, cubicularijs non tam somno, quam diuino nutu profundissime consopitis, grauissimis morbi & sitis ardoribus exæstuans vsq; ad mortem angustari. Quum etiam subita luce coruscante cubiculo, aspicit personam reuerendi admodum vultus, vultu flammeo, oculis ardentibus, corrugata paulum fronte, chlamide purpurea, auro intermicante, sed plurimum scissa, corona gemmis stellantibus, insignem barba aurea, sed semiusta, pateram vino plenam manu præferentem. Interrogatus an siti afficeretur, *Grauissime ait.*

Quæsitus an se recognosceret, metu conscientię deiectis in terram oculis obmutuit. *Ego sum*, inquit, *Nazarius huius domus, huius familiæ dominus & patronus, quam pretio sanguinis sui redemptam Christus Iesus, in pretium sanguinis pro ipso fusi mihi contulit, restituens, & hic centuplum, & in cœlis vitam æternam. Hanc domum, hanc familiam mei iuris, meæ prouidentiæ, deterior crucifixoribus Christi innauisti, scidisti, diuisisti, militibus tuis tunicam inconsutilem desuper contextam sorte distribuisti, ad extremum in ipsam faciem & os meum impias faces ingerens, huic barbæ turpes notas inussisti. Quapropter dabis pœnas dignas meritis, Christo iudice, Christo vindice, neque bibes àmodo de hoc genimine vitis terrenæ, sed accipies hac die hora nona calicem iræ de manu Domini, de quo bibent omnes peccatores terræ.* Quo dicto & visio finem, & mors subsequuta visioni fecit fidem.

Hæc ex seniorum nostrorum relatu (salua pœnes ipsos rerum fide) non otioso perstrinximus: quatenus nostri temporis Ecclesiarum non tam prælatos quam elatos, dominos non patres, exactores non pastores, quos non terret Balthasar, Antiochus, aut Heliodorus, terreat saltem vel noster Humbertus.

ANNO Dominicæ incarnat. ...

BRVNINGVS abbas XXII.

Post Humbertum BRVNINGVS ex Fuldensi cœnobio subrogatur, morum laudabilium & bonorum actuũ sectator. Qui quamuis crebris viscerum doloribus cruciaretur, tamen instantia eius cottidiana fuit, iugis sollicitudo, & prouida dispensatio rerum Ecclesiasticarum. Tandem velut aurum in fornace probatum, longa excoctus molestia septimo ministerii sui anno transiuit ad Dominum. Hic ornatum Ecclesiæ ab Humberto direptum in cappis reparans, augmentauit. Beddenkircha villam acquisiuit; familię suæ veteres insolentias dictante iustitia compescuit, & in præuaricatores huiusmodi sententiam promulgauit:

*Notum sit omnibus Ecclesiæ Dei fidelibus, qualiter ego Bruningus Dei gratia Laureshamensis Abbas ob reprimendam familiæ nostræ temeritatem, per quam serui in conseruos * vsq; ad mea tempora mutua cæde consurgebant, cum consilio Aduocatorum meorum & militum, istud decretum fieri statui, & vt ad posteros perueniret, scribere iussi. Si quis ex familia S. Nazarii curtem conserui sui ausu temerario, & armata manu ad occidendum eũ infregerit, velut via obuium eum habens impugnauerit, seu ille qui impugnatur occumbat, seu euadat; auctor facti cute & capillis priuetur, & insuper candenti ferro in vtraque maxilla comburatur. Sequacibus eius idem fiat: Si vero Aduocatus aut pretio conductus, aut misericordia motus constitutum hoc adnullare cupiat, gratia mea & aduocatione careat, donec mihi vel meo successori prædio, pecunia, reliquisq; rebus quæ ad reconciliationem spectant, digne satisfaciat.*

* *Vt familiam Wormatiensem.*

In eandem rem edictum etiam promulgatum fuit Henrici Imper. inter Wormacienſem & Laureshamensem familiam, tali tenore: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis ego Heinricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus, notum facio omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus tam præsentibus quam & futuris, qualiter assidua proclamatio nostras aures inquietabat obinueteratas & frequentes contentiones, & obinmarcidas inimicitias quæ semper erant inter Wormacienſem Episcopum & Laurishamensem abbatem, & inter familias vtrarumq; ecclesiarum, quæ iam in tantum conualuerunt, vt etiam innumerabilia inter se fierent homicidia, & in hoc maximum detrimentum vtraq; pateretur ecclesia. Qua propter cum consilio meorum fidelium id ordinare disposui, quomodo tantæ discordiæ temerariam præsumptionem inter vtramq; ecclesiam & earum familias nunc & in posterũ aut omnino dissoluerẽ, aut impunitam non relinquerẽ. Imprimis præcepi, & ad hoc peragendũ meos nũcios misi, vt omnis iniustitia quæ iã per multa tẽpora ex vtraq; parte incorrecta remanserat, ab Aduocatis illorum vtrimque pleniter corrigeretur, & deinc præuideant, ne talia apud illos sic inuetereſcant. Et si aliqua noua contentio inter illos exorta fuerit, volo vt conueniant, & quam citissime possint, corrigant. Et ne talis ac tantæ seditionis audacia*

sine

sine dignavltione inter vtrasq; familias post remaneret, per huius cartulæ præceptum istud constitutum decretum. Si quis ex familia S. Petri Wormaciensis aliquem ex familia S. Nazarii, vel è contrario aliquis ex familia S. Nazarii quemquam seruorum S. Petri insequitur, & ausu temerario & armata manu aliquem ad occidendum, vel ad deprædandum, eius curtem siue eius domum infregerit, & eum oppugnauerit: & si ille aut aufugerit, vel quoquo modo ab eius potestate siue impugnatione se liberauerit, aut si forte domi non fuerit; illi qui huius audaciæ & invasionis dux & princeps fuerit, tollantur capilli & corium, & insuper in vtraque maxilla ferro ad hoc facto etiam candenti bene caraxetur & comburatur, reliqui eius sequaces cute & capillis priuentur. Si autem ibi occiditur, omnes qui huius homicidii vel invasionis participes sunt, cute & capillis perditis supradicta combustione signentur, ac Wrigeldum occisi domino suo auctor homicidii persoluat, & cum proximis eiusdem interfecti reconciliationem faciat. Et in quocunque loco aliquis ex vtraque familia ab vtrisq; innocens occiditur, homicida supradictæ sententiæ subiaceat. Hanc vindictam & illud meum constitutum Aduocatus, in cuius aduocatione hoc euenerit, cum scientia Episcopi & Abbatis in præsentia nunciorum vtrorumque fideliter adimpleat. Si vero aduocatus aut mercede conductus, aut gratia commotus, aliqua calliditate hæc decreta auertere voluerit, gratia nostra & aduocatione carebit, nisi super sacras reliquias hoc iurare audebit, Quod eum qui homicidii seu invasionis illius reus est, nusquam acquirere possit, tamen quam citissime poterit acquirat. Et si homicida ex familia Episcopi est, & Aduocatus eum acquirere non potuerit, vel noluerit; fideles Abbatis, si possint, illum acquirant, & ad prædictam pœnam præsentibus nunciis vtrorumque repræsentent. Similiter fiat ex parte Episcopi.

Et de seruientibus Episcopi & Abbatis illud constituimus, vt si quis illorum tale aliquid fecerit, prædictæ pœnæ subiaceat, vel 10. libris denariorum redimatur. Vnum autem est quod volo, iubeo, & firmiter præcipio, vt rem semel bene ac rectè definitam nullus renouare vel iterare audeat.

Si autem prædictus Episcopus aut Abbas hoc decretũ annullare cupiat, mihi vel meo successori duas libras auri persoluat; conatum tamen suum nequaquam perficiat. Et vt hæc constitutio stabilis inconuulsaque permaneat, sigilli nostri impressione hanc cartam insigniri iussimus. Signum Domini Heinrici Romanorum inuictissimi Imperatoris Augusti. Guntherius Cancellarius vice Arribonis archicapellani recognoui.

Datum IIII. Non. Decemb. Indict. VI. anno Dominicæ incarnat. MXXIII. anno Domini Heinrici secundi regnantis XXIII. imperii autem anno X. Actum in Triburia, regia villa, Amen.

ANNO Dominicæ incarnat. ...

Gruningo venerabilis pater HVGO successit: in quo diuina pietas, quicquid vel natura vel gratia homini confert, ad vnguem expoliuit. Nam vt cætera in eo prædicanda taceamus, ob eminentem iustitiæ & eloquentiæ gratiam, miræ veneration is ab omnibus habebatur, & lingua eius inter principes loquebatur sapientiam. Qua de re licet monasterio sæpius abesse cogeretur, animus tamen eius, & indefessa sollicitudo circa religionis vigorem, & fratrum prouidentiam versabatur, subditosque suos quasi nutrix filios suos fouens, verus Pater Monachorum & dici & esse curauit. Hic in Regali palatio acceptissimus, ab HENRICO tertio rege (qui patri suo, videlicet Cunrado II. Imperatori Spiræ sepulto, iam tũ successerat) patriæ donationis de mancipiis in Gannita confirmatiuum accepit præceptum. *HVGO abbas XXIII.* *HENRICVS III. imp.*

Priuilegium quoq; libertatis à venerabili Papa Leone nono (qui & Bruno, primo Tullensis pontifex) Laureshamensi monasterio expetiuit.

ANNO Dominicæ incarnat. ...

Post excessum venerãdi & Deo digni patris Hugonis ARNOLDVS subrogatur. Qui a primis (vt ita dicã) infantię cunabulis in ipso monasterio spiritualibus rudimẽtis educatus, bonæ spei iuuenis in virilis animi robur euasit: ac per omnes dignitatum gradus sensim ascendens, plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri floruit. Nam primum à præposituræ ministerio Wizenburgensis Ecclesiæ regimini prælatus, postea Limburgensis monasterii curam ac subinde nouę Corbeiæ dignitatem loco pariter & officio Abbatis sortitus est. *ARNOLDVS XXIIII. abbas.*

Nec multo post in Laureshamensi monasterio filius à matre in dominum & patrem sublimatur, & ad extremum in Spirensi Ecclesia pontificale culmen ascendens sicut cedrus libani multiplicatur: nimirum à tot dignitatum titulis non tantum accipiens honorem præmii, quantum illis decoris addens sui. Hic Ecclesiam quæ dicitur Varia, per Leonem Papam supradictum (qui per id temporis Magontiæ synodo habita, multa ibidem de Ecclesiasticis sanctionibus disposuit) in honore S. Dei genitricis Mariæ, omniumque Apostolorum atque omnium simul sanctorum consecrari impetrauit. VIII. Kal. Nouemb. Anno Dominicæ incarnat. MLIII. Casulam quoq; candidam, cum cappa, & vno dorsali Ecclesiæ contulit, & Ecclesiam in Hantsculiesheim construxit. Præfuit annis quatuor.

Varia, ecclesia.

Hentschusheim.

ANNO Dominicæ incarnat. ...

Post hunc quoque VDALRICVS vna omnium voce pari voto eligitur. ipso videlicet anno quo Henricus III. Imperator Saxoniæ, decedens Spiræ appositus est ad patres suos. Qui positus super candelabrum, vt luceret omnibus in domo Dei, exemplo antecessoris sui piæ memoriæ Reginbaldi studio diuinæ religionis animum intendēs, Ecclesiam monasterii in Abrinsberck libris, tabulis, crucibus, auro, argento, atque ebore redimitis venustissime decorauit. Insulam quoque proximam, quæ dicitur Aldenmunster ex diutino situ vastitatis erutam, ædificiisq; oportunis quaqua versum exstructis innouatam, diuinis obsequiis mancipauit, atq; fratribus ibidem Deo famulantibus, necessaria tam animæ quam corporis accuratissime prouidit. Diuino (vt credimus) instinctu: vt viam dominicis equis in luto aquarum multarum faciens feras harundinis increparet, & iusti fulgentes tanquam scintilla in harundineto discurrerent.

VDALRICVS abbas XXV.

Aldenmunster insula.

Qui licet ex palustri exhalatione quatuor Ægypti plagas, ranas, scinifes, muscas, & nebulas crebri patiantur: pluribus tamen contra hæc diuinæ gratiæ remediis muniuntur; procurante eius patre Vdalrico butirum de armento, lac de ouibus, cum adipe pinguium, medullam quoque tritici, & sanguinem vuæ meracissimum. Vbi etiamsi cis in mentem veniunt cucumeres, pepones, porri, cæpe, & allia abunde suppetunt, & pro ollis carnium gratuita copia piscium. Cellam nihilominus in Michlinstat CCLIII. annis desolatam restaurauit, & necessariis vitæ subsidiis impensè collatis, religiosos inibi fratres adunauit.

Michlēstat.

Hic pater quum per continuos nouem annos in summa pace & quiete creditam sibi gubernasset familiam, decimo iam instante, nauicula Laureshamensis Ecclesiæ subito magnis cœpit iactari fluctibus, Domino Iesu peccatis exigentibus dormiente. Qui tamen solita clementia precibus discipulorum suscitatus, statim surgens imperauit ventis & mari: & facta est tranquillitas magna.

Nam per quosdam, magis quæ sua quam quæ Iesu Christi quærentes, libertas eiusdem Ecclesiæ aliquantum impacta quidem est, sed Deo propitio nec labefacta, nec subacta est. Quæ res quibus auctoribus emerserit, quemue exitum acceperit, prout à maioribus memoriæ traditum est, strictim attingamus.

HENRICVS III. Imp. Anno Archiep. Col.

HENRICVS III. Imperator (vt supra diximus) vita excedens reliquit filium paruulum cognominem sui, Imperatrice Agnete loco filii cum cæteris optimatibus regni curam administrante. Quem Anno Colonienſis Archiepiscopus, vir in Dei rebus spectatissimus, & inter Ecclesiæ Regnique principes incomparabilis & nominis & meriti, dolens à matre materno quidem affectu, sed non regaliter enutriri, habito quorundam principum consilio, eum à matris imperio rapuit; & licet quandam sibi ex hoc conflauerit inuidiam, literis diuinis & humanis cæterisque disciplinis regali indole dignis, quantum in ipso erat instituit.

Interim orto in Romana Ecclesia schismate sequutoque ex studiis partium vsque ad sanguinem certamine, pro electione duorum Pontificum, ad reformandam Ecclesiæ pacē & vnitatē, Anno Archiepiscopus, & Godefridus dux à latere Regis rogatu Ecclesiæ diriguntur, atq; edicto Mantuæ conuentu, auditis vtriusq; partis allegationibus, vtriſq; etiam electis præsentibus canonica sententia Alexander in sede

Alexander Papa.

in sede Apostolica confirmatur. Cuius absentiam Adelbertus Premensis Archiepiscopus aucupatus (vt erat effrenis auaritiæ) omni arte circa aulicos molitur, vt Regis pueri eruditio & pędagogium sibi committeretur, asserens Annonem seueræ frontis, se vero ingenii mitioris esse: Regem iam maturæ ætatis suæ potestatis esse debere, nec tam alieno quam proprio arbitrio regni gubernacula disponere. His deleuificis persuasionibus inflexo Rege, auaritiæ suæ pandit hiatum, & duas mox regales abbatias Laureshamensem atq; Corbeiensem, quasi fidei deuotionisq; præmium, erga Regem ambiuit. Veritus autem id apud cæteros regni Principes inuisum fore, donari fecit Annoni Archiepiscopo abbatias Indam, Malmundarium, & Filike: Sigefrido Archiepiscopo Moguntino Seligenstat, Ottoni Bavvariorum Duci Altaha, Rudolfo Sueuorum Duci Kembeten. Sicq; pacatis illis, cœptis incubuit molitionibus. Et vt Corbeiensem Ecclesiam ex abrupto vacantem inuaderet, fingit quendã Episcopum Italicæ ciuitatis (cui Polæ nomen est) humanis rebus excessisse, cui successorẽ Abbatẽ Corbeiensem veluti sub prætextu honoris subrogat. Qua detecta versutia omniũ in se concitauit odia. Verum Ottonis Ducis fide & instantia, cunctisq; Episcopi conatibus explosis, tam abbati quam monasterio Corbeiensi sua libertas, sua dignitas, incolumis conseruata est. De Laureshamensium vero Ecclesia dubius inter spem & metũ conceptum animi diu occuluit, non ignarus omniũ Principum odiis se super hoc expositum; donec arrepta occasione Regem Wormatiæ Pascha celebraturum, velut in transitu Lauresham adduxit. Vbi Rege solenni fratrum & Abbatis occursu (vt par erat) in palmis glorioſe susceptо, Episcopus Abbatem familiari colloquio adorsus est, & sermonibus multis vltro citroq; habitis, fidelem se patronum & indubitatum amicũ Abbati in negotiis Ecclesiæ suæ apud aures regias, data quoq; fide pollicitus est. Cui Abbas, par pari rependens, obsequio officium se compensaturum respondit. Episcopus autem ne nihil intentatum omitteret, Iudæum quendam, immo Iudam, qui Episcopi loculos habebat, callide subornat, eumq; velut ex mandato Regis Abbati summo studio commendat. At Iudæus Iudaica vtens perfidia, nihil quod sui erat reliquum facere, singulos fratrum & maxime iuniores sollicitare; dein ab his qui ad Abbatis auriculam erant, singula quæq; scitari, quæ fratrum cum Abbate cõcordia, quæ prouidentia, quæ ordinis obseruantia, quis deniq; rerum & personarum status per Abbatis vel industriam esset, vel ignauiam, attentius indagare. At vbi nihil nisi laude dignum expiscari potuit, tandẽ animos sub vulpe latentes detexit, ipsumq; locum cum omni integritate Domino suo, regali munificentia cõtraditum esse propalauit. Quo audito Abbas homo librati consilii

Adelbertus Premenſ. archiepiſc. abbatiã Laurenſi imbiat.

Eadem Lãbert Schaffnaburg ſub anno 1063.

Pola.

Otto Dux.

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

Inter hæc à Rege Basileam euocatus, frequenti (vt decebat) comitatu & curiali apparatu profectus est. Vbi miles quidam in ipsa ciuitatis porta de aduentu intrantium curiosius exquirens; Hæc, ait, omnia iussu regis Adelberto Episcopo tradita in Saxoniam transferenda sunt. Quo tumore per ora hominum volitante, difficile visum est Regi & Episcopo tum cœpta persequi; præsertim quum nunc ii ad Apostolicam sedem super hoc directi, infecto negotio redierint. Nam dissidentibus inter se de Apostolatu tum etiam nouis partibus, nihil promouere poterant. Ea spe frustratus rursum Episcopus Abbatem alia via aggreditur: persuaso Rege, exposci fecit ab Abbate quoddam beneficium regio militi, ex quo fratrum plurima pendebat vtilitas; sperans Abbatem si iussis morem non gereret, regalem offensam incursurum. Abbas vero diu multumque renisus, vt Episcopi laqueos euaderet, tandem fecit imperata, accepta Regis fide, *Nunquam se vel Ecclesiam suam simili vel prece vel præcepto de cætero grauari.* Posthæc Episcopus cum Rege Saxoniam reuersus, absentia Principum copiam nactus, voti compos efficitur; Laurishamensis Ecclesia per solum soli traditur. Abbas iterato ad Regem Goslariæ euocatur, idque per Babenbergensem Episcopum velut sub testimonio arctius demandatur. Sed Abbas nutu Dei graui tum valetudine corporis decumbens, responsales pro se Regi direxit, vixq; paucorum dierum inducias obtinuit. Quumque die indicta adhuc infirmitate depressus, legatum excusandi gratia misisset; non solum nõ est admissus, sed etiam ignominioſe

repulsus. Quem cuestigio regalis epistola per Episcopum fabricata insequitur, ita continens. *Heinricus Dei gratia Rex; Vdalrico abbati gratiam interim. Miramur, quod te, cui obedientia præ omnibus conuenit, inobedientem sentimus, non cogitantem quid sis, & quod impune facere non potes. Seditionem quidem à te velle moueri audiuimus, cuius seditionis qualis sit finis, haud sapienter tractas. Vnde volumus, firmiterque sub obtentu gratiæ nostræ præcipimus, vt si quid in Regno nostro habere volueris, in festiuitate omnium sanctorum ad nos Goslariæ venire non dubites.* His Abbas minis deterritus, omisso fratrum ac militum consilio, iussa exequi disposuit, ascensoque vltra vires equo non procul à monasterio, diuino impulsu prolapsus grauissime corruit, atque semianimis præcluſa diu voce in sella gestatoria reportatus est. At vero milites Ecclesiæ, tam ministeriales, quam nobiles viri, prælati, zelo iustitiæ succensi, Barbaris seruire (quod nec serui ære parati ferrent) indigne ferentes, imminens periculum, si non valeant consilio, ferro, capitisque periculo propellere statuunt. Montem igitur haud procul à monasterio, *Burcheldon* dictum occupant, castellum ædificant, turres construunt, vallo ambiunt, propugnaculis muniunt, præsidia imponunt. Hæc vbi per fautores Episcopi Regi insonuere, literis directis iubet Abbatem tanquam noua molientem loco excedere, ita interminans.

Burcheldon mons.

Heinricus Dei gratia Rex, Vdalrico monacho: Miramur quo ausu, cuiusue solatio abbatiam nostram contra nos retinere volueris, nec nobis inde seruiens, nec patrono nostro A. cui hanc dedimus quicquam subiectionis impertiens. Quapropter volumus, firmiterque tibi sub interminatione propriæ salutis præcipimus, vt absque mora nostra relinquere non differas, nec vlterius aliquid de hisce intromittere præsumas: Virgam quoque nuncio nostro nobis portandam tradas.* Aliæ quoque literæ fratribus missæ, ab obedientia abbati vllatenus vel vlterius exhibenda eos deterrebant, in hunc modum: *Heinricus Dei gratia Rex fratribus Laureshamensibus gratiam suam. Sicut de vestra semper obedientia accepimus, sic & modo probare volumus. Præcipimus quidem Vdalricum quondam dictum abbatem vestrum, quem nos propter inobedientiam & malum exemplum temerum iudicauimus, nihil vobis debere iubere, nec vos vltra ei obedire debere. Ergo si nostræ voluntati obsecundatis, in nullo sibi amplius obediatis.*

* Adelberto.

Abbas igitur habito consilio, dans locum iræ præcepto paruit, & Maguntiam ad S. Albanum contulit, Verum milites & fideles Ecclesiæ eius absentiam non ferentes veriti ne qua hostibus daretur occasio, statim eum reuocauerunt, & Adelberto comiti de Kalevva, tum inter eos & natu, & fide, amicorumque ac militaris rei copia præminenti commendauerunt. Episcopus autem Rege Triburim reducto, castri nitebatur obsidionem, æstimans si eo potirentur, omnia sibi ex sententia cedere. Quod dum opinato tardius procederet, conspirantibus in eum Principum odiis, quæ sibi & fastu superbiæ & rapaci ingluuie conscierat insidiis vndique conclusus, regio vix septus munimine nocturna fuga turpiter elapsus est; atque ita consilium Achitophel infatuatũ est. Mediante igitur Sigefrido Magontinensi, & Annone Coloniensi Archiepiscopis, Rudolfo quoq; & Godefrido Ducibus, cæterisq; regni primatibus, fugato communi omniũ hoste plurima quę in regno erant sub Rege puero perperam gesta, correxerunt; atque Abbatem Laureshamensem non tam ad Regis quam ad Regni præsentiam asciuerunt, promittentes ei per legatos pro iustitia & libertate Ecclesiæ suæ, se daturos & salubre consilium, & fidele patrocinium. Qui communicato XII. illustrium fidelium suorum consilio (quo numero etiam beneficialis summa militaris clipei, qui vulgo dicitur *Hereschildt*, Laureshamensis Ecclesiæ adtinens includitur) singulis pro quantitate beneficiis centenos milites armatos (vt traditur) assignauit, eosque distinctis ordinibus incedentes maxima frequentia insequens tam tutus quam ornatus Regis & Regni conspectui se obtulit; vbi fauore omnium principum in gratiam Regis reducitur, benigne suspicitur, & cassatis vniuersali sententia cunctis Episcopi molitionibus, cum summo honore & gloria reuertitur, gaudentibus suis Dominumq; laudantibus I. v. Non. Feb. qui dedit eis coronam pro cinere, oleũ gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Cui Rex priuilegium quoq; libertatis & immunitatis more antecessorum suorum tradidit, & confirmauit, hanc habens continentiam: In nomine sanctæ, &c.

Albertus com. de Calue.

Hereschildt.

Præter-

Præterea venerabilis pater Vdalricus ad apoſtolicam ſedem profectus, vt omnes Premenſis epiſcopi conatus & actus, quibus eccleſiam ſuam impugnauerat, in irritum reuocaret, & perpetuo damnaret, priuilegium libertatis ab Adriano Papa accepit, qui anteceſſorum ſuorum decreta ſua quoque auctoritate roborauit: *Adrianus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum, &c.*

Hi ſunt viri miſericordiæ, quorum iuſtitiæ obliuionem non accipient, viri illuſtres, viri ſpectabiles, & vere fideles huius eccleſiæ: qui in diebus peccatorum corroborauerunt pietatem, & erigentes ſe contra filios ſuperbiæ, noui Machabæi duces, viriliter eius defenderunt libertatem, videlicet Adalbertus comes, Buobo cœcus, Ezzo, Wolfgangus, Burchardus aduocatus, Gerardus, Adalbertus, Landoldus, Wolframmus, Egino. Quorum magnificam fidei deuotionem pius pater Vdalricus digne remunerans, conſtituit eis, ſicuti Karolo M. & duobus Ludovvicis, ſingulos pauperes in cœna Domini ad mãdatum fratrum perpetuo aſſignari. Nec immerito: Nam libertatem eccleſiæ, quam illi imperialibus donis & priuilegiis ſublimauerũt, hanc iſti periculo capitis ſui nobiliter defenderũt. Sapientiam ergo & fidem eorum narrant omnes populi, & laudem eorum pronunciat omnis eccleſia ſanctorum. His adiunguntur principes clariſſimi, vere beati, pacifici, & filii Dei, ſtellæ matutinæ, in medio nebulæ, & columnæ lucis, ſcilicet Sigefridus Mogontinenſis, & Anno Colonienſis Archiepiſcopi; necnon Rudolfus & Godefridus Duces illuſtriſſimi, qui zelo iuſtitiæ regali ſe inſolentiæ, vel potius inclementiæ, pro Laureshamenſi eccleſia opponentes in tempore iracundiæ facti ſunt reconciliatio, rectos decet collaudatio. *Vaſalli eccleſiæ Laur.*

Poſtquam diuina pietas procellam hanc in auram ſtatuit, & ſiluerunt fluctus eius: Henricus IV. rex clemẽtiæ erga ipſam eccleſiam animum induit, cui etiam mercatum, iremq; monetam in villa Lauresham, mercatum quoq; cum moneta in villa Winenheim, & in Wezzenloch, per regalia præcepta tradidit. *Moneta & mercatus conceſſio.*

Dehinc venerandus pater Vdalricus (vt ſupra meminimus) Anno dominicæ incarn. M. LXXI. monaſterium in inſula Aldenmunſter reſtaurauit, & inter multa eidẽ collata beneficia, hanc ſpecialem de minori Sachſenheim donationem fecit, & donando tali modo confirmauit: *In Chriſti nomine Vdalricus Dei gratia Laureshamenſis eccleſiæ abbas omnibus Chriſti fidelibus, tam futuris quam præſentibus. Scientes nos in hoc vocatos, in hoc poſitos eſſe, vt decorem domus Dei diligamus, diuina fauente clementia animum induximus, non ſolum eccleſiæ noſtræ diſperſa cõgregare, verum etiam in his maxime, quæ ſunt ad Deum, diruta reformare, & reformata propagare. Ea propter notũ ſit omnibus Chriſti fidelibus, qualiter nos ob honorem Dei & B. Petri principis apoſtolorum, cellam Aldenmunſter primitiuam eccleſiæ noſtræ matrem, monitu & rogatu ſereniſſ. Henrici domini noſtri IV. regis nec non fratrum miniſterialium ac fidelium noſtrorum conſultu & anniſu, diu deſolatam renouauimus, & ad diuinæ religionis augmentum fratres noſtræ profeſſionis ibidem adunauimus. Quorũ vſibus & ſuſtentationi nos per omnia proſpicere ſatagentes, præter cetera præfato monaſterio à nobis collata, curiã noſtrã in Sachſenheim minori, ad nos ſolũmodo ſpectantẽ, cũ omnibus pertinẽtiis ſuis intus & foris, omni iure & integritate (prout à nobis habita eſt) plene & abſolute rogatu, cõſilio & cõſenſu, quorũ ſupra, eidem cellæ tradimus, & tradendo cõfirmamus. Et vt familiã eius dẽ curiæ ab omni grauedine & moleſtia immunẽ redderemus, à tribus principalibus mallis, qui vulgo Vngebodending vocantur, quibus ad curtim Luitereshuſen annuatim mãniebatur, vtrorumq; conſenſu eam omnimodis abſoluimus, ſoli præpoſito in Aldenmunſter, ſuisq; fratribus omni poſſeſſione, omni ſubiectione, omni functione perpetuo ſeruituram. Verum vt huius noſtræ donationis tenor per futura temporum curricula ſtabilis & inconuulſus permaneat, paginam hanc exinde conſcriptam, ſigilli noſtri impreſſione roborauimus, eamque tam in noſtra, quam in prædicta eccleſia in perenne monimentum reponi iuſſimus. Quisquis igitur hoc noſtræ conſtitutionis priuilegium quoquo modo infringere, in deterius permutare, ſiue adnullare ſciens præſumpſerit, à gratia iuſti iudicis Dei ſemper extorris efficiatur, & ab introitu regni cælorum (cuius claues beato Petro commiſſæ ſunt) excludatur, & pœnam Iudæ proditoris cum omnium reproborum capite & corpore, æternaliter (niſi reſipiſcat) ſortiatur. Actum in ipſa eccleſia Aldenmunſter, coram fratrum, miniſterialium, ac plurimorum Laureshamenſis eccleſiæ fidelium frequentia, in feſto beati Petri, Anno Dominicæ incarnationis M. LXXI. Regni vero Henrici quarti Romanorum Regis anno XV. Introitus* *Reparatio monaſterii Aldenmunſter per Vdalricum abb. 1071.*

autem domini Vdalrici abbatis anno XVI. *Indictione ... feliciter in Christo, Amen. Ab eo quo primum per Rudgangum Archiepiscopum eadem consecrata est ecclesia, anno* CCCIIII.

Præterea super eiusdem monasterii statu & possessionibus præcepti regalis auctoritatem expetiuit, & in hunc modum accepit:

In nomine sanctæ & indiuiduæ trinitatis, Heinricus IV. diuina fauente clementia Rex. Si venerabilia ecclesiarum Dei loca alicuius commodi vtilitate ad laudem Dei stabilire, confirmare ac sublimare studuerimus, nobis id ad animæ remedium regnique nostri statum profuturum esse minime dubitamus. Quapropter nouerit omnium Christi fidelium nostrorumque vniuersitas, qualiter Vdalricus Laurishamensis abbas nostram adiens serenitatem omnia nobis studio postulauit, quatenus sub nostræ confirmationis atque immunitatis auctoritate liceret sibi sub S. Petri apostolorum principis, & omnium apostolorum honore monasterium restaurare in insula, quæ proxima Laureshamensi monasterio imminet, prætitulato nomine Aldenmunster. Rogauit etiam nos eidem monasterio confirmare ad vsum fratrum Deo ibidem subregula S. Benedicti seruientium loca cum pertinentiis suis his nominibus designata, &c. Cuius petitioni, quia rationabilis atque religioni dedita videbatur, aurem libentissime accommodauimus, atque eidem ecclesiæ ab ipso concessæ per hanc nostram regalem paginam concedimus atque confirmamus. Interdicendo itaque interdicimus, vt nullus posthinc abbas eidem monasterio de prænominatis locis aliquid posthinc auferre, & ad suos vsus conferre, siue alicui militi in beneficium dare præsumat. Si autem (quod absit) fecerit, Dei omnipotentis offensam, & S. Petri apostoli inprimis incurrat, & vt banni nostri trinfgressor, auri optimi libras centum ad cameram nostram persoluat. Et vt hæc nostræ ingenuitatis auctoritas stabilis & inconuulsa permaneat, hoc præceptum inde conscriptum manu propria confirmantes sigilli nostri iussimus impressione insigniri. Sigehardus cancellarius, vice Sigefridi archicancellarij recognouit. Data anno dominicæ incarnationis MLXXI. *Indictione ... anno domini Heinrici* IV. *Regis.* XV. *Actum Laresham feliciter, Amen.*

Murbach. His & huiuscemodi meritorum præconiis venerabilis pater Vdalricus longe lateq; celebris effectus, ex diuinæ largitatis gratia abbatia quoq; Murbach regiæ nobilitatis & eminentiæ sublimatus est. Nec multo post carne solutus migrauit ad Dominum, dignus laude, dignus memoria, qui lupo veniente non fugit, non oues dimisit, sed ascendit ex aduerso, & opposuit murum pro domo Israel. Præfuit Laureshamensi monasterio annis XX.

ADALbertus abbas XXVI. Post cuius decessum ADALBERTVS in eodem regimine substituitur. Quo vix biennio functus, incertum quibus de causis deponitur, & alter ei non meliori auspicio supponitur.

WINTHERus abbas XXVII. WINTHERVS siquidem, non pastor, sed lupus, siue electione, siue intrusione ipsi succedens. Sigehardi videlicet comitis frater, & opinati illius Adelberti Mogontinæ sedis archiepiscopi patruus, nobilitatis suæ fastu insolenter abuti cœpit, & initio *Bruomat in Alsatia.* dolorum villam, immo regalis munificentiæ curiam Bruomat, medullam scilicet Laureshamensis ecclesiæ, & terram agri pleni, quem benedixit Dominus, prædicto fratri suo in beneficiauit. Et quoniam auaritia neq; copia, neq; inopia minuitur, malo imbutus principio, ad maiora animum intendit, & Wormaciensem episcopatum simoniaco ambitu, & maximo Laureshamensis ecclesiæ detrimento inuasit. Quem videlicet episcopatum non propter bonum opus desiderans, vt quod virtute non poterat vel quomodocumque assequeretur, omnem eiusdem monasterii ecclesiasticum thesaurum, etiam ab Humberto relictum, corrasit, exhausit, euiscerauit: nec his contentus, Gingen, Rumpenheim, Langena, Luithereshusen in beneficians, Palatinos sibi canes reconciliauit. Præterea vt fratrum disturbaret concordiam, nouæ cuiusdam sectæ nescio quas insolentias subinducere conatus est: sed iunctis vnanimiter obnitentibus, proposito frustratus est. Exactis igitur in episcopatu tribus annis, tam episcopio, quam abbatiæ vltro renunciauit, & de cætero priuatum viuere pollicitus, sub vmbra conuersionis Hirsaugiense monasterium expetiuit. Vnde non multo post ab amicis reuocatus, vt vir duplex, animo inconstans, in omnibus viis suis retro respiciens, versus est in statuam salis. Nam *Gingen.* Gingen, quod imperiali auctoritate fratrum industria recuperauerat, denuo in beneficium exposuit, & *Slirburg.* Slirburg proprietatis prescriptione iniuste ab ecclesia alienari sustinuit. Rursumq;

abdicata

abdicata ſponte vtraque dignitate, Hirſaugiam reuerſus rebus humanis exceſſit, miſerabili ſane exitu, qui tanta rapuit, & nihil exoluit; nec cum Zacheo quadruplum, ſed nec ſimplum reſtituit, res pauperum diſtribuens non pauperibus. Tenuit epiſcopatum annis tribus, abbatiam annis XI. Quo recedente (vt diximus) Hirſaugiam, ANSHELMVS concordi fratrum electione ſubrogatur, vir conſilii & magnæ circumſpectionis. Qui induens pro thorace iuſtitiam, & accipiens pro galea iudicium certum, primum oppreſſores eccleſiæ, videlicet Bertholdum aduocatum, eiusque exactores, ac cæteras huiusmodi peſtes, qui iam deuorauerunt Iſrael toto ore, viriliter expugnauit ac proſtrauit, atque familiam cum rebus eccleſiæ ex ipſis hiantium faucibus eripuit. Theſaurum quoque eccleſiaſticum, quem anteceſſorum ſuorum damnabilis ambitio in diuerſa diſtraxerat, maxima induſtria, ſummoq; labore plurima ex parte recollegit: fiſcos quoque regales, quos Wintherus & alii laicorum ditioni & vſui ſubiecerant, eccleſiæ fratrumque ſeruitio reſtituit; ſcilicet Bruomat, Gingen, Langena, Rumpenheim, Liutereshuſen, Sachſenheim, Imperatoriæ maieſtatis patrocinante clementia. Verum cum iam tempus immineret, vt inciperet iudicium de domo Domini, propter peccata Prophetarũ eius, & iniquitates ſacerdotum eius; compleuit dominus furorem ſuum, effudit iram indignationis ſuæ, & ſuccendit ignem in Sion, & deuorauit fundamenta eius. Anno etenim dominicæ incar. M.XC. euolutis, ab exortu monaſterii ipſius plus minus CCCXXVI. annis, XII. Kal. April. repentino ac miſerabili incendio tota Laureshamenſis eccleſia conflagrauit, illasq; regum ac principum nobiles & veteres operas, & impenſas, parietes auro argentoq; prætextos, fornices marmore, ebore, gemmisq; interſtinctos, pretioſam purpuræ copioſamq; ſupellectilem, omne denique, quod pulchrum erat viſu, cum circumpoſitis ædificiis edax flamma fauillatenus abſorbuit. Quæ calamitas, qualiter aut vnde proceſſerit comperta à maioribus rerum fide caſtigata breuitate ſuccinganus. Ipſa, quam prædiximus, die vergente iam in veſperum, poſtquam exemplo carnalis Iſrael ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere, forte inter cætera ludorum exercitia diſcus in extrema marginis ora (vt ſolet) accenſus, militari manu per aera vibrabatur; qui acriori impulſu circumactus, orbicularem flammæ ſpeciem reddens, tam oſtentui virium, quam oculis mirantium, ſpectaculi gratiam exhibet. Is a quodã non tam pertinaciter, quam infeliciter intortus, ad ſummum eccleſiæ faſtigium imprudenti iactu euolauit, vbi inter tegulas & carioſos aſſeres arctius inſidens, animante vento fomitem incendio præbuit. Quid multa? Primo caſtellum mirabili dolatura fabrefactum, in quo inſignia eccleſiæ dependebãt, funibus exuſtis, ne quis ſonitu excitari poſſet arripuit, dehinc totam ſuperiorem fabricam, turres quoq; cum porticibus flamma victrix obtinuit: ad extremũ bulliente plumbi deliquio, cuius materiæ omne tectum fuerat, ſubueniendi, ingrediendi, vel quippiam exinde eruendi omnimodam abſtulit facultatem. Erat tũc miſeranda rerum facies, tot præclara tam eccleſiæ, quam totius monaſterii ædificia, tot inſignia ornamenta, repentina flammarum vaſtitate deuorari, & plurimis abſumptis, pauca admodũ vel manu collecta, vel ſecuri & aſcia deiecta, ſummo ſudore & periculo ex ipſis incendii globis vix liberari. Qualis tum calamitas, quæ miſeria, qui clamor, qui luctus, qui gemitus, quæ ſuſpiria, lamentaq; omniũ fuerint, facilius eſt tacẽdo cõiicere, quã multa dicẽdo parũ dicere. Sic egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius: ſic cõſumta ſunt omnia deſiderabilia eius, diſſipauitq; Dominus quaſi hortũ tentoriũ ſuũ, demolitus eſt tabernaculũ ſuũ. Sed nõ obliuiſcetur miſereri Dominus, nec cõtinebit in ira ſua miſericordias ſuas. Viſitauit enim in virga iniquitates eorũ, & in verberibus peccata eorũ: miſericordiam autem ſuã non diſperſit ab eis, & paracletũ ſuũ miſit eis. Poſtquam igitur tam inclita, & tam illuſtris eccleſia tam graui conflagrauit incẽdio; primũ vt ſe habent humana, maximus dolor, dehinc ex dolore querula cauſatio, non ſolũ eccleſiæ familiam, ſed & omnẽ accendit prouinciam: ignorantes, quia Dei iudicia ſunt abyſſus multa, ideoq; aſſerentes Laureshamenſe cœnobiũ tãti nominis, tãti meriti martyrẽ, beatũ videlicet Nazariũ nõ habere, vel potius nunquã habuiſſe patronũ, cuius in tãto periculo declinando non ſenſiſſet patrocinium. Qui doloris gladius prior egrauior ad vſq; abbatis pertranſiuit animam, veritus ex tali deſperatione

ANSHELMVS abbas XXVIII.

1090.

Incendium Laurisham.

Ludigenus.

non ſolum eandem eccleſiam reſtaurari non poſſe, ſed & perpetuo excidio perditum iri. Totus igitur conuerſus ad Dominum, communicato fratrum conſilio, indictoq; triduum ieiunio, excluſis omnibus, ſub armata quoq; cuſtodia, ne quis extraneus arbiter interueniret, paucis adhibitis, poſt altare beati martyris infodi, & humũ altius egeri præcepit. Vbi diutino labore expenſo, duo demum ſarcofaga miræ magnitudinis, ſed alterum altero aliquanto depreſſius repererunt: quibus introſpectis, cum vacua deprehendiſſent, ſpem omnem fidemq; perdiderunt. Verum abbas obſtinato in Deum animo, & in ſpem contra ſpem credens, dum impenſius inſiſtere, & cœptum perſequi iubet; Otto quidam, nobilis tum architectus, repentino velut cõcaui ſonitu diuinum quid animo concipiens, enixius inſtitit, nec multo poſt tumbam marmoream magnifici decoris, ſigillis ac nodis ferreis arctius obſignatam, remoto circumpoſito lapidum aggeſtu, explicuit. Qua reſerata, inuenta eſt arca plumbea fideliter ibidem inſerta, continens inæſtimabilem & ſemper optabilem theſaurum, corpus videlicet beatiſſimi martyris, patris ac patroni noſtri Nazarii, pretioſiſſimo inuolutum ſerico, membris niueo candore conſpicuis, iam beatæ reſurrectionis gloriam quodammodo præferentibus, vulnerumq; locis, quæ in paſſione, in capitis abſciſſi vertice, humeroq; acceperat triumphales martyrii titulos proteſtantibus, exhalantibus inſuper velut ex paradiſi deliciis omnium aromatum incomparabilem fragrantiam. Ac ne quid in cordibus intuentium reſideret ambigui, lamina plumbea pectori martyris appoſita, tale continebat inſcriptum: *S. Nazarius Mediolani paſſus.* Cuius paſſionis ſiue reuelationis locum, tempus & ordinem, ſi quis plenius noſſe deſiderat, ex armario Laureshamenſi ab apoſtolica ſede antiquitus illuc directa mutuari poteſt.

Otto architectus.

Inuento itaque tam optato, votisq; omnibus ac ſuſpiriis efflagitato ſacratiſſimi corporis theſauro, vniuerſorum lachrymæ vertuntur in gaudia, immo gaudia reſoluuntur in lachrymas, communis omnium lætitia, tripudium & exultatio, Deo laudes, Deo gratias concinentium, ac de patroni ſui corporali quoque preſentia, de qua olim pene ambigebant, oculata fide gloriantium. Protinus audita voce tantæ iocunditatis, euangelizante diuina gratia gaudium magnum omni populo, innumerabilis vtriusque ſexus confluxit multitudo, ſacroſanctas reliquias venerari, ſalutare, & ſpectare geſtiens, & honori B. martyris vota, preces & hoſtias perquam vberrimas offerens. Quorum deſideriis Abbas ſatisfacere cupiens, ipſam arcam, in qua ſacrum corpus depoſitum erat, per baiulos ſacerdotes in turbas efferri, & palam omnibus conſpici dedit. Quumq; ne ſic exſatiarentur, & geruli ſancti corporis diſruptis ex nimia compreſſione ſacris veſtibus, calore ſimul & labore perichitarentur; venerabilis Ebbo Wormacienſis Epiſcopus in hoc ipſum euocatus, in editiori loco ante Eccleſiam S. Martini conſiſtens, caputq; beati Martyris reuerẽter omnibus oſtendens, *Ecce*, air, *corpus, ecce caput domini veſtri, patroni veſtri, Deo digni ac dilecti martyris Nazarij, de cuius præſentia ambigebatis, de cuius patrocinio deſperabatis. Ecce* (inquam) *ecce ipſe, qui vos propter peccata veſtra cibauit pane lachrymarum: qui vobis propter merita ſua dedit hodie vocem exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum. Hunc vos dominum formidate, patrem amate, patronum iugiter implorate, ſcientes proculdubio vobis à Deo collatum, deuote ſibi ſeruientibus pium protectorem, ſua diripientibus ſeuerum vltorem, reſipiſcentibus promptum interceſſorem.* His dictis omnium æqua gratulatio, æqua iubilatio, vnus clamor, vna vox erat omnium: *O ſacer, o clemens pater & patrone Nazari ſupplicibus famulis auxiliare tuis: familiam quæſo tuam propitius reſpice, vt te protegente, ab omni aduerſitate ſit libera, & in bonis actibus tuo honori ſit deuota.* Acceſſit huic ſanctæ lætitiæ, cuidens Dei gratia. Nam cum ex conferti ſſima multitudine, & ex nimia æſtiui caloris intemperie (iam tum erant Nonæ Iunii) multi adeo decoquerentur, vt extremum traherent ſpiritum, ſubito in ipſo feruore diei, ille qui producit ventos de theſauris ſuis, emiſit ventum roris flantem, & poſt ignem & commotionem flauit ſibilus auræ tenuis, & vere ibi Dominus. Cuius refrigerio ita omnes refecti, ita refocillati ſunt, vt hanc gratiam meritis beati martyris aſſcriberent, ſeq; cœleſti rore inebriatos plena fide aſſererent. Tanta vero fidelium deuotio, tanta oblationum affluentia piaq; concertatio fuit, vt matronæ inaures, armillas, monilia, annulos, gemmas, & quæque pretiola ſuper ſacras reliquias

Ebbo epiſc. Wormac.

raptim

raptim iactarent, cæteriq; tam diuites, quam mediocres, pro virili parte in tabernaculum Domini ea, quæ habebant, offerrent. Vnde in breui, tum ex oblatis impẽdiis, tum ex incendii reliquiis, eadem restaurata est ecclesia, & si non ea, qua olim miræ venustatis elegantia, tamen prout facultas suppetebat, & temporis indulsit festinantia. Præterea Dominus ob coronam & gloriam sui martyris benedixit coronæ anni benignitatis suæ, ita vt campi replerentur vbertate, & exultatione colles accingerentur. *Restauratio templi.*

Primo siquidem anno, infra omnes duntaxat eiusdem ecclesiæ terminos, singularis extitit prouentus glandium, atq; insequenti tanta fertilitas messium, vt obliuioni daretur retroacta iugis trium annorum sterilitas.

Inter miracula vero vel tunc vel deinceps facta illud tanto admirabilius, quanto terribilius habetur, quod oppressores familiæ suæ B. martyr à translatione sua vsq; ad hoc temporis, nunquam passus est impune & absq; graui animaduersione vita excedere. Alii namq; bello turpiter victi, dolore tædioq; probrose perierunt: alii intestati & exhæredati prædia ac beneficia sua extraneis possidenda reliquerunt: alii subitanea morte præuenti, præclusa voce, impœnitentes inter rapinas pauperum exspirauerunt; alii putrefactis vitalibus inflati, & turgidi, scatente sanie cum fœtore putidissimo extabuerunt; alii inter epulas ex inopum rebus apparatas, subitam totius corporis paralysin inciderunt, atque plus biennio elingues, & muti rebus & honore priuati vitam finierunt. Reliquiæ quoque impiorum cotidie deficientes, quemadmodum fumus deficiunt, & ad nihilum deueniunt, tanquam aqua decurrens. Martyr quippe noster patiens, sed fortis est redditor. Intendit enim arcum suum, donec infirmentur; vt' tum sicut cera, quæ fluit à facie ignis, auferantur. Vnde metuendum est, ne iuxta Danielem rursum ex sententia vigilum decretum sit, sanctorumq; sermo ac petitio sit, vt arbor illa fortis & magna proceritate cœlum adtingens, in cuius ramis volucres, sub cuius vmbra bestiæ conuersabantur, præcisis iam ramis eius, & decussis foliis ipsa quoque succidatur, & vinculis insolubilibus vinciatur. Sed hæc hactenus: nunc ad ordinem redeamus.

Resuscitata igitur ex cineribus, in quibus consederat, Laureshamensi ecclesia, dilectus & Deo & hominibus pater Anshelmus, non solum ibidem sacræ religionis vigorem roborare, sed etiam alibi propagare studuit. Eaq; gratia nouam cellam in monte Abrinsberg in honorem sanctorum martyrum Stephani & Laurentii construxit. In quo præcipuum habuit cooperatorem, quendam venerabilem virum nomine Dietpertum. Is quum tempore anterioris Hierosolymitanæ expeditionis, quæ per Godofridum ducem maxime promota est, quorundam fidelium pecunias, qui in eodem procinctu erant, apud se repositas haberet, eisque defunctis nullus esset, qui eas vel testamentario, vel hæreditario iure repeteret; hæredem earum Christum facere, non rapinam arbitratus est. Quas ecclesiæ oblatas abbas in fabricam eiusdem monasterii expendit, eoque venustissime (vt cerni datur) exstructo, aliorum quoque fidelium Dei accedente beneficentia decem fratribus inibi necessaria sufficienter adtraxit. *Abrinsberg ampliatur.* *Dietpertus.*

Quomodo vero ipse abbas terminos montis ac siluæ, quos eidem cellæ adtribuit, à terminis S. Michaelis certis limitibus discreuerit, testimonium ipsius in medium adducamus: *Notum esse volumus, &c.* *Hæc extant in originibus Palatinis M. F.*

Longum est euoluere qualiter hic venerabilis pater ante & post reædificatam ex incendiis Laureshamensem ecclesiam, ornatum quoque ecclesiasticum, quem Wintherus ambitu simoniaco expilauerat, & in vadia exposuerat, plurima ex parte recuperauerit, & curias supradictas suæ dispositioni restituerit. Nec his contentus familiam quoq; ecclesiæ contra oppressores suos cœpit viriliter manutenere & defendere, maximeq; aduersum Bertholdi aduocati tyrannidem, qui fuit radix peccatrix huiusmodi, quæ adhuc vigent, exactionum. Quem idẽ Bertholdus, cum militia, tum iustitia & industria superiorẽ sentiens, quia vi non poterat, dolo circumuenire intendit. Auspicato igitur quo posset imprudentẽ & imparatũ adoriri, in ecclesia B. Mariæ semper virginis apud cellã Michlẽstat fraudulẽter oppressum captiuauit, & in castro Vchingẽ fauẽte cognato suo Eggenone comite custodiæ mãcipauit. Vbi tamẽ (prout *Bertholdus aduocatus.* *Eggeno comes.*

res tulit) honorifice receptus & retentus, extemplo per imperialem auctoritatem absolutus, & suæ dignitati restitutus est, auctoribus sceleris debita confusione multatis. Nec multo post velut optata missione post laborem emeritus miles migrauit ad Dominum VII. Kalend. Iulii, sepultusq; est in Abrinsberg in oratorio S. Stephani, quod ipse (vt cerni datur) exstruxerat. Qui vt memoriam in benedictione relinqueret, fratrum Laureshamensium seruitio talentum in Sachsenheim de reditu cuiusdam possessionis, in anniuersario depositionis suæ die constituit. Carratam quoque vini in festo B. Nazarii, ac X. solidos in Husen, & malter caseorum, cum C. ouis in vigilia Pentecostes ipsis perpetuo tradidit. Rexit eandem ecclesiam annis XIII.

GEROLDus abbas XXIX.

Cui subrogatus est GEROLDVS, incertum ex ipsa congregatione, an aliunde assumptus. Iste curtim dominicalem *Stehelinmesela* dictam iuri custodis Laureshamensis assignauit; sicut & alia eiusdem nominis, in qua abbas Anshelmus ob tuitionem ecclesiæ castrum construxerat, in dispositionem portarii accessit. Quo post annos sex vita excedente HVGO quidam Gingenbacensis abbas, non quidem fratrum electione, sed imperiali permissione mox sicut instituitur, ita & destitutus eadem est ecclesia.

HVGO abbas XXX.

Per id temporis domestica discordia, & inexorabile odium inter Henricum IV. Imperatorem patrem, filiumq; eius Henricum V. coniuratione principum efferbuit, facileq; cum quiuis studia partium fouens, ad quamlibet ecclesiasticam dignitatem aspirabat. Præfuit tunc Hirsaugiensi monasterio post illum beatum, & opinatū eiusdem loci patrem Willehelmum GEBEHARDVS tum natalium splendore conspicuus, tum etiam consilii viuacitate in palatio satis acceptus; cui se non tam fidelitatis, quam ambitionis gratia familiarem exhibebat. Hoc obtentu primo Laureshamensem abbatiam, deinde episcopatum Spirensem, velut ex imperiali concessione vendicauit. Nec mora, rebus abbatiæ plurimum profligatis, fratres ipsius ecclesiæ filios, quorum odia sibi merito conscierat, propulsare statuit, arreptaq; occasione, quasi sub religionis prætextu Hirsaugiensium consuetudinum nouitates, quæ nuper emerserant, per aduētitios monachos ac barbaros, ac huiusmodi laruas potius, quam personas subintroduxit. Quibus ipsius ecclesiæ nutritii fratres pro defensione Gorziensis, seu Cluniacensis ordinis, quem ab antiquo traditum seruauerant, acrius obnitentes, Hirsaugiensium factione pene omnes domo propulsi, ac aliquandiu dispersi sunt. Eoque factum est, vt exinde commissura rudis panni in vestimentum vetus missa peiorem scissuram fecerit, & vtræque consuetudines insimul permixtæ, immo confusæ, neutram apud nos plenarie habeant obseruantiam. Qualiter vero præfati Hirsaugienses post mortem Gebehardi ex eodem loco profugati, ac fratres honorifice sint reducti, consequenter explicabimus. Nam tenuit ipsam abbatiam annis duobus, Spiræq; sepultus est.

GEBHARDus abbas XXXI.

Trithem. in Hirsaug. anno 1105. Ilsengrinus 35. episc. Spir.

Henrico IV. Imperatore, postquam ab eo filius, regniq; principes desciuerūt, nō diu superstite, ac Spiræ tumulato, quum filius eius Henricus, regni quod prius inuaserat, gubernacula suscepisset; fratres Laureshamenses grauem iustamq; in præsentia eius querimoniam depcsuerunt, tum pro sua dispersione, tum pro Hirsaugiensiū inuasione. Dato igitur ad Bertholdum aduocatum ecclesiæ huius exequutionis præcepto, debito cum honore reuocati, ac Hirsaugienses dedecorose vel fuga elapsi, vel electi sunt, illati tamen clam ab eis sacrario, & armario reliquiarum, & labrorum nō mediocri expilatione. Quod ne cui in dubium veniat, testimonio est epistola plena lacrymarum, ab eisdem fratribus ad hunc ipsum regem, necdum Imperatorem, metrico stylo directa, hunc continens modum:

HENRIcus V. Imp.

Summo post Dominum Regi, pleno meritorum,
Cuius ius late protenditur imperiale,
Grex expulsorum de sede sua monachorum
Quicquid reuera poterunt oramina crebra.
Plaudentes manibus in laude Dei iubilamus.
Prosper & incolumis quia redditus es modo nobis,
Spretis & profugis spes vnica rebus in arctis.
Vt pullus volucris residens nido sine plumis

Cum

Cum dapibus matrem vix expectat redeuntem;
Sic & noſtra tuum ſitientia corda reuerſum.
Vix expectabant, & ſemper ad hunc inhiabant,
De mœrore graui ſperantia ſe releuari,
Vnde moleſtamur, lacrymisq; per ora rigamur.
Et quia veniſti, ſaluet te gratia Chriſti:
Hos & conqueſtus noſtros adtende miſertus.
Sunt igitur tecti ſpecie quidam monachali,
Dicti de miluo Milienſes nomine digno, Milienſes monachi.
Facti ſyluestres, ſyluestria corda gerentes:
Qui quaſi Doctores diſcurrunt per regiones,
Simplicium mentes verſute decipientes:
Hoc autem temere præſumunt ſchiſma docere,
Quod neq; vir nuptus, caſta quoq; coniuge functus,
Et nec legitimo mulier ſociata marito,
Vnquam ſaluentur, niſi primum diſſocientur;
Et quæ poſſideant, diſuncti cuncta relinquant.
Hoc quia ſit falſum, legale probat documentum:
Nam quum fecit Adam Deus, vxorem dedit Euam,
Inſtituitq; duos velut vno corpore iunctos
Lege maritali, mentisq; fide ſociali,
Ad genus humanum procedere multiplicandum:
Ne ſierent in eis defectus poſteritatis,
Dicit & humanæ ſtirpis factor Deus ipſe;
A ſe coniunctum ſolui non poſſe per vllum.
Præceptoq; pari mandat ſententia Pauli,
Vt vir ad vxorem ſeruans quem debet amorem,
Chriſtus vt Eccleſiam, ſincere diligit illam;
Ac velut vna caro, maneant in fœdere caro.
Multæ ſunt aliæ nouitates, dogmata, ſectæ,
Dando fel in melle, quas grex docet & colit ille.
Quas, quia ſunt vanæ, piget & pudet enumerare:
Quæ rogo de monachis Milienſibus haud ſtupet auris?
Illorumq; loqui cui non ſint facta pudori?
Aut ea quis referens non ſit frontoſus & amens?
Attamen hi tales ſimulant ſe ſpirituales,
Quum tantum viſi mox inclamentur iniqui,
In quem doctorum non eſt deſpectus eorum,
Se præponentes in dogmatibus meliores.
Hi Domini Papæ teſtantur nomen inane,
Sceptrigeroq; tui faciunt opprobria iuri,
Ac vos indiciis vſos profitentur iniquis:
Ambos damnandos, & ab Eccleſia remouendos.
Atq; (quod eſt grauius, & quod timide recitamus)
Affirmant cunctos ſibi per famulamina iunctos,
Aut quibus alloquium ſit vel communio tecum,
Torquendos flammis æternæ perditionis,
Ni cito pœniteant (Cæſar) tuaq; relinquant.
Spernunt in tantum rectores Eccleſiarum,
Vt per eos aliqui penitus renuant benedici,
Et quæcunq; gerant, ſtatuant, doceant, ea ſpernant;
Quodq; nefas factu, quod & eſt miſerabile dictu,
Tam grauis in clerum turget contemptus eorum,
Vt nolint Miſſas audire per hunc celebratas,
Nil diuinorum quærentes officiorum,

His ſacris illum dicentes haud fore dignum.
Dedecus heu magnum rectoribus Eccleſiarum,
Talia de terra qui non curant abolenda,
Hi quoq; ſemiuiri, turpes, molles, vice plumbi
Diſſimiles auro fornacis in igne probato,
Quod libet, id faciunt, hoc & licitum fore dicunt.
Quæ nolunt per ſe, ſtatuunt non illa licere,
Ex toto ſpretis legalibus atq; veternis
Conſuetudinibus, quas Abba docet Benedictus.
Hi quoq; manſuescunt in vultibus ac hilareſcunt,
Sed ſub mente dolum retinent, rabiemq; lupernum,
Fraus facit hos vulpes, lepores metus, ira leones,
Hi per tonſuras grandes, grandesq; cucullos
Audent mentiri Chriſto, plane Phariſæi,
Alba ſepulchra foris, ſed abintus plena pudoris.
Nam quoniam laudis ſunt percupidi popularis,
Dilatant tunicas ſibi, magnificantq; cucullos,
Triſtes, pannoſi, pallore ſuperſtitioſi,
Demiſſa fronte. Quid multa? nouis ſycophantæ.
Per caput abraſi, terra tenus & manicati,
Tanquam non virtus monachum faciat, ſed amictus;
Aut quaſi religio pietasq; notetur in illo,
Quum non induuias hominis damnet Deus ullas,
Veſte ſub agnina ſi mens etiam ſit ouina,
Nam nihil agnina prodeſt toga mente lupina.
Iam, Rex inſignis, tibi ſeductoribus illis
Strictim detectis, & olentibus vndiq; ſectis,
Barbaterũ ſecta. Nunc quoq; Barbati qui ſint, attentius audi.
Sunt ergo Laici Milienſibus aſſociati,
Quos riſus populi dedit hoc agnomine fungi,
Sunt quia prolixis barbis ad pectora pexis
Deformes, hirti, reuera moribus hirci,
Barbis hircorum ſimiles, ſaruis tragicorum.
Quos quia vulgaris circumfert aura fauoris,
Auſtera facie ſunt, & tonſi capite alte,
Cautius anciſis certoq; tenore capillis,
Et ſunt immenſis induti calceamentis,
Amphibalis longis vtentes, & ſpatioſis,
Quos quid habere putant, ſubmiſſa fronte ſalutant,
Gratia, Pax vobis, Benedicite, Credite nobis,
Mille Pater noſter, demandat grex tibi noſter.
Per venias centum verrunt barbis pauimentum,
Vt Domini ſeruos plebs mobilis æſtimet ipſos,
Verum fallaces fore ſe produnt, & inanes
Dum nihil eſt intra, quod in hisdem cernitur extra,
Fœdera namq; thori iungentes more priori,
Sollicitant tædas, immo violant alienas,
De ſe tam natis quam natabus generatis.
Intuitu duri, verum factis Epicuri.
Magna ſed vt paruis claudamus plurima paucis,
Hoc etiam certis dinoſcitur experimentis,
Horum conſiliis & cartis vndiq; miſſis,
Plurima perfidiæ mala ſæpe patrata fuiſſe,
Schiſmatis errorem totum ſpargendo per orbem,
Vnde ſuper Regnum nunc conſtat ſurgere regnum,

Et contra

Et contra gentem bellis consligere gentem.
Vnde modo crebris dolet omnis terra querelis.
Nos quoq; iam canos, ætate laboreq; tardos,
In clausiris alitos per viginti quater annos,
Antiquas leges patrum ritusq; sequentes,
Fecerunt profugos, natiuo limine pulsos;
Dum dedignati sumus illis * *associari,*
Præfatas hæreses sectasq; sequi renuentes.
Nunc ô Romani, Rex inclyte, gloria regni,
Cuius honor sceptri pertingit ad vltima secli,
Talia cur pateris, cur hæc finire moraris?
Cur non Domne doles, nostros miserando dolores?
Oris Teutonicis cur pullulat hæc hypocrisis?
Cur inuicte tuis tardas finem dare curis?
Noueris in Christo, nisi tempore protinus isto
Concidat hæc hæresis, res aduersas patieris.
Cura, labor crescent, & nunquam bella quiescent.
Quare iudicium fac Christo iudice dignum,
Confer opem miseris, inopumq; mouere querelis,
Vnica tu nobis spes, portus, & aura salutis.
Ad loca nos propere natiua iubeto redire,
Quo valeamus ibi Domino seruire quieti;
Vt mos Teutonicus iubet, atq; pater Benedictus.
Et si sit voti compos oratio nostri,
Oramus pro te tam nunc, quam tempus in omne.

* al. assimilari.

Astipulatur his nihilominus epistola ad Papam Paschalem à prædictis fratribus directa: *Sanctissimo Apostolicæ sedis Pontifici Paschali, & glorioſissimo Romanorum Regi Henrico, ac cunctis primatibus regni, pusillus grex sancti Nazarij. Quia semper cura est sponso cœlesti de sponsa sua sancta Ecclesia, quam sanguine suo redemit; longe multum salutis eidem contulit, quando vos vicarios sibi præfecit. Peccatis enim nostris exigentibus membra ipsius scilicet matris nostræ Sion hæreticorum & schismaticorum liuor iam permultos annos plurimum infecit, sed gratia diuina magis ac magis ex melliſluo ore vestro destillante, speramus caput nostrum de cœlo respexisse, vt videat dolorem membrorum suorum ad se de variis tribulationibus cottidie clamantium. Huius rei gratia, pastor alme, flebiles preces prosternimus ante faciem vestram, & totius regni, orantes & deprecantes, quatinus proclamationem nostram audiatis, & audita iustum iudicium ex ea faciatis. Igitur innotescat auribus vestris, & cunctis optimatibus regni, quod Karolus Magnus tempore sui imperij locum nostrum regia dignitate sublimauit, & multis ornamentis amplificauit, & in honore Apostolorum Petri & Pauli consecratum, ad decus totius regni liberum fore permisit: & ad confirmandam hanc constitutionem, subscriptionem sui nominis inibi fecit. Atqui vero post eum non fuit Rex, neque Imperator, neque aliquis Romanus Pontifex, vsque ad hæc tempora, quorum auctoritate priuilegia libertatis non acceperimus. Sed heu hæc omnia tempore instanti sunt contempta, & annihilata, à quibus minime licuit, si vllius pretij nostra auctoritas & omnium bonorum dignitas apud eos foret. Sed sane vos cum omni regno in nostra iniuria despecti estis. Ex improuiso namque quidam monastici nominis de Hirsaugia ad nos quasi ad auxilium nostri collegij venerunt: non sicut in Christo fratres, non vt humiles, sed sicut deprædatores & vastatores. Hi etenim non solum nos nostraque consortia spernebant, verum etiam vnus ex eis Ermonaldus nomine, prius incipiens gerere magistratum, quam sciret, non prius furorem suum mitigauit, quousque sine præcepto Abbatis omnes nos exhæredes nostri claustralis consortij effecit, & sua violentia vnum post alium de claustro detrusit. Et vt singula vestræ paternitati pendamus, quæ ex aduentu eorum perpessi sumus: Bruomad, Langunga, Gingen, Luitershusen, teloneo & banno aquarum in Winenheim despoliati sumus, & tyrannis potius, quam militibus in beneficia tradita sunt, quæ religioſissimi viri, seruientibus vera militia Deo & sancto Nazario pro remedio animarum suarum tradiderunt. Super hæc omnia quoque frumentum & vinum fratrum victualibus adtinentia, ab eis hoc anno dispersum est, & ex eorum conspiratio-*

nibus omnis familia ſancti Nazarij, videlicet miniſteriales & buobarij omnes depredati ſunt, & ſolum hac occaſione autumant noſtram conuerſationem reprehenſibilem eſſe, vt tali diffamatione nobis expulſis poſſint noſtram hæreditatem retinere. Quo exurgat precamur vos in Domino, ſanctiſſime Papa Paſchali, veſtra apoſtolica auctoritas, cum virtute omnium bonorum, & decernat ac præcipiat eos ad priſtinum locum conuerſationis ſuæ redire, & nos quoque noſtra recipere, ſcilicet vt per vos, qui Paſchale nomen ab hominibus meruiſtis accipere, veſtra auctoritate mereamur in noſtro cœnobio nouum Paſcha celebrare. Valete in Chriſto.

Sopita igitur ſecunda perſequutione, quarum prima ſub Winthero, altera ſub Gebehardo, velut poſt Neronem Domitiano graſſante, per Hirſaugienſes Laureshamenſibus illata eſt, BENNO ex Wizenburgenſi monaſterio, mediante (vt fertur) ſimonia, imperiali fauore, eidem loco ſubintroductus eſt. Qui poſt aliquot annos pro morum leuitate & inſolentia fratrum ac miniſterialium, ac præcipue Bertolfi iunioris aduocati conſpirantibus odiis, diruto caſtro Winenheim de Abbatia proturbatus, corraſo in Laureſham & Abrinsberg, atque alibi (prout poterat) Eccleſiaſtico theſauro, ad Imperatorem Henricum Quartum tunc in Italia ferme decennio turbata Republica demorantem contendit, ac per Godefridum Palatinum Rheni Comitem (cuius ſententia momentum curiæ per id temporis fuit) reſtitutionem obtinuit, promiſſa eidem omnium beneficiorum, quæ ſuis diebus Eccleſiæ vacarent, conceſſione. Quam conuentionem mirabilis ac miſerabilis excepit euentus. Nam ſeptem principalia beneficia, quæ vulgo appellantur *Vollehen*, morte ſeptem nobiliſſimorum Eccleſiæ fidelium in vnam perſonam Godefridi in breui deuoluta ſunt, & poſt ipſum ad generum eius ducem Welephonem tranſierunt, maximo videlicet Eccleſiæ detrimento. Exinde ſiquidem militaris clipeaturæ, ſcilicet *Hereſchilt*, integritas confuſa, atq; in diuerſa diſtracta eſt, & Eccleſiæ ſtatus tam in militari frequentia, quam in reſtipendiaria, in ſuis opportunitatibus & regalibus expeditionibus imminutus eſt, multorum ſeruitiis in vnam perſonam collatis, ſolumque remanſit inane nomen Domini & Hominii. Benno itaque reſtitutus, dum expulſis quibusdam fratribus æmulos ſuos acrius inſequitur, præter cæteras enormitates Brumad ab Eccleſia ſub nomine beneficii alienauit; vicum Bertholvelsheim ad cellam, quæ dicitur Capella pertinentem, partem quoque vineæ Selevvingart in Winenheim Cunrado Sporilino conceſſit, cellamque Michlenſtat profligare diſpoſuit, odio venerabilis Libelini præpoſiti, qui deſtructionem caſtri Winenheim, eo quod cacumen ipſius montis quondam vinetis conſitum ad eandem Eccleſiam aſpiceret, ab Imperatore impetrauerat. Sed antequam ad ipſum locum accederet, diuina vltione grauiſſima infirmitate in via correptus eſt, eoque delatus, poſt paucos dies diem clauſit extremum. Sepultus ibidem eſt, expletis in abbatia XIII. annis. Poſt quem quidam HEIDOLFVS ex monaſterio S. Pantaleonis Coloniæ obtentu pecuniæ ab Imperatore intruditur, & ſtatim extruditur. Deinde velut quodam interregno habito, Laureshamenſis eccleſia VI. annis in diſpoſitione imperiali fuit, videlicet vſque ad mortem ipſius Imperatoris, paſtore deſtituta.

BENNO abbas XXXII.

Godefridus Palatinus.

Welfo dux Bauariæ.

Conr. Sporilinus.

Weinheim caſtrum.

HEIDOLfus abbas XXXII.

Henrico IV. igitur poſt XXI. imperii ac regni annum, apud Traiectum mortuo, & Spiræ iuxta patrem tumulato, HEREMANNVS ex præpoſito S. Petri in Aldenmunſter fauore Adelberti ſenioris Maguntini Archiepiſcopi & Godefridi Palatini Comitis Abbas conſtituitur, & anno necdum exacto Lauriſſæ moritur & ſepelitur.

HERMANnus abbas XXXIIII.

Eodem anno Lotharius Dux Saxonicus, cuius præcepto curiam Gannitam & decem talenta in Bruomat recepimus, in regnum vngitur, & DIEMO ex Laureshamenſi camerario in abbatem eligitur. Sub hoc eadem eccleſia plurimum ſudauit, tum variis in ſeruitio regali occupationibus, tum ad ſolennes curias crebris euocationibus, tum in Spirenſi obſidione, tum contra ducem Fridericum ſumtuoſa expeditione. Qui eleganti quidem & venuſta facie, ſed manſueti & ſimplicis ingenii fuit, ac per hoc facile ei ſubrepi poterat. Nã mortuo Godefrido comite Palatino, cũ eius

LOTHARIUS II. Imp. DIEMO abbas XXXV.

beneficia

beneficia ecclesiæ absolute vacarent, & Lotharius Imperator ex his duo tantum (nam septem erant) Welephoni Duci concedi rogaret, ipse vno verbo prolapsus est vsque ad inremediabile detrimentum ecclesiæ: *Quidquid feodi*, inquiens, *Godefridus Palatinus comes in supremo vitæ articulo de manu nostra tenuit, eo vos vestimus.* Vnde multa vi multaq; instantia tres curias vix retinuit, ex quibus Ruot fratrum infirmitorio, Wibilingen & Ottinkeim vsui præbendario assignauit. Sed Ottinkeim mutuata pecunia loco pignoris exposuit, profectus Romam ad generale concilium Innócentii Papæ, quæ postea creditori in beneficium cessit. Wibilingen quomodo alienata sit, post liquebit. Ruot in dispositione fratrum permansit. Principalem ecclesiam XLI. post incendium eius anno, per quinque episcopos consecrari fecit, videlicet Adelbertum Maguntinæ sedis archiepiscopum, Buggonẽ Wormacien sem, Brunonem Argentinensem, Vdalricum Constantiensem, Cunradum Curiensem, anno dominicæ incar. M. CXXX. Indictione VIII. fratribusq; in anniuersaria ipsius dedicationis die talentum de reditibus hubarum in ipsa villa constituit. Castrum quoq; Winenheim ob tuitionem ecclesiæ reædificauit, fundumq; (quia fratrum in Michlenstat erat) tradito vico Munnenbach cum omni iure, huoba quoq; in Kirsehusen redemit. Quarundam etiam rerum commutationem inter fratres Lauriſſenses, & fratres S. Stephani de capella dispensorie ordinauit.

Otinkei-

Ruot-

Weinheim castrum.

Sub eodem tempore quidam Dei famulus nomine Anshelmus, religiosus admodum & locuples, cellam Nivvenburg initiauit, ecclesiaq; constructa in honorem S. Bartholomæi apostoli consecrata, habitaculis etiam Deo inibi seruientibus apparatis, res & possessiones, quas poterat, eidem loco contulit; quæ postea prouidẽtia Domini Henrici abbatis (vt in suo loco dicetur) aucta & meliorata sunt.

Newenburg cella.

Inter hæc idem ipse abbas mansueti & simplicis (vt prædictum est) ingenii, & qui ecclesiæ suæ forsitan consultius prospexisset, si peruersorum hominum, quæ sua, non quæ Dei sunt quærentium, tabe infectus non fuisset, consilio familiarium & amicorum gratia corruptus, vicos Cellam & Husen, itemque alium Cellen, teloneum cum plurima parte decimæ in Michlenstat & Morlebach beneficiauit, teloneum in Winenheim & partem agri dominicalis in castrense beneficium; itemque Mulnen, aliaq; alibi sparsim ac dispersim distribuit. Præterea Bertolfo aduocato, orta inter ipsum & episcopum Spirensem, episcopum Sigefridum inexorabili guerra, (per quã etiam Laureshamensis ecclesia miserabiliter rapinis & incendiis profligata est) tres libros auro & argento gemmisq; pretiosis exornatos, crucem quoque auream in vadio exponenda concessit, quæ tamen neuter eorum redemit. Ex beneficio eiusdem Bertolfi, quod ei vacauerat, curiam Luitershusen solam in manu ecclesiæ retinuit. Habito subinde generali concilio sub Innocentio Papa, Roma digrediens Veronæ languore correptus; apud Brixiam (quæ ciuitas est Tridentinæ vallis) decessit, anno regiminis sui XIV. sepultusq; ibidem in latere matricis ecclesiæ, ad limen meridiani introitus.

Lothario Imperatore in Italia defuncto, & in Bruonsvvich tumulato, XIV. ex quo regnare cœpit, anno, CVNRADVS Henrici IV. Imperatoris ex sorore nepos habenas regni sortitus est. Per quem, interiecto post obitum Diemonis abbatis integro & semis anno, BALDEMARVS Blidenstadensis abbas Magontinensis, tam moribus, quam genere simoniaco (vt aiunt) obtentu Laureshamensem inuasit ecclesiam. Qui prima fronte fratrum ac ministerialium, Bobbonis quoque comitis & aduocati obliquis exceptus odiis, regali insuper offensione (quem promissis ex parte frustrauerat) incendio præbente fomitem, in præsentia Theotvvini Cardinalis Apostolicæ sedis legati criminaliter accusatus, & necdum anno vertente canonico iudicio depositus est. Cuius sententiæ tenor talis fuit:

CVNRADVS Salicus Imp.

BALDEMARVS abbas XXXVI.

Bobbo aduocatus.

THEOTVVINVS *Dei gratia S. Ruffinæ Episcopus, Apostolicæ sedis legatus, Baldemaro abbati de Blidenstat spiritum humilitatis & obedientiæ. Quoniam contra sanctorum patrum instituta Lorsensem abbatiam occupasti, & de pluribus enormitatum capitulis apud nos accusatus, statuto die & loco vocatus, nec venisti, nec canonicam excusationem misisti: consilio & iudicio religiosorum virorum, te præfata dignitate priuauimus, & ipsius abbatiæ monachos, clericos & laicos à tua subiectione, fidelitate & obedientia liberauimus & absoluimus. Manda-*

mus itaque tibi, & ex parte Domini Papæ præcipimus, vt de prædicti loci administratione, & prælatione de cætero te non intromittas, eiusq; res & personas inquietare, inuadere, vel molestare nullatenus præsumas. Durum est tibi contra stimulum calcitrare, &c.

Hic castrum Winenheim, in quo tunc regale præsidium fuerat, data pecunia, videlicet LXX. libris, ecclesiæ restituit, pro qua postea deiectus curiam S. Nazarii Magontiæ sitam cum suis pertinentiis falso pignoris nomine locauit. Quam Diedericus filius eius cum quibusdam portæ decimis adhuc violenter detinet.

FOLCnandus abbas XXXVII.

Interiectu deinde circiter vnius anni FOLCNANDVS ex præposito S. Petri in Aldenmunster fratrum votiua cõcordia abbatia induitur. Quem Baldemarus apud sedem apostolicam adeo insectatus est, vt vtriusque partis allegatio, & totius causæ retractatio Maguntino Archipræsuli Henrico Apostolica auctoritate delegata, in tumultuariæ appellationis remedio, ex consilio regis Cunradi, in præsentia quoquo ipsius apud Kelsterbach præuenta fuisset, & interrupta, Baldemaro rursus increuissent cornua. Appellationis hæc fuit forma: *Ego Folcnandus Laureshamensis Abbas, appello præsentiam Domini Papæ, & inuito ad audientiam eius Baldemarum Blidinstadensem abbatem, responsurum ibidem in festo S. Andreæ, de dilapidatione rerum Laureshamensis monasterij, de falsa calumniatione suæ depositionis, & meæ ordinationis, de subreptitiis literis, quas à Domino Papa per mundatitiũ mendaciũ obtinuit, & aliis, de quibus à me interpellabitur.*

Multis igitur hinc inde conflictationibus in Romana curia habitis, tandem dictante iustitia, Baldemarus à Laureshamensi abbatia peremptorie decisus, & a Blidinstadensi pro tempore suspensus est, Folcnando canonice confirmato à Celestino Papa successore Lucii. A quo Lucio priuilegium Apostolicæ sedis de cella Nivvenburg in hunc modum acceperat eodem anno: LVCIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Marquardo præposito ecclesiæ S. Bartholomæi de noua ciuitate, eiusq; fratribus tam præsentibus, quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Ad hoc, &c.*

Verum vt ad superiora reuertamur, quoniam Folcnandus à Baldemaro coram Celestino Papa de simonia insimulatus erat, expurgationis eius sententia religiosis personis decreta est hoc ordine:

CELESTINVS *Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis, Folmaro Hirsaugiensi, & Adam in Ebera Abbatibus, salutem & Apostolicam benedictionem. Veniens ad sedem Apostolicam Baldemarus abbas Laurishamensis abbatia, ad quam se regulariter electum fuisse asserebat, & exinde absentem & sine iudicio spoliatum esse conquerebatur, restitutionem postulauit. Verum quum venerabilis fratris nostri Theodevvini S. Rufinæ Episcopi attestatione, & multorum discretorum virorum literis cognouimus, quod Laurishamum ad discussionem causæ suæ, & obiectis respondere noluit interesse, & à regimine abbatiæ Blidenstat ad ipsam absque Romanæ Ecclesiæ auctoritate translatus fuerat: & illam, ad quam illicite transierat, ei abstulimus, & ab alterâ, quam primum habuerat, eum suspendimus. Cæterum quoniam frater ille, qui in regimine Laureshamensis abbatiæ substitutus est, de crimine simoniæ apud nos est diffamatus, & nos tantum crimen indiscussum prætertire non possumus, nec debemus: per præsentia vobis scripta mandamus, quatinus si personæ apparuerint, quæ de simonia ipsum canonice impetant, congruo loco & tempore, vtraque parte ante vestram euocata præsentiam, causam diligenter audiatis, & fine canonico terminetis. Alioquin idem frater quinta manu religiosarum personarum de tanto crimine se expurget. Quod autem à vobis exinde factum fuerit de electione quoque & modo electionis, & vtilitate personæ, veritatem nobis significare minime differatis, vt tunc veritate plenius cognita, quod ad honorem Dei faciendum fuerit, auctore Domino faciamus. Data Lateranis 4. Non. Ianuar.*

Defuncto interim Celestino, literæ Hirsaugiensis abbatis ad Eugenium Papam de expurgatione Folcnandi hoc modo sunt directæ: *Domino Papæ Eugenio vere Apostolico Folmarus qualiscunque minister Hirsaugiensis, cum subditis sibi fratribus ex affectu debitam obedientiam, & deuotissimam seruitij & orationis instantiam. Sicut ex literis beatæ memoriæ Celestini Papæ percepimus, Dominus Folcnandus Laureshamensis abbas de crimine simoniæ apud sedem Apostolicam erat infamatus. Pro qua causa canonice discutienda tam nos, quam & Abbatem Eberacensem Adam, mediatores & indices constituit, ipse Dominus Apostolicus. Ad quod præceptũ exequendum dies & locus designatus est fratribus ipsius Ecclesiæ contra abbatem suum quicquid possent in præsentia nostra deferẽdi, & ipsi*

abbati

abbati ad huiusmodi obiecta respondendi. Aderat in hoc conuentu prædictus Abbas Eberacensis cum alio abbate eiusdem ordinis, aderant nobiscum duo fratres nostri, abbas de Ottenheim & abbas de Gotesangia, cum aliis fratribus aderant etiã legati Spirensis Episcopi. In quorum omniũ conspectu & auditu quum nullus aliquid sibi obiiceret, ipse abbas cũ quinta manu fratrũ suorum probatissimorum se expurgauit, neq; pecunia neq; beneficio introitum suũ in aliquo cõmaculasse. Superuenit etiam ipsa die legatio Domini Regis cum literis ipsius in eadẽ verba, nihil vnquam pramii se accepisse quam firmiter attestantibus. Huius rei testimonium dignum duximus ad aures sancti Apostolatus vestri deferre: quem & hoc cupimus rescire, quia de possessionibus vel thesauris Ecclesiæ quos inuenit, nihil vnquã distraxit aut minuit, sed semper ampliare & augmentare studuit. Vnde & homines seculares infestos cernitur habere, qui semper solebant in suos vsus res Ecclesiæ distrahere. In hoc ergo testimonio cupimus eum S. paternitati vestræ esse cõmendatũ, vt quia etiam iuxta ammonitionẽ nostram conuersationem suam meliorauerit, & fratrum suorum, sentiat se ab Apostolica auctoritate confirmatum, & contra omnes aduersantes sibi subtuitione B. Petri defensum.

Folcnandus igitur compositis in pace rebus, ad dispositionẽ Ecclesiæ vigilem intendit oculũ, vnde & inter cætera curias Fridestorf, & Ramershouen diu ablatas multo labore, & industria, regali auxilio recuperauit. Quæ tamen post mortem Regis Cunradi à suis possessoribus reinuasæ sunt. Neq; deinceps, licet ab Henrico abbate instantissimis id studiis enisum sit, recolligi potuerunt, apud Imperatorem Fridericum, præponderante magis secularium gratia quam iustitia. Exstant super hoc præceptoriæ literæ regis. E quibus Laureshamensem Ecclesiam præfatis curiis reuestiri præcepit, in hunc videlicet modum: *Cunradus Dei gratia Romanorum Rex A. Comiti de Saphenberch gratiam suã & omne bonum. Frequentes ad nos fidelis nostri Folcnandi venerabilis abbatis & monachorum Laureshamensium querimonia perlata est, quod prædia quædã ad cottidianam ipsorũ prabendam pertinentia, videlicet Rameshouen & Fridestorf, in quibus tu aduocatus existis, per violentiã quorundam ipsis monachis auferantur. Super quo experiẽtiæ tuæ per præsentia scripta mandamus, & sub obtentu gratiæ nostræ præcipimus, quatenus praposita totius excusationis vel moræ materia, prænominatas possessiones ad manũ & potestatẽ prædicti Abbatis, & monachorum recolligas, nec aliquã de cætero violentiã, de cunctis reditibus eis inferri permittas. Quod si idẽ inuasores dixerint, quod easdẽ villas à nobis, & à regno habeant, tu nihilominus in dispositione monachorũ, eas esse facias quẽadmodum in præsentia prædecessoris nostri Lotharii, ac postmodum in nostra manifeste probatum est, easdẽ possessiones, ad proprietatẽ & beneficium regni nullatenus pertinere, &c.* Sed quũ Laureshamensis Ecclesia innumeris ac diuturnis calamitatibus vsq; ad id temporis attrita prorsus fuisset, & exhausta, vt seruitio centum marcarum quod Regiæ Cameræ singulis annis ex eadem (sicut & aliis quibusdã Ecclesiis) iure antiquo inferebatur, absq; maxima sui destructione minime sufficeret, Folcnandus cõmunicato fratrum, ministerialiũ, ac fideliũ suorum consilio, tres Abbatiæ curias, videlicet Obbenheim, Wibelingen, Gingen, Regiæ potestati in concambium tradidit, atq; Ecclesiam suam ab eiusdẽ seruitio immunẽ perpetuo reddidit, modicũ id quod adhuc exinde soluitur mensę abbatis assignans. Exceptis his quæ de prędictis villis homines seu ministeriales Lauresh. Ecclesię iure beneficiali ab antiquo possident. quæ idcirco Rex remiserat, ne forte dignitas regalis Abbatię militari clypeo, qui vulgo dicitur *Herschildt*, sub tracto deminueretur. Actum III. Kal. Feb. MCXLVII. Nec multo post Cunrado rege Hierosolymitanã expeditionem aggresso, Folcnandus abbas ad Remense concilium ab Eugenio Papa euocatus, hoc ab eo priuilegium obtinuit; tũ de Ecclesiæ suæ libertate, tum de regalis concambii stabilitate: *Eugenius episc. &c.* Religiosus deinde abbas Folcnandus fratrum per omnia consulens vtilitati, ne quem ex huiusmodi concambio præbendæ defectum contraherent, has eis donationes supplemento fecit, & scripto cõfirmauit: *In nomine Dei, &c.* Idem quoq; fidelis dispensator, & prudens sustentationi fratrũ in Aldenmunster decimas in Rotheim contulit, & libros moraliũ in Abrinsberg priuatus adhæc conscribi fecit, homo miræ continentiæ, & plane vir consilii, si meliora inuenisset tempora. Qui delato Apostolicæ sedis priuilegio, in sequenti depressus infirmitate viã iniit vniuersæ carnis, anno regiminis sui septimo. Sepultus est in Ecclesia principali, in ipso occidentali introitu, in latere exeuntiũ dextro. Anima eius requiescat in pace, Amen.

Fridestorf. Ramershouen.

Præceptum Regis pro impetratione earundem curiarum: sed frustra emissum.

Oppenheim. Wiblingen. Giengen.

Adelbertus Sub huius patris tempore quidam Dei famulus Adelbertus nomine, ex Laico Monachum induens, templum Laureshamense tum paruitate tum vetustate dignitati suæ minime respondens, Deo cooperante renouauit, & augmentauit, & (vt in præsentia cernitur) fornicibus, obsidibus, fenestris, laquearibus, tecto plumbeo venustauit. Præter hæc etiam fratrum vtilitati consulens, duas huobas cum area in Winenheim sitas, multa pecunia ab hæredibus comparatas, itemq; curiam cũ vineis in Hephenheim ipsorum victualibus adiecit. Decimas etiam in Winẽheim cũ molendino dominicali, & decimas in Hentscuhesheim, ne beneficiarentur, ab ipsis hiantium faucibus dato pretio redemptionis extraxit, aliisq; compluribus circa eandem Ecclesiam bene meritis memoriam in benedictione promeruit.

Billing. de Landefels. Hemmingesberg. Per idem tempus Billingus vir nobilis de Lindenfels, ecclesiam in vico Cella cum vinea proprietatis suæ & parte montis Hemmingesbergk, quæ contra eundem vicum respicit, quamq; abbas Folenandus ad nouellandum concesserat, fratrum vsui tradidit, & vt eorum prouidentia tribus in hebdomade diebus in eadem Ecclesia diuina celebrarentur, instituit. Qui videlicet Billingus, quum in oppressione Laurensis familiæ modum excesserit, eo tamen vel solo cum villico iniquitatis laudandus est, quod de rebus Domino fraudulenter subtractis in aliquo pro se prudenter fecit. Eius donatio talis est:

Notum sit caritati omnium fidelium ad præsens & in posterum, quod quidam Dei famulus nomine Billingus, & vxor eius pro se suisq; parentibus ac posteris tradiderunt Deo & S. Nazario de suis possessionibus in vico Cella Ecclesiam in proprio domate fabricatam, tribus iugeribus vineti, & vna curte dotatam; ea nimirum ratione, vt eis superstitibus vnciam in natiuitate Domini annuatim inde persoluant, & post obitum eorum ipsa Ecclesia cum suis appendiciis ad locum istum omni iure pertineat, ita tamen, vt Prior aut aliquis fratrum cui ipsi iniunxerit, in eadem Ecclesia diuina ministeria tribus diebus in hebdomade peragat. Idem ipsi Deo deuoti dederunt nobis in Pesinsheim in proximo monte quoddam mouale X. argenteos quotannis quoad ipsi vixerint persoluens, & post eorum excessum omni integritate ad nos pertinens, ea conditione, vt annualis census qui de vtrisq; donationibus eis viuentibus soluitur, ad confectionem cerei singulis annis determinetur. Hæc traditio facta est regnante Cunrado Rege secundo tempore Henrici Magontini Archiepiscopi, sub domino Folenando abbate, ipso præsente, & cæteris fratribus coram probatis, & subnotatis testibus, videlicet ipse Folenandus abbas, & decanus Hunfridus, Adelradus, Marquardus, Vdalricus, & item Vdalricus Monachi. De nobilibus, Bobbo comes, Bertholfus frater eius, Magenes, Cunradus. De seruitoribus, Cunradus, Bertholfus, Craft, Dragebodo, Giselherus, Diedericus, & de plebe quam plurimi.

Cum hoc Billingo, ob meritum & vindictam S. martyris sui Nazarii Deus vltionum libere egit, itemq; in cæteros sui similes, qui populum Dei humiliauerunt, & hæreditatem eius vexauerunt, extendit manum suam in retribuendo. Nam ferme biennio mutus, & elinguis, ac dira omnium membrorum paralysi contractus, carne iam præmortua solo spiritu palpitans dedecorose tandem, & intestatus expirauit. E-

Eberhar. de Ertbach. berardus de Ertbach, subito præcluſa voce impœnitens obiit. Burckhardus de Scarra totus turgidus ac fœtidus, scaturientibus quoq; vermibus, ignominioso fine contabuit, omnesq; tam officiales quam Domini, qui comederunt Iacob & locum eius desolauerunt, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem. Bertholdus siquidem comes & aduocatus, bello turpiter victus, ac castris exutus, tristitia periit. Bobbo liberis & rebus omnibus exheredatus, impleuit extraneos viribus suis, & labores

Cunradus Palatinus Rheni. sui sunt in domo aliena. Ipse quoq; Palatinus Rheni comes, frater Imperatoris Cunradus præsens eiusdem Ecclesiæ aduocatus, diuinam animaduersionem sensit, & expertus est.

Fraternas acies, cognatasq; bella, profanis
Decertata odiis.

Sensit quam alte sedeant *plusquam ciuilis vulnera dextræ*. Et in his omnibus nondum auersus est furor Domini, sed adhuc manus eius extenta. Terreatur ergo exemplo eius, cui Propheta teste insultatũ est: *Et tu vulneratus es sicut & nos, & nostri similis effectus es, & reliqua.* Terreatur exemplo aliorum, terreat alios suo, noueritq; profecto, quia reddit Dominus vltionem hostibus suis, & propitius erit terræ populi sui.

Defun-

Defuncto igitur Folcnando HILDEBERTVS ex Fuldensi monasterio, tum S. Mariæ virginis in Michlenstat Præpositus, primo quidem sub intentione, sed postea reductis in concordiam partibus Abbas eligitur, & ab Henrico Rege (quem pater Hierosolymam tendens in regnum vnxerat) vestitus necdum consecratus, sexto mense moritur, & ad introitum Ecclesiæ in latere meridiano tumulatur. Cui eucstigio MARQVARDVS præpositus S. Petri in Aldenmunster substitutus, & ab eodē Rege inuestitus, vndecimo post electionē mense mortuus est, & inter duos antecessores suos medium sepulturæ locū sortitus. Hic omne ius ac seruitium, quod ex duabus Huobis & area ab prefato Adelberto in Winenheim conquisitis exigebatur, dispositioni & vsui fratrum adtribuit. Quo defuncto rursum Laurishamensis Abbatiæ procuratio ad Regalē manum deuoluitur. Vnde fere per triennium fratres ad extremā redacti inopiam, tum ex annorum diutina sterilitate, tū ex procuratorū sua quærentium ingluuie, clamauerunt tandem ad dominum & de necessitatibus eorū liberauit eos. Ex consilio itaq; Regis Cunradi HENRICVM ex monasterio Sunnensheim concordi voto ac studio elegerunt, virum omni virtutum genere conquadratum, & in quo natura cum gratia, quicquid hominis est, ad vnguem expoliuit. Cuius vt animi dotes breuiter perstringamus, nemo illo vultu gestuque gratior, moribus ornatior, grauitate modestior, seueritate temperantior, in eloquio torrentior, in consiliis acutior, in negotiis expeditior, in dispensatione prouidentior, erga superbos erectior, erga subiectos subiectior, in omni denique vitæ modo & ordine circumspectior fuerit. Qui primo introitus sui initio in his quæ religionis, quæ fraternæ vtilitatis erant, interiora composuit. Deinde vt etiam manus hominis sub pennis haberet, circa exteriora tam vigilis fuit efficaciæ, vt ædificiis exstruendis, restaurandis, ampliandis, exornandis, multam & impensam impertiretur & operam. In agricultura vero frugibus reditibusq; contrahendis & obseruandis, nullus operatior, nullus extitit diligentior, adeo vt in summa famis inopia, quæ totam profligauit Teutoniam, bonis omnibus exuberaret, omnibusq; (sed præcipue religiosis & pauperibus) pleno copiæ ministraret cornu. In re familiari ac domestica frugalis & moderatus, circa solennes apparatus, & spectabilium personarum celebres introitus & frequentias, lautum se, liberalem ac magnificum exhibebat. Eoque summos Principum miro sibi deuinxit affectu. Imperatoris etiam & aulicorum fauorem cōcilians & gratiam, ipsæq; Palatinæ canes, quibus ab omnibus defertur, ei plurimum deferebant. Præterea quum Mediolani rebellionem, & Longobardiæ insolentias imperialis gladius perterreret, Italicæ expeditionis cingulo Ecclesiam suam multa summa bis absoluit, tertio viriliter accinctus, sub Cremensi obsidione (vbi multo labore ac sanguine Teutonicæ virtutis desudatum est) Imperialibus militauit Aquilis; nihil tam inter tot sumtuosas necessitates, vel in Ecclesiastico thesauro, vel in reditibus monasterio detrimenti importans. Ea quoque tempestate, quæ inter imperialem domum & fratrem eius Palatinum Rheni comitem Cunradum intestina mouit odia, fortuna tunc superba vices vertente dextera, ita se caduceatorem & sequestrum interposuit; vt altero tanquam domino, altero tanquam amico vtens, inter arma togatus ac feriatus fortuitos spectaret euentus, & quum studia partium non foueret, studiis partiū foueretur. In explicādis vero negotiis secularibus tā perspicax, tā consilios us, tantæ fuit experientiæ, vt aut nullos infra ditionē suā emergere motus pateretur, aut emergentes in ipso statim initio reprimeret, semper rogans ea quæ pacis sunt. Cæterum vt ad interiora redeamus, erga obedientias monasterii, & præposituras multa illi instantia, multa sollicitudo fuit, vt & religionis (quantum mollicies hominū, & malicia temporū sinebat) aliquid vestigium seruaretur, & rerum ac possessionum nulla fieret dilapidatio. Vnde q; ei à quibusdā vitio datur, & hanc solā ei notā inurūt, q; quasdā earū dispensatorie remotis personis per se administrauerit, nouerint (si voluat) non hoc eum ambitionis, aut turpis lucri feciſſe gratia, sed potius conseruandæ religionis intuitu, & ne à se quocumque modo recollecta, alicuius imprudentia dispergerentur, quia subtractis necessariis religionis vigor subtrahitur. Proinde, si quis hoc eius exemplo nititur, vtatur eius & industria, quia ibi iusta vsurpatur dispensatio, vbi bona fit recompensatio; & si quis inter dispen-

HILDEBERTVS abb. XXXVIII.

MARQVARDVS abbas XXXIX.

HEINRICVS abbas XL.

Synzheim.

Italica expeditio Friderici Imp.

Cunradi Palatini & Friderici Imp. dissensio.

Palatinus aduocatus Laur.

satores familiæ Dei ad hoc intendit, vt fidelis inueniatur, pro minimo ducit, si iudicetur ab humano die. Illud etiam, quod præscribunt eum per introductũ Comitem Palatinum iugũ Ecclesiæ aggrauasse; si recolerent, quas minas, quas clades, quæ exterminia Imperator toti Ecclesiæ intentauerit, quamq; id ei fratrum ac ministerialiũ precibus vix extortum fuerit; ac demum arcuato vulneri cauterium opponens, periculo periculum lenierit, veritati non inferrent præiudicium, canonico in idem cõsentiente decreto, duobus malis vrgentibus, quorum alterum sine altero declinari non potest, minus eligendum esse. Inde est, quod etiam castrum Winenheim, be-

Ilnesheim.

neficio Curtis Vluensheim ab imperiali possessione & præsidio liberauit, satius arbitratus; vnius villæ reditibus & pensionibus destitui, quam Castrensium rapinis & in-

Victor Pp.

cursionibus totam Ecclesiam perditum iri. Hic à Victore Papa (qui & Octauianus) per manum Cristani Cancellarii insulam transmissam personæ duntaxat suæ recepit, sed eam Ecclesiæ suæ priuilegio confirmari minus integrũ arbitratus est, ignarus quis finis schisma, quod inter ipsum & Rolandum (qui & Alexander) nuper exortum in omnem Ecclesiam iam tum proserpebat, excepturus esset, incertis casibus se & Ecclesiam suam committere detrectans. Nam idem Victor, quum Teutonicorum & maxime Ecclesiasticorum principum fauorem, & affectum expeteret, scriptis eis deleníficis & promissionibus ambiens, etiam ipsi inter cæteros cremæ suæ scripta direxit. Cuius confirmationi licet Papiense concilium subscripserit, quum se ab eodem explicare non posset, in neutram se tamẽ partem pronior inclinauit. Scripta Victoris fuerunt huiusmodi:

Victor Episcopus, Seruus seruorum Dei, Henrico dilecto filio, Abbati Laurishamensi, salutem & Apostolicam benedictionem. Super deuotione & constantia, quam B. Petro, & nobis exhibuisti, & super S. consilio quod Karissimus filius noster Fridericus Romanorum Imperator Augustus, ad restaurandam Ecclesiæ vnitatem, & hæresin schismaticam resecandã tuo, aliorumque sapientum consilio dispensauit, fraternitati tuæ grates referimus, orantes vt tam beata intentio gratum domino sortiatur euentum. Nos autem quantum ad Apostolicam attinet dignitatem, personam & Ecclesiam tuam diligere & honorare intendimus, & tantis beneficiis tuam deuotionem remunerare, quòd alii ad diligendum nos promptiores efficientur, & tua nobilitas de nostra benevolentia honoris & vtilitatis accipiet incrementum. De statu & proposito nostro venerabiles fratres nostri H. Verdensis, & D. Pragensis Episcopi, te plenius certificabunt. Data Vetratt. Non. Decembris.

Infulationis vero concessio talis fuit: *Victor Episcopus Seruus seruorũ Dei, dilecto filio Heinrico Abbati Laurishamensi, salutem & Apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana Ecclesia deuotos sibi filios consuevit honorare, & Christianorum Principum, in quibus plurimum honoratur, petitionibus clementer annuere: Inde est, dilecte in Domino fili, quod ad petitionem Karissimi filii nostri Friderici Romanorum Imperatoris, & ad venerabilis fratris nostri Regenoldi Colonien sis electi preces, tibi de capite nostro mitram per dilectũ filium Christianum Mersiburgensem præpositum trãsmittimus, & vt ea in solennibus diebus, & processionibus ad honorem Dei & tuæ personæ vtaris, auctoritate Apostolica concedimus, monentes quatenus hoc honore, ab Apostolica sede tibi concesso taliter vtaris, vt Deus honoretur, & nos ad maiora tam tuam personam quam Ecclesiam tibi commissam libentius promouere velimus. Cætera quæ petisti, tibi non duximus largienda, nisi tu in persona tua venias, aut honestũ nuncium Ecclesiæ tuæ filium ad nostram transmittas præsentiam. Datum Papiæ III. Kalend. Martii.*

Neuuenburg.

Cellam Nivvenburg post obitum fundatoris sui Anshelmi prouisorum incuria pene desolatam, diuino instinctu, denuo resuscitauit, & aliquantis Deo seruientibus ibidem collectis; ædificiis, & possessionibus, & quibus poterat modis, non minimũ ampliauit, donationes suas hoc testamento confirmans: *In Christi nomine, Heinricus diuina clementia Laur. abbas, &c.*

Vt autem huius præmemorati patris, & memoriæ digni abbatis Heinrici quędam probe facta, & iugis instantia circa Ecclesiam sibi commissam posteris clarius liquescant, ad imitationis exemplum pauca è plurimis perstringamus, maxime his quæ circa finem vitæ gessit ad mediũ deductis. Quum enim prius Cellam Niuuenburg ædificiis, & prædiis ampliasset, item Abrinsberg, Capellæ Michlinstat, Aldenmunster,

munſter, poſſeſſiones quę à ſuperioribus præpoſitis, vel neglectæ vel inultę, vel graui ære alieno oppreſſæ fuerant, abſolute reſtituiſſet, quumq; in Sigenheim & Winenheim caſtro & villa non inuenuſta ædificia fabricaſſet, ad extremum, pauimentum principalis Eccleſiæ (in quãtum moderna fabrica complectitur) eleganter ſtrauit, conuentum fratrum & refectorium, ſuum quoq; ſolarium picturis decorauit: ambitum murorum ab extremis ruinis inſtrauit, põtem lapideum ſuper fluuiũ Wisgoz multa impenſa tam ſua quam Chriſti fidelium fabricauit. Demum ad Imperialem Curiam Spiræ euocatus, cum pro reformanda pace & concordia inter Imperatorem & fratrem eius Cunradum Palatinum Comitẽ de Rheno, multo labore multaq; inſtantia, ſed fruſtra deſudaſſet; præponderantibus domeſticis odiis ſanitati cõſiliorum, in natiuitate B. V. Mariæ, vergente iam veſpere lentis febribus correptus eſt, à quibus per totam hyemem excoctus, incandeſcente ęſtatis feruore, viribus corporis cœpit deſtitui, & tũ languor nullo remedio curabilis ad viuum perſedit. Quũque per ſingulos dies morbus ingraueſceret, pecuniam quam multa parſimonia & prouidentia contraxerat, idcirco ne Eccleſia ſua propter crebras Italicas expeditiones, quæ ab eo exigebantur, in poſſeſſionib. ſuis aliquid detrimenti pateretur, beatius arbitratus diſpergere & dare pauperibus, quã poſt obitũ ſuum diſpergi per non pauperes, & dari non pauperibus; vaſa ſacroſancta, videlicet calices honeſtæ & formę & ponderis fabrefieri iuſſit, & monaſteriis ſeruorũ Dei diſtribuit. Aldenmunſter ſcilicet, & Michlenſtat, Hirſaugiæ, Sunnensheim, Ottenheim, Sconaugiæ, Brõnesbach, Ebersbach, Otterburg, Franckendal duos, Hagen, & aliis quæ animo nõ occurrunt locis. Laureshamenſi vero monaſterio, calicẽ deauratũ, baccina duo argentea, thuribulum argenteum, colẽ & ampullas argenteas, duas, ac præterea auri quinq; & ſemis libras, æſtimatione videlicet L V. marcarum argenti, ad coemptionem ſacrarum veſtium tradidit, quibus comparatæ, caſula pretioſa Dalmatica, ſtola auro texta, itẽ caſula, cappæ tres cũ aurifrigiis, palla altaris cum aurifrigio, & aliæ cappæ minores ſatis copioſæ, ſtolæ V I. ſericæ: Anulum quoq; aureum cum lapide pretioſo & inſuper V I. carratas vini veteris, & vineam in Hemmingesbach in anniuerſario ſuo, fratrum vſui contulit. Reliquam pecuniã Eccleſiis Dei in hunc modum expendit: Ad Sunnensheim X L V. marcas argenti in emptionem prædii. Ad Sconaugiã. X X. in fabricam oratorii. Ad Hirſaugiam V. Ad Ottenheim. V. Ad Mulenbrunnen. V. Ad S. Candidam. II. Ad Kircheim. I I. Ad Godeſaugiam. I I. Ad Hagen. X. Ad Franckendal. V I I I. Ad Gomersheim. I I I. Ad Otterburg. I I I. Ad Eberbach. V. Ad Eberaha. V. Ad Bronnenbach. V. Ad Lobenfelt. II. Ad Mulneh. II. Ad Bonlanden. I I. Ad Sebach. I I. Ad Hegenhee. I I. Ad Kuningesbrucgen. I I I. Sanctimonialibus & viduis Laureshamenſibus V. talenta: pauperibus in exſequiis ſuis I I I. Ad Hoſpitale Hieroſolymitanum vnum. Sororibus in Bingen. X X X. ſolidos. Ad tectum Eccleſiæ S. Stephani in Capelen, L. ſolidos. Cuſtodi X X. ſolidos ad luminaria. Seruitio fratrum in exequiis ſuis. X X X. ſolidos. Ad tectum ſepulturæ ſuæ X X. ſolidos. Ad Eccleſiam in Vraha X L. ſolidos. Extrinſecus autem fratribus carnis ſuæ, Sigevvardo, Alberto, & Svviggero dedit X X X. marcas. Seruientibus ſuis X X. Ottoni auunculo ſuo ſcyphum argenteum pondo V. marcarum. Item duobus militibus, qui ei ſeruierant, duas ſcrutellas argenteas. Summa igitur marcarum quas Dei famulis erogauit ſunt. C X C I I I. Talenta X V I I I. & dimidium. Porro calices omnes erant pondo X X X. marcarum: baccina, thuribulum, cola, & ampullæ pondo, V I I I. marcarum, & annulus aureus pretio duarum. Quas autem extrinſecus diſtribuit cum ſcypho & ſcutellis L. V I I. Omnes ergo C C X C I.

Weſtnitz, bodie.

Gala abbatis Hemmici.

Talenta autem X V I I I. & dimidium ſurgunt in marcas X V. Et erit omniũ vniuerſalis ſumma, Marcæ C C C V I. Frumentum & vinũ quod eo anno abundantiſſime prouenerat, cũ his quæ ab anno præterito more ſuo copioſe conſeruarat, partim ab ipſo diſtributum, partim temere diſtractum, partim Imperiali munificentia ſucceſſori ſuo donatum eſt.

Deceſſit I V. Kal. Octobr. hora quaſi decima, anno dominicæ incarnationis M C L X V I I. vir per omnia conſummatæ felicitatis, & qui nihil vnquam vel fortuitis euentib. deliquerit, in quo actus eius obfuſcarẽtur, ſi ſolũmodo iugum, q; Imperialis

manus ceruicibus Ecclesiæ imposuerat, excutere potuisset. Quód tamen sub ipso pene computruerat à facie olei, sed post eum à Deo ingrauatum est, vt flagella mutata sint scorpionibus. Sepultus est exequiarum (si recte dici potest) magnifico apparatu, præsente Palatino Rheni comite, & aduocato Ecclesiæ Cunrado, fidelium q; ac ministerialium plurima frequentia. Sepultus est (inquam in Aquilonali introitu, ad limen Ecclesiæ, loco videlicet, quem ipse lõge ante designauerat; tumulo ibidem cõtra spem omnium diuinitus oblato, reperto in eodem (vt pollinctores asserebant) pontificali corpore, ex indumentorum & sandaliorum ac virgæ pastoralis indicio, incertum sane cuius nominis aut temporis. Tantum reuerentiæ nimirum, & gratię delatum est ab Ecclesia sua mortuo, quantum deferri solebat viuo, & semper deferetur, quoadusq; memoria ipsius apud superstites durabit. Epitaphium huiusmodi tumulo eius inscriptum est, breuiter continens nomen ipsius, meritum & memoriam.

Hoc iacet in tumulo dolor & decus omne suorum
Abbas Heinricus, iugi prece dignus eorum.
Dic rogo qui transis, memor eius & hic positorum:
Anima eius, & animæ omnium fidelium defunctorum requiescant in pace, Amen.

Præfuit annis XV. mensibus X.

Ex eo tempore Laurishamensis Ecclesia funditus concidit, eamq; subinde iuxta vaticinium Ioel, locusta, bruchus, eruca, & ærugo indesinenter comedunt, adeo vt tam spiritualibus quam temporalibus ipsius propemodum annihilatis à planta pedis vsq; ad verticem non sit in ea sanitas.

SIGEHARdus abbas XLI.

Heinricho successit SIGEHARDVS ex monasterio Hirsaugiensi, nobilis quidem parentelæ, sed vtinam eisdem quibus antecessor, suus, auspiciis. Qui per cognatos suos Cunradum videlicet Maguntinum Archiepiscopum, sed tum Sabinensem Episcopum Cardinalem, & Saltzburgensis Ecclesiæ procuratorem, atq; Ottonem fratrem eius ex Palatino Comite ducem Bauaricum priuilegium Apostolicæ sedis ab Alexandro Papa tertio collatum obtinuit: missum ab vniuersali concilio, quod Romæ sub ipso habitum est.

Otto Palatinus dux Bauar.

Vsum quoq; mitræ, & annuli, ceterorumq; insignium præfatus Papa, eidem Abbati suisque successoribus in perpetuum tradidit, & scripto confirmauit, vt infra videtur.

PRIVILEGIVM ALEXANDRI PAPÆ III.

ALEXANDER *episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Sigehardo abbati monasterii sancti Nazarii Laurishamensi, eiusq; fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quotiens illud à nobis petitur, quod religioni & honestati conuenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Ea propter dilecti in Domino filii nostri iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium, in quo diuino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, vt ordo monasticus qui secundum domini & beati Benedicti regulam in vestro monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium inpræsentiarum iuste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo præscriptum monasterium constructum est cum omnibus pertinentiis suis, vetus monasterium cum pertinentiis suis, Abrinesberg cum pertinentiis suis, Michelstat cum pertinentiis suis, Capellam cum pertinentiis suis, Nuhenburg cum pertinentiis suis. Sane noualium vestrorum, quæ proprijs manibus aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omnino à vobis decimas vel primitias exigere præsumat. Liceat quoque vobis clericos & laicos è seculo fugientes, liberos & absolutos recipere ad conuersionem, & in vestro monasterio absque contradictione qualibet retinere. Prohibemus insuper, vt nulli fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem fas sit de eodem loco absque licentia abbatis*

sui, nisi

sui nisi obtentu arctioris religionis discedere: discedentem vero sine communium literarum vestrarū cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis ianuis, non pulsatis campanis, exclusis interdictis & excommunicatis, submissa voce diuina officia celebrare. Sepulturam quoq; ipsius loci liberam esse concedimus, vt eorum deuotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sunt, nullus obsistat: salua tamen iustitia illarum ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumunt. Adhæc vobis ex benignitate sedis Apostolicæ indulgemus, vt sine damno vicinarum ecclesiarum cellas in locis vestris, vel oratoria construendi cum assensu diœcesani episcopi licentiā habeatis. Prohibemus insuper, ne tu fili Abbas, vel alius, possessiones, decimas, oblationes, seu alia bona ipsius monasterii ad mensam abbatis siue ad victualia fratrum, iustitias obedientiarum, aut ad præposituras pertinentia inbeneficiare, vendere, locare, vel alio modo quolibet siue cōmuni fratrum consensu vel maioris & sanioris partis alienare præsumat: quod si factum fuerit, iuribus carere sancimus. Præposituras cellarum vestrarum & obedientias monasterii tantum monachis capituli vestri sapientibus viris, saluis earum rebus, statuimus committendas. Aduocatis etiam ipsius monasterii sub interminatione anathematis prohibemus, ne cuiquā liceat in possessionibus ipsius monasterii castella vel munitiones alias construere, familiamq; siue colonos ecclesiæ nouis & indebitis exactionibus fatigare, vel Abbati in iustitiis ecclesiæ requirendis seu obtinendis ausu temerario contraire. Obeunte vero te nunc eiusdē loci abbate, vel tuorū quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quē fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & beati Benedicti regulā prouiderint eligendum. Decernimus ergo vt nulli omnino hominum liceat supradictū monasteriū temere perturbare, aut eius possessiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra & illibata seruentur eorū quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura, salua sedis Apostolicæ auctoritate, sub cuius iure & patrocinio consistunt. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptauerit, secundo tertioue commonita nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisq; sui dignitate careat, reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atq; in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis aūt eidem loco suæ iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtū iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen. Ego Alexander Catholicæ ecclesiæ episcopus subscripsi. Ego Hubaldus Hostiensis episcopus. Ego Cunradus Salzburgensis ecclesiæ humilis minister & Sabinensis episcopus, &c. Data Lateranis per manum Alberti S. Romanæ ecclesiæ presbyteri Cardinalis & Cancellarii VII. *Idus April. Indictione* XII. *incarnationis Dominicæ anno* MCLXXIX. *Pontificatus vero domini Alexandri Papæ III. anno eius* XX.

ALEXANDER *Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Sigelhardo Laureshamensi abbati salutem & Apostolicam benedictionem. Speciali gratia & largitione muneris decorari meretur, qui erga B. Petrum, & sacrosanctam Romanam Ecclesiam deuotior inueniatur. Quocirca & testimonio quod de te accepimus, & dilectorū filiorum nostrorum Petri tituli, S. Susannæ presbyteri Cardinalis, & Ottonis Palatini comitis precibus inclinati tibi & successoribus tuis vsum mitræ de consueta clementia sedis Apostolicæ indulgemus in perpetuum. Dat. Lat. XVII. Kalend. Maii.*

ALEXANDER *Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Sigehardo Laurishamensi Abbati salutem & Apostolicam benedictionem. Eos qui in Ecclesia Dei maiorem locum pro meritis suis obtinère noscuntur, & Romanæ Ecclesiæ deuotiores existunt, decet nos in suis petitionibus facilius exaudire. Inde est quod venerabilis fratris nostri Cunradi Salzeburgensis Archiepiscopi Apostolicæ sedis Legati consanguinei tui precibus inclinati, de Apostolicæ sedis benignitate vsum anuli tibi tuisq; successoribus duximus indulgendū. Datum Viterbu. II. Idus Iul.*

In extremo codicis extabant hi versus:

Rebus, honestate, successu, nobilitate ⏑,
Compta per Heinricos, Ottones, & Lodovvicos
A Karolo cœpta: quo Principe culmen adepta
Stemmatis est clari, reuera digna vocari
Regia, regalis, locus & thronus Imperialis,
Filia Romanæ sedis liberrima plane ⏑.

Bayerische Staatsbibliothek München

HACTENVS egregius ille & nunquam satis laudatus Codex cœnobii Lauriſſenſis optima ſane nota, & illo ipſo tempore, in quo Chronicon hoc deſinit, ſcriptus. Chronicon ſequuntur in illo donationum & precariarum per plerosq; Germaniæ pagos B. Nazario factarum formulæ innumerabiles, eaque tantũ ſub Pippino, Carolo, & Ludouico regibus & Imperatoribus: quarum nos nonnullas alibi repræſentauimus. Et vero illæ quæ videris, omnes videris. Si quis autem eſt, quem iuuet poſt hæc in Laurishamenſi cœnobio geſta cognoſcere, è Trithemio abbatis vtroq; Chronicõ Hirſaugienſi & Spanheimenſi ea ad ſatietatem petere poterit. Nos vnum tantum eius locum hùc transferemus, de inſigni illa ſub Friderico I. Imp. facta cœnobii in alium ſtatum conuerſione.

Anno Domini MCCXXXII.

EODEM anno, FRIDERICVS Imper. II. principatum monaſterii noſtri ordinis, non longe à VVormatia, quod dicitur Lauriſſa, cum omni honore, vaſallis, miniſterialibus, oppidis, caſtris, villis, iuribus, prouentibus, & attinentiis ſuis, quem abbas eiuſdem loci ſemper habere conſueuit, de ipſo monaſterio abſtulit: eumque Siphrido Archiepiſcopo, & Eccleſiæ Moguntinæ in perpetuum donauit, cuius valor pretium centum millium florenorum excedit, quam donationem Gregorius Papa IX. ad inſtantiam Archiepiſcopi confirmauit, mandans ei, vt expulſis inde monachis noſtri ordinis, Ciſtercienſes in locum eorum reponat. Quod cum feciſſet, dolentes noſtri ſe de monaſterio ſuo tam iniurioſe per Archiepiſcopum expulſos, quadam nocte auxilio freti amicorum, ad cœnobium reuertuntur, & monachos Ciſtercienſis ordinis ibidem repertos, nil tale metuentes inuadunt, percutiunt, vulnerant, & de cœnobio expellunt, ipſumque locũ rurſus inhabitare cœperunt. Sed non poſt multos dies ſuperueniens Archiepiſcopus in manu valida iterum eos de monaſterio expulit, & Ciſtercienſes ſuos denuo reuocauit. Et ecce quadam nocte ſub matutinis cum ſe Ciſtercienſes crederent eſſe ſecuros, iterum noſtri cum amicis ſuis ad Lauriſſam veniunt, eos denuo inuadunt, cædunt, percutiunt, & iterum expellunt, proteſtantes ſe omnes interempturos, ſi denuo ad ipſum cœnobium Lauriſſenſe præſumpſerint reuerti. Ab ea itaque die non amplius poterant induci Ciſtercienſes, vt ad Lauriſſam reuerterentur. Vacauit ergo aliquandiu monaſterium, cum nec illi nec noſtri ſe tuto ibidem poſſe manere cernerent. Tandem Innocentius Papa IV. Archiepiſcopo Mogontino præfato mandauit anno pontificatus ſui II. qui fuit Dominicæ natiuitatis MCCXLVI. quatenus monachos cuiuſcunque ordinis aut certe canonicos ſeculares ad cœnobium reponeret, ne diutius vacuum remaneret. Qui conſilio accepto, monachos Præmonſtratenſis ordinis de monaſterio omnium ſanctorum Argentinenſis diœceſis ad ſe vocatos, conuentum ex eis in præfato monaſterio inſtituit, quibus præpoſitum pro rectore dedit. Et ſic nobilis illa Lauriſſenſis monaſterii famoſa quondam ac notabilis abbatia, ſacro ordini noſtro ablata, in manus aliorum data eſt, & principatus eius minus iuſte (vt multis viſum fuit) Moguntinæ Eccleſiæ traditus, cum noſtri ordinis plures potuiſſent inueniri religioſi, prudentes, nobiles, ac potentia viri inſignes, qui ipſum cœnobium in vtroque ſtatu reformaſſent. Hoc monaſterium Laurishamenſe, Cancor Comes Rheni filius Ruperti comitis, tempore Pipini regis Francorum, patris Caroli Magni, anno Domini DCCLXIV. conſtruxit, & magnifice dotauit.

Quomodo autem deinceps à præſule Maguntino in ius Palatinorum Principum idem cœnobium translatum ſit, a Nauclero, Irenico, Munſtero, & alijs, proditum ſcriptis Lector inueniet.

BRVNONIS

BRVNONIS

DE BELLO SAXONICO HISTORIA, AD WERINHERUM Episcopum Merseburgensem: in qua describitur adolescentia HENRICI IIII. Imper. eiusq; bella cum Saxonibus, itemq; electio Rudolphi & Hermanni Regum in schismate: ab anno Domini circiter MLXXIII. vsq; ad annum MLXXXII.

PROLOGVS SAXONICI BELLI.

DOMINO *suo dilectissimo, nunquam sine pia veneratione nominando, Werinhero sanctæ Merseburgensis Ecclesiæ Præsuli venerãdo, Bruno, licet perexigua, suæ tamen familiæ portio, quicquid valet hominis vtriusque deuotio.*

Inter eum qui munus aliquod donat, & eum cui donatur, hæc est obseruanda ratio, vt cum iste suis in thesauris nihil pretiosius quod donet inuenire valeat, tum ille munere tali nihil iocundius accipiat. Quod ego considerans, cum paternitati vestræ, cui pro viribus meis, immo vltra vires meas semper seruire desidero, munus aliquod offerre voluissem, quo feruorem mentis etiam foris alicuius operis attestatione monstrarem, omnibus scriniis mearum facultatum perquisitis solum literarum genus inueni, quod & vestræ conuenire dignitati, & meæ non impar esse putarem deuotioni. Hoc enim munus cæteris omnibus, quæ sibi inuicem possit benignitas humãna largiri, pretiosius æstimo: quia eius & origo nobilior, & vsus excellentior, & ætas probatur esse diuturnior. Aurum namque vel cætera, quæ homines præcipua ducunt, de terræ visceribus nata nullum tribuunt animæ profectum, sed fragilitati corporeæ breue subsidium, vel etiam luxuriæ præbent turpe seruitium, & dum corpora sustentant hominum, effugere proprium non possunt interitum, quamuis etiamsi quieta iaceant, non sint tuta, dum tinearum morsibus, vel scabra rubigine corrosa diu manere non valeant. Studium vero literarum à lateris animæ secretioribus ligone rationis effossum, nullum debet corporis imbecillitati seruitium, sed eum, cuius industria processit, format & instruit animum, adeo senectutis vel interitus ignarum, vt etiam ea quæ torrente violentia temporis rapiuntur ad interitum, ab ipso temporis impetu literarum virtus conetur eripere, & semper noua quasi stationaria legentibus ostendere. Igitur bellum quod Henricus Rex cum Saxonibus egit, volo breuiter & veraciter scribere, sicut ab his qui rebus intererant, potui cognoscere. Quod cum sui magnitudine, tum magis misericordia Dei, quam in ipso bello sumus experti, est memorabile, sicut in

sequentibus, si quis legere dignabitur, poterit agnoscere. Sic enim in flagello vino seueritatis oleum pietatis admiscuit, vt & Prophetam vera loquutum esse gaudentes agnosceremus, cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis, *&* *Apostolum*, fidelis Deus, qui non permittet vos tentari super id quod potestis. *Sed priusquam incipiam ipsius belli seriem explicare, oportet me pauca de pueritia & adolescentia eiusdē Heinrici præmittere, vt dum, qualem vitā puer vel adolescens agebat, lector agnouerit, minus miretur, quod intestinum bellum vir factus inceperit. Verum ne hoc opus quilibet in manus accipiens statim velut compuere, placuit mihi illud vestri nominis prænotatione munire, quatenus dum vestrum nomen pagina prima demonstrat, sequens opus à sputis defendat. Ergo vestra dignitas dignetur illud tanta alacritate suscipere, quanta à me offertur deuotione.*

INCIPIT
SAXONICVM BELLVM
HENRICI IIII. IMPER.

POSTQVAM Heinricus Imperator ab hoc sæculo felici morte migrauit, filius eius Heinricus quartus infeliciter in hoc seculo relictus vitæ, regnum patris electione communi suscepit. Quod quum adhuc decenter, vt pote puerulus quinquennis, gubernare non potuit, ipsum cum regni causa curandum cunctorum iussu Principum mater ipsius Agnes venerabilis Imperatrix accepit. Sed quum procedente temporis cursu puer ætate quidem, sed non sapientia, vel apud Deum vel apud homines proficeret, matrisq; monita regio fastu tumidus iam minus audiret, Anno Colonienſis Præsul venerandus, cū violenter matri eripuit, eumq; cum omni diligentia, sicut decebat Imperatoriam prolem, non tam regi quam regno prospiciens, nutrire curauit. Non enim ignorabat, quod Rex insipiens perdet populum suum, & ciuitates inhabitabuntur per sensus prudentum, nec nesciebat etiam, quod sicut aliquos humili stirpe procreatos virtutes declarant, sic à magnis natos parentibus, si doctrina boniq; defecere mores, culpæ dedecorant.

Anno Colonienſis.

Verum priusquam ille puerili simplicitate transcursa, adolescentiam (quæ communis est omnium campus flagitiorum) ingressus, ad biuium Samię literæ peruenit, derelicta sublimi semitæ dexterioris angustia, decliuem plateæ sinistræ latitudinem qua incederet, elegit, calleque virtutum penitus abdicato, totis viribus post concupiscentias suas ire disposuit. Quod vt liberius facere potuisset (non enim sub illo magistro sibi licebat, quicquid libuit) prius magisterii illius auctoritatem à se penitus excussit, & qui ad regnum gubernandum fuisset electus, iam se ab aliquo gubernari est dedignatus.

Igitur Rex ab Episcopo manumissus, quum sui iuris esse cœpisset, tunc patefecit quam viam vitæ sectari decreuisset. Vepres enim libidinum, quæ in hac ætate cuam eos fatigant; qui eas in se frequentibus ieiuniis arefaciunt, & assiduis orationibus eradicant, eo fructuosius in eo geminabant, quo eas nec ipse, vtpote igne primæ iuuentutis ardescens, & regni luxus deliciis affluens, ab agro sui cordis euellebat, nec eas aliquis ab eo, Rege, videlicet monitores aspernante, exstirpare ferro correptionis audebat.

Erat

Erat eodem tempore Bremenſis Præſul Adelbertus, ſic typho ſuperbiæ turgidus, vt nec in ſeculari nobilitate, nec in ſancta conuerſatione quenquam putaret ſibi æqualem. Ipſe quum in aliqua ſumma feſtiuitate publicam miſſam Rege præſente celebraret, & populo verbum Dei dicturus, ex more locum altiorem aſcenderet, inter cætera quaſi bonos & nobiles in hac terra conquerens defeciſſe, ſe ſolum & Regem (ſe ſcilicet anteponens Regi) dixit de nobilitate remanſiſſe, cum duo fratres ipſius iiſdem parentibus nati ſtarent præſentes. Et quamuis Apoſtolorum principis fratris ſui Petri nomen non haberet, ſe tamen eandem quam Petrus habere poteſtatem, vel etiam maiorem, quam dominum ſuum, non vt Petrus vnquam negaſſet. *Adelbertus Bremenſ.*

Ipſe cuidam in ſuo Epiſcopatu Abbatiſſæ, quæ neſcio quid in eum peccauerat, præcepit per obedientiam, vt intra dies x v. hanc præſentem relinqueret vitam. Et quod ipſa tum ægrotabat, ille vanus ſuum in ea præceptum impleri poſſe ſperabat, & ſi caſu moreretur, mortuam ſuo iuſſu volebat vt crederetur. Die vero x v. illa iam ſanitate recuperata, miſit Epiſcopo legatum, neſcio pro qua cauſa. Quem vt ille de longe aduentantem vidit, ſibi aſſidentibus lætabundus dixit: *Nunquid mea poteſtas minor in iſta, quam fratris mei Petri fuit in Saphira? ecce iſta miſera eſt mortua, auctoritate iubente mea.* Sed poſtquam nuncio propius accedente, viuere eam, & ab infirmitate conualuiſſe cognouit, à ſuperbia ſua valde confuſus obticuit:

Aliquando, quum (ſicut ſolebat) in curia Regis eſſet, & menſam Regis cottidie delicatioribus quam ipſe Rex, epulis oneraret, quadam die cunctis ad cibum pertinentibus præ nimio luxu conſumptis, dapifer eius nihil habebat quod cum ex conſuetudine ſua venuſtum, ipſique Regi comedendum menſæ Regis imponeret: ſed nec erat pretium quo cibum emeret pretioſum, quod in ſimilem vſum totum conſumpſerat argentum.

Quod quum Epiſcopus non ignoraret, die illa latitabat, ne eum dapifer inuenire potuiſſet, volens vt ille per ſuam induſtriam quolibet modo perquireret, quod ad menſam ſibi decenter apponeret: ſed ille poſtquam dominum ſuum diu quæſitum tandem in capella quadam, quo confugerat, eſſe cognouit, ad oſtium capellæ confidentius pulſans ſe intromitti poſtulauit. Cuius vocem vt Epiſcopus agnouit, ſubito ſe in terram quaſi in orationem proſtrauit. Ille ingreſſus, vt eum iacentem conſpexit, & eum nec tuſſi nec ſcreatu erigere potuit, tandem ſeſe iuxta Epiſcopum velut ſimul oraturus extendit, & ei in oriculam loquens; *Orate*, dixit, *vt vobis hodie ſit quod manducetis, quod nondum quicquam, quod honeſte ſuper menſam veſtram ponatur, habetis.*

Epiſcopus velut ab exſtaſi repente expergefactus, *Quid*, ait, *ſtultiſſime feciſti, qui me à colloquio Dei temerarius abſtuliſti? ſi quid frater Transmandus videre meruit, tu vidiſſes, nunquam mihi poſito in orationibus appropinquaſſes.* Ille autem ibi præſens aderat, & quod talia videbat Epiſcopo placere, Angelos cum eo loquentes in oratione ſe iam dudum dixerat vidiſſe. Erat autem ipſe pictor ab Italia.

Hic igitur Epiſcopus vbi Regem infrenem velut equum per abrupta flagitiorum ruere vidit, eius ſe lateri familiariter adiungere quæſiuit; non vt vitiorum ſpinas, quæ fuerant ortæ manu ſeueræ auctoritatis radicitus erueret, & virtutum ſemina Epiſcopali prædicatione plantaret, ſed vt germina viciorum adulationis aqua rigaret, & ſi quæ virtutum fruges emergerent, amaritudine peruerſi dogmatis enecaret. Neque enim vt ante Deum perpetratis facinoribus caueret, cum Tobia dicebat; *Attende tibi ab omni fornicatione, & omni tempore benedic Deo, & pete ab eo vt vias tuas dirigat*, nec vt perpetrata lacrymis pœnitentiæ lauaret, cum Nathan ſub velamento parabolæ ferrum increpationis portauit, quo vlcere mentis repente percuſſo conſcientiæ virus efflueret, ſed velut Apoſtolicum dabat ei præceptum; *Fac omnia quæ placent animæ tuæ, hoc ſolum obſeruans, vt in die tuæ mortis, in recta fide inueniaris.* Quum ſcriptura dicat: *Poſt concupiſcentias tuas non eas.* Et rurſum; *Non ſemines mala in ſulcis iniuſtitiæ, & non metes eam in ſeptuplum.*

Ille vero ita docebat, quaſi ſit in hominis poteſtate, in vna hora mutare vitam ſuam. Quum prouerbium ſit; Adoleſcens iuxta viam ſuam etiam quum ſenuerit,

non recedet ab ea, & odorem quem semel imbiberit recens testa, diu seruabit. Hac igitur Episcopi non Episcopali doctrina Rex in nequitia confortatus, iuit per libidinum præcipitia, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; & qui multorum Rex erat populorum, thronum posuit in se libidini cunctorum reginæ vitiorum.

Binas vel ternas simul concubinas habebat, nec his cõtentus cuiuscunq; filiã vel vxorẽ iuuenem & formosam audierat, si seduci non poterat, sibi violẽter adduci præcipiebat. Aliquando etiã ipse vno siue duobus comitatus, vbi tales esse cognouerat, in nocte pergebat, & aliquando voti sui mali compos efficitur, aliquando vero vix effugiebat, ne à parentibus amatæ siue marito occideretur. Vxorem suam, quam nobilem & pulchram suasionibus Principum inuitus duxerat, sic exosam habebat, vt post nuptias celebratas eam sponte sua nunquam videret, quod & ipsas nuptias non sponte sua celebrauerat. Ergo multis modis eam à se separare quærebat, vt tunc quasi licenter illicita faceret, quum hoc quod licebat, coniugium non haberet.

Denique cuidam de suis familiaribus, vt peteret Reginæ concubitum præcepit, magnumque ei præmium, si potiretur eo promisit, quod inde illam non negaturam sperabat, quod iuuencula virum experta iam quasi deserta viuebat. Regina vero sub fœmineo corpore cor habens virile, statim de quo fonte consilium hoc emanaret intellexit, & primo quidem velut indignata negauit, sed sicut ille pertinaciter (sicut prædoctus erat) instaret, quod rogabatur, ore tantum promisit. Ille gratulabundus rem Regi nunciat, & horam qua perficienda esset indicat. Rex vero lætus ad cubiculum Reginæ simul cum adultero pergit, vt dum eos pariter commisceri ipse videret, eam à suo coniugio legaliter abiiceret, vel etiam (quod magis volebat) occideret.

Sed quum adulter ad ostium Reginæ pulsaret, & hoc illa velociter aperiret, Rex timens ne illo prius intromisso ipse excluderetur, ostiũ concitus irrupit, Quem Regina agnoscens, adultero foris relicto ianuam citissime clausit, & suis virginibus conuocatis, eum scamnis & baculis, quæ arma ad hoc collegerat, in tantum verberauit, vt eum semianimem relinqueret; *Fili meretricis*, inquiens, *vnde tibi hæc audacia?* Ille clamat, se esse Heinricum, se esse ipsius maritum, se voluisse legitimum eius concubitum: Illa reclamat, Hunc non esse maritum, qui furtiuum quæsisset adulterium, si maritus esset, cur non aperte ad suum thorum accederet? Itaque pene vsque ad mortem percussum de cubiculo eiecit, ostioque clauso lectum suum petiuit.

Ille quid sibi accidisset, nulli ausus est confiteri: sed ægritudinem aliam simulans, integrum fere mensem iacuit in suo cubili. Illa enim non capiti, non ventri pepercerat, sed totum corpus integra cute contuderat. Qui postquam conualuit, quamuis acriter correptus, antiqua flagitia sua non deseruit.

Si qua coram eo querelam de qualibet iniuria fecisset, & ab eius regia potestate sibi iustitiam fieri postulasset, si illius insaniæ ætas eius & forma placebat, pro iustitia quam petebat, iniustitiam multiplicem reportabat. Nam postquam ipse in ea quamdiu placuit libidinem suam impleuit, alicui de famulis suis eam velut vxorem dedit.

Ita nobiles in hac terra mulieres, ipse prius eis turpiter abusus, seruili coniugio turpius dehonestauit.

Hæc omnia vidit ille falsus & fallens sanctus Episcopus Adelbertus, vidit, neque prohibuit, immo sua doctrina eum, quo sine timore vel pudore talia faceret, velut adhortando confortauit. Stultum namq; dixit esse, si non in omnibus satisfaceret suæ desideriis adolescentiæ.

Multa & magna in hoc genere eius flagitia sponte prætereo, quod ad alia alterius generis ipsius scelera festino: Hoc tantum hic vltimum locum teneat, quod in eo iustus iudex inultum non relinquat, ignominia videlicet quam sorori suæ

fecit,

fecit, quod eam manibus suis depressam tenuit, donec alius ex ipsius iussu coactus fratre præsente cum ea concubuit, cui non profuit, quod Imperatoris filia, quod ipsius vtroque parente soror vnica, quod sacro capitis velamine Christo fuerat desponsata.

Sed quia nefanda stupra, nefandiora generare solent homicidia, sicut ille non vnam Bersabe libidinosus stuprauit, ita non vnum Vriam crudelis interfecit. Tot enim in homicidiis immania perpetrauit facinora, vt dubium sit, quæ maior sit eius infamiæ, libidinis incestæ, an crudelitatis immensæ. Omnibus erat horribiliter crudelis, sed nullis ita, vt familiarissimis suis. Qui omnium particeps erat secretorum eius, & conscius vel adiutor flagitiorum siue facinorum, dum securus sui de aliorum morte tractanti fauebat, coactus est mortem pati, quam non timebat. Et hoc pro qua culpa? quod vnum contra eius voluntatem dixit verbum, vel tacens aliquod eius consilium sibi non placere gestu quolibet ostendit. Multos namque consiliarios habebat, sed nullus ei dare consilium audebat, nisi quod ipsi placeret. Si quis vel inscius aliquid, quod nollet, ei consulebat, delictum quod ignoranter egerat, sui sanguinis effusione luebat. Nec alicui suam demonstrabat iram, donec incauto faceret auferri vitam.

Quidam de secretariis suis nomine Conradus, iuuenis nobilitate & moribus insignis, si hoc solum Deus ei dedisset, vt consiliarius regis nunquam fuisset. Hic erat quadam die Goslariæ, certus se tam bene gratiam Regis habere, sicut tunc, quum eam habebat optime. Rex autem erat in Hertesburg castello, quo propter eos, qui facinorum ipsius erant conscii & fautores, nullus nisi nomine vocatus ascendebat. Mittit igitur Rex Goslariam, iubens vt Conradus ad se citissime veniat, & nullum præter armigerum suum, qui se comitetur, assumat. Ille se putans ad aliquod consilium, cui nulli præter se liceret adesse, vocari, vt fidem suam maiorem ostenderet, etiam plus, quam iussus fuisset, fecit, & ipse suus armiger factus cunctis incomitatus equitauit. Ergo veniens in siluam vidit insidias, nec credidit eas sibi paratas, tamen quod (vtpote solus) tantam multitudinem timuit, Ecclesiam quæ prope erat, celeriter petiuit, Burchardus Misnensis præfectus, huius latrocinii ductor nequissimus, ad Ecclesiam sequitur, eique, si velit egredi, quod nihil mali patiatur, in sua fide pollicetur. Ille quamuis ei nullam fidem haberet, tamen sciens, quod si sponte non exiret, Ecclesiæ non parcerent, exiuit, eiusque se fidei commendauit. Quem ducentes in solitudinem, sicut erant iussi, crudeliter interfecerunt; & nec in ipsa morte ei, quare morereretur, indicauerunt. Nec vnquam vere cognouit aliquis, quare fuisset occisus, nisi quidam mussitabant, quod illi Rex imponeret, quod cum quadam concubina sua iacuisset. Sed Rex, vt suspicionem mortis eius à se tolleret, auctores eiusdem mortis, quos latitare ad horam iusserat, persequi ab omnibus amicis suis imperat; & illum sepeliri in loco fecit honorabili, ipseque eius sepulturæ tristis interfuit, & (vt ad omnia simulanda doctus erat) non parum lachrymarum fudit. Sed tamen nulli, quin esset (sicut erat) præcepto Regis occisus, credibile fuit.

Conradus secretarius.

Fama fuit, quod quendam de familiaribus adolescentem nobilissimum sua manu, dum quasi iocaretur, interfecerit; & eo furtim sepulto, in crastino quasi pœnitens ad suum magistrum Adelbertum Episcopum venerit, & ab eo sine vlla satisfactione indulgentiam percepit. Sed quia huius veritatem mihi non contigit agnoscere, placuit mihi eam inter ambigua relinquere, quamuis omnibus pene versaretur in ore.

Noui autem quendam de familiaribus Regis, qui aliquando de curia venit ad fratrem suum, (frater autem ille Episcopus erat) & quasi iactando fratri suo narrabat, quod nullus esset in curia, qui magis, quam ipse, esset in Regis gratia. Quod quum frater eius Episcopus libenter audiret, eum diligenter admoneret, vt gratiam Regis omnibus modis tentare quæreret, quia & ipsi honestum, & omnibus suis vtile esset. *Facerem*, dixit ille, *si simul cum gratia terreni Regis possem tenere gratiam cæleſtis. Sed veraciter*, inquit, *agnoui, quod si quis huius Regis familiariter habet gratiam, habere non poterit æternam vitam.* Igitur paulatim se sicut prudens à curia subtra-

hebat,& iam minus & minus ad ſecreta Regis accedebat, & nec omnino aberat,nec ſicut erat ſolitus frequens aderat. Quem vbi Rex minus aſſiduum vidit in ſuo ſeruitio,cauſam quare faceret, non inquirit; nec ei quicquam malæ voluntatis oſtendit: ſed ſuo iam volens parcere ferro,quærebat eum perdere enſe alieno. Itaque pro qua cauſa ficta vel vera neſcio, miſit eum ad Regem Ruſſiæ. Quam legationem ille libenter accepit, primum quod per hoc quaſi probauit, ſe à gratia Regis non abeſſe, cui ſecreta non dubitaret, vt antea,credere; deinde quod ſperauit, ſe legationis huius labore meriturum, vt legatione proſpere facta reuerſus, non paruum à Rege deberet accipere beneficium; nec hæc etiam minima fuit cauſa, quod libenter aberat à curia. Igitur perrexit, nec adhuc quid de ſe diſpoſitum fuiſſet intellexit. Poſt aliquot vero dies cum veſpere declinaſſet in diuerſorium, iubet ſibi bonum parari conuiuium: quumque iam comites eius aliquantulum bibiſſent, exiliuit Sclauus quidam,vilis perſona, &, Neſcio, dixit, quid eſt, quod ego porto, quod Epiſcopus Eppo mihi dedit,& vt Regi,ad quem miſſus vadis darem præcepit. Quod quum ſibi ille monſtrari rogaret, protulit Sclauus epiſtolam Regis imagine ſigillatam. Ille nil moratus ſigillum fregit, clericum ſuum, quid illæ literæ vellent,exponere ſibi præcepit. Clericus legit,& expoſuit; Hic autem ſenſus erat in literis: *Scias in hoc te maxime qualis amicus mihi ſis,poſſe monſtrare,ſi hoc effeceris, vt iſte meus nuncius nunquam in meum regnum poſsit remeare,quod vtrum æterno carcere, vel potius efficias morte, nihil puta differre.* Literis itaque conſumptis igni, ipſe lætus iter ſuum peregit, legationem prudenter impleuit, non paruo munere donatus rediit, domino ſuo Regi regalia dona portauit.

De quodam intimo ipſius conſiliario, cuius vocabulum ſicut aliorum multorum ſponte prætereo,rem comperi, quam idcirco hic placuit inſeri, quod duo non minima continet in ſe Regis vitia,quæ ſunt videlicet crudelitas & luxuria. Hic cum non eſſet ortus à Saxonia,duxit vxorem natam à Saxonia, virginem tam formoſam corpore, quam & nobilem genere. Rex ipſe eam illi à parentibus eius impetrauit, Rex ipſe nuptiis interfuit, ſed dubium, vtrum magis pro ſponſi honore,an pro amore ſponſæ. Nondum illa deſponſæ virginalis pudicitiæ pudorem depoſuit, quum Rex omni pudore depoſito,vt eam ſibi ad lectum ſuum mitteret,ipſum ſponſum petiuit. Quum nec vllam rem,dixit ille, nec ipſam vitam vobis vnquam velim negare; hæc ſola res eſt, quam nec vos decet à me petere, nec ego vobis poſſum concedere. Rex magnus diſſimulator,dolorem quem in corde magnum habuit, nec vultu,nec verbis oſtendit. Poſt non multos autem dies, quum ille iam ſecurus nihil ſibi timeret,Rex media fere nocte miſit ad eum,præcipiens,vt ſolus ad ſe veniret. Ille quamuis more Regis cognito certus eſſet,quod in ipſa nocte mori debuiſſet, tamen, quo iubebatur,iuit,ſed prius loricam triplicem ſubter tunicam induit. Quumque ad veſtibulum cubilis regii veniſſet,ecce duo gladii ad duo latera eius affixi,in mediis eius viſceribus ſibi obuiarent,niſi eos thoracis fortitudo repuliſſet. Ille tamen ad Regem peruenit, & ei qualiter ante cubile eius ſuſceptus eſſet indicauit. Cui Rex præcepit, vt ſi deinceps viuere vellet, hoc ab eo nullus vnquam ſciret.

Omnibus his malis hoc malum ſuperaddidit, quod cæteris omnibus malis & antiquis firmamentum quo vigerent,& nouis quo ſurgerent,initium dedit. Epiſcopos enim non pro qualitate meritorum ſecundum Canonum decreta conſtituit, ſed ſi quis maiorem pecuniam dedit, vel ipſe maior eius flagitiorum adulator exſtitit.hic dignior quolibet epiſcopatu fuit. Quumque alicui ſic epiſcopatum dediſſet, ſi ei alius plus daret, vel eius magis facinora laudaret, illum priorem quaſi ſimoniacum fecit deponi,& iſtum ſecundum quaſi ſanctum in eodem loco conſecrari. Vnde contigit, vt multæ ciuitates in illis temporibus duos epiſcopos ſimul haberent, quorum neuter epiſcopi vocabulo dignus eſſet. Bauenbergenſem epiſcopatum tam rebus exterius diuitem,quam ſapientibus perſonis intus venerabilem,cuidam mangoni dedit, immo pro inæſtimabili pecunia vendidit; qui melius ſciebat nummos monetæ cuiuslibet æſtimare,quam textum cuiuslibet libri, ne dicam intelligere,vel exponere,ſaltem regulariter pronunciare. Qui quum in ſacro officio vigiliæ Paſchalis,primam ex more lectionem coram ſapientibus clericis pronunciauit; *Terra autem erat*

tem erat

rem erat inanis & vacca. Ipse nimirum, licet bipes, vacca bruta & omni probitate vacua. Ipse tamen, quamuis nec suo, nec Ecclesiæ, quam ipse quasi regendam acceperat, auro parceret, vt gratiam Regis obtineret, ipso Rege consiliante deponitur, & Episcopatus alii datur, non qui vita & sapientia sit episcopatu dignior, sed qui Regis flagitiorum maior in omnibus fuisset assentator.

Inter hæc omnia iam abeunte adolescentia, mox vt Adelbertum Bremensem Episcopum nactus est consiliarium, ipsius suasionibus cœpit in diuersis locis altos & natura munitos montes quærere, & in his huiusmodi castella fabricare, quæ si in locis competentibus starent, ingens regno firmamentum simul & ornamentum forent. Quorum primum & maximum Hartesburg appellatum, quod ita forti muro & turribus, & portis exterius munitum, ita regalibus ædificiis intus adornauit, tale monasterium in ipso construxit, tales ornatus in ipso monasterio collocauit, tales & tot clericos illuc vndique congregauit, vti aliquot episcopales locos omni suo apparatu æquipararet, aliquot etiam transcenderet. Quidquid ornatus ecclesiastici quemlibet Episcopum magis decorum videbat habere, siue præcepto, siue precibus acceptum suo monasterio studebat conferre. Cætera vero castella non tam pulchra, quam fortia esse laborabat. Beatus & valde beatus esset, si munitiones easdem contra paganos erexisset. Nam ipsi iamdudum aut omnes fuissent Christiani, aut Christianis Principibus in perpetuum tributarii. Sed hæc castellorum diuersis in locis constructio primo nostratibus puerilis ludus videbatur, quod nondum eius intentio mala cognoscebatur. Et non solum ea fieri, nihil adhuc periculi timentes, cum iam possent, non prohibebant, verum etiam ex hoc eum fore contra nationes exteras bellicosum quasi diuinantes, ad ipsas ædificationes eum vel opibus vel operibus adiuuabant. Postquam vero præsidia in ipsis castellis collocata, cœperunt in circuitu suo prædationes agere, non suos labores in suos vsus comportare, liberos homines ad opus seruile compellere, filias vel vxores alienas ludibrio habere. tunc primum, quid illa castella portenderent, intellexerunt, nec tamen adhuc resistere vel se defendere præsumpserunt. Tantum illi, qui lædebantur, querelas occulte faciebant apud illos, qui longius à castellis semoti, nihil adhuc mali patiebantur. Illæsi vero, dum læsis auxilium ferre negligebant, tyrannidi vires in seipsos tribuebant. Nam ab agricolis ad militares, à terræ fructibus ad libertatem adimendam ascendit; & Fridericum de Monte, qui inter liberos homines vel nobiles eximius habebatur, famulum suum esse Rex asseruit. Wilhelmum quoque, qui propter nimium cultum sui Rex de Lotheslouo appellabatur, tanta crudelitate prosequitur, quod multa ei erant prædia, sed non multa sapientia: vt propter hos duos ab omni Saxonia præcipue facta sit aduersus Regem coniuratio, quamuis ab ipsis duobus pessima reddita sit retributio. Nam priusquam Saxones omnes manifestum iam contra Regem bellum cœperunt, illi duo fidei iuratæ obliti, primi relicta patria transfugæ viles ad hostes defecerunt. Hoc vero postea patebit.

Hartesburg.

Friderich vom Berge.

Wilhelm von Lothes-low.

Gens vero Sueuorum audita Saxonum calamitate, clam legatos suos ad illos misit, & fœdus cum eis fecit, vt neuter populus ad alterius oppressionem Regi ferret auxilium. Volebat enim Rex etiam Sueuos violenter opprimere, & vt sibi de prædiis suis redderent tributa, compellere. Quod fœdus Saxones si fideliter seruassent, & ab infamia perfidiæ, & à magna parte calamitatis liberi fuissent.

Sigifridus Magontinæ sedis Archipræsul, Wernero Magdeburgensi, & Burchardo Halberstadensi Episcopis literas querimonia plenas misit, quod Rex in Episcopatu suo loca prædationibus faciendis apta elegisset, positisque inibi castellis & præsidiis, multa mala rebus suæ Ecclesiæ faceret. Rogauit etiam in iisdem literis, quatenus se cum Annone Colonienſi Archiepiscopo fidelissimo fœdere coniungerent: non quod qualibet inimicitia dissilirent, sed quod non talis amicitia eos fideliter adunaret, vt vterque alteri secreta sua credere, sicut vellet, auderet. Hoc autem omni regno fore necessarium: quod si illi duo, qui maiores erant in regno, fideliter in vnum conuenirent, in multa securitate totum regnum constituere potuissent. Hoc autem illos duos Episcopos eo facile efficere

Sifridus Moguntinus.

posse, quo alter eorum, scilicet Magdeburgensis esset frater, alter vero consobrinus superius nominati Colonien sis Archiepiscopi. Eandem querimoniam fecerunt ad inuicem omnes pene regni Teutonici Principes; sed tamen palam nullus audebat fateri, tanto Rex erat omnibus terrori. Sic quamuis soli Saxones hoc aperte viderentur incipere bellum, tamen non ipsorum solummodo consilio fuit inceptum. Qui quum tot & tantas calamitates & contumelias singuli paterentur, dum quisq; suum tantummodo vulnus dolebat, & intactus adhuc vulnerato non condolebat, communi malo non resistebant communi consilio. Rex vniuersale damnum disponebat, & ad hoc quælibet impedimenta repellebat, & auxilia, quibus sua mala voluntas impleretur, vndecunq; quærebat; illi vero putantes speciale malum, contra communem perniciem nulla defensionis instrumenta parabant. Ille, quo facilius cunctos, vt volebat, opprimeret, prius illos, in quibus eorum virtus maxime stabat, singulos labefactare tentabat.

Otto Dux Bauaria.

Ottonem denique virum prudentem & fortem, qui natus è Saxonia Dux erat in Bauaria, omni calliditate deponere quærebat, quod illum cum omnibus Bauaris Saxones adiuturum non dubitabat. Ergo quendam nomine Einnonem præter audaciam nihil virtutis habentem pretio conduxit, & promissionibus sollicitauit, vt Ducem de Regis morte secum tractasse diceret, & hoc se, si negaret, singulari bello probaturum promitteret. Itaque certaminis illius constituto die Otto ab amicis suis Episcopis & aliis Principibus præmonetur, quod si Goslariam veniret, vbi duellum fieri debebat, etiamsi aduersarium suum vinceret, tamen inde cum vita non rediret. Elegit ergo honore suo potius iniuste priuari, quam tale iudicium subire, vbi sciebat ipsi iustitiæ violentiam fieri. Igitur ad sua recessit, & associato sibi Magno Duce Saxoniæ, per duos fere annos cum Rege bellum crudele gessit. Verum consiliis amicorum coacti, quum se regiæ traderent potestati, Rex Magnum Ducem in carcere suo per integrum biennium tenuit, ita vt nullus in hoc tempore sciret, vtrum viueret, vel vbi esset.

Einno.

Magnus Dux Saxoniæ.

Postea legatos ad Regem Danorum misit vltra mare, eumque sibi ad Bardanvvick rogauit occurrere, quo & ipse cum paucis perrexit, quum nulla fama testetur, quod ante eum vllus Rex in illas partes peruenerit. Regem illum ibi obuium habuit, cum eo secretum colloquium fecit, cui colloquio præter Episcopum Adelbertum, & vnum de Regis consiliatoribus nullus interfuit. Ipsum tamen colloquium diu non latuit, quia ille, qui cum Episcopo solus aderat, cum consilium, quod ibi fecerunt, prohibere non posset; illud quod poterat effecit, quod Principes Saxoniæ quorum intererat, ipsum consilium non lateret. Rex enim Danorum Regi Henrico iurauit, vt ei contra omnes hostes suos, & nominatim contra Saxones, quantum posset, terra mariq; auxilium ferret: & Rex etiam illi promisit, vt ei cunctas regiones suo regno contiguas in proprium daret.

Luniburg.

Igitur illo colloquio finito, & Danorum Rege reuerso, Rex etiam castellum Luniburgum, quod ibi prope erat, considerauit; cuius munitione perspecta, in eius cupiditatem suo more vehementer exarsit, quasi si illud in potestate sua teneret, nullus in illis partibus sibi resistere potuisset. Illud autem castellum Magni Ducis parentum semper fuerat, & ad ipsum suumq; patruum Hermannum, tunc hæreditario iure peruenerat. Ex paucis ergo, quos habebat secum fidelissimos LXX. fere dimisit in illo castello, qui etiam ipsum totamq; regionem circa compellerent regio parere seruiliter imperio. Sed his temere ingressis, Hermannus dum Rex è finibus suis fuisset egressus, expectat, & mox ipsum castellum, cum multa virtute circumdat. Illi quid facerent? castellum quidem forte, & cunctis (nisi soli fami) insuperabile, sed præter paucos panes, quos discedētes monachi reliquerāt, nihil quod māducari posset, habebat, fames eos castellum relinquere iubebat, sed obuia ferri virtus eos exire non sinebat. Paucis autem non erat tutum cum exercitu venire in prælium. Deditionem ergo Comiti Hermanno offerebant, sed ille, nisi Magnus Dux filius fratris sui rediret, nullum istorum abiturum dicebat. Quo aperto, Rex multas angustias habuit, nec quid sibi fuisset vtile, facile excogitare potuit. Illos obsessos per vim liberare nō potuit, quod de Saxonibus (quos offensos habebat) exercitum congregare non credidit;

Hermannus Dux Saxoniæ.

credidit; de gentibus vero aliis suæ ditioni subiectis eam multitudinem, cui illuc iretutum esset, non habuit. Ducem reddere noluit, quod dum illum in vinculis tenebat, securus à bello Saxoniæ fuit. Solus enim timor, ne ille occideretur, fecit, vt tot iniuriis acceptis bellum non inciperent. Tot autem fidelissimos suos, inter quos etiam erant, qui nobiles cognatos habebant & fortes, si perire dimitteret, nullum vltra fidelem sibi inueniret, & tutum tempus ab eorum propinquis nullum haberet. Reddidit ergo Magnum Ducem, & suorum fidelium recepit multitudinem. Inde natum prouerbium per totam Saxoniam diuulgatur; *Quod vnus Saxo* L X X. *Suevis ematur, &* L X X. *Suevi vno Saxone redimantur.*

De reditu Ducis Magni quanta fuissent omni Saxoniæ gaudia, Tulliana non posset explicare facundia, non magis de illo gauderent, si eum à morte rediuiuum accepissent. Quoniam cum se nunquam viuum visuros desperauerant, tanto eum videntes viuum maiore lætitia trepudiabant: nec solum sui vel cognati, vel clientes eius de salute plaudebant, sed omnis omnino populus omnipotenti Deo, qui eum mirabiliter liberauerat, laudes vnanimiter reddebat. Quem enim patruus suus inæstimabili prædiorum siue pecuniarum pretio redimere non valuit, hunc diuina pietas eo modo, quem humana prudentia nunquam posset excogitare, liberauit. Itaque nihil fere iam sonabat ex ore totius Saxoniæ, nisi Deo gratias de Magni Ducis admirabili liberatione; Illi qui nunquam eum viderant, per eius ereptionem non minores, quam si de eius genere vel familia fuissent, Deo gratias agebant.

Deinde quum Principum festiuitas Apostolorum, Petri videlicet & Pauli propinquaret, præcepit Rex, vt vniuersa Principum Saxoniæ multitudo Goslariam cõueniret, vt si quid de communibus regni negotiis agi dignum emergeret, hoc ipse communi Principum consilio tractaret, omnes illuc alacres festinabant, quod calamitatum, quas Saxonia iamdiu tolerabat, aliquem terminum fore sperabant. Igitur festiuitate celebriter celebrata, cum dies ad causas agẽdas statuta venisset, Episcopi, Duces, Comites, cæteriq; ad palatiũ primo diluculo cõgregantur, ibiq; sedentes donec ad se Rex egrediatur, vel ad se iubeat eos intrare, nequicquam operiuntur. Nam ille cubilis sui foribus clausis, intus cum suis parasitis, aleis vel cæteris rebus nugatoriis operam dabat, & tot magnos homines ad suam ianuam excubare, quasi mancipia vilissima nihili pendebat. Tota dies illa transiit, nec ipse, nec aliquis vera portans, nuncius ad eos exiuit. Quum iam nox facta fuisset, quidam de parasitis eius egressus, Principibus irrisorie dixit: *Quandiu ibi vellent expectare*, quum Rex per aliam ianuam egressus ad vrbem suam veloci cursu properaret. Ibi sunt omnes adeo turbati, qui tanto fuerant habiti à Regis superbia contemptui, vt nisi Dedi Marchio eorum furorem sua prudentia compesceret, eadem hora Regi pariter omnes omni proiecto timore manifeste renuntiarent. Illa dies principium omnium, quæ sequuntur, malorum fuit. Eadem namque nocte Principes omnes parum pransi, cum singulis, quibus optime credebant in vnam Ecclesiam, quum omnes cæteri iam dormirent, ex condicto conuenerunt; ibique non paucis prius lachrymis effusis melius sibi fore mortem quamlibet pati, quam talem vitam in tantis calamitatibus & contumeliis viuere dixerunt. Constituto itaque die & loco, quo omnes cum Saxonibus conuenirent, & de libertate communi, quam sibi videbant irreptum iri, communiter agerent, ita sunt singuli ad sua reuersi, quasi nunquam amplius ad Regis seruitium venturi.

Dedi Marchio.

Igitur non longo tempore transacto, magni paruique, sicut constitutum fuerat, ad villam, quæ Nockmeslouo vocatur, omnes conuenerunt: cur autem tam magnus conuentus in paruo loco factus fuisset, non omnes agnouerunt. Tunc Otto, qui Dux olim fuerat, sed adhuc Ducis nomen habebat, omni congregata multitudine, collem à quo loquens, ab omnibus audiri posset, ascendens, fieri silentiũ postulauit, quo facto, cum omnes arrectis starent auribus, huiusmodi sermonem incepit: *Quare vos, ô milites optimi, Principes vestri tam frequentes in hunc locum conuenire rogassent, licet omnes fere singuli agnouistis, tamen vt nullus vestrum sit, qui se nescium possit asserere, visum est nobis, vt vniuersi causam pariter agnoscatis. Calamitates & contumeliæ, quas singillatim vobis omnibus Rex noster tam per multa tempora fecit, magnæ sunt & intolerabiles; sed*

Nockmeslou.

quas adhuc (si Deus omnes permittet) facere disponit, multo maiores sunt & grauiores. Castella fortia (sicut vos scitis) in locis natura munitis plurima construxit, tbiq; suorum fidelium multitudinem non modicam vniuersis armorum generibus instructam collocauit. Quæ castella, cum non contra paganos (qui nostram terram, quæ sibi confinis est, totam vastauerunt) sint fabricata, sed in medio terræ nostræ, vbi nemo ei vnquam bella cogitabat inferre, tanto molimine sint munita, quid portendant, & ex parte iam plurimi estis experti, & nisi misericordia Dei vestraque virtus prohibuerit, cito omnes experiemini. Bona vestra, qui iuxta manetis, vobis inuitis in ipsa castella deportantur: filiabus vestris & vxoribus pro sua libidine, quam diu volunt, abutuntur: vestros seruos & iumenta quicquid volunt sibi seruire præcipiunt, immo & vos ipsos in liberis humeris vestris quælibet onera, licet fœda, portare compellunt. Sed quando ea, quæ futura sunt, mente concipio: ista quæ nunc toleratis, tolerabilia puto. Postquam enim sua castella per totam terram nostram pro sua voluntate construxerit, & ea militibus armatis & rebus cæteris ad hoc negotium pertinentibus impleuerit: tunc non amplius iam bona vestra particulatim diripiet: sed vniuersa, quæ possidetis, vobis simul eripiet: & hominibus aduenis vestra bona largiens vos ipsos liberos & ingenuos ignotorum hominum seruos præcipiet esse. Quæ omnia nunquid in vos fieri patiemini, fortissimi viri? nonne emori per virtutem præstat, quam vitam miseram & inhonestam, vbi illorum superbiæ ludibrio fueritis, per dedecus amittere? Serui ære parati iniusta imperia dominorum non perferunt, & vos in libertate nati æquo animo seruitutem tolerabitis? Fortasse quod Christiani estis, sacramenta Regi facta violare timetis. Optime, sed Regi. Dum mihi Rex erat, & ea, quæ sunt Regis, faciebat, fidelitatem quam ei iurani, integram & impollutam seruaui: Postquam vero Rex esse desiuit, cui fidem deberem seruare non fuit. Itaq; non contra Regem, sed contra iniustum meæ libertatis ereptorem: non contra patriam, sed pro patria, & pro libertate mea (quam nemo bonus nisi cum anima simul amittit) arma capio, & vt vos ea mecum capiatis, expostulo. Igitur expergiscimini, & hæreditatem vobis à vestris parentibus relictam, liberis vestris relinquite: nec vestra socordia vel desidia vos & liberos vestros exulum hominum seruos fieri permittite. Sed ne cuiquam vestrum causa non satis vehemens videatur, qua aduersus Regem arma capiamus, præcipue nos, qui ab infantia eum in terra nostra maxime nutriuimus, & ei præ cæteris gentibus sua ditioni subiectis fideles magis extitimus: vnusquisq; suas, quas ab eo passus est iniurias, coram nobis omnibus exponat; & tunc, vtrum satis magna necessitas nos ad iniurias repellendas cogat, iudicium commune decernat.

Werenherus Magdeburgens.

Ergo Werenherus Magdeburgensis Archiepiscopus ciuitatem suam bis à Rege cædibus & prædationibus inuasam dicebat; & præterea communes iniurias se non minus dolere, quam suas, asserebat, & eis, quasi solus omnes fuisset passus, obuiaturum se promittebat. Burchardus Præsul Halberstadensis querebatur, quod prædia cuiusdam nobilis viri, cui nomen Bodo, quæ iure suæ deberent esse Ecclesiæ, Rex sibi abstulisset iniuste. Otto Dux querimoniam fecit, quod Ducatum Bauariæ, quem diu iuste possederat, Rex sibi in nullo crimine conuicto fraude quadam excogitata iniuste rapuerit. Dedi Marchio de prædiis ad se iure pertinentibus, sibi per iniuriam ablatis fecit querelam. Hermannus Comes, quod nuper erat factum narrauit, quod vrbem suam Luniburg hæreditate relictam callide Rex occupauit; & si eam retinere potuisset, totam illam regionem, quam sibi parentes iure dimiserant, non regia potestate, sed iniusta possidere voluit. Fridericus Comes Palatii conquestus est, quod beneficium, quod de Abbatia Heraldesfelde magnum habuerit, iniusta sibi iussione Regis ablatum, centum mansis agrorum à Rege redimere volebat, nec valebat. Fridericus de Monte, & Wilhelmus Rex agnomine, quorum priori libertatem, alteri Rex eripere voluit hæreditatem, vterq; pro se querelam faciebat, quæ cunctos plus aliis querimoniis ad misericordiam commouebat; quod in illis duobus quid vniuersis facere cogitabat, æstimabant: quod scilicet omnibus, si posset, libertatem simul & possessiones auferre disponebat. Deinde cæteri suas quisque proferebant, quas erat passus iniurias: ad quas commemorandas nec pagina sufficit, nec memoria. Omnes ergo, qui ibi conuenerant (conuenerat autem maximus exercitus) figillatim iurauerunt, Episcopi quidem vt quantum saluo ordine suo possent, totis viribus, Ecclesiarum suarum, necnon & totius Saxoniæ libertatem contra omnes homines defenderent. Laici vero, vt quam diu viuerent, libertatem

Burcardus Halberstad.

Fridericus Palatinus.

suam

ſuam non amitterent, terramque ſuam nullum deinceps violenter prædari permitterent.

Nec multo poſt recta via ad Hertesburg, vbi Rex erat, cum magno exercitu perrexerunt, & contra vrbem ita, vt non poſſent videri, caſtra poſuerunt. Quod quum Rex vidiſſet, ſubito quidem ſtupore perculſus expauit: ſed vt erat diſſimulator, quaſi nihil timens, nuntios miſit, qui dicerent, *Se non parum mirari, quid vellet tanta congregatio populi, ſe non putare, quod quicquam contra eos tantum meruiſſet, quare merito ciuile bellum incipere debuiſſent, diſcedere eos ab armis. Si quid quærendum habeant, ſe paratum animo pacato cognoſcere, & ſi quid ſit corrigendum, conſilio Principum & amicorum ſuorum corrigere.* Nuntii autem erant Frithericus Epiſcopus, Bertholdus Dux, Sigifridus Regis Capellanus; Nam mortuus iam nuper erat Adelbertus Bremenſis Epiſcopus. Quibus omnium Saxonum dedit Dux Otto reſponſum; *Se non hoſtili animo, nec vt ciuile bellum vellent incipere, ibi eſſe congregatos: ſe Regi, ſi Rex eſſe vellet, omni fidelitate ſeruituros: ſe petere, vt caſtella, quæ non ad munitionem regni, ſed ad deſtructionem fabricauerat, vellet deſtruere: ſi vero nollet, tunc ſe intelligere, quare conſtructa fuiſſent: ſe libertatem ſuam ſiue bona ſua contra omnium hominum violentiam cum diuinæ pietatis auxilio velle defendere.* Quumque nuncii reuerſi Regi talia retuliſſent, ipſique quamuis multum tentarent, ei quo rogata faceret, perſuadere non potuiſſent; ipſe iam nec amicis familiaribus, quod non vt volebat ſibi conſilium dederant, fidem habuit, ſed omnibus ſemotis, ſolus ſecum quid ageret deliberans, quum nec honeſtum putaret, vt quaſi vi coactus ſubito caſtella ſua per multos annos conſtructa deſtrueret, nec tutum crederet, vt cum paucis, quibus etiam iam minus credere cœperat, cum tanto exercitu ad omnia parato placitum aliquod adiret; paucis quibus ipſum caſtellum commendabat, ſcientibus, noctu Saxoniam deſeruit, & per confraga ſiluarum (quæ ſæpe, dum locos caſtellis quæreret, peragrauerat) fugiens, ad Franciam Orientalem paucis comitantibus venit. Cuius fugam vt Principes, qui cum eo fuerant, agnouerunt, male ſe deſertos dicentes, ad ſua quisq; ſimili fuga feſtinauerunt. Hæc autem fuga facta eſt anno ab incarnatione Domini M LXXIII. 1073.

Poſtquam vero Regis fugam, quæ diu cælari non poterat, Saxones agnouerunt, nil morantes, eos qui hoc caſtellum, quod facile deſtrui non poterat, obſiderent, ibi reliquerunt; cæteri vero ad cætera deſtruenda, quæ non adeo erant fortia, perrexerunt: quidam autem ex ipſis ad Thuringos tranſierunt, & eis totam rei ſeriem innoteſcentes, ipſos in ſuam ſocietatem ſacramentis datis & acceptis adiunxerunt. Quicunq; etiam prius, dum Rex erat in prouincia, ſecum iurare non auſi fuerant, eos iam Rege fugato, aut è terra ſua fugiendo Regem ſequi, aut ſecum pro terra contra Regem iurare compellebant.

His omnibus rite peractis breui tempore, quum Hartesburg caſtellum capere fuiſſet difficilimum, (nam ſi in loco competenti ſtaret, regali palatio locus idoneus eſſet) & illud dimittere fuiſſet omni Saxoniæ periculoſum, quod ſi illic eſcæ tantum comportatæ eſſent, quamlibet ingenti exercitui inſuperabile maneret; aliud caſtellũ æque firmum conſtruxerunt, in quo poſitis per vices præſidiis, hoſtibus auxilia vel alimenta venire prohibuerunt. Sed illi nonnunquam, dum Saxonibus ad nouum caſtellum deferrentur alimenta, ſubito eripuerunt, & intra ſuos muros ea deportari fecerunt. Verũ hæc faciendo, damnum quidem aliquod ſiue contumeliam ſuis hoſtibus intulerũt, ſed exinde magis cautos eos & induſtrios eſſe docuerũt. Ergo ex vtraque parte pene ſingulis diebus fortiter pugnatur, ſed Saxones inde fortiores erant, quod & caſtellum ſuum in altiori mõte poſitum erat, ita vt in illo inferius conſtituto nullus niſi ſub tectis tutus eſſet à iactibus lapidum, & fatigatis noui milites ſuccedebant, & eis alimenta copioſe veniebant, quæ omnia hoſtibus erant econtra. Nam neque facile lapides in altiora mittebant, neq; feſſos ipſos alii ſubleuabãt, & fames acerrimus hoſtis eos nõ parum affligebat; quæ eos dudum deuictos ad deditionem coegiſſet, niſi eis cibos quidam ex Saxonibus furtim miniſtrarẽt, qui prius eis familiares fuerant. Interea Rex ſingulos Teutonici regni Principes ſupplex adiuit, ſe de regno Saxoniæ, quod cum patria hæreditate, cum eorũ omniũ electione ſuſcepiſſet, iniuſte depulſum, flebiliter indicauit, in qua re nõ tam ſibi dedecus factũ, quã illis omnibus

qui in se fuissent despecti, narrauit: ab omnibus auxilium, quo & suam & illorum vindicaret iniuriam, suppliciter postulauit. Sed non multos ipsorũ sermones eius mouebant, quod quantas calamitates Saxonibus intulisset, pene omnes nouerant: præsertim quod eadẽ mala etiam Sueuis & orientalibus Francis inferre voluerat. Tamen suo magis, quam illius honori prospiciũt, eiq; se venturos in auxiliũ hac ratione promittunt, vt Saxonibus ad placitũ conuocatis, vtriusq; partis causas diligẽter agnoscerent, & siquando eum sine culpa violẽter eiecissent, totis eum viribus in regnũ suum restituere laborarent; si vero sua culpa terrã omnibus opulentiis plenã stultorũ consiliis credulus amisisset, ei (si se vellet audire) suaderent, quatenus furore deposito subiectis sibi nationibus iustus & pius, quod esset propriũ Regis, existeret, nec eos, quorũ consilio deceptus erat, amplius audiret. Se contra homines Christianos, innocẽtes sibiq; cognatione propinquos, gratis omnino pugnare denegãt. Quos sermones ideo Rex quasi gratos accepit, quia quod intendebat, fieri non posse cognouit, scilicet vt sine placito Saxoniã cum exercitu violẽter intraret, & eos inuitos suæ ditioni subiectos ex liberis omnes seruos faceret. Misit itaq; nũtios ad Principes Saxoniç, omnia bona promittens, si se permitterent in regnum suum cum bona pace redire. Ottoni Duci, de quo sciebat omnium consilia pendere, honorem iniuste ablatum pollicetur cum augmento restituere, si vellet in honorem pristinum reducere.

Igitur exercitu quidẽ magno, sed non ad præliandũ parato (nisi magna necessitas
1074. cogeret) cõgregato, Kal. Feb. cum Dominicæ incarnationis annus MLXXIV. nuper inceptus ageretur, Saxoniã ingredi disposuit. At Saxones aduentu præcognito, terrã suam defensuri, cum maximo exercitu ad oppidũ quod Nachan appellatur, occurrunt, & a Rege non longius, quam vt vterq; exercitus alterum videre potuisset, castra constituunt. Iam inuicem missi speculatores exercitus vtriusq; virtutẽ diligenter explorant, & vtriq; suis, quod viderant, certissime renuntiant. Erat autẽ Saxonum tam magnus exercitus, vt duplo crederetur esse maior, quam Regis exercitus. Ergo qui erant ex parte Regis, audita Saxonũ multitudine, simul & armorũ instructione, (nam Rex suis dixerat, illos nec equos habere, nec vsum militiæ, sed rusticanos homines bellicarũ rerũ imperitos) cum prius ad præliandum fuissent incerti, quod dignã non videbant causam pugnandi, nunc ad non pugnandum facti sunt certi; quod cũ causa deerant eis copiæ, quibus tantæ multitudini tuto possent obuiare. Missis itaq; Rex (vt Principes sui iubebant) ad Saxones legationibus, promisit se facturũ omnia, quæ vellent ipsi præscribere, dum modo paternã dignitatem, quam pueritiç suæ, malorumq; consiliorum culpa se fatebatur amisisse, nollent sibi denegare. Tunc Otto Dux & cęteri, quibus magna fuerant promissa, persuadent aliis, quatenus hac cum conditione reciperẽt; *castella sua destrueret, nec vlterius ea restauraret: depræda tiones amplius in sua terra nullas exerceret: in Saxonia Saxonũ consilio cuncta disponẽda disponeret, nullamq; extraneæ gentis hominem suis rebus agendis consiliatorem admitteret, & hãc sui expulsionem nunquam in aliquo vindicaret.* Cumq; Rex hęc omnia & his maiora se facturum fidelissime promitteret, exercitu suo dimisso cum paucis ad Saxones transiuit, & cum laudibus & gaudio triumphali deductus Goslariam vsq; peruenit. Huius fœderis inconsulta cõpositio Saxonibus maximorũ malorũ fuit origo. Nam Sueuorũ, qui fœderis iam pridem cũ Saxonibus facti memores cũ Rege cõtra Saxones venire noluerãt, ipsi Saxones, dũ fœdus cũ Rege facerẽt, fuerunt obliti; & ob hoc illis Sueui facti sunt ex amicis fidelibus hostes atrocissimi. Quod si aut illud nõ fecissent, aut in illo faciẽdo Sueuos sibi associassent, & perfidiæ nota carerẽt, & nõ tã multos hostes sæuissimos haberent.

Eodem tamen tempore maximam circa nos clementiã Dei cognouimus, quam nunquam obliuioni tradere debemus. Nam cum tanta esset hyemis asperitas, vt omnes fluuii vel paludes transire volentibus iter terrestre præberent, & cũ viris omnibus contra Regem congregatis solæ mulieres cum paruulis domi relictæ fuissent, pagani nobis semper infesti, totam Saxoniam mulieribus & paruulis abductis poterant in cinerem conuertere, nisi Deus eos mirabili sua pietate, velut genuinæ crudelitatis oblitos, inter proprios fines quasi clausos iuberet quiescere.

Igitur cum Rex exercitu Saxonum comitante Goslariam veniisset, sui non oblitus cœpit occasiones quærere, ne (sicut promiserat) deberet in præsenti castella sua

destruere.

deſtruere. Quem quum moras nectere quidam Principes noſtri viderent, volentes ei placere, ſuaterũt vt illud caſtellum maius, quod manere volebat, alicui de Principibus Saxoniæ quaſi in deditionem traderet, donec populi furor, qui tunc vehemẽter ardebat, aliquantum tepeſceret. Nam populus, vt diueretur, vehementer inſtabat; quod niſi fieret, ſe ſtatim ab integro rebellem fore clamabat. Rex vero in multis anguſtiis poſitus, quid faceret neſciebat; quod nec caſtellum illud deſtruere volebat; nec alicui Principum, qui illud, ſi ſibi quaſi traderetur, ſtaturum promittebant, fidem habebat; & populum, ne recidiua bella reſumeret, valde metuebat. Qua enim virtute pene ſolus in medio exercitu deprehenſus ſe defenderet? vel qua fuga ſe, ſeptus vndiq; ſæuis hoſtibus, abſconderet? Igitur ad ingenium ſuum reuerſus, excogitauit dolum; qui tamen non eum, quem ſperabat tenuit effectum. Nam quibusdam de ſuis antiquis familiaribus occulte præcepit, vt eius tantum propugnaculum ſummatim deponerent, & cum populus hoc viſo totum ſperans caſurum diſcederet, illi à diruendo ceſſarent, & ſic illud paucis rimis reſtauratis integrum ſicut volebat permaneret. Sed illi ſuo labori parcentes vicinos adduxere ruſticos, quos (ſicut erãt iuſſi) iuſſerunt ſummos tantum muros demoliri. Ruſtici vero, quum eius loci poteſtatem nunc accepiſſent, quo multa iam pridem mala paſſi fuiſſent, non quid iuberẽtur, ſed quid iam diu deſideraſſent intendebant, à diruendo nõ quieſcentes, donec lapidem ſuper lapidem non remanere videbant. Ergo regalia ædificia regali ſumptu per multos annos conſtructa, breui tempore deſtruũt, & in tantis mœnibus nec fundamenta non eruta relinquunt. Legati Regis non audent verbum facere, quod & ipſos, ſi quid contradicerent, minantur interficere. Itaq; monaſterium laborioſo opere perfectum deiiciunt vſq; ad fundamentum, totum theſaurum ibi cõgeſtum, ſiue Regis eſſet, ſiue Eccleſiæ, diripiunt, campanas dulciſonas confringunt, filium Regis & fratrem, quos ibi poſuerat, effodiunt, oſſaq; eorum velut quaslibet immunditias diſpergunt, & nihil penitus eius loci permanere permittunt.

Sed Rex cum caſtellum ſuum ſic agnouiſſet adnihilatum, magno quidem dolore cordis intrinſecus conturbatus, ſed eum nullo forinſecus ſigno proteſtatur, quod ſuperfluum putabat his, quos habebat odio, dolorem ſuum monſtrare, cum nõ poſſet in eorum ſuppliciis ad præſens odium ſuum pro velle ſuo ſaturare. Primates autẽ Saxoniæ, cum Regis animum ſcirent nõ immerito, (quamuis ipſe velaret) valde turbatum, omnibus modis eum mitigare quærebant, ſeipſos à conſilii ſiue volũtatis crimine, quocunq; modo iuberet ipſe, purgãdo; & eos, qui crimine erant inuoluti, quacunq; vellet pœna cruciando; ſed nil proficiebant. Nam Rex non tantum illis, qui ſcelus confeſſe fecerant, quantum iſtis, qui ſe a perpetrato ſcelere purgabant, iraſcitur; & dedignans iraſci in ruſticos, in maximos huius regionis homines, furorẽ ſuum ſiquando tempus haberet, accendere meditatur. Interea tamen non quantum volebat, ſed quantum in præſentia valebat, ſuum caſtellum vindicabat, & omnia caſtella, vel quaslibet huius terræ munitiones, præter antiquas vrbes ad honorem regni cõſtructas, dirui imperat. Quod imperium non ex tranquillo rigore iuſtitiæ, ſed ex iracundi pectoris cõmotione turbida proceſſiſſe, hinc præcipue cognoſci potuit, quod caſtella quædam de nullo malo infamata deſtrui, plurima vero de prædis & latrociniis conuicta, ſi pecunia data fuiſſet, intacta manere præcepit. His ita patratis nõ quaſi vllo dolore commotus, vel quicquam mali Saxoniæ cogitans, Martio menſe nondum peracto, Saxoniam reliquit, & ad habitatores Rheni, cæteratumq; Francię partium male læta mente tranſiuit. Fertur vero, à finibus noſtris diſcedens, cum iuramento dixiſſe; *Quod nunquam vellet in Saxoniam amplius redire, niſi prius eam virtutem contraxiſſet, quo poſſet in Saxonia facere, quicquid ſibi libuiſſet.*

Congregatis itaq; illarum partium Principibus, nunc ſingulis, nunc vniuerſis humiliter ſe proſternens, querimoniam facit, dicens, Quod priores ſuæ expulſionis iniuriæ ſibi nunc leues eſſent, iſtas ſibi magnas & inſanabiles videri, in prioribus ſe cum ſuis Principibus fuiſſe deſpectum, in iſtis vero ſuo ſuorumq; deſpectui coniunctum eſſe cœleſtis militiæ, & (quod his maius eſſet) maieſtatis diuinæ contemptum. Nam narrauit eis lacrymans, quod dum ipſorum conſiliis contra ſuam voluntatem cedens, Saxonibus ſuum caſtellum regali ſumtu conſtructũ traderet demoliendum,

illi non solum quod eis permissum erat, illud inhumano more destruerent, sed insuper monasteriũ Deo sanctisq; consecratum, paganis omnibus crudeliores funditus diruerent; campanas, calices, & cætera ad honorẽ Dei collecta, velut profana cõfringerent, vel hostili prędatione diriperent; fratrẽ filiumq; suum, vtrumq; prolẽ regiam, miserabiliter è sepulcris eiectos in ventũ membratim dispergerẽt, & (quod his omnibus magis esset nefandũ) Sanctorũ reliquias ab altaribus sacris execrandis manibus erutas, velut immunditias quasdã per profana loca dissiparent. His omnibus nõ sine largo fletu peroratis, singulorũ pedes osculans orauit, vt si non suam vindicare curarent iniuriam, saltẽ contumeliam Deo Deiq; sanctis illatam remanere nõ paterentur inultam. Ait Saxones non dicendos esse Christianos, qui cum supra dicta scelera in domo Christi facerent, se Christũ nec amare, nec timere monstrarent. Illos vero debere per hoc esse se Christi fideles ostendere, si zelo Christi feruẽtes, eius iniurias nõ dubitarent ipso adiuuante vindicare. Has querimonias & supplicationes, dũ quoties fieret Principum conuentus repeteret, annus integer euoluitur, ante quam sua volũtas, vt in Saxoniam ducere posset exercitum, compleretur. Namq; omnes, qui miserias miserabiles, quas intulerat Saxoniæ sciebant. Quum omne bellum res sit aspera, nec huius belli pateret satis idonea causa, ad differendum hoc bellum quaslibet occasiones quærebant; Quod nisi Rodolfum Ducem Sueuorum, quando cum Rege fœdus inibant (vt supra dictum est) Saxones offendissent, adhuc forsitan Rex copias contra Saxoniam non haberet. Ille enim à Saxonibus, quorum confidebat auxilio, deceptus, Regi quomodo-poterat recõciliatur, & ei primus se cum suis omnibus Saxones hostiliter inuasurum pollicetur. Sed hoc (vt dixi) post annum fiet integrum.

Rodolfus dux Suenia.

Interea missis vero in omnes circumquaque gentes legatis, donando, maiora promittendo, cunctos (si posset) homines Saxonibus voluit hostes efficere, quod non tam eos suæ potestati (quod leuiter fieret sine bello) subiicere, quam funditus ab hominum numero quærebat adimere. Duci Boemorum Wrotizlao Misnã ciuitatem cum omnibus ad eã pertinentibus, promisit, & sic eum, vt suis partibus adiutor esset, asciuit. Luiticensibus paganis crudelitatis, quam semper in Saxones habuerant frena laxauit, & quantum Saxoniæ suis finibus possent adiungere, concessit. Illi vero dixerunt, se Saxones multis bellorum tempestatibus expertos agnouisse, & se raro vel nunquam de bellis eorum gauisos fuisse: sibi suam terram sufficere, seq; si suos terminos defendere valeant, contentos esse. Regem Danorum promissionis iuramento confirmatæ commemorat, seque illi daturum cuncta, quæ fit pollicitus, affirmat. Philippum Latinæ Franciæ rectorem multis pollicitationibus sollicitat, vt antiquæ memor amicitiæ sibi, quandocunque vocatus fuerit, in auxilium veniat. Sed ille similiter à suis accusatus, & pene paterno solio depositus, vix suum honorem cui adhuc hærebat, se dixit retinere: nedum isti suum, à quo penitus ceciderat, tentaret reponere. Willehalmum gentis Anglicæ Regem hac conditione suum vocauit in auxilium, vt ei vicem redderet æquam, si se vnquam haberet necessarium. Ille vero respondit, se terram illam bellorum violentia peruasisse, & ideo si reliquerit eam, ne posthac recipiatur in ea formidare. Willehalmum Ducem Pictauorum, matris suæ germanum, sororis suæ filio rogauit misereri, sibiq; ferre auxilium, quo posset in regnum patris sui, quo careret, iniuste restitui. At ille tantas Francigenarum Normannorum, vel Aquitanorum virtutes inter se & illum esse respondit, vt nullo ingenio per tantam fortitudinem cum exercitu transire potuisset.

Wrotizlaus dux Bohemia.

Philippus rex Gallie.

Wilhelmus rex Anglie.

Wilhelmus dux Pictauin.

His omnibus præter Boemos fraudatus, cum de gentibus exteris vires satis magnas contra Saxones non haberet, pessimum (quod optime sciebat) consiliũ inuenit, vt Saxoniam diuideret, & Saxonibus cõtra Saxones pugnaret, vt quælibet pars victa iaceret, ipse victor exultans triumpharet. Principes igitur Saxoniæ sigillatim iubet ad se venire, causam fingens aliquam grandem, quam dicebat eorũ consilio se velle terminare. Illi nil dubitantes quo sunt vocati venerunt, quo nec venire cessarent, si nullius causæ interpositione simplici præcepto Regem adire iussi essent. Sed venientes singulos primum blandus accipiebat, quumq; iam secũ aliquandiu starent, animum suum eis aperuit, & eos, vt se ad opprimendam Saxoniam pro viribus suis adiuuarent; & hoc ipsum nulli proderent, iurare cogebat, quod nisi statim facerent, ab

eo recedere non volebant. Inde factum est, vt in nostra parte pater, in aduersa filius esset; hinc frater vnus, illinc staret alius. Multi etiam de maioribus, qui bona in vtrisque regionibus habebant, vt vtraque seruarent, sponte sua hic relicto filio seu fratre ad Regem transibant, vel ipsi hic remanentes fratres vel filios ad Regem transmittebant. Plerosque militaris ordinis ad se eodem modo vocabat, & prout cuiusque animum cognoscebat, minis siue promissionibus ad bellum ciuile sollicitabat. Etiam famulos ad se vocatos non dedignatur orare, vt vel interficiendo vel deserendo dominos, mererentur libertate donari, vel etiam domini dominorum suorum fieri. Sed hæc omnia occulta erant adhuc. Quod si quis ei suum iurabat adiutorium, iurare cogebatur eiusdem fidele silentium.

Qnid dicam, quod episcopis, quos in suas partes trahere non poterat, huiusmodi dona mittebat, quibus illis episcopatum pariter & vitam adimeret, quatenus his personis daret episcopatum, quæ suæ voluntati præberent ad omnia consensum. Per quendam fallacem monachum Wernero Magdeburgẽsi Archiepiscopo puluerem pigmentarium munus egregium misit, quem contra multas ægritudines salubrem sibi ab Italia à matre sua transmissum esse mandauit. Cuius partem crustæ panis insertam catulo dari præcepit, eumq; sine mora mori vidimus; & quod episcopus talem medicinam non gustauerat, lætati sumus.

Sed postquam hæc omnia famæ loquacitas per Saxoniam cœpit prædicare, & mala futura eodem, quo postea veniebãt, ordine prædicere, plebs quidem (quæ causas nescit) lætatur, & omnes, qui suas terras inuaserint, impetu primo prosternere minatur; at nobilitas magnis angustiis afficitur, dum robur Regis præualidum, suumq; perexiguum subtili rationis examine metitur. Illinc namq; venturos ad pugnã Francos, vtrumq; littus Rheni tenentes, Sueuos, Bauaros, Lotharingos, & Boemos aspiciunt; Hinc vero non nisi Saxoniæ vix tertiam partem inueniũt, quod omnes Westphali, & omnes circa Misnam habitantes Regis auro corrupti à nobis defecerunt. Ipsa quoq; pars tertia secum fida manebat, quod singulos in ea regia promissa assidue sollicitabant. Omnes etiam episcopi præter quatuor, Halberstadensem, Merseburgensem, Pathabrunnensem, aut aperte ad Regem transierunt, aut animo nutanti nobiscum steterunt, vt in quamcunq; partem res prospere cederent, illic securi declinare potuissent.

Eodem tempore multa per Saxoniam signa fieri vidimus, ex quibus mala, quæ post venerũt, præscire potuimus. Quod enim in Magdeburgensi prato vidimus coruos tam acriter inter se pugnantes, vt alii alios iacere dimitterent exanimes, narrare supersedeo, quod sacratiora non minus futurorum præsaga narranda habeo. Episcoporum nostrorum virgæ pastorales in capellis ita madescebant, vt aqua sua manum suam implerent, si quis eas accipiebat. In Stidaraburg erat lignea Christi in cruce pẽdentis imago, quæ eodem tempore tanto sudoris in æstiuis diebus manabat fluuio, vt nec mappulis tersa sudare quiesceret, & vascula nonnulla suscepto sudore impleret. Werinherus Merseburgensis Episcopus, dum sacra Missarum solennia celebraret, & more solito sanguini dominico partem corporis Christi imponeret, fundum calicis pars illa petebat, ac si caro Christi in plumbum versa fuisset. Quidam presbyter in episcopatu Magdeburgensi in villa Weddinge, in neutra parte conuersationis egregius, qui nec vitiorum labe, nec virtutum laude clareret, eximius, dum in sacramentorum confectione venisset ad communionem, calice leuato, vidit vinum non solum spiritualiter, sed visibiliter in sanguinem conuersum; cuius rubore pariter & densitate perterritus, nihil inde sumere præsumpsit, sed in Magdeburg ciuitatem, vbi adhuc venerabiliter seruatur, cum magno timore portauit. Quæ omnia, quid significasse putemus, nisi laborem, quem post experti sumus.

Ergo quum Regis ira longitudine temporis in nos nimis accensa diutius latere non posset, certisque signis, quæ mala nobis cogitabat facere, pateret; tunc Principes nostri singuli & vniuersi pariter legationes assiduas nunc cum literis, nunc sine literis ipsi Regi fecerunt, quibus hoc solum ab eo multa supplicatione petierunt, vt cœtu Principum suorum collecto se coram eis aut culpabiles ostenderet, & conuictos eorum iudicio puniret, aut ipsi suam innocentiam iudicio quolibet ostenderent, &

in eius gratia, sicut hactenus erant, permanerent. Verum quum ab eo nullum pietatis responsum accepissent, & eum de sua tantum perditione modis omnibus tractare cognouissent, ad eos, qui cum eo Principes erant, legationes dirigunt, & eos, vt animum Regis sibi placare velint, humiliter petunt. Ex quibus vnam, quam Magdeburgensis Archiepiscopus Moguntino misit Archiepiscopo, placuit epistolam supponere, vt ex hac omnes alias, quod omnes vnius modi erant, quilibet possit agnoscere.

Domino Sigefrido Christi sanctissimo sacerdoti, Werinherus licet indignus sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & cum eo omnes Saxoniæ Præsules, Duces & Comites, & vniuersi simul clerici & laici, magni vel parui, orationem deuotam pariter, & seruitutem subiectam. Multiplices & magnæ tribulationes, quæ nos nostris peccatis exigẽtibus, irremediabiliter (nisi pietas diuina subuenerit) affligunt, omniũ qui vel Deũ timent, vel se homines esse cognoscunt, misericordiã suppliciter quærere nos cõpellunt. Vnde quod vestrã excellentiam Deum timere pariter & amare cognoscimus, specialiter ad almitatis vestræ misericordiã confugimus, humiliter orantes, vt pro ipso Dei timore causam nostrã iuste pensetis, & si iusta fuerit inuenta, misericordiæ vestræ nobis auxiliũ ipsius amore iustitiæ (quæ Christus est) tribuatis. Dominus noster Rex, postquã factus adolescens, abiecto Principũ suorũ consilio sui iuris esse cœpit, & eorum, qui nec æquũ nec bonum consideraut, magisterio se subdidit, semper nos insolito more quærebat opprimere, bona nostra nobis eripere, suis q; familiaribus ea concedere, nõ ob aliam culpã, nisi quod illi domi parum vel nihil habebant, & terram nostrã fructuosam videbant. Itaq; munitiora nostræ regionis loca fortissimis castellis occupauit, in quibus armatos nõ paucos cõstituit, qui nos aut seruiliter sibi seruire cõpellerent, aut libertatẽ defendere volentes occiderẽt. Vbi quãta pericula, quantas contumelias, quanta damna in nostris corporibus, in nostris vxoribus, in nostris possessionibus passi sumus, & qualiter inde nos ad tẽpus misericordia Dei liberauit, quod vobis notum esse credimus præterimus. Post quã vero tẽpestate tanta misericordia Dei sedata pacẽ & gratiam suã nobis reddidit, nihil nos scimus cõtra eũ fecisse, vnde merito debeat in nos recidiua bella mouere. Prædia quæ querebatur ablata, legatis ipsius reddidimus, donec ipsi legati dixerũt: nihil esse reliquũ, quod reddere deberemus. Castella vel cæteras munitiones, quas in nostris partib. destrui præcepit, omnes cõfregimus, nisi quas ipse nobis nolentibus stare permisit. De monasterio suo destructo, vel de sepulcris filij vel fratris sui violatis, & ossibus eorũ dissectis, cum qualiter factũ sit audieritis, quod nos sumus innocentes agnoscetis. Ipsius castelli, vbi hæc acta sunt, destructionem nulli nostrũ credere voluit, sed hanc operã suis famulis & familiaribus iniunxit: quis negligentes & pigri, quo citius quod erant iussi, peragerent, omnes rusticos, qui in illa vicinia erãt, conuenire fecerant, & eis demolirẽdi castelli potestatẽ dederunt. Rustici vero, sicut rustici imperiti, & ab eodem castello multa mala perpessi, cum nullus adesset qui castigaret, nihil in ipso voluere relinqui, quo iterum deberet renouari. Postea sæpius domino nostro Regi legationẽ sicut humiles serui cum multa supplicatione misimus, vt si quid in illa vel qualibet causa contra eum fecisse videremur, Principum suorũ iudicio vel negando vel emendando satisfaceremus. Quam legationem quod adhuc vt accipere vellet, nullius auxilio obtinere potuimus; vestræ sanctitati simul omnes pedibus vestris aduoluti supplicamus, vt nobis irã domini nostri Regis mitigare velitis, eiq; suadere, vt quod vni faceret homini facere dignetur vniuersæ gẽti: scilicet ne prius nos furore bellico deuastare quærat, quam nos corã Principibus suis criminosos, & crimen emẽdare nolentes ostẽdat. Securitatẽ quã vos & alij Principes eius tulerit is, à nobis accipiat, vt ad nos sine bello veniat, & vestro nos iudicio vel puniat, si meruimus, vel in pace cũ gratia sua dimittat. Si innocẽtes inuẽti fuerimus. Sin hoc noluerit, in qualibet regni sui parte Principes suos cõuenire iubeat, ac quotcunque ex nobis adesse voluerit, vt eundi redeundi securitatẽ tribuat, & quicquid vos iudicaueritis de nobis faciendum faciat. Hoc igitur domino nostro suggerite, & ei pro Dei amore suadete, vt nos homines esse cogitet, ne ad periculum animæ suæ nos innocentes perdere desideret. Si vestra sublimitas pigra, vel minus pia in his agendis fuerit, districtum Dei iudicium nostras animas à vobis exigere habebit. Quod si vestrum pium consilium Rex forsitan audire noluerit, rogamus vos & obsecramus, vt saltem vos & vestras instrumentum sui furoris habere non possit: ne dum furori eius ministratis, vitæ vestræ & animæ periculum incurratis. Vale.

Eundem sensum contenentes vel literis vel verbis legationes cunctis ex illa parte Principibus singuli Principes nostri miserunt, & tandem à Rege vix, magis importunitate deuicto, quam pietate mollito responsum hoc acceperunt: *Quod hoc solo modo suam gratiam habere possent, si se suamq; libertatem, & omnia quæ possidebant, potestati*

regia

regi sine omni conditione tradere voluissent. Quod facere renuebant, quod nullius eum pietatis esse sæpe experti fuerant.

Anno igitur & amplius, postquã de Saxonia Rex abiit, euoluto, quum Rex esset Moguntiæ, in Dominicæ Resurrectionis festo Saxonum nuntius illuc cum literis venit, quas Vdoni Treuirẽsi Archiepiscopo, qui missas eo die celebrabat, quũ stans in pulpito faceret sermonem, porrexit, & vt eas omni populo recitaret, & exponeret ex omnium persona Saxonum, pro Dei amore rogauit. Quod quum Rex fieri prohiberet, nuntius ipse literarum sensum cuncto populo breui sermone fidenter exposuit, & omnes qui Deum timerent, ne Saxoniam, priusquã de aliquo crimine conuicta fuisset, armis inuadere vellent, verbis omniũ Saxonum postulauit. Sed Dux Sueuorum Rudolfus, fœderis à Saxonibus cum Rege subito compositi non oblitus, Regem quatenus iniuriam cum Deo, tum sibi suisq; Principibus vniuersis contumeliose factam non sine vindicta dimitteret, instigauit, & ei se cum tota virtute quam posset habere, promisit. Idem cæteri Principes vniuersi fecerunt, aliqui quidẽ multis promissionibus allecti, plures, autem vicinæ mortis necessitate, quam vitare non poterant, adducti.

Quod vbi Saxonibus est auditum, tunc frequentes Regi cunctisq; primatibus legationes miserunt, obsecrantes, vt se cũ ferro nollent innocentes inuadere: quod si in aliquo rei maiestatis regiæ ostenderentur, ad ipsorũ arbitrium parati essent pœnas dare. Tunc Rex Archiepiscopo Magdeburgensi cum quibusdam aliis suam gratiam mandauit, sibiq; à suis amicis esse consultum, ne totam gentem sine culpa deleret, innotuit, quorũ consilium se velle dixit audire, si isti vellent à suis inimicis discedere, sibiq; Burchardum Halberstadẽsem Episcopum, Ottonem Ducem, Fridericum præfectũ Palatii, cũ cęteris quos adhuc quęreret, traderet. Cui legationi, cũ cõsensu ipsorũ qui poscebantur, est responsum, vt ipsi ei hac conditione præsentarẽtur, quatenus sub vtrorũq; Principum iudicio starent, vt eos illorũ sententia vel conuictos damnaret, vel innoxios Regis gratię cũ tota Saxonũ gente conciliaret. Sed Wilhelmus Rex agnomine, & Frithericus De monte, quũ viderent aperte iã bellum cœpisse, Sacramenti q; cũ cæteris Saxonibus fecerant obliti, multarũq; calamitatũ quas ipsi fuerãt passi, nec non q; ipsi causa principalis erãt incipiẽdi belli patriã infideles deseruerũt, & infideliores ad hostẽ patriæ Regẽ noctu trãsfugerũt. Nã postea nec ciues nec hostes eis fidem habebant, & apud vtrosq; viles & infideles, despecti & miseri erant.

Ergo Rex cum toto quem poterat habere exercitu, iuxta Beringa venit, ibique positis castris consedit, at ex alia parte Saxones circa Nechilstedi sua castra locant, & dum Rex eos ad concilium vocet, expectant. Quumq; verba quibus suos accusatos volebant expurgare disponerent, aderat nuntius Regis, qui Regem cum Saxonibus non verbis, sed ferro disputare velle dicebat, & hũic disceptationi diẽ crastinum determinabat. Nondum bene nuntius ille verba finierat, quum veniens alter, Regem cum toto exercitu aduentare dicebat. Quod primo non credentes, vbi nimis verum esse cognoscunt, quod nec consilii locus erat ineundi, nec exercitus ad prælium ordinandi, quod ex improuiso deprensi solent facere, pauci quibus vel animus, vel arma fuerant in promptu fortiter ibant ad pugnam, plures vero, quibus longe vel animus vel arma erat, vertuntur in fugam. Verum ipsi pauci qui ad prælium perstiterũt, bene quantum poterant vel suam, vel illorum qui fugerant vicem peregerunt. Nam nisi Deus ibi superbiam nostram humiliare decreuisset, paucissimi nostri totum exercitum illum in fugam vertissent: Postremi enim illorum nescientes, quod nostrorum pars maior fugæ se dedisset, cœperunt etiam ipsi fugæ præsidia quærere, & nisi illi nostrorum fugam prius agnouissent, fugiendo nobis victoriam reliquissent. Quem cui belli casus daret occidere, nec ipsis qui occidebant dabatur agnoscere, q; tanta puluueris facta commotio, vt cuiquam vix inter ciuem & hostem posset esse discretio. Hoc tamen comperimus, quod Vdo noster Marchio consobrinum suum Rodolfum Ducem gladio fortiter percussit in faciem, & nisi nasus galeæ dependens fideliter defenderet partem capitis eius superiorem penitus abscidisset, fratres in illo prælio fuere diuersi, patres contra filios, nec non & alii affectus erant contra se diuisi. Sed si quis scelus in suo propinquo faceret, à nemine poterat sciri,

ſequiſſimum quidem fuit illud prælium, ſed breuiſſimo tempore peractum, Nam noſtri numero quam pauci, ſed virtute multi (ipſi enim hoſtes nunquam tantos ictus gladiorũ ſe fatebantur audiſſe) poſtquam ſe à ſuis deſertos eſſe viderunt, & ipſi multos occidendo fatigati fuerunt, ex paucis pauciores, paulatim ſe à periculo ſubtraxerunt, Regique victoriæ quidem gloriam, ſed cum multa ſuorum ruina reliquerunt. Nam cum noſtris ex partibus, ex ſummis Principibus Geuehardus Comes, ex mediis vero Folcmarus, & Suidgerus cecidiſſent, ex illa parte iacuerunt octo primates, non minus ipſo Rege nobiles. Hoc prælium primum factum eſt anno Domini 1071. MLXXV. Idus Iunii. fer. III.

Ergo Rex adepta cum multo ſuorum cruore victoria, aliquot dies intra ſua caſtra manebat, donec eos quos de ſuis metus diſperſerat, recollegit, & mortuos ſuos vel ſepeliri vel in patriam ſepeliendos fecit deportari. Deinde Saxoniam nimis lætus intrauit, quam ſic proſtratam vt vlterius non reſurgeret, æſtimauit. Obuia quoq; prædando diripuit, aut incendio conſumpſit. Si pagani nos ita viciſſent, non maiorem in victos crudelitatem exercerent, fœminis nil profuit in eccleſias fugiſſe, vel illuc ſuas res comportaſſe. Nam viri per ſiluas diffugerant, vel vbicunq; ſpem ſalutis inuenire latendo potuerant, fœminas in ipſis Eccleſiis, etiam ſi fugiſſent, ad altare, corrumpebant, ſuaq; libidine barbaro more completa fœminas cum Eccleſiis comburebant. Principes vero noſtri diuerſas munitiones intrauerunt, & inde legationes Regis Principibus obuiam miſerunt, obſecrantes vt vel nunc Deo de ſua gloria gratias agerent, & fratribus ſuis in Chriſto, pro Chriſti nomine, vel victis parcerent. Quarum legationum quaſdam ſupponere complacuit, vt ex his lector cæteras, quod omnes eundem ſenſum habeant, agnoſcere poſſit.

Sigifrido Maguntino & Albero Wirceburgenſi præſul. Sanctiſſimis Werinherus ſolo nomine Magdeburgenſis Epiſcopus, quicquid humilius poteſt & deuotius. Quia vos duos duorum præceptorum Dei flamma plus aliis feruere non dubito, ſpecialiter ad vos duos confugio, rogans & obſecrans vt in hoc perfectam Dei caritatem, ſicut confido vos habere, probetis, vt in miſeros fratres miſericordiæ viſcera miſericorditer habeatis. Cogitate quod, ſicut vos melius quam ego nouiſtis, quicquid alicui gratia diuina largitur, hoc ei vice talenti, de quo ratione venturo iudici reddat, imputatur.

Itaq; quod vobis familiaritatem coram Domino noſtro Rege, Regis cæleſtis miſericordia voluit concedere, ſic ipſam familiaritatem facite cunctis qui veſtro indigent auxilio, prodeſſe, vt & omnis qui veſtro ſubleuatus fuerit auxilio, de veſtra felicitate gaudeat, & ipſe Deus æternam mercedem vobis pro lucro talenti tribuat. Inprimis igitur meam cauſam cum Domino noſtro dignetur miſericordia veſtra miſericorditer tractare, ſcilicet quod ſemper volui & volo pro viribus meis & vltra vires eius honori ſeruire. Quod ſi me forte maieſtas eius accuſat, quod nuper quaſi pugnaturus cum eo venerim: Hoc quod ipſa veritas (qua Chriſtus eſt) nouit verum eſſe, reſpondete, me nulla pugnandi cauſa veniſſe, ſed ob hoc ſolum, ſicut coram legatis eius fuerat conſtitutum, vt eos quos in noſtris partibus ſuos vocauerat inimicos, volentes ſine nolentes ei præſentarem, quatenus veſtro aliorumq; Principum iudicio vel in crimine deprehenſi iuſto ſupplicio ſubiacerent, vel innocentes inuenti, vobis intercedentibus gratiam eius reciperent. Quorum cauſam quod non dignatus eſt accipere, quid me niſi (ſicut feci) decebat abſcedere? ſi alias mihi quaslibet culpas imponet, ne longum faciam, veſtram aliorumque eiuſdem ordinis virorum patiar ſententiam. Deinde domino noſtro Regi dignetur almitas veſtra ſuggerere, vt recordetur, ſe cæleſtis Regis vicem ſimul & nomen habere, qui dicit ſe miſericordiam magis velle, quam ſacrificium: & qui venit non vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Quatenus Deum ſic recogitans eum cuius nomen habet actibus ſtudet imitari, mereatur in regno cæleſti beatitudinis gloria æternâ coronari. Per totum fere annum literis aliisq; legationibus noſtris, omnes fere Principes regni ſuppliciter adiimus, & vt nobis copiam coram veniendi acquirerent orauimus quatenus eorum iudicio vel noxii damnaremur vel innoxii ſolueremur. Quod quia nunquam impetrare potuimus, iterum vos & omnes Dei fideles ſuppliciter oramus, vt ſaltem nunc poſt quam iram ſuam noſtro cruore ſatiauit, poſtquam Deus illi (ſicut oportebat) honorem donauit, furorem deponat, Deo gloriam reddat, & quod ante ſanguinem effuſum feciſſe poterat, nunc tanto ſanguine fuſo faciat. Det nobis locum, vbi vobiſcum, & cum Rodolfo, Berchtaldo, Godefrido Ducibus conuenire poſſimus, & in quacunq; re vobis culpabiles eſſe videbimur,

bimur, omni volantate noſtra depoſita veſtræ prudentiæ iudicium volentes patiemur. Nulla fuit vnquam in quolibet pagano tanta crudelitas, vt quos ſine omni labore vel periculo, ſine damnatione ſubdere potuiſſet, non ſine ſuo ſuorumque periculo ſibi ſubiicere vellet. Quod ſi noſtrum ſanguinem, dum nihil eius ſuperſit, laborat effundere, cogitet hoc non facile fieri poſſe, ſine ſuorum aliqua commixtione.

Itaque ſi nobis nullam miſericordiam facere diſponit, ſaltem ſuorum manibus & gladiis parcere velit. Hæc igitur, & ſi qua potueritis aptiora, Domino noſtro ſuggerite, eique vt Deum timeat, populumque (cui rector eſt datus) non perdat, ſed cuſtodiat, ſuadete, vt & ille ſi vos audierit, & vos ſi bene ſuaſeritis, æternam mercedem recipiatis.

Dominis & ſacerdotibus ſanctis, cæteriſque viris eiuſdem virtutis & ordinis W. plenus omni miſeria, æterna participari miſericordia. Quamuis omnes ſupplicationes, quas veſtræ paternitati verbis vel literis feci, nihil adhuc mihi videam profuiſſe, tamen iterum veſtræ pietati non ceſſo ſupplicare, vt ſi vos nec mea innocentis calamitas, nec quæ vel nocentibus ſolet miſereri, flectit vlla pietas, ſaltem vos tædio ſuo mea vincat importunitas. Per omnipotentis igitur Dei clementiam vos rogo pariter & moneo, Præſules ſanctiſſimi, vt in me vos ipſos conſiderare dignemini, & me non ſolum in nullo crimine conuictum, ſed nec de vllo crimine compellatum condemnari ne patiamini.

Culpa mihi prius imponatur, defenſionis mihi locus donetur, vbi vel nocens veſtro iudicio dignum cogar ſubire ſupplicium, vel innocens veſtrum ſub gratia Domini noſtri merear habere conſortium. Quis enim fuit vnquam iuſte prius damnatus, quam de aliquo crimine fuiſſet accuſatus? Nondum mihi cognoui culpam quamlibet imponi, & iam quaſi criminum plurimorum conuictus pœnas ſæuiſſimas dedi.

Quod ſi me quisquam Domino meo fuiſſe vel eſſe perfidum criminatur, non minus quam qui dixit Domino, Dæmonium habes, mentitur. Hæc igitur cum Domino noſtro clementer tractate, & vt ſe Regem eſſe cogitet ſuadete, & vnde Rex ſit appellatus, edocete. Veſtra quoque ſapientia dignetur ſecum penſare, cuius vel quanti criminis ſit Eccleſiarum bona vaſtare, ipſas Eccleſias polluere, vel incendere, & ſi vllum vel magnum crimen eſſe videatur, in hoc vos Domino noſtro fideles eſſe probate, vt dum eum ab iniuſto reuocatis, eius animam ab incendio gehennæ liberetis, Ne dum ille externa ſanctorum bona iniuſte deuaſtat, internis bonis ſanctorum gratia priuatus, iuſte careat. Recordetur etiam prudentia veſtra, quod mortem minatur Apoſtolus, non ſolum morte digna facientibus, ſed etiam conſentientibus.

Fridericus vero Monaſterii præſul venerandus, quod de noſtris partibus erat oriundus, & Magdaburgenſis Eccleſiæ fuerat olim Canonicus, Archiepiſcopo Magdeburgenſi literas miſit, quibus eũ commonuit, vt quocunq; modo poſſet, pacem facere cum Rege ſatageret. Quibus literis has literas Magdaburgenſis Archipræſul remiſit:

Sacerdoti Dei F. ſanctiſſimo, W. eo quod vocatur indignus, deuotos fraternæ ſeruitutis affectus. Quamuis eo mœrore quem noua tribulatio genuit, ita ſim plenus, vt in penetrabilibus cordis mei nullus vlli gaudio poſſit inueniri locus, conſolationis tamen veſtræ literas vt accepi, non parum lacrymas mœroris repreſſi, quod nonnullum lenimen doloris habeo, quum vel vnum fratrem fraterno dolore dolere video.

Tunc autem ſolido gaudio gauderem, ſi vos ſicut tribulationem quam ſumus experti, ſic innocentiam noſtram conſiderare viderem, vel ſi conſilium quod mihi de facienda pace datis, vt ipſa re fieret, adiuuare poſſetis. Vt enim à Rege noſtro, cunctisque regni Principibus, maximeque ab Epiſcopis noſtris confratribus igni ferroque terra noſtra vaſtaretur, quod crimen noſtrum tale præceſſit? vel ſi vllum fuit, in quo concilio ſacerdotum, in quo palatio Principum declaratum patuit? quando vocati ad ſatisfactionem venire contempſimus? à quibus accuſati & conuicti ſumus? Immo poſtquam Domini noſtri Regis iram, licet ſine cauſa, in nos exarſiſſe cognouimus, ſingulos Principes, ſacerdotes & Laicos ſcriptis & dictis ſuppliciter oranimus, vt coram veniendi copiam nobis impetrarent, quatenus aut criminoſi ipſorum iudicio damnaremur, aut ſine crimine cum pace & gratia Domini noſtri dimitteremur. Quod quum nobis nihil prodeſſe videremus, ipſi Domino noſtro legationẽ ſicut humiles ſerui ſæpe fecimus, ſupplicãtes vt nos vel in crimine deprehẽſos iudicio Principũ palam damnaret, vel ſine crimine repertos

gratiæ ſuæ ſerenitate donaret. Hac igitur de culpa terram noſtrã ſanus vaſtator inuaſit, & igni ferroq; pene deſertã reddidit. Quod ſi ſoli Laici in illo exercitu fuiſſent, forſitan Eccleſiis & Eccleſiaſticis rebus pepercíſſent. Nunc vero quod quamplurimi ſacerdotes aderant, nulli ſacræ rei parcebant, ſed Eccleſias quas vel ipſi vel fratres eorum conſecrauerant, igne nefario ſuccendi videbant, nec contradicebant. Quid igitur tunc laici facerent, quum Epiſcopos vt talia fierent conſentire vel etiam inſtigare viderent. Sed vt hæc geſta ſint, quamuis ante ſimus vltra modum puniti, quam aliquo modo in culpa qualibet inuenti, quamuis ab illis ſimus cæde & incendio ſine culpa vaſtati, à quibus nos oporteret vel in aperto crimine defendi: tamen de facienda pace conſilio veſtræ pietatis acquieſcimus, ſi eam fieri poſſe ſine maiori damno noſtro viderimus. Illarum partium Principes in aliquem locum, quo nos tuti poſſimus occurrere, veniant, nosq; ſua ſapientia quid nunc acturi ſimus edoceant, quod quicquid eis placuerit, dum modo nobis vel poſteris noſtris non noceat, noſter conſenſus concorditer implebit. Quod ſi paternitas veſtra ſuſcipiens hanc operam opere complebit, cum cæleſti præmio nos omnes fideles ſemper amicos habebit.

Ipſo tempore Deus omnipotens vrbi Magdeburgenſi per ſanctorum merita, qui ibi plures habentur, magnam miſericordiam oſtendit, & ipſam vrbem, totumq; illud Epiſcopium à crudeli Regis inuaſione ita mirabiliter defendit, vt nulli qui hoc cognouit, liceat dubitare, ipſorum meritis Sanctorum, tunc illam ciuitatem incolumem permanſiſſe. Nam cuidam ancillæ Dei ante prælium per viſionem fuerat reuelatum, ſi caput S. Sebaſtiani, quod in eadem ciuitate cum multa veneratione habetur, circa terminos Epiſcopii fuiſſet portatum, eoſdem terminos nullus poſſit intrare hoſtium. Quod quum ipſa Meinfrido eiuſdem vrbi Præfecto, & Præfectus, antequam exirent ad bellum, nobis audientibus archipræſuli noſtro retuliſſet, peracto iam prælio, caput ipſum omnes terminos noſtros, antequam Rex veniret, circuire fecimus, & ita eſſe ſicut ancilla Dei prædixerat, ex ipſo rerum euentu comperimus. Nam vbicunque Rex ad ipſos terminos venit, diuino nutu perterritus, rediens nuſquam illud Epiſcopium intrauit.

Sed quum Rex exercitu comitante veniſſet Goslariam, ibique à quibuſdam noſtris Epiſcopis triumphali ſuſceptus eſſet gloria, ab amicis ſuis, quid ſibi foret agẽdum quæſiuit, & vix quod ſibi vtile eſſet inuenire potuit, Nam conſilium quod ei dederunt pene omnes, vt Deo de victoria ſua gratiam ageret, & Saxones in pacem & gratiam ſuam ſicut Rex Chriſtianus reciperet, non accepit: Quod vero ipſe ſolus volebat, vt ſtatim cunctos ſuæ ſeruituti ſubiiceret, ad præſens implere non potuit. Nam nec Principes omnes capere valebat, quod per diuerſa diſperſi fuerant, nec diu cum exercitu in hac terra manere potuit, quod fames in illo anno nobis tunc vtilis fuerat, & Iulius menſis fruges adhuc maturas non exhibebat, nec vero tutum putabat ſine exercitu tunc in Saxonia remanere. Abiit ergo cum toto exercitu, & Saxoniam (ſicut prius) habuit in incerto. Nam poſtquam receſſit, Saxones iterum congregantur, Deumq; quod eos miſericorditer caſtigans non penitus opprimi permiſerit, humili deuotione collaudant, & ſe inuicem quatenus vnanimiter pro ſua libertate tota virtute pugnent, adhortantur: Deiq; miſericordiam non ex toto ſibi ſublatam inde coniectant, quod quaſi paterna pietate flagellati, ad recipiendam virtutem diſceſſu Regis opportunum tempus acceperant.

Interea Rex totum exercitum iterum congregabat, vt Octobri menſe Saxoniam ingreſſus, fruges, quas Iulio menſe multas in agris viderat, aut vtendo aut cõburendo conſumeret, populumq; totum vel rebellem gladio deuorandum daret, vel humilem perpetuo ſeruituti ſubiiceret. Econtra Saxones magno iam periculo facti prudentes, cum non minore venerunt exercitu, iam non, ſicut antea fugaces terga daturi, ſed fortiter pro libertate pugnaturi ſua, ita vt eã vel Dei auxilio firmiter retinerent, vel cum vita ſimul amitterent. Ergo ambo exercitus in loco qui dicitur Euerha, conuenerunt, & à ſe non loco ſed animo longe fuerunt, Tamen exercitus Regis ad prælium non vt antea promptus erat, quod non (ſicut audierat) imbelles eſſe Saxones expertus fuerat, & magna ſibi pars de priori multitudine deerat. Nam Bertoldus & Rudolphus Duces, poſtquam à priori ſunt prælio reuerſi, diuina pietate compuncti quadrageſimas publice ieiunarunt, & amplius ſe pro Rege contra

Saxonum

Saxonum innocentiam non esse pugnaturos fideliter Deo vouerunt. Tunc illi ad Saxones miserunt, & accepta dataq; fide ad secretum consilium Principes ex vtraq; parte conuenerunt. Ibi illi nostris in sua fide promiserunt, quod si se sponte tradendo Regi vellent honorem facere, & tota Saxonia quieta staret in pace, & ipsi nec in dura, nec in longa forent captiuitate. Fama quoq; testante comperimus, quod Rex suis iurasset Principibus, vt si hoc ad honorem suum perficerent, in principio Nouemb. proximi, omnes ad sua cum pace & gratia dimitteret. Igitur omnes Episcopi nostri, Duces, Comites, cæteriq; maiores, manu fidei ab illis accepta Regiæ potestati se sponte tradiderunt, totumque populum suum valde tristem in patriam redire iusserunt.

Distributis ergo per custodias Principibus nostris, Rex omisso exercitu Saxoniam cum magna gloria ingreditur, & ab his qui domi erant cum maiore gloria suscipitur. Nam sperabant eum (sicut promiserat) cum pace & pietate venire, omnesq; suas iniurias obliuioni perpetuæ tradere. At ille suæ promissionis oblitus, nec Deo pro victoria quam sic leuiter acceperat, dignas laudes humiliter reddidit, nec illam quam tunc habebat gloriam, vnquam se dispositurũ credidit. Quod si Regi Regum se tunc humiliter substerneret, & in victos misericordiam Dei ostẽderet, non solum quos vicerat, Saxones, sed omnes quibus imperabat gentes timere se pariter & amare faceret, & ad illas etiam nationes, quæ sibi non subiacebant, gloriæ suæ famam cunctis laudandam transmitteret. Quia vero crudelitatis antiquæ non immemor, timeri tantum nec amari curabat, nec Saxones sibi fideles, nec alias sui regni nationes deuotas habebat, & ingentem apud exteras gentes laudem, quam posset, habere, perdebat. Amicis enim non minus quam hostibus crudelis fuit, nisi quod in amicos crudelitatem prius exercebat, vt hostes ex hoc cognoscerent, quid sibi futurum sperarent.

Erriberti denique Marchionis, qui Saxonibus nullum fecerat auxilium, sed Regi (vtpote valde propinquo genere) toto animo fauebat, possessiones prius inuadit, easq; Otherico cuidam de suis consiliariis donauit. Hic Othericus de Godesheim oriundus fuit, & quod Dei timorem penitus abiecerat, Godeshetz agnomen habebat, quod vere ex odio Dei venerat, quod illi Regi familiariter adhærebat, Regisq; mentem pro suo velle disponebat. Deinde nostrorum bona captiuorum, quæ ipsis manere debebant integra, si fides fuisset ei integra, suis parasitis largitur, & quæ suis Principibus in nos bona promisit cuncta mentitur. Tunc vrbes & castella, vel quascunq; munitiones adhuc habebat Saxonia, suis sequacibus commendauit, & vt per totam regionem tyrannidem exercerent imperauit.

Eriberti Marchic. Othericum Godesbez.

Natalis Dominici festiuitatem, vbi MLXXVI. annus ab incarnatione Domini inchoatur, conuocatis ad se suarum partium Episcopis, animo non festiuo Goslariæ celebrauit, quod festum salutis humanæ principium, Ottonis occisione nefanda cõtaminare disposuit, quem Christus ad honorem suæ natiuitatis eadem gratia mirabiliter eripuit, qua ad liberandum genus humanum ipso tempore Deus homo fieri voluit. Nam ipsum Ducem Roperto Bauenbergensi Episcopo seruandum commiserat, & Episcopus eum in castello quodam dum ipse pergeret ad curtem regiam, militibus suis custodiendum tradiderat. At Rex illuc Episcopo nescio misit, Ducemque ad se duci præcepit, ita vt temporum vicibus mutatis per noctes irent, & per dies noctium vice quiescerent. Quumque in media nocte à quatuor armatis ipse inermis ductus Goslariam veniisset, & illi per curtem ad syluam tendere voluissent, tunc primum intellexit, quod in sylua se occidere iussi fuissent. Igitur eos rogat, vt sibi ad monasterium orare liceat, quod ei quum fuisset negatum, subito vnius ipsorum gladium comprehendit per capulum, & cum ense nudo inuitis illis ad Episcopi sui custodis cubiculum peruenit, & cum magno strepitu Episcopo expergefacto, rem quæ secum agebatur innotuit, eumque vt se à furtiuæ casu mortis eriperet orauit. Quod quum per oppidum diuulgatum fuisset, Rex eum sicut voluerat, non præsumpsit perdere, sed eum libere per curiam quo vellet ire permisit. Sed ille (sicut erat vir in omnibus prudens) ad consilia Regis frequenter accessit, & sapientia sua breui tempore promeruit, vt quicquid ad honorem Regis pertineret, eius.

1076.

consilio maxime Rex ipse disponeret. Deniq; quem nuper habebat, hostem sæuissimum, eum nunc cœpit habere consiliatorem fidelissimum.

Nos autem vbi Principes illos qui nostros habebant in custodia, Goslariæ esse comperimus, literas eis supplicationum, pro Principũ nostrorum liberatione transmisimus, quæq; ciuitas siue prouincia, pro sui Episcopi siue primatis ereptione. Ex quibus vnam tantum placuit epistolam subnectere:

Domino Vdoni ouium Christi sanctarum sanctissimo pastori, Clerus & populus Magdaburgensis Ecclesiæ deuotionem fidelissimam vtriusq; hominis. Quod tanti viri notitiam familiariter & gratiam nulla nobis adhuc nostræ seruitutis exhibitione quæsiuimus, nosmet ipsos inter nos vehementer accusamus, & nulla nos seruitute nostra vobis vel notos esse factos eo magis erubescimus, quod non promeriti tanta pietatis vestræ solatia in multis nostris tribulationibus accepimus.

Ex omnibus enim tribulationibus, quas vel longus iam nos vsus ferre patienter edocuit, vel quas ipsa nouitas quo insolitas, eo nobis grauiores reddit, nulla nobis vnquam grauior incubuit, quam quod nostro Domino Archipræsule immo patre piissimo per tam longæ captiuitatis ærumnam carere contigit, His præcipue tempestuosis temporibus, in quibus nobis esset maxime necessarius. Sed quod sicut ex ipsius legatione cognouimus, multa vestræ pietatis humanitate fruitur, ita vt se non dolore captiuitatis affici, sed à labore, quo plurimo fatigatus erat, multa dulcedine vestra refici fateatur, omnium quas nos patimur afflictionum libenter obliti, dum caput nostrum gaudere cognoscimus, dolorem membrorum, vel si magnus sit, nullum putamus. Paternitatis igitur vestræ pedibus omnes vnanimiter deuoto corde prostrati, plurimas plurime referimus gratias vestræ pietati, quod dum hanc quæ maxime nos affligebat, curam misericordia vestra mitigastis, omnes alias solicitudines nos ventis in Ercium mare portandas tradere feciſtis.

Quod si diuina fauente clementia solidum nobis hoc gaudium vestra paternitas effecerit, & ad sua citius redire Dominum nostrum suis suorumque supplicationibus adiuuerit, nunquam vos priora nobis beneficia præstitisse pœnitebit, dum & ipsum Dominum nostrum vobis amicum semper ad omnia paratissimum, nosq; omnes non minus deuotos habebitis & subiectos, quam clerum siue populum proprium. Ad quod perficiendum si vestra sublimitas eo quo speramus studio voluerit eniti, sine multo labore credimus id posse fieri, quod hoc certum tenemus, quod ipse tenetur innocens captiuus, & sola suæ salus Ecclesiæ fuit ei causa traditionis suæ. Omnipotens igitur Deus diu vos in hac vita conseruet, Ecclesiæ suæ solatium, & post hanc vitam tribuat vobis sempiternum beatæ vitæ præmium, Vale.

Quum ergo Rex vrbes & omnes in Saxonia munitiones suorum fidelium præsidiis occupasset, & nihil sibi quo minus in Saxonia faceret cuncta quæ vellet putaret obstare, transiuit à nobis in medio Quadragesimæ, obsides multos secum ducens, & apud nos qui tributa de regionibus nostris exigerent, relinquẽs. Quumq; suos fines intrasset, & Duces eius cæteriq; qui fortiter in prælio pugnauerunt, dona triumphalia expectarent, ille munus quod fere cunctis suis fidelibus largiri solitus erat, etiam nunc in præmio virtutis dare parabat, dolensq; quod ex Principibus in prælio non ad votum suum cecidissent, vitam quam per ignauiam eos seruasse credebat, eis per sæuitiam auferre cupiebat. Nam vt solus omnium Dominus esset, nullũ in regno suo Dominum viuere vellet. Itaq; cum tribus fortissimis viris armatis quandam domũ desertam medio noctis intrauit, & illuc vnum ex militibus Rodolphi Ducis secreto introduxit. Qui visis gladiis sibi timuit, quod quo effugeret non habuit. Sed quum Rex multis eum promissionibus oneraret, si Rodolphum Ducem vbi primum sibi daretur opportunitas, occideret, nõ amore promissorum, sed timore gladiorũ præsentium hoc se facturum quasi lætus promisit, suamq; promissionem iuramento cõfirmauit.

Mane autem facto quum Dux de virtute & fide multum laudatus à Rege cum multa suauitate dimissus abiret, ille correptis armis velociter insequitur, & lancea protensa per mediam turbam festinans alto clamore se Ducem occidere minitatur. A militibus vero circundatus, & causam terroris interrogatus, totam seriem negotii, quod in nocte gestum fuerat, exponit, armisq; proiectis ipsi Duci, quid & qua vi coactus iurauisset, innotescit.

Alio

Alio tempore, quum idem Dux Reginam in manu sua à monasterio duceret, Rex sagittario cuidam præcepit, vt eum iuxta Reginam sagitta transfigeret. Sed ab eodem sagittario præmonitus Dux, Reginam non perduxit, sed inuenta qualibet causa festinus ab ea recessit.

Tertia vice quum causæ quædam intra cubiculum Regis agerentur, & actionibus illis Dux cum paucis suis interesset, nunciatum est ei, quod duo Regis famuli ianuam cum nudis gladiis obsiderent, qui Ducem egredientem ex vtroque latere perfoderent. Itaque suos cum gladiis occultis occulte fecit aduenire, & aliquot ex ipsis cubiculum fecit intrare, plurimos vero præ foribus stare. Quumque omnia sicut iusserat essent disposita, cum suis accedens ad ianuam, *Tales*, inquit, *ianitores, Domine Rex, in vestro cubiculo nollem modo vidisse, nec vnquam posthac amplius volo videre.* Hæc loquutus abiit cum magno furore, & dixit (quod & impleuit) quod nunquam vellet vlterius ad Regis curiam venire.

Eodem vel simili dolo etiam Berchtoldum Ducem quærebat perdere, quod hi duo magis eius malitiæ videbantur obsistere. Et quare de duobus tantum eius sæuitiam commemoro, qui nullum de Principibus possum asserere securum tali periculo? Quadam namque die dum ipse cum suis scurris moraretur in cubiculo, & Episcopi cæterique Primates excubarent in vestibulo, fertur illis dixisse, qui conscii & fautores erant suæ nequitiæ: *Ecce isti sunt, qui regni mei diuitias habent, & me meosque omnes in paupertate reliquerunt. Quod si illi de medio fuissent ablati, ego cuncti q; mei familiares cito possemus diuites fieri. Qua propter si viri estis, & diuitias habere cupitis, istos nunc inermes armati fortiter inuadite, & omnia quæ illi possident, accipite.*

Habebat autem in cubili suo semper multas secures lato ferro splendentes, quibus nec clypeus nec galea resistere poterat virtute aliqua. Quod nisi Anno Colonienſis Præsul, ab vno qui cum cæteris facinus erat acturus, paulo ante fuisset submonitus, ea die fuisset perpetratum miserabile facinus.

Verum vt ad priora paulisper reuertar, vbi primum primates nostri deditionem fecerunt, omnes semitas quæ per montes ducunt in Italiam, Rex claudi præcepit, nec vlli homini viam patere permisit, ne rei veritas ad Apostolicum prius veniret, quam ipse per legatos in suum fauorem ipsum Apostolicum traduceret. Deinde misit Romano Pontifici legatos, qui ei intimarent, quod Episcopi Saxoniæ sui ordinis obliti contra se in prælio congressi fuissent, eumque rogarent, vt eos sicut infideles, periuros & belli ciuilis auctores gradu sacerdotali deponeret, quatenus tales per quos Ecclesia pacata regeretur, ipse in eorum locum poneret. Sed Regis legatos ad Apostolicum fama præcesserat, eique seriem rerum gestarum totam veraciter indicauerat.

Misit ergo Regi literas, quibus eum de multis aliis criminibus arguebat, & vt Episcopos à captiuitate dimissos, Ecclesiis bonisque suis integre restitutis remitteret, orabat, & post hæc concilium in eo loco quo venire posset Apostolicus, congregaret, vbi Episcopi vel si digni essent Episcopalem perderent dignitatem, vel iniuriarum quas erant passi Canonicam reciperent satisfactionem. Quod si in his sacris canonibus noluisset Rex obediens existere, & excommunicatos à societate sua repellere, se eum velut putre membrum Anathematis gladio ab vnitate S. matris Ecclesiæ minabatur abscindere. Qua legatione susceptа, & venientibus suis quos miserat Apostolico, confirmata, tristis valde fuit, quod in Apostolica dignitate malitiæ suæ sicut sperabat auxilium non inuenit.

Rex igitur cum suis deceptoribus vna Wormatiam venit, & cum singulis illis binis consilium iniuit, qualiter dignam vicem rependeret illi contumeliæ, quam omnes audierant Romanum Pontificem sibi feciſſe, quod cum se minatus sit excommunicaturum, quum tale quid cunctis temporibus fuisset inauditum. Quumque multa multis modis diu volutarent, tandem quibusdam eorum placuit, vt Episcoporum concilio facto Papam quasi simoniacum communi consensu damnaret, eoque deposito Rex in loco eius vnum de suis amicis constitueret, qui omnia quæ Regi fuissent placita, tota voluntate perficeret. Hoc igitur initio confirmatoque consilio fecit omnes suos Episcopos conuenire, & coegit eos Hildebrando, qui

Romanus Pontifex vocaretur, & non esset, subiectionem & obedientiam interdiceere, & hoc vt postea nullus eorum posset negare, fecit vnumquemque eorum nomine suo prænotato manu propria abnegationem Hildebrando cartis singulis inscribere hoc modo.

Ego N. ciuitatis N. Episcopus, Hildebrando subiectionem & obedientiam ex hac hora, & deinceps interdico, & eum posthac Apostolicum nec habebo nec vocabo. Quod quidem pauci fecerunt, ex animo, qui & auctores ipsi fuere consilii: plures vero literas quidem abrenunciationis mortis timore scripserunt, sed inuitos se fecisse per hoc ostenderunt, quod quum primum data eis opportunitas, Apostolico supplices confessionis literas dirigunt, & se reos ei agnoscunt, sed expurgationem necessitatis obtendunt. Deinde per totam Italiam misit epistolas magnis donis, & maioribus promissis, illius terræ Principes in fauorem suæ partis inclinans.

Itaque nostrates Episcopi solummodo scripto illi renuntiabant, non iuramento, Romanos etiam quamplurimos pecunia corrupit, & vt Hildebrandum ab Apostolicæ sedis honore deiicerent, talibus literis orauit. Ipsi quoque Apostolico plenas contumeliis literas direxit, in quibus vt Apostolicum nomen & sedem cito relinqueret, minaciter præcepit. Hoc autem exemplum est literarum:

HENRICVS *Dei gratia Rex, vniuersæ S. Romanæ Ecclesiæ, Clero & populo gratiam, salutem & omne bonum. Hac fides firma & inconcussa creditur, quæ semper & eadem & præsenti seruatur & absenti, nec diuturna eius cui debetur absentia, nec longi temporis tædio immutatur: Quam talem vos nobis seruare scimus, & gratias agimus, & vt eadem perseueret petimus, videlicet vt (sicut facitis) amicis nostris amici, inimicis nostris inimici iugiter existatis. Inter quos scilicet Hildebrandum monachum notantes, vos in eius inimicitiam excitamus, quod hunc & Ecclesiæ inuasorem & oppressorem, & Romanæ Reip. vel regni nostri insidiatorem comprehendimus, vt in subsequenti epistola sibi à nobis directa pernoscere in promptu est.*

HENRICVS *Dei gratia Rex, Hildebrando. Quum hactenus ex te ea quæ patris sunt expectarem, tibique in omnibus magna fidelium nostrorum indignatione obedirem, percepi à te vicissitudinem, qualem oportebat ab eo, qui vtræ regnique nostri pernitiosissimus hostis esset. Nam quum in primis omnem hæreditariam dignitatem, quæ mihi ab illa sede debebatur, superbo ausu rapuisses, longius inde progrediens regnum Italiæ pessimis artibus alienare tentasti. Nec hac contentus in reuerendissimos Episcopos, qui nobis velut dulcissima membra vniti sunt, manum mittere non timuisti, eosque superbissimis iniuriis, acerbissimis q; contumeliis contra diuina & humana iura (vt ipsi aiunt) exagitasti.*

Quæ omnia quum ego quadam patientia dissimularem, tu hanc non patientiam sed ignauiam æstimans, in ipsum caput insurgere ausus es, mandans quæ nosti, scilicet (vt tuis verbis vtar) Quod aut tu morereris, aut mihi animam regnumque tolleres. Hanc inauditam contumaciam ego non verbis sed re confutandam diudicans, generalem conuentum omnium Regni primatum ipsis supplicantibus habui. Vbi quum ea quæ hactenus metu & reuerentia tacebantur, in medium deducta fuissent, veris assertionibus illorum, quas ex ipsorum literis audies palam factum est, te nullatenus in Apostolica sede posse persistere. Quorum sententiæ quod iusta & probabilis coram Deo hominibus q; videbatur, ego quoq; assentiens, omne tibi Papatus ius, quod habere visus es, abrenuntio, atque vt à sede Vrbis, cuius mihi patriciatus Deo tribuente, & iurato Romanorum assensu debetur, descendas edico.

Hæc series nostræ epistolæ ad Hildebrandũ monachum. Quã idcirco & vobis scripsimus, vt & vobis nostra volũtas, & nobis, immo Deo & nobis vestra satisfaciat caritas. Exurgite igitur in eũ fidelissimi, & sit primus in fide primus in eius damnatione. Non aũt vt sanguinẽ eius fundatis dicimus (quippe quum maior sibi sit post depositionẽ pœna vita, quã mors) sed vt eũ si nolit descendere cogatis, & alium communi omnium Episcoporum & vestro consilio à nobis electum in Apostolicam sedem recipiatis, qui quid iste in Ecclesia vulneraut, curare & velit & possit.

HENRICVS *non vsurpatione, sed pia Dei ordinatione Rex, Hildebrando iam non Apostolico sed falso monacho. Hanc talem pro confusione tua salutationem promeruisti, qui nullum in Ecclesia ordinem præteristi, quem confusionis, non honoris, maledictionis, non benedictionis participẽ nõ feceris. Vt enim de multis pauca & egregia loquamur, Rectores S. Ecclesiæ, videlicet Archiepiscopos, Episcopos, presbyteros, nõ modo nõ tangere sicut Christos Domini timuisti, quin*

sicut

ſicut ſeruos neſcientes quid faciat Dominus eorum, ſub pedibus tuis calcaſti, in quorum conculcatione tibi fauorem ab ore vulgi comparaſti: quos omnes nihil ſcire, te autem ſolum omnia noſſe indicaſti, qua vtique ſcientia non ad ædificationem, ſed ad deſtructionem vti ſtuduiſti. Vt in re B. Gregorium (cuius nomen tibi vendicaſti) de te prophetaſſe credamus ſic dicentem: Ex affluentia ſubiectorum plerumq; animus Prælati extollitur, & æſtimat ſe plus omnibus noſſe, quum ſe videt plus omnibus poſſe. *Gregorius VII. Pp. primus Hildebrandus.*

Et nos quidem hæc omnia ſuſtinuimus, dum Apoſtolicæ ſedis honorem ſeruare ſtuduimus. Sed tu humilitatem noſtram timorem fore intellexiſti, ideoque & in ipſam regiam poteſtatem nobis à Deo conceſſam exurgere non timuiſti, quam te nobis auferre auſus es minari. Quaſi nos à te regnum acceperimus, quaſi in tua & non in Dei manu ſit Regnum vel Imperium: qui Dominus noſter Ieſus Chriſtus nos ad regnum, te autem non vocauit ad ſacerdotium. Tu enim his gradibus aſcendiſti, ſcilicet aſtutia (quod monachica profeßio abominatur) pecuniam, pecunia fauorem, fauore ferrum, ferro ſedem pacis adiſti, & de ſede pacis pacem turbaſti, dum ſubditos in prælatos armaſti, dum Epiſcopos noſtros à Deo vocatos, tu non vocatus ſpernendos docuiſti, dum laicis miniſterium eorum ſuper ſacerdotes vſurpaſti, vt ipſi deponant vel condemnent, qui ipſos à manu Domini per impoſitionem manuum Epiſcoporum docendos acceperant. Me quoque, licet indignus inter Chriſtos ad regnum ſum vnctus, tetigiſti, quod ſanctorum patrum traditio ſoli Deo iudicandum docuit, nec pro aliquo crimine niſi à fide (quod abſit) exorbitauerimus, deponendum aſſeruit. Quum etiam Iulianum apoſtatam prudentia ſanctorum Epiſcoporum non ſibi, ſed ſoli Deo iudicandum deponendumq; commiſerit. Ipſe verus Papa B. Petrus clamat: Deum timete, Regem honorificate. *Tu autem quod Deum non times, me conſtitutum eius inhonoras. Vnde B. Paulus, vbi Angelo de cœlo ſi prædicauerit alia, non pepercit, te quoque in terris alia docentem non excepit. Ait enim:* ſi quis, vel ego, vel etiam Angelus è cœlo, præter id quod euangelizauimus vobis, euangelizauerit, anathema ſit. *Tu ergo hoc anathemate & omnium Epiſcoporum iudicio & noſtro damnatus deſcende, vindicatam ſedem Apoſtolicam relinque, alius in ſolium B. Petri aſcendat, qui nulla violentiã religione palliet, ſed B. Petri ſanam doctrinam doceat. Ego Henricus Rex Dei gratia, cum omnibus Epiſcopis noſtris tibi dicimus: Deſcende, deſcende.*

Quæ literæ quum Domino Papæ in Baſilica Lateranenſi, ſanctæ Synodo præſidenti fuiſſent allatæ, & coram Synodo palam recitatæ, tanta fit in Eccleſia commotio, vt idem legatus niſi inter Apoſtolici pedes defenſionem inueniſſet, membratim laniatus interiiſſet miſerabiliter. Sequenti vero die Dominus Papa coram ipſo ſynodo declarauit, quotiens & quanta manſuetudine Regem de magnis criminibus corripuiſſet, vt Epiſcopos à captiuitate ſolueret: quanta ſuauitate rogaſſet Apoſtolica auctoritate iuſſiſſet: & pro paterna dulcedine quantam ſuperbiæ amaritudinem recepiſſet. Deinde cunctis acclamantibus ne talis contumelia remaneret inulta, omnium conſilio & conſenſu Henricum ſynodali iudicio damnatum, Regisque nomine & honore priuatum anathematis gladio percuſſit, literasq; in regnum Teutonicorum miſit, quarum hoc exemplar ſupponere placuit.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus qui ſe cupiunt annumerari inter oues quas Chriſtus B. Petro commiſit, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Audiſtis fratres, nouam & inauditam præſumptionem, audiſtis ſchiſmaticorum ſceleratam, & nomen Domini in B. Petro blaſphemantium garrulitatem & audaciam, audiſtis ſuperbiam ad iniuriam & contumeliam ſanctæ & Apoſtolicæ ſedis elatam, qualem veſtri patres nec viderunt nec audierunt, quam nec ſcripturarum ſeries aliquando à paganis vel hæreticis docet emerſam. Cuius mali etiamſi quod vnquam poſt fundatam Eccleſiam, & propagatam fidem Chriſti proceſſiſſet exemplum, omnibus tamen fidelibus pro tanto contemptu & conculcatione Apoſtolicæ, immo diuinæ auctoritatis, dolendum foret & gemendum. Qua propter ſi B. Petro claues regni cœlorum à Domino noſtro Ieſu Chriſto traditas creditis, & vobis per manus ipſius ad æternæ vitæ gaudia introitum parare cupitis, cogitandum vobis eſt, quantum nunc de irrogata ſibi contumelia dolere debeatis. Niſi enim hic, vbi per diſcrimina tentationũ veſtra fides & corda probantur, ſocii paſſionũ efficiamini, pculdubio nõ eſtis digni, vt participes futuræ cõſolationis, & filii regni cæleſtẽ coronam & gloriã ſortiamini. Rogamus igitur caritatẽ veſtrã vt inſtanter diuinã miſericordiã implorare ſtudeatis, quatenus aut corda impiorũ ad pœnitentiã vertat, aut reprimendo eorũ nefanda conſilia, quã inſipientes & ſtulti ſint, qui petrã fundatã in Chriſto euertere, & diuina priuilegia violare conantur, oſtendat.

B. Petre Apostolorum princeps, inclina quæso pias aures tuas nobis, & audi me seruum tuum, quem ab infantia nutristi, & vsq; ad hanc diem de manu iniquorum liberasti, qui me pro tua fidelitate oderunt & oditt. Tu mihi testis es, & domina mea mater Dei, & B. Paulus frater tuus inter omnes sanctos, quod tua S. Romana Ecclesia me inuitum ad sua gubernacula traxit, & ego non rapinam arbitratus sum ad sedem tuam ascendere, potiusq; volui vitam meam finire in peregrinatione, quam locum tuum pro gloria mundi, pro seculari ingenio arripere.

Et ideo ex tua gratia, non ex meis operibus credo, quod placuit tibi & placet, vt populus Christianus tibi specialiter commissus, mihi obediat specialiter pro vice tua mihi commissa, & mihi tua gratia est potestas à Deo data ligandi & soluendi in cælo & in terra. Hac itaq; fiducia fretus, pro Ecclesia tua honore & defensione, ex parte omnipotentis Dei patris, & filii, & Spiritus S. per tuam potestatem & auctoritatem Heinrico Regi filio Heinrici Imperatoris, qui contra tuã Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius regni Teutonicorũ & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Christianos à vinculo iuramenti, quod sibi fecerũt vel facient, absoluo, & vt nullus ei sicut Regi seruiat interdico. Dignũ est enim vt qui studeat honorẽ Ecclesiæ tuæ imminuere, ipse honorẽ amittat, quẽ videtur habere. Et quod sicut Christianus cõtempsit obedire, nec ad Deum rediit quem dimisit, participando excommunicatis, & multas iniquitates faciendo, meaq; monita quæ pro sua salute sibi missi, te teste spernendo, seq; ab Ecclesia tua tentans eam scindere, separando, vinculo eum anathematis vice tua alligo, & sic eum ex fiducia tua alligo, vt sciant gentes & comprobent, quod tu es Petrus, & super tuam petram filius Dei viui ædificauit Ecclesiam suam & portæ inferni non præualebunt aduersus eam.

Hisce literis Papalibus ex professo respõsum est à quodã eius tẽporis Theologo (Venetricum Vercellensem quidam putant) cuius scriptum in Fuldensi bibliotheca inuentum edidit Vir. Hactenus.

Deinde non longo tẽpore transacto Dominus Apostolicus, ne Regẽ magis iniuriæ suæ dolore, quã zelo iustitiæ excommunicasse putaretur, has literas ad regiones Teutonicas misit, quibus se iuste eum excommunicasse testatur.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei omnibus Episcopis, Ducibus, Comitibus, cæterisq; fidelibus in regno Teutonicorum Christianam fidem defendẽtibus, salutem & benedictionem. Audiuimus quosdam inter vos de excommunicatione, quam in Regem fecimus, dubitare ac quærere, vtrum iuste excommunicatus sit, & si nostra sententia ex auctoritate legalis censuræ ea qua debuit deliberatione progressa est. Quapropter qualiter ad excommunicandum illum adducti simus, prout verius potuimus (teste conscientia nostra) oculis & intellectibus omnium patefacere curauimus, non tam vt singulas causas (quæ heu nimium notæ sunt) quasi nostro clamore in publicum proiiciamus, quàm vt eorum opinioni satisfaciamus, qui putant nos spiritualem gladium temere, & magis motu animi nostri, quam diuino metu & iustitiæ zelo arripuisse. Quum adhuc in Diaconatus officio positi essemus, perlata ad nos de Regis sinistra actionibus, & multum inhonesta fama, propter spem ac desiderium correctionis suæ sæpe eum per literas & nuntios suos admonuimus, vt à prauitate sua desisteret, & memor clarissimi generis ac dignitatis suæ, vitam moribus quibus Regem & futurum (Deo donante) deceret imperatorem, institueret. Postquam vero ad Pontificatus apicem licet indigni venimus, quum illius ætas pariter cresceret & iniquitas, intelligentes Deum omnipotentem districtius de manu nostra animam illius requisiturum, quanto nobis ad increpandum illum præ cæteris libertas data fuisset & auctoritas, multo sollicitius eum modis omnibus, arguendo, obsecrando, increpando, ad emendationẽ vitæ suæ hortati sumus. Qui quũ sæpe nobis deuotas salutationes & literas mitteret, excusans se, cũ ex ætate quod fluxa esset & fragilis, tũ quod ab his in quorũ manib. Curia erat, multoties male sibi suasũ atq; cõsultũ sit, monita nostra de die in diẽ se promptissime susceptuũ verbis quidẽ promisit, caterũ re & exaggeratione culparũ penitus cõculcauit. Inter hæc quosdã familiares suos, quorũ cõsiliis & machinationib. Episcopatus & multa Monasteria, inductus, per pretiũ, lupis p pastorib. simoniaca hæresi fædauerat, ad pœnitentiã vocauimus, quatenus & bona Ecclesiarũ, quæ per interuentũ tam scelerati cõmercii sacrilega manu susceperãt, venerabilib. locis ad quæ pertinerẽt, dũ adhuc locus esset emẽdãdi, redderẽt, & ipsi p perpetrata iniquitate per lamẽta pœnitudinis Deo satisfacerẽt. Quos dũ ad hæc exequẽda data sibi inducias spernere, & in cõsueta nequitia pertinaciter stare cognouimus, sicut dignũ erat sacrilegos & ministros ac mẽbra Diaboli à cõmunione & corpore totius ecclesiæ separauimus, & Regẽ vt eos à domo sua, à cõsiliis, & omni cõmunione sua sicut excõmunicatos expelleret, admonuimus. Interim vero aggraueſcẽte contra regẽ Saxonũ causa, quũ vires & præsidia regni ex maxima parte à se deficere velle videret, iterũ nobis direxit epistolã supplicẽ & õni humilitate plenã, in qua õnipotẽti Deo & B. Pe. ab nobis valde se culpabilẽ reddens, preces ẽt obtulit, vt quod ex sua culpa in eccles. cansis cõtra canonicam iustitiam

stitiam & decreta sanctorum Patrum factum esset, nostra Apostolica prouidentia & auctoritate corrigere studeremus: atque in ea suam nobis per omnia obedientiam, consensum, & fidele promisit adiutorium. Hoc idem etiam postea à confratribus & legatis nostris, Humberto Praenestino Episcopo, & Geroaldo Ostiensi Episcopo, quos ad illum misimus, ad pœnitentiam suscep-
tus in illorum manus per sanctas stolas quas in collo tenebant, repromitti endo confirmauit. Deinde post aliquod tẽpus commisso cum Saxonibus prælio Rex p victoria, quam adeptus est, tales Deo grates & victimas obtulit, vt vota quæ de emendatione sua fecerat continuo frangeret, & nihil eorum quæ promiserat attendens, excommunicatos in suam familiaritatem & communionem reciperet, & ecclesias in eam quam consueuerat confusionem traheret. Qua de re graui do-
lore percussi, quanquã post contẽpta cælestis Regis beneficia pene omnis spes correctionis eius nobis ablata sit, adhuc tamen animũ eius tentandum fore decreuimus, magis cupientes eum Apostolica mansuetudine audire, quam experiri seueritatem. Itaq; misimus ei epistolas commonitorias, vt meminerit quid & cui promiserit, ne credat se posse fallere Deum, cuius quanto prolixor est patientia, tanto seuerior est, quum iudicare cœperit, ira: neu inhonoret Deum honorantem se, nec potentiam suam ad Dei contemptum, & Apostolicam tentet extendere contumeliã, sciens quod superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Praterea misimus ad eum tres religiosos viros suos vtiq; fideles, per quos eum secreto monuimus, vt pœnitentiam ageret de sceleribus suis: quæ quidem horrenda dictu sunt, pluribus autem nota, & in multis partibus diuulgata, propter quæ eum excommunicari non solum vsq; ad condignã satisfactionem, sed ab omni honore regni
absq; spe recuperationis debere destitui, diuinarum & humanarum legum testatur auctoritas. Postremo nisi excommunicatos à sua participatione diuideret, nos nihil aliud de eo iudicare aut discernere posse, nisi vt separatus ab Ecclesia in excommunicatorum consortio foret, cum quibus potius quam cum Christo partem habere elegit. Sane si nostra monita suscipere, & vitam suam corrigere vellet, Deum testem inuocauimus & inuocamus, quantum nos de eius salute & honore gauderemus, & cum quanta caritate eum in gremium S. Ecclesiæ amplecteremur, vtpote eum qui Princeps populi constitutus, & amplissimi regni gubernacula tenens, catholicæ pacis & iustitiæ defensor esse deberet. Verum quanti ipse aut scripta, aut per legatos missa nostra verba fecerit, eius facta declarant. Qui indigne ferens se à quoquam reprehendi aut corripi, non so-
lum à perpetratis ad emendationem reuocari non potuit, sed ampliori conscientiæ suæ furore arreptus, non prius cessauit, donec Episcopos pene omnes in Italia, in Teutonicis vero partibus quotquot potuit, circa fidem Christi naufragare fecit: dum eos debitam B. Petro & Apostolicæ sedi obedientiam, & honorem in Domino nostro Iesu Christo concessum, abnegare subegit. Quum igitur iniquitatem eius ad summum prodisse vidimus, pro his causis, videlicet primum quod ab eorum communione qui pro sacrilegio & reatu simoniacæ hæresis excommunicati sunt se abstinere noluit. Deinde quod pro criminosis actibus vitæ suæ, pœnitentiam non dico suscipere, sed nec promittere quasi voluit, mentita ea fide quam in manus legatorum nostrorum promiserat, nec non quod corpus Christi, id est vnitatem sanctæ Ecclesiæ scindere non expauit: Pro his (in-
quam) culpis synodali iudicio eum excommunicauimus, vt quem mites non potuimus, vel seueri ad viam salutis (Deo adiuuante) reuocare valeamus: aut si (quod absit) nec districtionis quasi censuram pertimuerit, nostra saltem anima negligentiæ aut timoris discrimini non succumbat. Si quis igitur hanc sententiam iniuste vel irrationabiliter prolatam esse putauerit, si talis est vt sacris regulis intelligentiæ sensum præbere non velit, nobiscũ inde agat, & nõ quid nos sed diuina auctoritas doceat, quid decernat, quid consona vox sanctorũ Patrũ iudicet, patienter audiens acquiescat. Nos tamen non æstimamus quenquã fidelium, qui ecclesiastica statuta nouerit, hoc errore teneri, vt non hoc, & si publice affirmare non audeat, vel in corde suo recte factũ esse perhibeat. Quanquam etsi nos (quod Deus auertat) non satis graui de causa, aut minus ordinate eum huiusmodi vinculo liganerimus, sicut sancti Patres asserunt, non idcirco spernenda esset sententia, sed absolutio cum omni humilitate quærenda. Vos autem dilectissimi, qui iustitiam Dei non pro regia indignatione, non pro aliquo periculo deserere voluistis, fatuitatem eorum qui de execratione & mendacio in consummatione parui pendentes, viriliter state & confortamini in Domino, scientes, quod illius partem defenditis, qui insuperabilis Rex & magnificus triumphator iudicaturus est viuos & mortuos, reddens vnicuique secundum opus suum.

De cuius multimoda retributione & vos certi esse poteritis, si vsque in finem fideles & inconcussi in eius veritate perstiteritis. Propter quod & nos incessanter pro vobis rogamus

Dominum, vt det vobis virtutem corroborari per Spiritum sanctum in nomine eius, & conuertat cor Regis ad pœnitentiam: vt & ipse aliquando cognoscat, nos & vos multo verius amare eum, quam qui nunc suis iniquitatibus obsequuntur & fauent. Qui si Deo inspirante voluerit resipiscere, quicquid contra nos moliatur, semper tamen nos ad recipiendum eum in sanctam communionem pro vt vestra caritas nobis consuluerit, paratos inueniet.

Postea vero vt excommunicationem quam fecerat, amplius confirmaret, has literas misit in Teutonicas regiones:

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei dilecto in Christo frari H. Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Quod ad perferendos labores ac pericula pro defensione veritatis te paratum intelligimus, diuini muneris esse non dubitamus. Cuius hæc est ineffabilis gratia & mira clementia, quod nunquam electos suos penitus aberrare permittit, nunquam funditus labefactari aut deiici finit, dum eos persecutionis tempore quadam vti probatione discussos, etiam post trepidationem aliquam semetipsis fortiores facias. Quoniam autem sicut inter ignauos alium quo turpius alio fugiat, timor exanimat, ita etiam inter strenuos, alium quo fortius alio agat, quo ardentius corrumpat, virile pectus inflammat, Hoc caritati tuæ exhortationis voce curauimus commendare, vt eo magis in acie Christianæ religionis stare te delectet inter primos, quo eos non dubitas victori Deo proximos atq; dignissimos.

Quod autem postulasti te quasi scriptis iuuari, ac præmuniri contra illorum insaniam, qui nefando ore garriunt, auctoritatem S. Apostolicæ sedis non potuisse Regem HENRICVM, *hominem Christianæ legis contemptorem, Ecclesiarum videlicet & Imperii destructorem, atq; hæreticorum auctorem & consentaneum excommunicare, nec quenquam à Sacramento fidelitatis eius absoluere, non ideo necessarium nobis videtur, quum huius rei tam multa ac certissima documenta in sacrarum scripturarum paginis reperiantur.*

Neque enim credimus eos qui ad cumulum suæ damnationis veritati imprudenter detrahunt & contradicunt, hoc ad suæ defensionis audaciam tam ignorantia, quam miseræ desperationis vecordia coopt asse. Nec mirum: mos est enim reproborum ob suæ nequitiæ protectionem consimiles sibi defendere, quod pro nihilo habent mendacii perditionem incurrere. Nam vt de multis pauca dicamus, quis ignorat vocem Domini ac saluatoris nostri Iesu Christi dicentis in Euangelio: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis?

Nunquid hic sunt Reges excepti, aut non sunt de ouibus, quas filius Dei B. Petro commisit? quis rogo in hac vniuersa concessione ligandi atque soluendi, à potestate Petri se exclusum esse existimat? nisi forte infelix ille, qui iugum Domini portare nolens, Diaboli se subiicit oneri, & in numero ouium Christi esse recusat. Cui tamen hoc ad miseram libertatem minime proficit, quod potestatem Petri diuinitus sibi concessam à superba ceruice excutit, quoniam quanto eam quisq; per elationem ferre abnegat, tanto durius ad damnationem suam in iudicio portat. Hanc itaque diuinæ voluntatis institutionem, hoc firmamentum dispensationis Ecclesiæ, hoc priuilegium Petro Apostolorum principi cælesti decreto principaliter traditum atque firmatum, sancti Patres cum magna veneratione suscipientes atque seruantes, S. Romanam Ecclesiam tam in generalibus conciliis, quam etiam in cæteris scriptis & gestis suis Vniuersalem Matrem appellauerunt: & sicut eius documenta in confirmatione fidei, & eruditione sacræ religionis, ita etiam iudicia susceperunt, in hoc consentientes, & quasi vno spiritu & vna voce concordantes, omnes maiores res & præcipua negotia, necnon omnium Ecclesiarum iudicia, ad eam quasi ad matrem & caput debere referri, ab ea nusquam appellari, iudicia eius à nemine retractari aut refelli debere aut posse.

Vnde B. Gelasius Papa Anastasio Imperatori scribens, diuina fultus auctoritate, quid & qualiter de principatu sanctæ & Apostolicæ sedis sentire deberes, hoc modo eum instruxit: Etsi, *inquit*, cunctis generaliter sacerdotibus recte diuina tractantibus fidelium conuenit colla submitti, quanto potius sedis illius præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus & diuinitas summa voluit præminere, & subsequens Ecclesiæ generalis iugiter pietas celebrauit? *Vbi prudentia tua euidenter aduertit, nunquam quolibet penitus humano consilio æquare se quenquam posse illius priuilegio vel confessioni, quem Christi vox pratulit vniuersis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est & ha-*

& habet deuota primatem. Item Iulius Papa orientalibus Episcopis scribens de potestate eiusdem sanctæ & Apostolicæ sedis ait: Decuerat vos, Fratres, aduersus sanctam Romanam & Apostolicam Ecclesiam limate & non ironice loqui, quoniam & ipse Dominus noster Iesus Christus eam decenter alloquutus ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus, & tibi dabo claues regni cœlorum. Habet enim potestatem singulari priuilegio sibi concessam, aperire & claudere ianuam regni cœlestis, quibus voluerit. Cui ergo aperiendi & claudendi cœli data est potestas, de terra iudicare non licet? Absit. Num retinetis, quod ait B. Paulus Apostolus: Nescitis quod angelos iudicabimus, quanto magis secularia? *Beatus quoque Gregorius Papa à sua dignitate cadere statuit, qui Apostolicæ sedis decreta violare præsumpserint, scribens ad quendam senatorem his verbis:* Si quis regum, sacerdotum, iudicum, atque secularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentauerit, potestatis honorisq; sui careat, reumq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat: & nisi ea, quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleuerit, à sanctissimo corpore ac sanguine Domini redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ vltioni subiaceat. *Quod si B. Gregorius doctor vtique mitissimus, Reges, qui statuta sua super vnum xenodochium violarent, non modo deponi, sed etiam excommunicari atque in æterno examine damnari decreuit: quis nos H. non solum apostolicorum iudiciorum contemptorem, verum etiam ipsius matris Ecclesiæ (quantum in ipso est) conculcatorem, totiusq; Regni & Ecclesiarum improbissimum prædonem & atrocissimum destructorem deposuisse & excommunicasse reprehendat? nisi forte similis eius, sicut B. Petro docente cognouimus in epistola de ordinatione Clementis, in qua sic ait:* Si quis amicus fuerit his, quibus ipse (*de eodem Clemente dicens*) non loquitur, vnus est & ipse ex illis, qui exterminare Dei Ecclesiam volunt, & cum corpore nobiscum esse videtur, mente & animo contra nos est, & est multo nequior hostis hic, quam illi, qui foris sunt, & euidenter inimici. *Hic H. per amicitiarum speciem, quæ inimica sunt gerit, & Ecclesiam dispergit ac vastat. Nota ergo charissime, si eum, qui amicitia vel alloquio his, quibus Papa pro actibus suis auersus est, associatur, tam grauiter iudicat: quanta illum ipsum, cui pro actibus suis auersus est, animaduersione damnat. Sed vt ad rem redeamus, itane dignitas à secularibus & Deum ignorantibus inuenta, non subiicietur ei dignitati, quam omnipotenti Dei prouidentia ad honorem suum inuenit, mundoque misericorditer tribuit? Cuius filius sicut Deus & homo indubitanter creditur, ita summus sacerdos, caput omnium sacerdotum, ad dexteram patris sedens, & pro nobis semper interpellans habetur, qui seculare regnum, vnde filij seculi tument, despexit, & ad sacerdotium crucis spontaneus venit. Quis nesciat Reges & Duces habuisse principium? qui Deum ignorantes superbia, rapinis, perfidia, homicidiis, postremo vniuersis pene sceleribus, mundi principe videlicet Diabolo agitante, super pares scilicet homines dominari cæca cupidine & intolerabili præsumptione affectauerunt. Qui videlicet, dum sacerdotes Domini ad vestigia sua inclinare contendunt, cui rectius comparantur, quam qui est caput super omnes filios superbiæ, qui ipsum summum Pontificem, sacerdotum caput, altissimi filium tentans, & omnia illi mundi regna promittens ait:* Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me? *Quis dubitet sacerdotes Christi, Regum & Principum, omniumq; fidelium patres & magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subiicere, à quo credit non solum in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse & solui? Hæc (sicut B. Gregorius in epistola ad Mauritium Imperatorem directa commemorat) Constantinus Magnus Imperator, omnium Regum & Principum fere totius orbis dominus, euidenter intelligens, in S. synodo Nicena post omnes Episcopos vltimus residens, nullam iudicij sententiam supra eos dare præsumpsit, sed illos etiam Deos vocans, non suo debere subesse iudicio, verum se ab illorum pendere arbitrio iudicauit. Supradicto quoque Anastasio Imperatori præfatus Papa Gelasius persuadens, ne ille intimatam suis sensibus veritatem arbitraretur iniuriam, subintulit, dicens:* Duo sunt quippe, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur: auctoritas sancta Pontificum, & Regalis potestas, in quibus tanto grauius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus, hominum in diuino reddituri sunt examine rationem. *Et paucis interpositis inquit:* Nosti itaque inter hæc illorum te pen-

dere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. *Talibus ergo institutis, talibusque fulti auctoritatibus, plerique Pontificum alij Reges, alij Imperatores excommunicauerunt. Nam si speciale aliquod de personis Principum requiratur exemplum, B. Innocentius Papa Arcadium Imperatorem, quod consensit, vt S. Iohannes Chrysostomus à sede sua pelleretur, excommunicauit. Alius item Romanus Pontifex Regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo, quod tantæ potestati non erat vtilis, à regno deposuit: & Pipinum Karoli Magni Imperatoris patrem in eius loco substituit, omnesq; Francigenas à iuramento fidelitatis, quod illi fecerant, absoluit. Quod etiam ex frequenti auctoritate sæpe agit Ecclesia sancta, quum milites absoluit à vinculo iuramenti, quod factum est his episcopis, qui Apostolica auctoritate à pontificali gradu deponuntur. Et B. Ambrosius licet sanctus, non tamen vniuersalis Ecclesiæ Episcopus, pro culpa quæ aliis sacerdotibus non adeo grauis videbatur, Theodosium Magnum Imperatorem excommunicans ab Ecclesia excluſit. Quod etiam in suis scriptis ostendit, quod aurũ nõ ita pretiosius sit plumbo, quam regia potestate altior sit dignitas sacerdotalis. Hoc modo circa principium sui Pastoralis scribens*: Honor, Fratres, & sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari: si Regum fulgori compares & Principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe quum videas Regum colla & Principum, summitti genibus sacerdotum, & exosculata eorum dextera, eorum se credant orationibus communiri. *Et post pauca*: Hæc cuncta, Fratres, ideo nos præmisisse debetis agnoscere, vt ostenderemus, nihil esse in hoc seculo sacerdotibus excellentius, nihil sublimius Episcopis reperiri. *Meminisse etiam debet fraternitas tua, quod maior potestas Exorcistæ conceditur, quam spiritualis Imperator ad abigendos Dæmones constituitur, quam alicui Laicorum causa secularis dominationis tribui possit. Omnibus Regibus nempe & Principibus terræ, qui religiose non viuunt, & actibus suis Deum (vt oportet) non metuunt, Dæmones heu proh dolor dominantur, & misera seruitute confundunt. Tales enim non diuino ducti amore, sicut religiosi sacerdotes, ad honorem Dei & vtilitatem animarum præesse cupiunt: sed vt intolerabilem superbiam ostentent, animiq; libidinem expleant, cæteris dominari affectant. De quibus S. Augustinus in libro 1. de doctrina Christiana dicit*: Quum vero etiam eis, qui sibi naturaliter pares sunt, hoc est, hominibus, quilibet dominari affectant, intolerabilis omnino superbia est. *Porro autem, si Exorcistæ (vt diximus) supra Dæmones à Deo imperium habent: quanto magis supra eos, qui Dæmonibus subiecti, & membra sunt Dæmonum. Si ergo his tantum præminent Exorcistæ, quanto amplius sacerdotes? Præterea omnis Rex Christianus ad exitum veniens, vt carcerem euadat inferni, vt de tenebris in lucem tendat, vt de peccatorum vinculis in Dei iudicio absolutus appareat, sacerdotis opem supplex ac miserandus requirit. Quis autem non modo sacerdotum, verum etiam laicorum in extremis positus pro suæ animæ salute terreni Regis implorauit auxilium? Quis vero Regum aut Imperatorum aliquem Christianum ex imposito sibi officio valet sacro baptismatis ex Diaboli potestate eripere, & inter filios Dei connumerare, sanctoque chrismate præmunire? Et (quod maximum est in Christiana religione) quis eorum valet proprio ore corpus & sanguinem Domini conficere? vel cui eorum data est potestas ligandi soluendiq; in cœlo & in terra? Ex quibus aperte colligitur, quanta potestate præcellat dignitas sacerdotum. Aut quis eorum potest aliquem clericum in S. Ecclesia ordinare? quanto minus pro aliqua culpa eum deponere? Namq; in ecclesiasticis ordinibus, maioris potestatis est deponere, quam ordinare. Episcopi enim possunt alios Episcopos ordinare, sed nullo modo sine auctoritate Apostolicæ sedis deponere. Quis igitur vel tenuiter sciolus dubitet sacerdotes Regibus anteferre? Quod si Reges pro peccatis suis à sacerdotibus sunt iudicandi, à quo rectius, quam à Romano Pontifice sunt iudicandi? Ad summam, quoslibet bonos Christianos multo conuenientius, quam malos Principes Reges intelligi decet. Isti enim gloriam Dei quærendo semetipsos strenue regunt: at illi non quæ Dei sunt, sed sua quærentes, sibimet hostes, alios tyrannice opprimunt. Hi veri Reges Christi, illi vero Diaboli corpus sunt. Isti adhuc sibi imperant, vt cum suo Imperatore æternaliter regnent. Illorum vero id potestas agit, vt cum tenebrarum principe, qui rex est super omnes filios superbiæ, æterna damnatione dispereant. Nec valde sane mirandum est, quod mali pontifices iniquo Regi, quem adeptis male per eum honoribus diligunt & metuunt, consentiunt, qui simoniace quoslibet ordinando, Deum pro vili etiam pretio vendunt. Nam sicut electi insolubiliter suo capiti vniuntur, ita & reprobi maxime contra bonos, ei qui malitiæ caput est, pertinaciter fœderantur. Contra quos profectò nõ tam differendum, quam pro eis est lacrymosis plan-*

ctibus

ctibus ingemendum, vt omnipotens Deus illos à laqueis Satanæ, quibus captiui tenentur, eripiat, & tandem aliquando vel post pericula ad agnitionem veritatis perducat. Hæc de Regibus & Imperatoribus, quod singulari gloria nimium tumidi, non Deo, sed sibi regnant. Sed quod nostri est officij, vnicuique secundum ordinem vel dignitatem, qua videtur vigere, exhortationem distribuere: Imperatoribus & Regibus, cæterisque Principibus, vt elationes maris & superbiæ fluctus comprimere valeant, arma humilitatis Deo auctore prouidere curamus. Scimus enim, quod mundana gloria & secularis cura, eos permaxime, qui præsunt, ad elationem trahere solet, qua semper neglecta humilitate propriam quærendo gloriam, fratribus cupiant præminere. Proinde videtur vtile maxime Imperatoribus & Regibus, vt cum mens illorum se ad alta erigere, & pro singulari vulg gloria oblectare, inueniat quibus se modis humiliet, atq; vnde gaudebat, sentiat plus timendum. Perspiciant ergo diligenter, quam periculosa, quam ve timenda sit Imperatoria vel Regia dignitas, in qua paucissimi saluantur, & illi, qui Deo miserante ad salutē veniunt, non æque, vt multi pauperum, iudicio S. Spiritus in sancta ecclesia glorificantur. A mundi enim principio vsq; ad hæc nostra tempora in tota authentica scriptura non inuenimus septem Imperatores vel Reges, quorum vita fuerit à Deo præcipua religione & virtute signorū decorata, sicut vniuersalis multitudinis seculi contemptorum: licet eorū plures credamus apud omnipotentem Deum misericordiæ salutē inuenisse. Namq; vt de Apostolis & martyribus taceamus, quis Imperatorum vel Regum æque vt B. Martinus, Antonius, & Benedictus miraculis claruit? Quis Imperator aut rex mortuos suscitauit, leprosos mundauit, cæcos illuminauit? Ecce Constantinum piæ memoriæ Imperatorem, Theodosium, & Honorium, Karolum, & Lodouvicum, iustitiæ amatores, Christianæ religionis propagatores, Ecclesiarum defensores, sancta quidē ecclesia laudat & veneratur, non tamen eos fulsisse tanta miraculorum gloria iudicat. Præterea ad quot nomina Regum vel Imperatorum basilicas seu altaria dedicari, vel ad eorum honorem S. Ecclesia missas statuit celebrari? Timeant Reges aliiq; Principes, ne quanto se cæteris hominibus in hac vita præferri gaudent, tanto amplius æternis incendiis subiciantur. Vnde scriptum est: Potentes potenter tormenta patientur. De tot enim hominibus Deo reddituri sunt rationem, quot suæ dominationi subditos habuerunt. Quod si alicui religioso priuato non paruus labor est, vnam suam animam custodire: quantus labor imminet Principibus super multis millibus animarum? Præterea si iudicium S. Ecclesiæ valde constringit peccatorem pro vnius hominis interfectione: quid erit de his, qui multa millia morti tradunt, pro huius mundi honore, qui licet ore aliquando dicant, Mea culpa: pro multorum occisione tamen in corde gaudent, in sui quasi honoris extensione, nolunt q; non feciſſe quod egerunt, neq; dolent, quod fratres suos in tartarum compulerunt. Quumq; ex toto corde eos non pœnitet, neq; volunt humano sanguine acquisita vel detenta omittere, illorum pœnitentia apud Deum sine digno pœnitentiæ fructu manet. Vnde profecto valde est timendum, atque ad memoriam eorum crebro reuocandum, quod (sicut præfati sumus) à mundi principio, paucissimi per diuersa terrarum regna Reges sancti, ex innumerabili eorum multitudine reperiuntur: quum in vna tantum Pontificum seriatim sede, videlicet Romana, à tempore B. Petri Apostoli fere centum inter sanctissimos computentur. Cur autem hoc? nisi quod Reges terræ & Principes vana gloria delectati (sicut prælibatum est) quæ sua sunt, spiritualibus præferunt: religiosi autem Pontifices vanam gloriam despicientes, quæ Dei sunt carnalibus rebus præponunt. Illi in se peccantibus cito cognoscunt, Deum offendentibus non leuiter parcunt*. Illi terrenis actibus nimium dediti spiritualia parui pendunt, isti cælestia sedulo meditantes, quæ sunt terrena contemnunt. Admonendi sunt ergo omnes Christiani, qui cum Christo regnare cupiunt, ne ambitione secularis potestatis regnare affectent, sed potius præ oculis habeant, quod B. Gregorius Papa sanctissimus in lib. pastorali admonet, dicens: Inter hæc itaq; quid sequendum, quidve tenendum, nisi vt virtutibus pollens coactus ad regnum veniat, virtutibus vacuus ne coactus accedat. Quod si ad Apostolicā sedem, in qua rite ordinati meritis B. Petri Apostoli meliores efficiuntur, quod timent coacti veniunt cum magno timore; ad regni solium cū quanto timore accedēdum, in quo etiam boni & humiles (sicut in Saul & Dauid cognoscitur) deteriores fiunt? Nam quod de Apostolica sede prælibauimus, in decretis beati Papæ licet experimento sciamus, sic continetur: Ille scilicet B. Petrus perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ misit ad posteros. *Et post pauca:* Quis enim sanctū dubitet esse, quem apex tantæ dignitatis attollit, in qua si desint bona acquisita, per meritum, sufficiunt quæ à loci decessore præstantur: Aut enim claros ad hæc

* *Videtur hic aliquid deesse.*

veſtigia erigit,aut eos,qui eriguntur illuſtrat. *Quapropter quos S. Eccleſia ſua ſponte ad imperium vel regimen deliberato conſilio aduocat,non pro tranſitoria gloria,ſed pro multorum ſalute humiliter obediant, & ſemper caueant, quod B. Gregorius in eodem libro paſtoralis teſtatur:* Apoſtatæ quippe angelo ſimilis efficitur, dum hominibus eſſe ſimilis dedignatur. Sic Saul poſt humilitatis meritum in tumorem ſuperbiæ culmine poteſtatis excreuit. Per humilitatem quippe prælatus eſt,per ſuperbiam reprobatus, Domino atteſtante,qui ait: Nonne quum eſſes paruulus in oculis tuis, caput te conſtitui in tribubus Iſraël. *Et paulo inferius*: Miro autem modo quum apud te paruulus, apud Dominum magnus: quum vero apud te magnus apparuit, apud Dominum paruulus fuit. *Vigilanter quoq; retinendum,quod Dominus in Euangelio dicit:* Ego gloriam meam non quæro; & qui vult inter vos eſſe primus,ſit omnium ſeruus. *Honorem Dei ſemper ſuo præponant,iuſtitiam vnicuiq; ſuum ſeruando ius amplectantur, atque cuſtodiant,non eant in conſilio impiorum, ſed religioſis ſemper acquieſcendo corde adhæreant. Sanctam Eccleſiam non quærant ſicut ancillam ſibi ſubiicere, ſubiugare: ſed permaxime oculos illius,videlicet Domini,ſacerdotes,magiſtros & patres recognoſcendo,decenter ſtudeant honorare. Nam ſi carnales matres & patres honorare iubemur, quanto magis ſpirituales? Si ille, qui carnali patri vel matri maledixerit, morte mulctandus eſt: quid ille, qui maledicit patri ſpirituali vel matri meretur? Non carnali amore illecti ſtudeant filium ſuum gregi, pro quo Chriſtus ſanguinem ſuum fudit,præponere,ſi meliorem illo & vtiliorem poſſunt inuenire: ne plus Deo diligendo filium,maximum ſanctæ Eccleſiæ inferant detrimentum. Patenter enim Deum & proximum, ſicut Chriſtianum oportet,non amare conuincitur, qui tantæ vtilitati tamq; neceſſariæ ſanctæ matris Eccleſiæ,prout melius poteſt,negligit prouidere. Hac namq; virtute, (id eſt charitate) neglecta, quicquid boni aliquis fecerit, omni fructu ſalutis carebit. Hac itaque humiliter agendo,& amorem Dei & proximi, (ſicut oportet) ſeruando, præſumant de illius miſericordia, qui dixit:* Diſcite à me,quod mitis ſum,& humilis corde. *Quem ſi humiliter imitati fuerint, de regno ſeruili & tranſitorio, ad regnum veræ libertatis & æternitatis tranſibunt, Amen. Admonemus vos fratres & coepiſcopos noſtros, ne faciem Principum trepidantes, veritatem vobis dicere timeatis,incurrentes illud Gregorij:* Quum in terra hominem contra veritatem quilibet pauet,eiusdem veritatis iram cœlitus ſuſtinet.

Wilhelmus epiſc. Traiectenſis.

Legatus Regis reuerſus,quum Regi, qui tunc erat Traiecti,quod erat excommunicatus indicaret, Willehelmi ipſius vrbis Epiſcopi conſilio Rex excommunicationem illam nihili pendit. Epiſcopus quoque idem timens, ne ſi populus hoc audiſſet, à Rege ſicut ab excommunicato diſcederet, intra miſſas ſermonem faciens ad populum, deriſorie quod Rex eſſet excommunicatus indicauit, ſed hanc excommunicationem nihil valere, quibus poterat verbis (vtpote facundus homo) confirmauit. Sed quantum valeret,in ſeipſo coactus eſt agnoſcere, ſi liceret ei pœnitendo à ſuperbia reſipiſcere. Nam in ipſo loco,in quo Romano pontifici derogabat, eiusque poteſtatem verboſus adnihilare laborabat,ipſe mala valetudine corripitur,in qua vſque ad miſerandum miſeræ vitæ finem detinetur. Itaque morbo magis & magis ingraueſcente, dum eſſet cum eo quidam homo Regis, eumq; rogaret, vt ſe cum ſuo mandato remitteret ad Regem; *Hoc*, inquit, *ei mitto mandatum, quod ipſe & ego, & omnes eius iniquitati fauentes; damnati ſumus in perpetuum.* Quumq; à ſuis,qui aderant, clericis,ne talia loqueretur, eſſet admonitus; *Quid aliud*, inquit, *loquar,niſi quod verum eſſe,viſibiliter intueor. Ecce enim Dæmones lectum meum circumſtant,quatenus me mox, vt expirauero,rapiant. Itaque quum fuero de corpore eductus, rogo vos & omnes fideles,ne ſe fatigent pro me faciendo ſupplicationes.* Hac igitur in deſperatione defunctus,nullis orationibus Deo reconciliatus,diu iacebat inſepultus, donec Romam mittitur, & inde quæſito conſilio, ne populus fœtore corrumpatur, Apoſtolico iuſſu ſine commendationibus ſepelitur. Non longe autem poſt mortem ſuam Abbati Cloniacenſi apparuit,priusquã eum fuiſſe mortuũ cognouiſſet,& *Non ſum*, inquit, *vivus,ſed vere defunctus,& in inferno ſepultus.* Sic ille ſapiens,& per omnia vir honeſtus, ſi non eſſet auaritiæ venenis infectus,ſtultum & miſerabilem finem habuit; quod hunc, dum poterat,præcauere noluit. Et cur eum ſolum dico miſerabiliter obiiſſe? quum manifeſtum ſit,omnes fere Henrici familiares & fideles æque miſeras mortes incurriſſe,& eos miſeriores,qui fuerant illi fideliores: quod fides illa vere erat perfidia.

Vt enim

Vt enim per excessum quædam vel repetam, vel percurram, Patriarcha qui legatus Apostolici maximus auctor abiurationis extiterat Heinrici, & noui Regis instituendi, postquam Exregi quasi regi sociatus retrogradus efficitur; repentina morte præuentus, quod communicabat excommunicatis, incommunicatus & inconfessus huic vitæ subtrahitur. Verum quod tantæ dignitatis virum non decebat, ire solum ad infernum, quinquaginta (sicut audiuimus) de suis habuit socios, eadem morte repentina correptos, ne quos habebat in iniquitate consortes, in retributione non haberet participes. *Patriarcha.*

Vdo Treuerensis Archiepiscopus, omni pietate plenus, dum nimis mansuetus Tyrannidi non resistens, Heinrico plus quam decebat obsequitur, eius flammeo furori suæ consensionis oleum ministrat, & vt Ecclesiæ deprædentur, licentiam donat, mox in crastino mane mortuus inuenitur, vt omnibus aperte constaret, ideo tali eum morte obiisse, quod in Ecclesiarum prædatione non timuit assensum præbere. *Vdo Treuer. archiep.*

Eppo Cicensis Episcopus, dum in Episcopio S. Kiliani quendam riuum forti sedens in equo transiret, quem quilibet pedes sine periculo transire posset, vbi nec timor vllus fuit, equo cadente moriens sic interiit: S. Kiliano sic disponente, vt qui eius vrbis violentus incubator iniuste vinum suum bibebat, aquam quoque suam iuste bibens, vltra vinum non quærat; & quod nobis inconciliabilis permansit, Deo inreconciliatus ab hac vita migrauit. *Eppo Cicensis epis.*

Godefridus Dux qui fuit maximus hostis Saxoniæ, perlit in secretiori corporis parte perfossus sæuo mucrone, nec purgatus vltima confessione, nec munitus sacra communione. *Godefridus Dux.*

Godebaldus dum equo suo nouiter ferrato pedem posteriorem leuaret, vt an apte ferrum esset impositum perspiceret, ab ipso pede in fronte percutitur, & sic ab hac vita abstrahitur. *Godebaldus.*

Burchardus Misnensis præfectus, dum in quadam sua, cui præerat, vrbe ab vrbanis inuaditur, equo cui insidebat, frustra calcaribus vulnerato fugere molitur, quod equus sæpe prius de velocitate laudatus, modo cum maxime maximo cursu opus erat, fit stationarius, quasi diceret; mihi non licet eum nunc à vobis eripere, qui dum sibi licuit, nolebat se corrigere. Moritur ergo cum magno animæ suæ periculo, quod sæpe consensum præbuit periculoso sæuissimi Regis consilio. *Burcardus præfect. Misn.*

Luipoldus frater Berthaldi Regis consiliarii, qui & ipse eius consiliarius erat, dum quadam die iuxta Regem equitans cum eo quoslibet sermones conferret, accipiter quem sinistra portabat volitare cœpit, quasi capturam peteret, ille vero post auem parumper se inclinans ab equo grauis cecidit, & ensem quo cinctus erat, è vagina lapsum capulo terræ defixo in pectore medio recepit: & qui sæpe praui consilii consors, vel auctor fuit, sine consilio perpetuæ salutis ab hac vita recessit. His ex parte tractatis, multa his similia præteriens ad iter inceptum volo reuerti, quod non aberrando, sed deuiando sponte deserui. *Luipoldus consiliarius.*

Igitur comperta legatione Pontificis, & excommunicatione siue depositione Henrici Regis, omnes qui nostros captiuos habebant, quod nullam apud Regem misericordiam, dum Rex erat, inuenire poterant, & ei nullam modo cum Rex non esset fidem vel subiectionem debebant; omnes eos in patriam gratis Heinrico nesciente dimiserunt.

Sed Burchardus Halberstadensis Episcopus quam mirabiliter à miserabili damnatione sit diuina pietate liberatus, ad Dei laudem, & ad omnium miserorum consolationem referamus. Dum Heinricus esset iuxta Danubium, & secum haberet sororis suæ maritum Solomonem, similiter ab Vngariæ regno depulsum, quod temporibus illis vigebat depositio Regum; genero suo iam redituro in patriam, in cuius extremitate paucas vrbes habendo vix hærebat, Episcopum Burchardum commendauit, eumque multum, vt nunquam in Teutonicis finibus videretur, obsecrauit: quod & ille promisit. Quod quum Episcopus præsensisset, amicos quos habebat ibi paucos, paucis (sicut tempus monebat) verbis alloquutus, rogauit *Burcardus Halberst. epis.*

omnes per Dei nomen, quatenus de ſua cogitarent ereptione. Tunc Othelricus quidam dixit ei, ſtare quandam domum deſertam non longe à littore, monuitque eum, vt hanc arte qualibet tentaret intrare. Epiſcopus ergo tantum cum vno capellano naui impoſitus Exregem iubetur antecedere, donec ipſe cum ſocero pranſus, eum cum gurgite currens velox inſequatur. Leniter ergo defluens Epiſcopus non in ſomnum diſſoluitur, non in vanis confabulationibus occupatur, ſed cor cum tota deuotione leuat ad Deum, oculos in littus tenet intentos, donec præmonſtratam conſpiciat domum. Qua viſa rogat nautas, vt in littus ſe velint exponere, quatenus ventrem leuando perſoluat debita naturæ. Illi nil ſuſpicantes in miſerum miſericordes fuerunt, & cum capellano comite exire permiſerunt. Quid moror, quum in illo nullam moram intueor? remouetur à littore longius, nautisq; ne longius abiret clamantibus, appropinquat domui, leniterq; pulſans, Deumq; ſuppliciter inuocans, dixit: *Aperi.* Nunquam dixit, neque dicturus eſt cum maiore deuotione cordis, *Aperi.* Othelricus paratis equis & ſociis Epiſcopum ſuſcepit, & die quieſcens, nocte vero feſtinans, eum Dei miſericordia comitante in Halberſtedi perduxit. Quanta gratulatione totius populi fuiſſet acceptus, meus hebes non valet explicare ſtylus. Etiam qui eum prius odio habuerunt, in occurſu læti gaudentesq; concurrerunt.

Principes ergo noſtri diuerſis ab exiliis omnes pene ſimul in patriam reuerſi, magnam his, qui domi erant, dederunt materiam gaudii, & multorum os aperuerunt in laudem Dei. Inuenerunt enim totam pene plebem congregatam, exigi tributa à prædiis ſuis perſoluenda, iam libertatis ſpe retinendæ depoſita, quæ iuberetur cuncta facturam. Herimannus autem patruus Magni Ducis, & Thiedricus de Kathalanburg (hi namque prius aliquanto cæteris venerunt) obſtupefactis omnibus exclamauerunt; *Nolite*, dicentes, *optimi Saxones, nolite ſeruitutis iugа recipere, nolite de miſericordia Dei deſperare. Ecce nos, qui veſtri cauſa nos in captiuitatem dedimus, Dei clementia, illo qui nos tenebat inuito redimus, pro vobis & veſtris pugnaturi quamdiu viuimus. Erigite ergo ceruicem iugo ſeruitutis excuſſo liberam, nunquam poſthac ſeruitute premendam, adiuuante Deo. Retinete manus à tributis ſoluendis, retinete poſſeſſiones veſtras liberas, ſicut liberas eas à veſtris parentibus accepiſtis. Vos autem fautores iniquitatis, qui miſeræ plebis oppreſſione crudelis tyranni oppreßionem quæſiſtis, ab opprimendo ceſſate, ab exigendo quieſcite, & ex hac hora vel nobiſcum pro libertate pugnaturi fideliter & iurati permanete, vel in hac hora velut hoſtes infidi & periuri, à nobis & à patria noſtra nunquam reuerſuri diſcedite.* Talibus verbis & hoſtes confuſi à ferocitate quieſcunt, & ciues confortati priſtina virtute recepta in vnanimitatem facile coaleſcunt. Coadunati denique præſidia Heinrici ab omnibus caſtellis eiiciunt, & illis ea, quorum fuerant, libera reſtituunt: poſſeſſiones alias, quas Tyrannus iniuſte his, quorum erant, ereptas iniuſtius, illis ad quos nullo iure pertinebant, donauerat, auferunt, & eas ad iuſtos poſſeſſores redire faciunt. His omnibus in finibus noſtris rite patratis diem & locum determinant, vbi cõcordiam ad defenſionem patriæ renouaturi conueniant; & eos, in quibus infidelitatis ſuſpicio reſideret, aut à finibus ſuis exire, aut ſecum fideliter conuenire compellant.

Thiedricus de Kathalanburg.

Hæc omnia dum Heinricus audiſſet, nimis in animo conturbatur, & Moguntiam veniens quosdam de reſiduis adhuc captiuis ad ſe duci præcepit, & cum eis de pretio, quo ſe redimerent, vt dimitterentur, egit. Interea orta ſeditione inter Moguntinos & Bauenbergenſes milites, ciuitas a Bauenbergenſibus incenditur, ita vt tota vel maxima pars eius arſura videretur. Ad quam reſtinguendam dum Heinricus ipſe omnisq; populus feſtinaret, captiui noſtri ſine cuſtode relicti, inuenta naui Rhenum tranſierunt, & die noctuq; feſtinantes in patriam ſuam peruenerunt. Inter quos erat etiam Gertrud nobiliſſimi Ottonis Ducis fratris Herimanni vidua, quam Lodewvig ante biennium fere ceperat, & Domino ſuo Heinrico, vt ab ea pecuniam extorqueret (quod & fecit) adduxerat.

Moguntia incenſa.

Heinricus ergo Exrex videns ſuæ voluntati cunctas res aduerſari, quum intelligeret, ſe de lupina ferocitate parum proficere, pellem non coruinam cogitauit induere, vt oſtenſione pietatis & iuſtitiæ deciperet, quos crudelitate violenta ſuperare non poterat. Volebat namque legatos ad Saxoniam mittere, qui dicerent, ſe eis plus quam ipſi cuperent bonum eſſe velle, ſe penitus iniuſtitiam cum vitiis omnibus, quo

ad poſ-

ad posset, abiicere, se eis in omnibus pariturum dedere. Sed nullum, qui hanc legationem portare præsumeret, inuenit: quod de suis quoque cum nullus, quod ore emisit, in corde habere credebat, nec aliquis dubitauit, quin si quis Saxonibus valde iam exasperatis hoc nuntium falsitatis afferret, pro falsis promissis pœnas veraciter daret. Remanserant autem adhuc duo de nostris apud eum, Werinherus Magdeburgensis, eiusdemque nominis Merseburgensis Episcopus, qui quum possent inuito Rege (sicut alii) repatriare, nolebant, quod in illo licet impio Deum, à quo est omnis potestas, offendere timebant. Hos ergo cum supradicta legatione ad Saxoniam misit, sed de eorum reuersione nihil eis dixit. Illi vero Saxonibus cum tota voluntate, quod erant iussi suadebant; sed Saxones cognitis tot eius mendaciis, hæc quoque promissa veneno falsitatis infecta non dubitabant. Quumq; vellent Episcopi eorum responsa reportare, iussi sunt vnum è duobus eligere, aut hic modo stare, aut huc nunquam posthac redire.

Principes ergo nostri simul adunati iuramentis & obsidibus inuicem datis in vnum se confirmant, & vt ad inuicem firmissime cohærerent, Regem cui subiaceant omnes eligere deliberant. Sed quum audissent, quod Sueuos tam crudeliter antiquũ fœdus infregisse pœnituit, ad eos legatos de renouando fœdere mittere placuit; vt iterum conuenientes in vnum, inimicitiarum acerbitatem multa dilectionis suauitate superarent, & inuicem sibi donantes contra communem omnibus hostem vno de se Rege facto concorditer starent. Domino quoque Apostolico literas miserunt, quibus vt vel per se, vel per nuntium genti pene perditæ consolator adesset, supplicitur orauerunt.

Non modico igitur Saxones exercitu collecto, perrexerunt ad Rhenum contra vicum, qui dicitur Oppenheim, quo & Patriarcha cum Episcopo Patauiensi Pontificis Romani legato conuenerat, & vna Sueuorum non parua multitudo, qui omnes exercitum Saxonicum, dum veniret, expectabant. Quibus appropinquantibus Patriarcha cæteriq; primates, quod de recenti prælio vtrorumq; gladii adhuc cruore madebãt, quamuis per legationes mutuas inuicẽ sibi donassent, tamẽ ne (quod facile est armatis) seditio vilibus à personis factum fœdus corrumperet, obuiam Saxonibus ibant, & amicitiam, quam renouauerant absentes, nunc præsentes confirmare volebant. Hinc igitur Dux Otto violẽter honore suo priuatus, illinc Walph Dux eodem honore non iuste sublimatus, hac conditione sibi inuicem pacis oscula dederunt, vt electo (propter quod ex vtraq; parte conuenerant) nouo Rege, quicunq; eorũ ipsum honorẽ iure retineret, alter ei non inuidens libenter cõcederet. Similiter pacis oscula dederunt ordinis secundi siue tertii partis vtriusq; milites, quicquid inuicem se læserant, non sine multo fletu donantes. Tunc omnes facti ex hostibus amici fideles, castra posuerunt tam prope, vt viciſſim populus vterq; sermones vtriusq; non difficile posset audire. Quumq; iam cœpissent de Rege constituendo sermones conferre, Saxones ex Sueuis, Sueui ex Saxonibus vnumquemlibet volebant eligere, Henricum vero tenebat in altera ripa Rheni ciuitas Moguntina, omni spe regni retinendi deposita. Misit tamẽ nuncios, qui tentarent istos ad misericordiam flectere, vt eius iam satis correpti correctionem dignarentur accipere. Sed eorum nullius legatio à quoquam nostrate accipitur, nisi prius per Apostolici legatum ab anathematis vinculo soluatur. Vt igitur stylus velociter currat, humilitatem pœnitentis accepturos se promittunt ea conditione, si vellet implere cuncta, quæ ei nostrates facienda proponũt. Quod quum ille spopondisset, hoc ei primum proponunt, vt Episcopum Wormatiensem, qui iam diu fuerat expulsus, potentem faceret vrbis suæ: deinde vt mox literas scribi faceret, in quibus se fateretur iniuste Saxones afflixisse, quas à nostris perspectas imagine sua nostris præsentibus signari faceret, & signatas per Italiam & Teutonicam terram mittendas per nostros nuncios nostratibus daret, ipseque Romam veniens per dignam satisfactionem anathematis vinculo careret. Episcopus ergo statim cum magno honore in vrbem deducitur; literæ in præsentia nostratium bulla Regis signatæ per nostros nuntios per ciuitates Italiæ regniq; Teutonici diriguntur; ipse se tota festinatione parat, vt per Romani Pontificis indulgentiam ligamen anathematis exuat. Nostrates vero singuli sacramento firmauerunt, vt nisi Heinricus

Oppenheimi conuentus.

quartus Heinrici Imperatoris filius in Februarii mensis initio à banno per Apostolicum solutus fuisset, nunquam amplius vllo ingenio suo Rex eorum nec appellaretur, nec esset. Quod sacramentum primo fecit Patriarcha, & in literas redactum, in suum misit martupium, quod tamen, quia melius seruauit in scripto, quam in opere, (sicut paulo ante dictum est) crudele supplicium dedit. Deinde fecit idem Patauiensis Episcopus, sedis Romanæ legatus; & post hos omnes qui aderant Episcopi, Duces, Comites, cæteriq; maiores & minores: sed Episcopi plus aliis in hoc egerunt, quod iuramentum in literis etiam seruauerunt. Tunc misso legato rogauerũt Apostolicũ, vt in principio Februarii vellet Augustã venire, vt causa diligenter examinata coram omnibus, vel eum solueret, vel eo fortius adhuc ligato, alium sibi cum ipsius cõsensu quærerent, qui regnare sciret. His omnibus ibi peractis, exercitus vterq; cum multa caritate diuiditur, & vterq; tripudians, & Deo laudes cantans ad sua reuertitur.

Apostolicus autem quum, sicut rogatus erat, Augustam versus tenderet, vt ibi ingrediente Februario, qui erat annus Domini MLXXVII. sicut placuerat Principibus, adesset, & nostrates illuc econtra venire festinarent, vt Dominum Papam venerabiliter (sicut decebat) acciperent; ecce nunciatur Apostolico, Henricum cum magno exercitu Italiam intrasse, & si ipse montes, sicut volebat, transcendisset, alium Papam illum constituere velle. Itaq; misso velociter nostris obuiam legato, ipse tristis, immo multa timens reuertitur, vt Italiam à gladio & igne tueatur.

1077.

Henrici Imp. expeditio in Italiam.

Heinricus autem per Italiam vagans loco, sed magis animo, quid ageret, nesciebat, quia quicquid ageret, regnum perdere timebat. Nisi enim supplex ad Apostolicum veniret, & per eum solutus à banno fuisset, regnum se non recepturum pro certo sciebat. Si vero supplex ad satisfactionem veniret, timebat, ne sibi pro magnitudine criminum regnum Pontifex auferret, vel sibi inobedienti vincula potestatis apostolicæ duplicaret. Ergo in multis curis in diuersa diuiditur. Quamuis autem vtroque modo se perditum & perditurum non dubitaret; tamen illam partem in qua aliquid spei esse putabat, elegit: & laneis indutus, nudis pedibus ad Apostolicum venit, dicens se plus amare regnum cœleste, quam terrenum; & ideo pœnitentiam, quamcunque sibi vellet imponere, se humiliter susceperturum. Apostolicus vero de tanti viri tãta humilitate lætatus, præcepit ei, vt regalem ornatum, donec ipse permitteret, sibi non imponeret, quatenus omnipotenti Deo acceptior esset cordis eius cõtritio, quo eam etiam foris ostenderet vilis habitus testimonio: & vt eos, qui erant excommunicati, conuiuio vel colloquio vitaret; ne quod in se propria conuersione fuisset (Dei gratia) mundatum, aliorum contagio fieret magis quam fuerat immundum. Quod vtrumq; cum se facturum polliceretur, absolutus hac lege dimittitur, multum monitus ne Deo mentiatur: quod si promissa non impleuerit, non solum priora vincula non auferantur, sed etiam alia strictiora superaddantur.

Absolutio Imperatoris.

Itaq; reuersus ad suos, quum cœpisset eos à suo conuiuio separare, magnum cœperunt tumultum facere, dicentes ei, quia si eos, quorum sapiẽtia & virtute obtinuisset hactenus regnum, nunc à se repelleret, Apostolicus ei nec illud reddere, nec aliud acquirere potuisset. His & aliis talibus verbis animus eius immutatur, & ad consueta prauo prauorumq; consilio reuertitur. Imponit capiti aureum diadema, & in corde retinet ferro fortius anathema. Excommunicatorum communioni miscetur, & à sanctorum communione miser ille repellitur. Nunc fecit omnibus manifestum, quam non verum esset, quod dixit: *Plus se amare regnum cœleste, quam terrenum.* Quod si parumper in obedientia permansisset, & regnum nunc terrenum cum pace teneret, & quandoque cœleste sine fine possessurus acciperet. Nunc vero factus inobediens, & hoc quod amat non habebit, nisi cum magno labore; & illud non accipiet, nisi magna totius vitæ mutatione.

Hic desinit historia Lãberti Schaffnaburgẽsis.

Interea Saxones & Sueui Forcheim conueniunt, sed & de aliis regionibus legati aderant, quicquid isti de re publica cõmode definierint, idem laudare suos indicant. Aderat etiam legatus Apostolici, qui cũcta, quæ de regno nostrates vtiliter disponerent, Apostolicæ sublimitatis auctoritate firmaret. Ex multis, quos probitate dignos in electione proposuerunt, tandem Rodulfum Ducem Sueuorum Regem sibi Saxones & Sueui concorditer elegerunt. At cũ singuli deberent eum Regẽ laudare,

Rodulfus Sueuus Rex in schismate.

quidam

quidam voluerunt aliquas conditiones interponere, vt hac lege eum super se leuarent Regem, quatenus sibi de suis iniuriis specialiter promitteret iustificationem. Otto namque Dux non prius volebat eum sibi Regem constituere, nisi promitteret honorem sibi iniuste ablatum restituere. Sic & alii multi suas singulares causas interponunt, quas vt ille se correcturum promitteret, volunt. Quod intelligens Apostolici legatus fieri prohibuit, & ostendens eum non singulorum, sed vniuersorum fore Regem, vt vniuersis iustum se promitteret, satis esse perhibuit. Ait etiam, si eo modo, quo cœptum fuerat, promissionibus singillatim præmissis eligeretur, ipsa electio non sincera, sed hæresis simoniacæ veneno polluta videretur. Tamen quædam sunt ibi causæ specialiter exceptæ, quas quod iniuste viguerant, deberet emendare, scilicet vt Episcopatus non pro pretio nec pro amicitia daret, sed vnicuiq; Ecclesiæ de suis electionem (sicut iubent canones) permitteret. Hoc etiam ibi consensu communi comprobatum, Romani Pontificis auctoritate est corroboratum, vt Regia potestas nulli per hæreditatem (sicut ante fuit consuetudo) cederet, sed filius Regis, etiamsi valde dignus esset per electionem spontaneam, quam per successionis lineam Rex proueniret: si vero non esset dignus Regis filius, vel si nollet eum populus, quem Regem facere vellet, haberet in potestate populus. His omnibus legaliter constitutis, Rodolfum electum Regem Moguntinam cum magno honore deducunt, & ei dum consecrationem Regis accipiebat, venerabiliter & fortiter (sicut mox apparebat) assistunt. Consecratur autem a Sigifrido Magontinæ ciuitatis Archiepiscopo, præsentibus & adiuuãtibus aliis quamplurimis, Anno Domini MLXXVII. VII. Kal. April.

Ipso vero die consecrationis eius pene contigit miserandum facinus, vt fieret dies vnus principium & finis regni ipsius, & de eo vere possit nasci prouerbium; *Quod tam vigil Rex esset, vt in regno suo nunquam vidisset somnum.* Namq; quum ipsa die eius vnctionis in introitu missæ inuitaretur sub nomine Ierusalem, tota fidelium Ecclesia ad lætitiam spiritualem, & inde habeat omnis fere Ecclesia, etiam in religiosis personis, ipso die ludendi nõ spernendã consuetudinem; prandio noui Regis finito, iuuenes eius ad ludum venere communem, causam ob duplicem, cum regiæ consecrationis, tamen magis antiquæ consuetudinis. Vrbani vero videntes hunc ludum, in crudelem sunt accensi zelum, & quod magis fauebant Exregi quam Regi, cogitabant illum ludum turbare, & semen aliquod, vnde seditio nasceretur, immittere; ad quam sedandam dum Rex procederet, modo quolibet occisus interiret. Miserunt ergo quosdam suos iuuenes, vt curialium ludo se miscerent, & aliquam qualibet arte materiam belli construerent. Itaque vnus ex ipsis, cuiusdam nobilis ex curia crusinam gulis ornatam, quasi furtim præcidit, & inde quasi furtum volens abscondere, recessit, & tamen malebat deprehendi, vt acciperet, quod accepit. Nam ille, cuius honesta vestis erat dehonestata, vt illum, qui suæ vestis partem gestabat, insequutus est, colaphum ei tantum dedit, suiq; vestimenti particulam recepit. Tunc vrbani in subsidiis ad hoc ipsum collecti curiales inermes incurrunt armati, & multos ex eis acriter vulnerauerunt, aliquos etiam occiderunt. Nam arma curialium in hospitiis derelicta, dum ipsi circa Regem frequentes essent, vrbani præripuerant, & ne illi, quorum erant, ea inuenire possent, effecerant. Rex talia videns, volebat se periculo dare, & vel suos eripere, vel cum eis simul occumbere: sed qui circa eum erant, totum hunc tumultum propter eum fuisse inceptum cognouerunt, & ideo eum de palatio descendere non permiserunt. Contraxerunt ergo se curiales, & omnis exercitus in maiorem Ecclesiam S. Martini, & ibi conglobati, consiliis armisque muniti, subito cum magno impetu exierunt, & vrbanos aut occiderunt, aut ceperunt, præter eos, qui fugæ se credentes timore pernicitatem præbente abierunt velociter. In crastino vero omnes ex vrbe maiores ante Regem supplices venerunt, & de malitia, quam fecerant, supplicia quæ Rex volebat accipere, dederunt, & vt posthac in perpetuum fideles ei manerent, iurauerunt.

Sed Rex non habens eis fidem, ciuitatem dimisit, & ad Sueuos abiit, ibiq; parum moratus ad Saxoniam transiuit. Nam dominicæ resurrectionis festiuitate apud Augustam ciuitatem celebrata, in Pentecosten ad Erpesfort venit, & inde non parua Saxonum multitudine cum regali honore deductus, Apostolorum Principum prin-

cipalem in vrbe Mersburgensi deuotione multa celebrauit. Quo cum de cunctis Saxoniæ partibus maiores & mediocres conuenissent, Regemq; sicut a Principibus erat electus, vnanimiter in regno confirmassent, dixit Rex sibi non videri decens vel vtile, Saxones quasi plena pace potitos domi quietos sedere: suasitq; illis, vt exercitu collecto, hostiles vltro partes inuaderent, quatenus aliquid fortiter agendo, & à se desidiæ qua notati erant, nomen abiicerent, & hosti qui de victoria superbus timebat, arrogantiam minuerent, quod & ipsi læti fecerunt.

Igitur in Augusto mense cum magno exercitu Rex Rudolfus vrbem Wirceburg obsedit, ad quam velut expugnandam machinas diuersi generis parari iussit. Quæ dum parabantur, ipse sicut Rex Christianus, Deum timens, secum cogitabat, quod si vrbs capta fuisset, ab Ecclesiis vel ecclesiasticis rebus diruendis vel diripiendis vulgus semel intromissum nec ipse Rex reuocare posset. Ergo lentus ibi sedebat, & occasiones diuersas ne pugnaretur ad vrbem quærendo, integrum fere mensem nihil proficiens ibi manebat; maluitq; gloriosam, quasi vrbem capere non posset, habere contumeliam, quam periculosam, vt vrbe destructa nulli sacræ rei parceretur, acquirere gloriam.

Secundum bellum. Interea Heinricus Exrex exercitu nec magno nec forti congregato (nam maxima pars eius ex mercatoribus erat) obuiam nostris ire parauit, pigroq; progrediens incessu, Bauaros & Boemos, quos sibi in auxiliũ venire sperabat, frustra expectauit. Quo Rex Rodulfus audito lætus obsidionem dimisit, hostiq; sæuo sæuior occurrere festinauit. Ad fluuium itaq; qui vocatur Neckar, exercitus ambo conuenerunt, & in diuersa ripa animo pugnandi diuersa castra posuerunt. Nam nostri dederunt illis optionem, vt vel ipsi longius a littore recedentes sibi facultatem transeundi concederent, vel ipsi nostræ ripæ spatio securi accepto cum nostris pugnaturi transirent. Illi vero quamuis multis, vt vtrumlibet facerent, conuitiis essent exagitati, neutrum facere voluerunt. Quum autem multos ibi dies sedissent, & illis nostri locum ad se veniendi sæpe frustra dedissent, tandem illi nec se nostris pares, nec auxilium, quod sperabant, venire videntes, quum militari non possent virtute, astutia tentabant à se bellum istud amouere. Fecerunt enim cum nostris pacem sequestram, qua (si posset fieri) per mutua colloquia peruenirent ad pacem perpetuam. Ad se inuicem igitur veniendi securitate concessa dixerunt illi: Quid opus esset nostris secum ferro decernere, cum ipsi parati essent rem verbis agere: & si quidem nostram causam iustitia commendaret, se relicto suo domino nostris associari, ea conditione, vt si sua causa melior esse probaretur, nostrates illis eadẽ lege coniungi non dedignarentur. Quod quum nostri laudassent, & ipse Rex noster se, vt pax inter eos fidelis fieret, libenter à regno descensurum promisisset, constituto die, quo ad hanc causam terminandam neutro Rege præsente venirent, ab inuicem ambo exercitus discesserunt; & ecce illi magnam turbam ex Bauaris & Boemis, quos iam diu expectauerant, aduenire viderunt. Quo cognito, Heinricus nimis fit lætus, factæque pacis oblitus, iam nostros à tergo minus cautos inuaderet, si Principes illi, qui pacis faciendæ mediatores vel auctores fuerant, fidem suam contaminare non timerent. Itaque nostrates domum cum pace reuersi, annum fuerunt integrum, nec lædentes aliquem, nec ab aliquo læsi.

Ad Nicrum castra.

1078. Sequenti vero anno, qui erat ab incarnatione Domini M LXXVIII. iterum Saxonicus congregatur exercitus, & missa legatione Sueuos obuiam sibi venire rogauerunt; vt vtriusque populi virtute coniuncta, omnes sibi aduersantes, vel ad se transire compellerent, vel sibi fœderari nolentes dira bellorum tribulationẽ fatigarent. Quod cognoscens Heinricus robore congregato interuenit medius, nec est passus, vt vterque in vnum conueniret exercitus. Exercitus ergo Saxonicus ad Methelrikestadt venit, ibique Heinricum cum non paruo robore virtutis inuenit. Quid in narrando moram facio, quum illi nullam fecissent in agendo? Prælium incipitur fortiter, immo crudeliter: ex vtraq; parte pugnatur, & hinc & inde fuit diuersus euentus pugnæ, fugiunt isti, fugiunt illi; nostri capiuntur, sed eripiuntur, hostes interficiuntur. Ex nostris itaque primi fecerunt fugam, qui nunquam venire debuissent ad pugnam, Episcopi scilicet vnius nominis, sed (vt ita dicam) non

Methelrikestadt, hodie.

vnius

vnius ominis: Vterque enim Werinherus vocatur. Sed Magdaburgenſis ab incolis illius patriæ interceptus, miſerabiliter occiditur: Merſeburgenſis vero deſpoliatus in patriam nudus reuertitur. Quod illi me non ad contumeliam quisquis hoc legit, ſed dixiſſe putet ad gloriam: quod ab ipſius ore non ſemel audiui, quod ipſam nuditatem non toleraſſe nollet pro pondere quolibet auri vel argenti. In eadem fuga ſunt capti Bernardus Romanæ ſedis Archidiaconus, Sigifridus Archipræſul Mogũtinus, Adelbertus Wormatienſis Epiſcopus. Sed duos illos non longe poſt eripuit Dei clementia, tertius iſte perductus eſt in Heinrici crudelis tyranni præſentiam; qui tamen longe poſt inuito Tyranno, diuina liberatur miſericordia. Quos omnes, quod ſub religione nutriti melius ſciebant Pſalmos cantare, quam legiones armatas ad bella diſponere, ſolo viſu præliantium verſos in fugam tanta multitudo ſequitur, vt Rex totum exercitum penitus fugæ ſe dediſſe arbitretur. Quos cum Rex nec victoriam certam promittendo, nec ſeruitutem perpetuam, niſi fuiſſent reuerſi, minando potuiſſet reuocare; ſolum ſe relictum cum paucis exiſtimans, cœpit ipſe etiam paulatim reuertendo Saxoniæ finibus appropinquare.

Interea noſtri, qui fortes hoſtibus ſe primo miſcuerant, nihil de poſt terga relictis ſcientes, aduerſariis fortibus fortes reſiſtebant, minus vero fortibus fortius inſiſtentes, eos fugæ præſidium petere compellebant. Ibi quidam de noſtris aduerſarium ſibi videns obuium, velut ſuum ſalutauit ſociũ, dicẽs: *Sancte Petre*, quod nomen Saxones pro ſymbolo tenebant omnes in ore. Ille vero nimium ſuperbus, & tantum deridere nomen exorſus, in eius vertice librato mucrone; *Hoc*, inquit, *tibi tuus Petrus mittit pro munere*, & nondum ſermonem finierat totum, quum gladium Saxonis alterius in cerebro habebat, dicentis; *Et hoc habeas munus ex parte tui Heinrici, tyranni inſanientis.* *S. Petro: Lofung der Sachſen.*

Herdvvigus tunc Moguntini præſulis Archicapellanus, in eodem die poſt annum vrbem Magdaburgenſem Archipræſul ingreſſurus, ab hoſtium multitudine, ne vllus ei locus eſſet euadendi, eſt circumuallatus, cui cum illi velut capto illudentes dicerent, quod libentius eum tunc in gratia domini ſui, (ſicut olim fuit) aſpicerẽt; ille ſicut vir prudens, ita temperauit reſponſum, vt nec mendacium proferret, & tamen eos fallendo periculum præſens deuitaret. Paucis enim, (ſicut tempus poſtulabat) verbis reſpondit: *Sicut video*, dicens, *in cubiculo domini Regis heſterna nocte nullus veſtrum me vidit: ſed feſtinemus ad amicos noſtros, ne nos inimici repente deprehendant incautos.* Erant autem non longe ante parua Saxonum legione, quas cum illi ſuos putarent, etiam ſe pene captos agnoſcerent. *Pergite*, dixit ille, *quo vultis, ego meis adiungar amicis.* *Herdvvigus Magdeburg.*

Willehalmus Geronis Comitis filius, cum temere paucis ſe comitantibus iret, ab Euerhardo, qui de magnitudine barbæ agnomen habebat, ex improuiſo capitur, & Heinrico domino ſuo magna pars triumphi præſentandus à militibus ſuis ducitur: ipſe vero non longe quaſi ne ab aliquibus eripiatur proſpiciens inſequitur, & ecce copiæ Saxonum maiores illi de latere veniunt, & eum non multum repugnantem citius occidunt. Quod videntes illi, qui Willehalmum ducebant, eius obliti, ad ſuum dominum feſtinabant. Ille vero ſui non oblitus, quanta potuit velocitate ad ſuos eſt reuerſus. *Eberhardus Barbatus.*

Interea Dux Otto, & Frithericus Palatii præfectus, diuerſis in partibus acriter pugnantes, non ante ceſſauerũt, quam Heinricum cum omnibus ſuis ad fugam coegerunt, eoſq; fugientes tam diu ſunt inſequuti, donec eos muro Wirceburgenſi videbant includi. Sed Frithericus neſciens, quid Otto Dux egiſſet, ad locum prælii tripudians reuertitur; quod ille qui fugatis hoſtibus locum cædis obtinuerit, victor habetur. Otto vero Dux non longe poſt eodem reuerſus, viſa tanta multitudine, putabat eos hoſtes eſſe, & quia valde feſſus erat, non credebat vtile cum eis pugnam incipere: miſit tamen exploratorem, qui ſibi perquireret veritatem. Qui vbi moram faceret, reputans ille, quod ab hoſte captus vel occiſus eſſet, quod nullum de ſociis, quem cognoſceret inuenit, victor quidem, ſed non lętus, quod neſciebat, ad patriam reuertitur.

Frithericus autem collectis ad ſe de diuerſis partibus à prælio reuertentibus, no-

ctem illam in multa lætitia,& maxime in diuina laude transegit. In crastino vero receptis omnibus,quæ vel socii vel hostes ibi reliquerant,meliora quæ poterant asportare,secum tulerunt; cætera vero,ne prodessent hostibus,igni dederunt. Inde vero cum magno gaudio cantuq; redeuntes, Smelekallan & cęteros in circuitu vicos aut villas prædationibus & incendiis vastauerunt, quod incolæ illi pridie nostros fugientes spoliauerant vel occiderant.

Smelekallan hodie.

Sigifridum quoque Moguntinum Præsulem,quem captum cum multis aliis adhuc seruabant, violenter eripuit; secumq; gaudentes, & hymnos Deo canentes ad Saxoniam reducunt. Postquam vero diuersis ex partibus omnes nostri conuenerunt, & quid fortiter egissent, vel quanta pericula qualiter euasissent, inuicem singuli retulerunt, non sine multo fletu multas laudes vnanimiter Deo reddiderunt, cum pro victis & fugatis hostibus, tum etiam pro liberatis tantis sacerdotibus.

Ex nostris itaque partibus præter Episcopum Magdaburgensem,qui cecidit in fuga, nemo qui dignus sit nomine, periit in illa pugna: ex hostili vero parte iacuerunt ibi de Principibus nobilissimis Euerhardus Barbatus, qui huius belli erat incentor sæuissimus, Poppo simul & Theobaldus, Heinricus de Lechesmundt. Factum est ergo hoc prælium secundum anno Domini MLXXVIII. VII. Mensis Augusti, feria III.

Heinricus vero in Octobri proximo Reginesburg veniens, Principibus collectis narrauit,quod iam longo labori finem fecisset, nihilque iis faciendum restaret, nisi vt illos, qui secum participes erant laborum, consortes etiam faceret dignæ retributionis. Dixit namque Saxones in proximi prælii conflictu sic esse prostratos,vt nisi degentibus exteris agrorum cultores aduenirent, Saxonica tellus in solitudinem versa bestiis syluestribus habitanda remaneret. Igitur vt illam terram cunctis frugum generibus opulentam secum vellent intrare rogauit, ipsisque quod nullum, qui eis intrantibus obstaret,inuenirent, fideliter spopondit. Quod vt illis fieret credibile, simulatos nuncios cum verbis compositis fecit procedere, qui cunctis audientibus Regi,sicut erant docti, dicebant ex persona Ducis Ottonis, & Herimanni Comitis, se solos ex liberis hominibus, omnibus aliis in nouissimo prælio interfectis, beneficio fugæ in Saxonia relictos nunc nimis sero pœniteret, quod vnquam multitudine suorum confisi præsumpsissent regiæ potestati resistere; se Regis aduentum, quo terrę daret cultores, humiliter expectare,se sibi non honorem, non libertatem, sed solam vitam (quamuis vel hac essent indigni) postulare. Quibus verbis, sicut ipse callidus dictauerat,peroratis, illi qui hæc credula nimis aure perceperant, inani spe iam toram Saxoniam possidebant,& quasi iam possidentes inani spe decepti, animo tumescebant. Tota igitur festinatione, quo spes eos trahebat, sequi properabant; nec exercitum valde indignum esse volebant, ne singuli eo minus illius regionis acciperent, quo plures illam diuisuri fuissent, quod natura fert, vt tanto fiat partium minor quantitas, quanto fuerit earundem partium numerosior pluralitas. Venientes ergo ad syluam, quę Thuringos separat à Francia, audiebant (quod & verum erat) quod Saxones ex altera parte syluæ cum tanta multitudine sederent, quantam prius nunquam sint auditi collegisse. Nam de militibus armatis millia fere sexaginta habebant,qui vel fortiter mori, vel terram suam tueri volebant. Quod auditum,quum primo non crederent,postquam missis exploratoribus, nimis verum esse cognoscebant,multo magis redire timore cogente,quam venire spe trahente properabant. Sed Henricus Exrex, ne tantum frustra congregasset exercitum, cum eodem agmine Sueuos petiit: vbi nec Ecclesiis, nec atriis Ecclesiarum pepercit, & inter sacras profanasque res nullam differentiam fecit, vt illorum auaritiam insaturabilem saturaret, quos Saxoniam pollicendo fefellerat. Ibi (quod anticipando iam narraui) Treuerensis Archipræsul Vdo subitanea morte miserabiliter obiit, dum timore Dei postposito, manibus profanis in sacras res liceret ire, permisit.

Interea Dominus Apostolicus apostolici vigoris oblitus (qua causa nescimus) multum

multum est à priore sententia mutatus. Nam qui prius Henricum cum omnibus suis adiutoribus Apostolica seueritate excõmunicauerat,eiq; regnandi potestatem potenter interdixerat, & omnes qui ei fidelitatem iurassent, à iuramenti nodis Apostolica auctoritate absoluerat, & electionem noui Regis consensu suo confirmauerat,nunc per literas mandauit, vt concilio facto Rex vterq; conuocatus audiatur, & quem iustitia regnare permiserit, altero deposito tutus in regno confirmetur. Quarum literarum, vt planius quod dico possit intelligi, subter exemplum ponere curaui,quæ venerunt mense Febr.anno Domini MLXXVIIII.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei,charissimis in Christo filiis B. Diacono,& B. Abbati,salutem & Apostolicam benedictionem.Fraternitati vestræ notum esse non ambigimus, Bernardus Diac. Cardinal. Bernardus abb. in Massilia.
quod ideo ab Vrbe, consisi de misericordia Dei & adiutorio B.Petri,egressi sumus,vt ad Teutonicorum partes,composituri inter eos ad honorem Dei, & vtilitatem S. Ecclesiæ pacem,transiremus. Sed quod defuerunt qui nos secundum quod dispositum erat,conducerent,impediti aduentu Regis in Italiam, in Longobardia,inter inimicos Christianæ religionis, non sine magno periculo remansimus, & adhuc,sicut desiderauimus,vltra montes proficisci nequiuimus. Quocirca monemus vos, & ex parte B. Petri præcipimus, vt fulti auctoritate nostri præcepti, nostraque vice ab eodem Apostolorum principe accincti,vtrumque Regem, Henricum videlicet atque Rodulfum commoneatis, quatenus nobis viam illic secure transeundi aperiant, & adiutorium atq; ducatum per tales personas, de quibus vos bene confidatis, præbeant, vt iter nobis (Christo protegente) pateat.

Desideramus enim cum consilio clericorum,atque laicorum eiusdem regni,qui Deum timent & diligunt, causam inter eos (Deo fauente) discutere, & cuius parti magis ad regni gubernacula iustitia faueat, demonstrare. Scitis enim quod nostri officii & Apostolicæ sedis est prouidentia,maiora negotia Ecclesiarum discutere, & dictante iustitia definire. Hoc autem quod inter eos agitur negotium tantæ dignitatis est,tantique periculi,vt si à nobis aliqua fuerit occasione neglectum,non solum illis & nobis,sed etiam vniuersali Ecclesiæ magnum & lamentabile pariat detrimentum.

Quapropter si alteruter prædictorum Regum huic nostræ voluntati ac deliberationi parere,& ad vestra monita locum dare renuerit,suamque superbiam,atque cupiditatis faces contra honorem Dei omnipotentis accendens,ad desolationem totius Romani imperii anhelare tentauerit, omnibus modis, omnique ingenio vsque ad mortem (si oportet) nostra vice resistere: immo B. Petri auctoritate et totius regni gubernacula contradicendo,tam illum,quam omnes sibi consentientes, à communione corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi,& à liminibus S. Ecclesiæ separate,illud semper habentes in memoria,quod scelus idololatriæ incurrit, qui Apostolicæ sedi obedire contemnit,& quod B. Gregorius Doctor sanctus & humilimus,decreuit Reges à suis dignitatibus cadere,si temerario ausu præsumerent contra sedis Apostolicæ iussa uenire. Alteri vero qui nostræ iussioni humiliter paruerit,& obedientiam vniuersali matri sicut decet Christianum Regem exhibuerit,conuocato concilio omnium clericorum & laicorum,quos aduocare poteritis,consilium & adiutorium in omnibus præbete, & in regia dignitate per auctoritatem B. B. Apostolorum Petri & Pauli, nostra vice confirmate, omnibusq; Episcopis, Abbatibus, Clericis ac Laicis in toto regno habitantibus, vt ei fideliter,sicut Regi oportet,obediant,ex parte omnipotentis Dei præcipite.

G. Episcopus seruus seruorum Dei dilectis in Christo fratribus Archiepiscopis,Episcopis, Ducibus, Comitibus,& vniuersis Christi fidelibus,clericis & laicis tam maioribus quam minoribus in regno Teutonicorum consistentibus salutem & Apostolicam benedictionem. Notum fieri vobis volumus,fratres charissimi, quia legatis nostris, B. videlicet S. Romanæ Ecclesiæ fideli filio & diacono, itemque B. Abbati Massiliensis monasterii religioso præcipimus, vt vtrumque Regem Heinricum videlicet & Rodulphum, aut per se aut per idoneos nuncios admoneant,quatenus viam mihi pro discutiendo negotio, quod peccatis facientibus inter eos ortũ est, ad vos (Deo fauente) secure veniendi præbeant.In magna enim tristitia & dolore cor nostrum fluctuat, si per vnius hominis superbiam tot millia hominum Christianorum temporali & æterna morti traduntur, & Christiana religio confunditur, & Romanum imperiũ ad perditionem perducitur. Vterq; namq; Rex à nobis, immo ab Apostolica sede,cui licet indigni præsidemus, adiutorium requirit, & nos de misericordia omnipotentis Dei & adiutorio B. Petri confidentes, parati sumus cum vestro consilio, qui Deum timetis, & Christianam fidem

diligitis, æquitatem cauſæ vtrimq; decernere, & ei præbere auxiliũ, cui iuſtitia ad regni gubernacula fauere dinoſcitur. Qua propter ſi alteruter eorum ſuperbia inflatus, aliquo ingenio, quominus ad vos venire poſsimus, obſtiterit, & de ſua iniuſtitia timens iudicium S. Spiritus refugerit, inobediens factus, reſiſtendo ſanctæ & vniuerſali matri Eccleſiæ, hunc velut membrum Antichriſti & deſolatorem Chriſtianæ religionis contemnite, & ſententiam quam noſtri legati contra eum noſtra vice dederint, conſeruate, ſcientes, quod Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Alteri vero qui ſe humiliter habuerit, & iudicium decretum à Spiritu S. per vos autem prolatum non contempſerit (indubitanter enim credimus, vbicunque duo vel tres in nomine Domini congregati fuerint, quod præſentia eius illuminantur) illi inquam ſeruitium & reuerentiam, ſecundum quod noſtri præfati legati decreuerint, exhibete, adnitentes & modis omnibus ei obſequentes, vt regiam dignitatem honeſte poſsit obtinere, & S. Eccleſiæ iam pene labenti ſuccurrere. Non enim à corde veſtro debet excidere, quod qui Apoſtolicæ ſedi obedire contemnit, ſcelus idolatriæ incurrit, & quod B. Gregorius Doctor ſanctus & humillimus Reges decreuit à ſuis dignitatibus cadere, & participatione corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti carere, ſi præſumerent Apoſtolicæ ſedis decreta contemnere. Si enim cæleſtia & ſpiritualia ſedis B. Petri ſoluit & iudicat, quanto magis terrena & ſecularia? Scitis autem, fratres chariſſimi, quod ex quo tempore ab Vrbe exiuimus, in magno periculo inter inimicos Chriſtianæ fidei manſimus, & tamen neutro prædictorum Regum neque terrore, neq; amore flexi, aliquod contra iuſtitiam adiutorium promiſimus. Magis enim volumus mortem (ſi oportet) ſubire, quam propria voluntate deuicti, vt Eccleſia Dei ad confuſionem veniat, conſentire. Ad hoc enim nos ordinatos & in Apoſtolica ſede conſtitutos eſſe cognoſcimus, vt in hac vita non quæ noſtra, ſed quæ Ieſu Chriſti ſunt quæramus, & per multos labores patrum veſtigia ſequentes, ad futuram & æternam quietem (Deo miſerante) tendamus.

Acceptis his literis, Bernhardus Cardinalis quod ſibi iniunctum eſt exequitur. At noſtrates cum ipſas literas accepiſſent, à magna ſpe, quam in Apoſtolica petra poſuerant, exciderunt, quod prius cœlum ſtare, vel terram crediderãt cœli modo moueri, quam cathedram Petri amittere conſtantiam Petri. Has igitur ei literas remiſerunt, quibus eum ancillæ (præſentis ſcilicet vitæ timore) perterritum, quaſi voce galli clamantis excitare, & reſpectu Chriſti confortatum ad priſtinæ virtutem conſtantiæ reuocare voluerunt.

Domino Apoſtolico & venerabili Papæ G. beati Petri fideles & ſui, tantum ſeruitutis quantum oppreſſi valent. Multas iam huic ſanctæ ſedi, pro diuerſis calamitatibus noſtris querimonias expoſuimus. Quod autem nondum aliquid iuſtitiæ vel conſolationis conſequuti ſumus, non tam veſtræ ſanctitati quam noſtris peccatis imputamus. Si igitur noſtro conſilio, & propria deliberatione rem, pro qua tanta mala nos inuenerunt, aggreſſi fuiſſemus, minus moleſte ferendum eſſet, ſi ad ſuccurrendum nobis veſtra ſe grauitas tardius erigeret. Nunc autem ſarcinam illam quam ſola veſtra auctoritate iubente ſuſcepimus, eadem quoque manum ſupponente leuigari oportuit. Teſtis eſt excellentia veſtra & literæ veſtræ, quas in teſtimonium habemus, quod neque conſilio noſtro nec etiam pro cauſa noſtra, ſed pro illatis ſedi Apoſtolicæ iniuriis Regem noſtrum regia dignitate priuaſtis, nobisq; omnibus terribili interminatione, ne ei ſicut regi ſeruiamus, interdixiſtis, & omnes Chriſtianos à vinculo iuramenti, quod ei fecerunt, vel facient, abſoluiſtis, deinde eum vinculo anathematis alligaſtis. In his omnibus veſtræ paternitati cum magno periculo (ſicut nũc patet) obediuimus, & quod eidem depoſito depoſitionem veſtram cum cæteris concordare nolumus, tantam in nobis crudelitatem exercuit, vt quam plures ex noſtris amiſſa omni ſubſtantia animam in hoc certamine poſuiſſent, & filios ſuos exheredes, & ex diuitibus pauperes reliquiſſent. Qui autem reſidui ſunt, de vita cottidie ſolliciti, vitæ ſubſidia pene omnia amiſerunt. Sed cum nulla nos perſecutione poſſet ſuperare, ſuperatus eſt ille, vt licet nolens ſuam vobis præſentiam exhiberet, & ei quem in honorauit, cum ſuo dedecore honorem impenderet. Pro quo labore hunc fructum recepimus, quod ille qui cum periculo animarum noſtrarum veſtigia pedum veſtrorum adorare compulſus eſt abſque noſtro conſilio, & ſine correctione abſolutus ad nocendum nobis libertatem recepit. Quumque illa anathematis abſolutio per epiſtolam veſtram nobis innoteſceret, de ſententia regni, quæ in eum proceſſit, nihil mutatum eſſe intelleximus, ſed ne nunc quidem, ſi mutari poſsit, intelligimus. Abſolutio enim illa iuramentorum qualiter caſſari poſsit, nullo modo percipere valemus. Sine Sacramentorum autem obſeruatione Regia dignitatis officium nequaquam adminiſtrari poteſt. Ergo

quam

quum iam vltra anni terminum sine rectore essemus, in locum de quo præuaricatus est ille, alius Principum nostrorum electione subrogatus est. Quumq; de electo nobis Rege, & non de Regibus, spes magna ad refocillandum Imperium succresceret, ecce ex insperato literæ vestræ aduenientes, duos in vno regno Reges pronuntiant, duobus legationem decernunt. Quam Regii nominis pluralitatem, & quodãmodo regni diuisionẽ, diuisio quoq; populi & studia partiũ subsequuta sunt: quippe quũ in epistolis vestris illius præuaricatoris personã semper præponi cernerent, & ab eo sicut à potente exigi, quatenus ducatũ vobis in has partes ad discutiendas causas præberet. Cuius discussionis qualis modus sit (vt salua gratia vestra dicamus) mirabile est in oculis nostris, scilicet vt is qui iam synodali iudicio nulla conditione interposita depositus est, also in eandem dignitatẽ Apostolica auctoritate firmato, nunc tandem ad rationẽ ponatur & quod finitum est denuo incipiatur, & de re indubitabili quæstio moueatur. Hoc quoq; infirmitatem nostram mouet, quod (sicut nobis persuadetur) vt in incepto firmiter perduremus, sic etiã contrariæ parti verbis & rebus spes innuitur. Nam familiares prædicti Heinrici, qui ab omni regno infamia notantur, quiq; illis sicut Regi seruiendo synodalibus præceptis manifeste inobedientes sunt, & vna cum suo capite per legatum Apostolicum ab Ecclesia sancta separati sunt, ad hanc sedem venientes benigne suscipiuntur, & non solum impuniti redeunt, sed insuper gloria & honore coronantur, & ad priorem inobedientiam superbiendo reuertentes nostræ miseriæ insultant. Nobis autem quasi ridiculis ad insipientiam reputatur, quod ab illorum consortio abstinemus, qui ab ipso capite nostro tam tarditatiue in communionem recipiuntur. Accedit & hoc ad cumulum nostri infortunii, quod præter illa quæ nos ipsi delinquimus, & aduersariorum culpa in nobis cuditur, dum nostræ negligentiæ attribuitur, quod idoneos & frequentes legatos huc non mittimus. Luce enim clarius patet, quod illi hoc fieri prohibent, qui ne prohiberent iureiurando promiserunt. Et nunc de violẽta sacri ustineris intercluſione, & de manifesto illorum periurio siletur, & nobis imputatur, quod nuncios non mittimus. Scimus charissime Domine, & ex consideratione pietatis vestræ speramus quod hæc omnia bona intentione, & aliqua subtili deliberatione agitis: Sed nos homines imperiti occultã illam dispensationẽ penetrare non sufficientes, quod manifeste vidimus & audiuimus, de illa vtriusq; partis confortatione, & rerum cæterarum incerta dilatione ortũ esse, & cottidie oriri vobis exponimus. Hæc sunt bella intestina & plusquam ciuilia, homicidia innumerabilia, vastationes, incendia, sine differentia domus & Ecclesiæ, oppressiones pauperũ, incõparabiles rerũ Ecclesiasticarũ direptiones, quales nũquã audiuimus aut vidimus, legũ quoq; diuinarũ & secularium defectus, sine spe reparationis. Postremo in dimicatione duorũ Regũ, quorũ vterq; ad obtentum regni spẽ à vobis accepit, tanta prostigatio regaliũ, vt posthac Reges nostrarũ partium rapinis potius quã regalibus sustentandi sint. Hæc incõmoda aut nulla iã essent aut minora multo, si in incepto itinere neq; ad dexteram, nec ad sinistrã sententia vestra diuertisset. Arduũ iter propter zelum domus Domini aggressi estis, in quo progredi laboriosum est, regredi aũt inhonestum. Nolite, sanctissime pater, nolste in via deficere, & ne vlterius differendo, & vtrinq; cauendo tanta mala crescere & multiplicari sinatis. Si graue vobis est pro illis verba facere, qui pro vobis vitam in magno discrimine posuerunt, Ecclesiæ tamen vestris tẽporibus miserabiliter destructæ, & inaudita oppressione in seruitutem redactæ succurrite. Cuius apertis destructoribus, si aperta fronte in faciem resistere propter instantia pericula cautum non videtur, hoc saltem cauete, ne hoc quod iam feciſtis, irritum fieri permittatis.

Nam si hoc quod in synodo Romana definitum, & postea à legato sedis Apostolicæ confirmatum est, silentio contegi, & pro nihilo haberi oportet, quid posthac nobis credendum vel pro rato habendum sit, omnino ignoramus. Hoc sanctitati vestræ nequaquam arroganter sed in amaritudine animæ nostræ locuti sumus, quod non est dolor similis sicut dolor noster.

Quum enim per obedientiam pastoris luporum faucibus expositi simus, si etiam ab ipso pastore nobis cauendum est, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Deus autem omnipotens in talem zelum vos contra inimicos Christi erigat, quatenus illa, quam in vobis posuimus spes, nos non confundat.

Ad quas literas cum nullum pro velle suo responsum accepissent, has ei literas iterum miserunt, vt quod non primo quasi galli cantu (sicut secundum Marcum nec Petrus est excitatus) saltem cum secundo quasi gallus, populus Ecclesiæ vocem daret, à torpore dubitationis ad constantiam Petri cum Petro suscitatus exurgeret.

Domino vere Apostolico G. B. Petri fideles & sui, deuotum pro viribus obsequium. Nouit sanctitas vestra, & omnibus circumquaque notum est, quam difficulter, quantoque baiulorum discrimine legationes ad vos transmittimus, quod iter, quod omnibus temporibus, omnibus populis, tribubus, & linguis apertum fuit, & peruium, nunc clauditur & prohibetur, & illis maxime qui non minimum pro honore illius laborauerunt, ad cuius corpus eadem via ducit. Vestro vero honori & nostræ necessitati congrueret, & quod cum tanta difficultate perpetramus, aliquid nobis inde vtilitatis, aliquid in tribulatione consolationis proueniret. Sed quicquid quæstionis, quicquid querimoniæ ad hanc sedem (quæ semper iudicij & iustitiæ magistra fuit) dirigimus, nihil definitæ responsionis recipimus, sed omnia in futurum incerta suspenduntur. Nam inter alia multa hæc quoque Sanctitati vestræ nuper indicauimus, qualem sententiam Dominus B. in Henricum Deo odibilem suosq; participes protulerit, quidque de Rege Rudolpho vestra iussione statuerit, fiduciam habentes, si hoc ad notitiam vestram perueniret, omnem causam nostram in hoc procedere & prosperari. Sed post longam expectationem nostrã, tandem reuerso nuncio nihil aliud nobis consolationis relatum est, nisi quod diceret is his quæ mandauimus, vos fidem non habuisse. Et quare charissime Domine incredibile vobis visum est, quod fratres nostri & coepiscopi, scilicet Dominus Werzinburgensis, Patauiensis, & alii viri religiosi vobis in veritate nunciauerunt, quicquid se vidisse & audisse testati sunt? Certe, Domine, non in verbis mendacii confidimus liberari, sed magis credimus quod veritas liberabit nos. Deus qui est veritas, qui solus laborem & dolorem considerat, non deseruit sperantes in se, visitauit nos in misericordia & miserationibus. Nam Rex noster R. fortis in eo, qui dat salutem Regibus, de inimicis Domini potenter triumphauit, H. autem solito more, cum suis complicibus, præter eos qui in gladio ceciderunt, in fugam versus est, comite illo & conparticipe, cuius malitiam vos in bono vincere frustra tentastis: R. scilicet Bauenbergense, qui horũ omniũ auctor & incentor est, & ô vtinam de sua sociorumque eius flagitiosa fallacia adhuc satis edocti fuissetis? Nolite charissime Domine, nolite amplius ad irrisionem nominis vestri, huiusmodi homines mulcere, & post tam frequentes repulsas, turpesq; deceptiones iterum atque iterum ducatum ab eis quærere. Aduentus vester ad nos tanto nobis esset desiderabilis, quanto & necessarius: sed vere scimus, quod sponte illorum ad nostras partes nunquam venietis, nisi prius certi sint, vos illorum parti fauere, non pro iustitia sed pro voluntate ipsorum. Quapropter nolite in eorum fide spem ponere, quorum perfidia totiẽs deceptus estis. Ecce videtis, quomodo multiplicata sint mala in terra, mala quorum non est numerus, & certamen, quod à vobis initum, vestraque iussione susceptum est, iam non per vos, nec per vestra decreta componitur, sed gladiorum iudicio terminandum derelinquitur. Rogamus ergo vos, & obsecramus in Domino, vt remotis iam blanditiis & dilationibus, iustitiæ zelo vos accingatis: & si non propter nos, tantum propter honorem sanctæ sedis Ecclesiæ confirmate, quod operatus est eiusdem sedis legatus, ita vt & viua voce & literis vbique transmissis sine ambiguitate denuncietis, quid in hac Ecclesiæ diuisione tenendum sit, quid sequendum. Quod si iam dudum factum fuisset, certi sumus, quod pars iniqua adeo iam vires perdidisset, vt nec vobis, nec nobis amplius nocere præualeret. Ne adiiciat vltra S. vestra de certis ambigua & vtrimque vergentia statuere, quæ vsque modo nos ita fouere visa sunt, quatenus inimicos tamen non exasperarent. Sed certum est, quod nullo modo Ecclesiam vobis commissam, de sua miseria poteritis liberare, nisi inimicorum illius inimicitias velitis tolerare. Rogamus etiam ne in hac statuta canonica deficere patiamini, quatenus corpora excommunicatorum, qui in persequendo Ecclesiam occisi sunt, in atriis Ecclesiarum sepeliri permittatis, vbi autem sepulta sunt, ibi diuina officia celebrari prohibeatis. Multi ex eis in Augusta ciuitate sepulti sunt. Eiusdem loci congregationibus, literas vestras per discurrentes peregrinos satis mittere potestis. Deus autem omnipotens in his & in omnibus ita vos dirigat, vt sicut Ecclesiæ sanctæ præesse, sic & prodesse valeatis.

Tertiam quoq; direxerunt epistolam, quam iusserunt in synodo Romana recitari, si Dominus Apostolicus vel vniuersalis Ecclesiæ interuentu ad dignitatis Apostolicæ rigorem possit excitari.

Conquerimur B. Petro, eiusque vicario, Domino Apostolico G. omnique S. Romanæ Ecclesiæ concilio, super iniuriis multis, & violentiis, quas à Domino H. passi sumus, & incessanter patimur, non ob aliam causam, nisi quod sedi Apostolicæ obedientes sumus. Peruenit autem ad nos in S. Synodo Romana nuper habita quæsitum esse, & dubitari à quibusdam, vtrum prædictus vir ille excommunicandus sit, an non. Quapropter nos quibus res ista graui experimento euiden-

euidentius inuotuit, annuntiare pro nostra æstimatione dignum duximus, quantis existentibus causis ipse non solum excommunicandus sit, sed multis modis iam vere excommunicatus. Testis est hæc S. Romana Ecclesia, pro quantis sceleribus, & quam inaudita præsumptione, in synodo eiusdem Ecclesiæ vinculo anathematis alligatus est, non prius tamen (sicut ex ipsius Domini Apostolici literis didicimus) quam ipsum multa sedis Apostolicæ monita spernentem, semper excorreptione deteriorem esse probatum est. Pẽsetur ergo de illo, qui ante triennũ incorrigibilis inuentus est, si intra triennium istud sic correctus resipuerit, vt nunc de proferenda in illum sententia dubitari oporteat. Excommunicatus ergo (sicut iam diximus) quod diuturna pertinacia vltionem Apostolicam despexerit, vndiq; notum est. Tandem necessitate, quæ nunc est incognita, coactus, absolutionem quærens, prius impetrare non potuit, quam iureiurando pollicitus est, se de omnibus sibi obiectis satisfacturum, prout Dominus Papa sibi tempus constitueret. Hac conditione absolutus recessit. Quum autem placuisset Domino Apostolico missis legatis & literis, exegit ab eo vt faceret, quod iureiurando promisit. Quarum literarum latores quum appropiarent ad eum, à suis fautoribus capti, quidam in custodiam missi sunt, quoadusque pecunia redimerentur, alii vero excoriati ac decapillati sunt. Quod quum ad nostros renunciatum fuisset, iterum per alium nuncium legationem & literas Apostolicas transmiserunt: à quo ipse verba legationis audiens, nihil respondit, literas vero porrectas accipere recusauit. Huius rei testes sunt multi idonei, præcipue autem sedis Apostolicæ legatus Dominus B. Cardinalis, qui ob id negotium, in illas partes transmissus erat. Qui quum legationem suam in irritum procedere conspexisset, quamuis certum fuisset prædictum virum pro adiuncto inobedientiæ periurio prioris anathematis vinculo innodatum, de quo iam ad tempus conditionaliter absolutus fuit, tamen quod sibi ab Apostolica sede iniunctum est, superimposuit. Iussione igitur Apostolica regni gubernacula denuo ei contradicendo, à corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, & à liminibus S. Ecclesiæ separauit, tam illum, quam omnes sibi consentientes, & virum alium in regia dignitate confirmauit Apostolica auctoritate. Quæ S. Ecclesiæ Romanæ edicta sicut alia multa contemnens, regnum sibi iam secundo interdictum inuadens, vsque adeo dissipando demolitus est, vt iam Regnum dici non valeat, cui nulla pene regalia superstant. Quũ autem ad conciliandos sibi fautores Regni facultates non sufficerent, manum in sancta sanctorum extendens, Ecclesiarum Dei publicus inuasor effectus est, non eo quasi modo, quo iam ab aliquibus Tyrannis præsumptum esse cognouimus. Incomparabiles enim & sine exemplo prævaricationes iste fecit. Nam non quælibet prædia, aut modicas aliquas facultates Ecclesiarũ, sed Episcopatus quamplures aufugatis Episcopis sibi vsurpauit, & quicquid ad seruitia vel sustentationes Episcoporũ pertinuit, totum suis suorumq; vsibus mancipauit. Pro qua re Episcopis proclamantibus Dominus Papa, querimonijs eorum satisfaciens pro sua pietate in synodo, quæ XVII. Kal. Decemb. habita est, excommunicauit omnes qui bona eorum inuaserunt. Quod cum prædicto viro cognitũ fuisset, quem eiusdẽ inuasionis auctorem & participem esse certissime constat, nec ipse propter hoc ab inuasione cessauit, nec eos qui vna cum ipso excommunicati sunt, à sua cõmunione vel ad horam repulit. Audiuimus autem, quod sui defensores his querimonijs tales excusationes obtendant, quod ipse de bonis Ecclesiarũ nulli aliquid præstiterit, neq; de manu eius acceperit, vel aliquis ipso iubente inuaserit. Quod nec nos illi obiicimus: sed in hoc illũ accusamus, quod & approbare paratissimi sumus, quippe quod sui sua permissione bona Ecclesiastica inuaserunt, quibus ipse rogantibus hoc concesserit, diuidens singulis, prout voluit: & hac mercede cõducti sunt, vt iniquitati suæ vires administrarent. Quæcunq; aũt de facultatibus Episcoporum in illa distributione militibus non concessa superfuerunt, his ipse tanquam proprijs vtitur, & tam manifeste suis vsibus deseruiunt, ac si hereditario iure sibi prouenissent. In qua accusatione si falsitatis convincimur, nos qui accusatores sumus, accusati pœnam subire parati sumus. Iudicet ergo S. sedes Apostolica, inquirantur sanctorum Patrum concilia, interrogentur Romanorum Pontificum decreta, vtrum hi qui ista faciunt, vel consentiunt facientibus, pro excommunicatis & sacrilegis habendi sint, & si vel ipsis, vel ipsorum fautoribus communicandum sit. Quis quũ vere sciant vera esse, quæ de eo loquimur, scienter cõmunicant eius operibus malignis & huc ad hoc venire solent, vt tantæ iniustitiæ latebras defensionis obtendant, & tantorum scelerum patroni existant. Quumque in concilio huius S. Ecclesiæ (quæ semper ab excommunicatis abstinere docuit) se quasi oratores exhibent, ita patienter audiuntur, sicut nostri nullo discrimine inter læsos & lædentes habito. Hi etiam nuper in comitatu Domini sui in eos insurrexerunt, qui præceptis Apostolicis obediunt, vt ad inobedientiam constringerent: scilicet in partibus

Suenia, vbi incendiis Ecclesiarum, & altarium destructionibus sacrilegia innumerabilia commissa sunt. In qua re illos nec accusamus, nec excusamus: illud autem vere affirmamus, quod rapina illa in Ecclesiis & earum atriis facta consensu & permissione tam Principis, quam omnium pene maiorum qui aderant, perpetrata est, ea quidē deliberatione, quod sacrilegum illum exercitum aliter sustentari non posse censuerit. Hoc quoque nouit S. Romana Ecclesia, quod præfatus H. Domino Apostolico iureiurando affirmauit, quod nullum àmodo, qui ad limina Apostolorum de quibuscunq; terrarum locis tenderet, vel ipse, vel aliquis eorum quos constringere posset, prohiberet. Qualiter autem iuratam illam promissionem obseruauerit, nobis tacentibus, ipsa rerum indicia manifestant. Ergo præter illam quæ & ab antiquis patribus, & à vestra sanctitate in huiusmodi præuaricatores promulgata est, Archiepiscopus Maguntinus maiorum exempla secutus, adiunctis sibi Episcopis numero septem, quibus eadem iniuriæ ratio fuit, pro defensione Ecclesiæ sibi commissæ, prædictum virum (qui parochianus illius est) tradidit Sathanæ in interitum carnis cum vniuersis suis complicibus.

Item Dominus Episcopus Wirzenburgensis præsente & cooperante sedis Apostolicæ legato Domino B. omnes illos anathemizauit, qui actu vel consilio in hoc culpabiles extiterunt, quod ille à sua sede prohibitus est. Cuius prohibitionis auctor non incertus est, qui etiam in eiusdem sedis ciuitate, in qua pene nemo non excommunicatus est, frequentissime moratur, Ecce audiuit Sanctitas vestra, quam multis modis vir ille cum suis damnatus sit, & vere damnandus. Rogamus ergo vos per nomen Domini nostri Iesu Christi, & per eum cuius vicem agitis, vt si iam prolatis in eosdem homines sententiis aliquid superaddere necessarium non putatis, hoc tamen firmissime prohibeatis, ne vel in hac sancta sede, vel alicubi ad communionem recipiantur, priusquam Ecclesiis quas læserunt, satisfaciant, ne grex vobis commissus amplius ab eis contaminetur, & ne pessimum illud fermentum totam massam corrumpat.

Tunc ab ipsa Synodo in Teutonicas partes subiectam misit epistolam.

G. Seruus seruorum Dei, omnibus Clericis & Laicis in regno Teutonico constitutis, qui excommunicationis vinculo non tenentur, salutem & Apostolicam benedictionem. Qua & quanta nobis cura fuerit, & est, vt pestilentia, clades, & desolatio à regno vestro auferatur, pax & honestas & solidum decus vobis reddatur, in Synodo quæ hoc anno in Quadragesima Romæ celebrata fuit, declarauimus. Iudicio enim S. Spiritus decreuimus & præcepimus, vt in regno vestro omnium conuentus Episcoporum, & laicorum eorum qui timent Deum, & inter vos pacem desiderant, fieret, & coram nostris legatis decerneretis, si cui Henrico videlicet vel Rudolfo, qui de regni gubernaculo inter se decertant, amplius iustitia faueret, pars q; iniusta ratione deuicta, & B. Petri auctoritate constricta facilius cederet, & ab interitu animarum & corporum (Deo propiciante) cessaret, iustior vero pars amplius de Deo confideret, & adiuta B. Petri auctoritate, & omnium iustitiam diligentium consensu, de victoria omnino speraret, & neutram mortem timeret. Sed quia peruenit ad nos, quod inimici Dei & filii Diaboli quidē apud vos contra interdictum Apostolicæ sedis prædictum conuentū procurent in irritum ducere, & non iustitia, sed superbia, ac totius regni desolatione suas cupiditates anhelent implere, & Christianam religionem destruere, monemus vos, & ex parte B. Petri præcipimus, vt talibus nullum auxiliū præbeatis, neque illis communicetis. In prædicta enim Synodo iam omnis excommunicationis & anathematis sunt vinculo innodati, & vt nullam victoriam possint obtinere, B. Pet. potestate sunt obligati: vt saltem coacti confundantur, & à morte animarum suarum & desolatione propriæ patriæ reuocentur. Vos autem, fratres charissimi, de me nullo modo dubitetis, quod iniustæ parti scienter aliquo modo faueam. Magis enim pro vestra salute desidero mortem subire, quam totius mundi gloriam ad vestrum interitum arripere. Quod si aliqui de falsitate confisi, literis vel verbis vobis aliter indicauerint, nullo modo eis acquiescatis: Deum enim timemus, & pro eius amore cottidie affligimur, & ideo superbiam & oblectamenta seculi parui pendimus, quod cito apud eum consolari indubitanter credimus. Omnipotens & misericors Deus qui vltra spem, vltra meritum miseretur, & consolatur nos in tribulatione nostra, aperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis confirmet vos, vt auctoritate B. Petri à cunctis peccatis absolutos vos ad cœleste regnum perducat regnaturos.

Contra quam nostrates hanc, quam suppositi, miserunt epistolam.

Accepimus dudum sanctitatis vestræ literas hoc continentes, quod vos in synodo Romana decreuistis, quatenus in nostris partibus conuentus omnium Episcoporum & laicorum Deum timentium fieret, ad discutiendum hoc, cui illorum qui de regni gubernaculo certant, iustitia

magis

magis faueat. In qua re primum hoc miramur, quod prudentia statuit, quod nullo modo posse fieri constat. Nouimus enim hoc memoriæ vestræ non excidisse, quod tam assiduis querimoniis frequentatum est apud vos, quippe quod pene omnes Episcopi, qui sedi Apostolicæ obediunt, de suis Episcopatibus expulsi à facie persequentium fugiunt, & latitant, & quomodo hi cum suis persecutoribus conuenire, & conferre de his causis possunt, pro quibus aliqui illorum occisi sunt, quidam in captiuitatem abducti, reliqui vero omnibus rebus suis exspoliati? Deinde hoc quoque mirandum censemus, quod illius hominis causam cum illis hominibus discutere iubemur, quos vtrosque legatus S. Romanæ Ecclesiæ vestra iussione à liminibus Ecclesiæ S. separauit. Si autem nihil horum obstitisset, quid nostra interest, vt iam dudum finitam Synodi Romanæ sententiam retractemus, & denuo ad rationem ponamus? quid ad nos, vt discutiamus, si illi iustitia faueat ad obtinendum Regnum, cui vos regni gubernacula iam ante triennium Synodo iudicante interdixistis? nonne magis oportuit vt iudicium illud discussio præcederet, quam nunc tandem subsequatur: Nouimus intelligentiam vestram, quod nunquam de re indiscussa Synodus vobis præsidente iudicauit. Quæ ergo necessitas secundæ discussionis? Si autem prædictus ille nondum discussus est, sed (sicut vos dicitis) adhuc discutiendus, quæ ratio fuit, vt homini indiscusso Regalis dignitas ex dignitate Apostolica sine vllo conditionis additamento interdiceretur? Si nondum discussus, sed adhuc discutiendus, quare Regi alteri obedire ex vestra auctoritate iussi sumus, priusquam certum fuisset istum non posse regnare? Huius rei testes sunt apud nos litteræ vestræ, Quippe quod legatus sedis Apostolicæ vestra iussione anteriori illi denuo regni gubernacula interdicendo à liminibus S. Ecclesiæ separauit, tam illum, quam omnes sibi consentientes: Alterum vero, qui in locum illius subrogatus est nostra electione, in Regiam dignitatem Apostolica auctoritate confirmauit, omnibusq; in regno Teutonico consistentibus, vt sibi obediant, ex parte omnipotentis Dei præcepit. Nunquid hæc omnia destruenda sunt, & pro nihilo reputanda? Vt autem de reliquis omnibus taceamus, certe si sola illa absolutio Sacramentorum, quam in synodo fecistis, effectum habitura est, indubitanter constat, quod iste Rex esse non potest. Quomodo enim regnare potest, cui nullus àmodo fidelitatem ex debito seruat? quomodo regere populum potest, qui in agendis causis legalibus neminem ad faciendum iustum iudicium Sacramentorum obligatione constringere potest? Si autem (quod absit) Apostolica illa indulgentia pro rato habenda non est, quid erit de illis Episcopis, & aliis, qui propter prædicta absolutionis iuramenta H. prædicto facta infregerunt? nonne manifeste periurii conuincuntur? Si enim ille iuste regnare potest, isti iniuste fecerunt, qui promissa sibi fidelitatis iugum à se proiecerunt. Adhuc aliud. Quid de illis Sacramentis erit, quæ postea Regi R. facta sunt? cuius ditioni vestra auctoritate subiugati sumus? Ecce qualis rerum perturbatio. Attendant & videant omnes, qui sanum sapiunt, si factum est huiusce modi, si audita est vnquam in Ecclesia confusio similis huic confusioni. Vide charissime Domine, quod terra commota est & conturbata. Si vultis sanare contritiones eius, in eo quod cœpistis firmiter persistite, & quod ædificastis, non destruite: Si enim in inceptò itinere retrorsum redire, & ob difficultatem diuerticula quærere vultis, non solum vulnerata non sanatis, sed quæ sana sunt vulneratis. Nam si ea dissimulando, quæ vestra statuit auctoritas, nos in media tempestate quam pro vobis incurrimus, derelinquitis: testis est super nos cœlum & terra quod iniuste perditi sumus.

Item post aliquid temporis interuallum nostrates hanc Epistolam Domino Apostolico miserunt:

Non latet sanctitatem vestram, quantos vobis obediendo persecutiones passi sumus: quomodo æstimati sumus sicut oues occisionis: quomodo traditi sumus in fabulam & in imperium. Si ergo talia pro vobis sustinendo nihil à vobis gratiæ meruimus, nec digni sumus quorum liberationi studium impendatur: quare saltem iustitia, quæ nec inimicis deneganda est, nobis denegatur? Si ergo iustum est, quod iustum esse multis vestris hortationibus didicimus, scilicet, vt illi sententiæ vestræ quæ in H. processit, obediamus, illi qui è contrario eidem sententiæ vestræ superbe repugnarunt, quare secundum iustitiam non constringuntur? quare pro hac inobedientia nullam Apostolicæ grauitatis censurã sentiunt? quare illis conceditur, quod tam ipsis quam nobis interdictum est? Aut quomodo illis licet, quod nobis illicitum factũ est? Ecce ipsi sine omni contradictione vestra illi ad obtentum Regni auxilium præbent, cui vos regni gubernacula interdixistis. Illi sicut regi seruiunt, quẽ vos vsq; adeo à regia dignitate deposuistis, vt omnes à vinculo iuramenti quod ei fecerunt, vel facient, absolueretis, illi partici-

pando communicant, quem legatus S. Romanæ Ecclesiæ denuo sibi regni gubernacula contradicendo à liminibus S. Ecclesiæ separauit. Illi ad oppressionem nostram cum omni studio vires administrant. Quicquid enim malis patimur, ab illis patimur, quos vos prohibere & debetis & potestis. Quibus dum nulla à vobis auctoritate resistitur, sine dubio ad internecionem nostram frena laxantur. Igitur vestra illa famosa strenuitas, quæ iuxta Apostolum semper in promptu habuit vlcisci omnem inobedientiam, quare istam non vlciscitur? quare istã dissimulat, & talem quidẽ inobedientiam, de qua mala inaudita oriuntur, mala quorũ non est numerus? Si quando miseræ nos oues in aliquo excessimus, confestim sine mora, sine dilatione in nos Apostolicæ austeritatis vindicta processit. Nunc autem cum ad lupos peruentũ est, qui apertis morsibus in gregem Dominicum desæuiunt, omnia cum patientia & longanimitate differuntur: omnia in spiritu lenitatis tolerãtur. Rogamus ergo vos per nomẽ Domini Iesu, vt siue vos terror viri peccatoris (cuius gloria stercus & vermis est) exorbitare fecit, siue familiarũ personarũ mollita persuasio deliniuit, vt redeatis ad cor, vt memor sitis honestatis & timoris Domini, & si nõ nobis propter nos parcitis, saltẽ vestræ innocentiæ in tãti sanguinis effusione puideatis. Nã si illos ãplius in nos grassari permittitis, quos prohibere debetis & potestis, timendum est, ne coram iusto iudice de perditione nostra excusationem non habeatis.

Sic totus annus ille cõsumitur, vt fere nihil memorabile fieret in nostris partibus, nisi quod Apostolici legati frequenter ad vtrasq; partes venerunt, & nũc nobis, nunc hostibus nostris Apostolicum fauorẽ promittentes, ab vtrisq; pecuniam quantam poterant (more Romano) conquirere, secum detulerunt.

Tertium bellum.

In sequenti vero anno, qui erat ab incarnatione Domini M L X X X. mense Ian. Heinricus iterũ congregato non paruę multitudinis exercitu Saxoniã volebat inuadere, reputans Saxones (vtpote quietẽ, dum pax erat, amantes) non frequentes exire hyemis tẽpore. Saxones vero multis iã laboribus exercitati, & per multas inquietudines à somno quietis expergefacti, tota virtute studebant ei obuiã venire, & eius impetum ab inuasione regionis suæ repellere. Sed ille solita calliditate Saxones ab invicẽ multa promittendo diuiserat, vt non diu ante diem prælii Widekin, Wiprecht, & Thiedericus Geronis filius cũ multis aliis à Saxonibus ad hostes transirent, & Ekkibertus Marchio cũ sua legione neutræ parti accedens nõ lõge à præliantibus lentus sederet, euentũ belli dubius expectans, vt cui parti victoria cederet, ei congratulando socius accederet. Igitur exercitus vterq; conuenerunt in loco qui Flathecheim vocatur, & sic consederũt, vt inter eos riuus nõ latus quidẽ sed profundus haberetur. Itaq; nostrates ad defendendũ partis suæ littus ordinati, illos ad se venturos in decliui mõtis expectant, vt ipsius opportunitate loci descendentes hostes supinos facilius retrorsum impellãt, & Ottoni Duci quo primus pugnã conserat, imperant. Ergo dũ sic ordinati nostrates aduersum se venturos hostes attendũt, illi (sicut semper solebãt) calliditate pugnaturi, nostros improvisi circumueniunt, & dũ à fronte venire putantur, subito post tergũ respiciẽtibus adesse videntur. Tunc Rex R. velocem misit Ottoni Duci nunciũ, per Deũ obtestans, vt antiquæ memor virtutis, sicut dispositum fuerat, ipse bellũ primus incipere non refugiat. Cui Dux Otto respondit, si sibi (sicut putabãtur) primo venissent, se nullatenus eorũ violentiã formidare: nunc vero se non nosse suę legionis ordinẽ conuertere: & rogauit, vt illi quibus primo venissent, eos tota virtute susciperent, promittens se cum primum posset, eis in auxilium venturum. Denique multo aliter incipitur, quam dispositum fuisset: nam nouissimi fuerunt primi, & primi nouissimi. Acriter itaque vtrinque pugnatur, sed momento breui finitur. Nã Saxones citissime conuersi, hostibus qui sibi venerant à tergo vultus horribiles ostẽdunt, & non ante quiescunt, quam eos in fugam versos sibi terga monstrare compellunt. Victores itaq; Saxones reuersi, multas (sicut decebat) laudes referebant omnium bonorum largitori. Ex nostris autem iacuit in illo prælio Meinfridus Magdaburgensis præfectus, ex illis vero Falmarus, & Pragensis præfectus, & cum eis Boemiorum cæterorumq; non paruus numerus. Heinricũ autẽ, qui mox incepto prælio fugę se commendauit, Lothovvigus per syluam semitis latentibus abduxit. Exercitus vero eius non longe post ad eiusdem fugæ præsidium coactus, iuxta quoddam castellum quod dicitur Wartberg, fatigatus consedit, & ibi donec cibis

Flaterheim.

Wartberg.

& requie

& requie recrearentur corpora, repausauit. Nostrates vero qui castellum tenebant, impetu subito eos insiliunt, & eis fugatis omnia pene quæ habebant diripiunt, equos, arma, vasa aurea & argentea, piper & alia pigmenta, pallia, & pretiosa vestimenta. Erat enim in eadem societate Patriarcha, & alii partium illarum Principes, qui secum diuitias portauerant ingentes: Factum est autem hoc tertium prælium anno Domini MLXXX. VI. Kalend. Febr. fer. 11. Ipso anno Dominus Apostolicus in Teutonicas partes à Synodo subiectam misit Epistolam.

G. Episcopus seruus seruorum Dei, omnibus Archiepiscopis & Episcopis in Teutonico, atque in Saxonico regno commanentibus, omnibusq; Principibus, cunctis etiam minoribus atque maioribus, qui non sunt excommunicati, & obedire voluerunt, salutem & Apostolicam benedictionem. Quoniam ex lite & dissensione, quæ tam diu inter vos est, maximum in S. Ecclesia periculum, maximum vndique inter vos detrimentum fieri cottidie cognoscimus: Idcirco visum est nobis, visum est & fratribus nostris in concilio congregatis, summo desiderio æstuare, summa ope elaborare pro viribus, quatenus idonei nuncii tam religione quam scientia pollentes, è latere Apostolicæ sedis ad partes vestras mitterentur: qui religiosos Episcopos, laicos ẽt pacis & iusticiæ amatores in partibus nostris commorãtes ad hoc opus idoneos congregarẽt, qui (Domini gratia præeũte) die & loco ab illis statuto, tam ipsi, quã quos ipsis adhuc iungere debemus, aut pacem componant, aut veritate prægnita, super illos qui sunt tanti dissidii causa, canonicam censuram exerceant. Verum quoniam nonnullos diabolico instinctu confectos & iniquitatis suæ facibus ignitos, cupiditate inductos, discordiam potius quam pacem fieri & videre desiderantes, fore non ignoramus, statuimus in hac Synodo ad eandem formam, sicut & in præterita, vt nulla vnquam persona, alicuius potentiæ, dignitatis, sine magna, siue parua, siue Princeps, siue subiectus, aliqua præsumptione præsumat Legatis nostris obsistere, & postquam ad vos peruenerint, de componenda pace contraire, nec postea contra interdictum illorum alter in alterum audeat resurgere, sed vsque ad diem ab illis statutum firmam pacem omnes sine vlla occasione & fraude obseruent. Quicunque autem hæc nostra statuta vlla præsumptione violare tentauerit, anathematis eum vinculo ligamus, & non solum in spiritu, verum etiam in corpore, & in omni prosperitate huius vitæ Apostolica auctoritate innodamus, & victoriam in armis auferimus, vt sic saltem confundantur & duplici contritione conferantur.

Item Dominus Papa Regi Rudolfo.

G. Episcopus, seruus seruorum Dei, R. Regi & omnibus secum Christianam religionem defendentibus Sal. & Ap. ben. Quod regnum Teutonicorum hactenus inter omnia mundi regna nobilissimum, iam video incendiis, cædibus, & rapinis deuastari, confundi, & annullari, quam magnus exinde cordi meo dolor insideat, quam continuus in visceribus meis me gemitus afficiat, testis est ille solus qui omnium hominum corda scrutatur & probat. Deferuntur mihi iam sæpius legationes H. tũ per proprios nuntios, tum per cognatos, & aliarũ terrarũ principes & affines, modo omnẽ obedientiã promittendo, modo per varia ingenia sollicitãdo, id à me summo conamine cupientes efficere, quo me ad votum suũ suis partibus valeant inclinare. Verum quod hinc inde & Romana grauitas, & Apostolica mansuetudo me per mediam iustitiæ viam incedere cogit, omnibus quibus possum modis hoc oportet intendere, quomodo veram à falsa iustitiam, perfectam à ficta obedientiam iudicio S. Spiritus valeam discernere, & rato ordine ad finem vsq; perducere. Hac vero & alia si (propitio Deo) ad vos sani peruenerint Legati mei, melius quam hæ litera, viua voce testificabuntur & docebunt.

Item Dominus Apostolicus Regi Rudolfo.

G. Episcopus seruus seruorum Dei, R. Regi, omnibusq; secum in regno Saxonum commanentibus, tam Episcopis quam Ducibus, & Comitibus, necnon maioribus & minoribus, peccatorum absolutionem & Apostolicam benedictionem. Quum veritas ipsa dicat, omnium qui propter iustitiam persequutionem patiuntur, regnum esse cælorum, & Apostolus clamet, Neminem nisi qui legitime certauerit, posse coronari, nolite filii mei in hoc, qui vos iam multo tempore exagitat, bellico furore deficere, nolite per vllius fallentis personæ mendacia de nostro fideli adiutorio dubitare, sed magis magisque pro tuenda veritate Ecclesiastica, pro defendenda vestræ nobilitatis libertate, labori iam citius finiendo incumbite, & ex aduerso ascendendo, vos & corpora vestra quasi murum pro domo Israel opponere satagite.

Quid iam in duabus Synodi nostræ conuentionibus de Rege R. & de H. statutum, quidq; ibi de pace & concordia regni etiam cum iuramentis sit definitum, per nostras literas & per nostros legatos (nisi forte capti sint) apertissime potestis cognoscere, & si quid adhuc remanserit, per Episcopos Metensem & Patauiensem, & Abbatem Augustensem, qui nobiscum finem rei præstolando morantur, cum ad vos ipsi peruenerint, quasi in promptu habetis audire. Postremo hoc vos ignorare nolumus, quod omni qua oportet, instantia, tum orationis nostræ assiduitate, tum officii nostri grauitate, & prospiciendo consulere, & consulendo prospicere vestræ necessitati non dubitamus.

Quartum bellum. Cancul.

Eodem anno, mense videlicet Octobri Heinricus militiæ laboribus infatigabilis, iterum cõgregauit exercitum, vt inuaderet Saxoniæ regnum: Saxones vero cum ingenti multitudine occurrerunt ei in loco qui Cancul vocatur, ibiq; castris positis sederunt, vt fines suos cum Dei adiutorio ab hostili inuasione tuerentur. Quumq; missis exploratoribus ille nostram virtutem cognosceret, & ei cum sua virtute congredi non auderet, ad artem malitiæ conuertit se, dolique calliditate nostrum agmen in duas partes dispergit, vt quod integrum, suis viribus diffidens, adire non præsumebat, diuisum per partes, si necessitas compelleret, aggredi non formidaret. Nam cum prælium deuitans cum vniuerso exercitu suo contra Erphesfort tenderet, velocissimos equites retro contra Goslariam misit, qui quibusdam villis incensis ad se velociter properarent. At Saxones per suos exploratores iter eius contra Erphesfort edocti, cum eum facile possent insequi, vel etiam præuenire, viso post dorsum fumo illuc vniuersi festinant, vt ei Goslariam & eas partes Saxoniæ prohibeant. Ille vero cœptum iter ad Erphesfort peragens oppidum iam succensum fuerat deprædatus, cum noster exercitus se deceptum intelligens, magna turba peditum simul & equitum derelicta illum est insecutus. Quumque iam illi nostrates appropinquarent, eumque Niuamburg Episcopatum incendere velle viderent, propero cursu eum per montana præuenientes, vrbem ab incendio fortiter defenderunt. Quo ille cognito obuia cuncta comburens & vastans, ad fluuium qui dicitur Elstera, peruenit: cuius magna profunditate visa nolens ibi castra locauit. Hic diuersorum diuersas opiniones mihi contigit agnoscere, sed cui earum veritas accedat, non licuit mihi scire. Alii namque dicebant, quod bis à prælio discedebat victus, amplius eum fortunam prælii nolle tentare, sed nostris arte sua deceptis magnam partem regionis velle comburere, sicque sine prælio, quasi cum victoriæ gloria suas in partes declinare, sed inscium fluminis huius profunditatem incurrisse, sicque coactum, quod non facile transire poterat, prælio se commisisse. Alii vero putabant, quod industria maliuolentiæ hunc pugnæ elegisset locũ, vbi suis (quibus non bene credebat) aut fortiter esset pugnandum, aut turpis fugæ præmium periculum fluuii subeundum. Alii vero credebant, quod ideo regiones illas peteret, quod Misnensium, vel Boemiorũ, pro quibus legatos miserat, auxiliũ speraret, qui si sibi (sicut expectabat) fuissent adunati, inde per Merseburg & Magdeburg, & per vniuersam potenter transiens Saxoniam, cuncta posset depopulari, suæq; in perpetuum subiicere dominationi.

Erffort.

Naumburg Episcop.

Elsterfl.

Igitur Heinricus castris in Elistre ripa locatis, crastino mane primo suas acies disposuit, quod nullam prælii moram per se fieri voluit: cum ecce nostri multa festinatione simul & itineris asperitate fatigati, multis in via lassitudine derelictis adueniunt, & audientes quod hostes essent, è contra sine mora se ad defensionem patriæ suæ disponunt. Quum vero pedites admodum pauci essent (plurimis non valentibus sequi) conspicerentur, omnes qui non satis fortes equos habebant, ex equitibus pedites fieri iubentur, & tunc ordinati, hostibus obuiã paulatim progrediuntur. Episcopi vero clericos omnes qui aderant, vt Psalmum LXXXII. multa deuotione cantarent, admonebant. Exercitus autem vterque ad paludem quæ vocatur Grona, conuenerunt, & quod sine vado palus erat, exercitus ambo dubitantes ibi substiterunt, & alteros alteri, vt priores ad se transeant, opprobriis increpantes, vtrique suam ripam immoti tenuerunt. Tandem

nostri

noſtri caput ipſius paludis non longe eſſe cognoſcentes, ad illud tendebant: quo viſo contrarii æquo itinere ad eundem terminum paludis pergebant. Ibi cum in tuto veniſſent, conſeruere manus, & vtrimque fecerunt miſerabile facinus.

Henricus autem, mox vt eos viciſſim miſceri conſpexit, ſe (ſicut ſolitus erat) in fugam dedit. Exercitus vero eius tanta virtute noſtris inſtabant, vt quibuſdam terga dantibus ad illorum caſtra fallax fama veniret, quæ Saxones eſſe victos ore mendacii cantaret. Rappodo vnus de ſummis Principibus portatur occiſus, quem qui ferebant his qui in caſtris erant de longe, *Fugite*, *Fugite*, clamabant. Otto namque Dux adſumpta peditum turma, illis qui noſtros in fugam verterant æquam vicem rependit, eosq; terga ſibi monſtrantes inſequi non ante deſiſtit, quam eos per media caſtra feſtinantes, fluuium ſatis cum periculo tranſiſſe conſpexit.

Nam fere non minor hoſtium pars in fluuio quam periit in prælio. Tunc pedites plenam ſe ſperantes victoriam, caſtrorum volebant inuadere rapinam. Sed Dux Otto prudens in bello, timens ne adhuc hoſtes aliqui poſt terga remanſiſſent, monuit eos à præda manus interim continere, donec certi quod nullus hoſtis à tergo latuiſſet, ſecuri poſſent hoſtilia caſtra deripere. Itaque reuerſus cum peditibus inuenit in loco prælii Heinricum de Lacha, cum maxima parte exercitus, iam quaſi de victoria triumphantem, & Kyrieeleyſon læto clamore canentem.

Quam multitudinem quum vidiſſet Dux Otto, voluit eam deuitare primo, quod non eam turbam ſe vidit habere, cum qua cum tanta legione putaret tutum pugnare: ſed rurſus recogitans, quod Deo non eſt difficile multos in paucis vincere, fortiter eos adiuit, & (Deo dante illis ſpiritum timoris) cito eos in fugam conuertit. Omnibus ergo aut in fluuio merſis aut vltra fluuium fugatis, *Nunc*, ait Dux Otto, *caſtra ſecuri perquirite, nunc tuti quicquid inueneritis accipite, & quicquid hodie fuit hoſtium veſtra virtute vobis præſtante, veſtrum vocate*. His verbis nondum finitis hoſtilia caſtra peruadunt, & omnia quæ ſunt inuenta, feſtinanter inuadunt. Sunt autem inuenta multa pretioſa tentoria, multa Epiſcoporum ſcrínia, ſacris indumentis & vaſis plena, multa vaſa aurea & argentea cottidianis vſibus apta, multæ quoque argenti vel auri laminæ, multaque maxima pars numeratæ pecuniæ, equi quam plurimi ſimul & optimi, arma generis vniuerſi, mutatoria, cæteraq; ſine æſtimatione veſtimenta, vel (vt breuiter dicam) quicquid Epiſcopi Colonienſis fuit, Treuerenſis & alii fere quatuordecim ſecum attulerant, quidquid Dux Frithericus, Comes Heinricus cæteriq; ditiſſimi homines ſecum portauerant, quicquid in Erphesfort rapuerant, omnia illa noſtri ſimul diripientes ad caſtra ſua venerunt triumphantes.

Illi vero qui gladium effugerant, quantas calamitates in fluuio, ſyluis, paludibus ſuſtinerent, nulli eſt credibile, cui non contigit hæc omnia loca præſentialiter videre. Fluuius enim tales ex vtraque parte ripas habet, vt hic nemo niſi cadens poſſit intrare, illic nemo niſi fruticetis vel herbis arreptis repens poſſit exire. Multi fugientes, cum hic proni fluuium velociter inciderent, & illic de dorſis equorum ripæ inſilirent, gladio ripam cædebant, vt equos poſt ſe de fluuio extraherent, tandemq; cædendo fatigati, equis derelictis armisq; proiectis fugam trepidi corripuerunt.

Ergo quicquid Vnſtrad (vbi victi ſumus) in nos peccauit, Elſtrad pro nobis dupliciter vindicauit. Illic enim tantum noſtras res fugientes amiſimus, iſthic & hoſtiles & noſtras, quas nobis prædando tulerant fugientes hoſtes, fugientibus & interfectis abſtulimus. In fuga vero quamplurimi fortes viri à ruſticis ſecuribus & fuſtibus occiſi, multi nobiles & illuſtres ſunt à perſonis vilibus capti, multi fame crudeliſſima cruciati, equos vel gladios pro fruſto panis dare non dubitabant, nec ſi panem venalem inuenirent, vlli ſuæ rei parcebant. Si qui vero capti ad aliquem de noſtris hominem probum ſunt adducti, ſanati, ſi vulnerati erant, gratis in patriam ſuam remittuntur, veſtibus & armis decenter inſtructi. Tunc dictum eſt illis, quod Heinricus Dominus eorum poſt Boemas miſiſſet, & illis

venientibus cum eodem qui adhuc reliquus erat, exercitu, Saxoniam repetere voluisset. Sed illi responderunt, se potius (si possibile esset) totum mundum velle circuire, quam Saxonicam terram vnquam magis transire.

Interea Saxones ad sua castra reuersi reppererunt imminutam magnam partem sui gaudii, quod Rex eorum R. duobus acceptis vulneribus, vno lethali, altero deformi, magis quam suum dolebat casum populi. Sed quum cognouisset, quod suus haberet victoriam populus, *Nunc*, ait, *letus patiar viuus & moriens, quicquid voluerit Dominus.*

Quamuis autem dextera manus illi fuisset amputata, & graue vulnus haberet, venter vbi descendit ad ilia, tamen vt illos quos de sua morte videbat dolentes consolaretur, se non in præsenti moriturum fidenter pollicetur, suique postponens curam suis vulneratis ostendebat, quam deceret adhiberi medicinam. Qua fortitudine simul & pietate nostri Principes valde commoti, concorditer ei omnes spoponderunt, vt si Deus omnipotens illius vitam seruare vellet, eo viuo, etiamsi vtraque manu careret, Saxonia nullum alium rectorem eligeret. Qua fide multum ille lætatus, felici est morte resolutus. Factum est hoc prælium quartum anno ab incarnatione Domini M L X X. Idibus Octobris, fer. V.

Rudolfi regis obitus.

Deinde mense Decembri cum Principes nostri congregati de statu regni sui tractarent, ecce nuncius aderat, qui diceret, Heinricum ad suos de prælio reuersum iactasse, quod Rege Saxonum occiso totam Saxoniam suæ ditioni subiecisset, & nunc exercitu congregato aduentare, ita vt Goslariæ Natalem Domini celebraret. Sed nostri magno exercitu per triduum collecto, ei perrexerunt obuiam, virtute suam defensuri patriam.

Quod ille cognoscens à magna spe decidit, quod Saxones dum non haberent rectorem, facile vinci posse sperauit. Igitur exercitu suo dimisso, consilioque mutato, misit ad Saxones legatos, vt quandoquidem nollent esse sine Rege, filium suum sibi facerent Regem, seque illis iurare, quod nunquam intraret terram Saxoniæ.

Cui legationi Dux Otto (sicut erat solitus iocose magna seria nonnullo Schemate ludenti velare) respondit: *Sæpe*, dicens, *ex bone malo malum vitulum vidi gnatum: ideoque nec filii nec patris habeo desiderium.*

Transacto vero natali Domini proximo, quo M L X X X I. ab incarnatione Domini inceptus annus erat, Heinricus Exrex Italiam disponebat ingredi, vt imponeret aliquem finem rerum suarum longo labori, scilicet vt vel Domino Papa Gregorio humiliatione ficta placato, siue vi tyrannica coacto vincula Banni quibus erat ligatus exueret, vel (quod magis volebat) Gregorio per vim de sede pontificatus electo, & in ipsa sede Wiperto Rauennate collocato, qui iã per triennium iuste fuerat excommunicatus, libere faceret omnia quæ suæ tyrannidi placeret, cum de sede Apostolica omnis suæ voluntatis fauorem haberet. Sed familiares ipsius non tutum putabant fore, Saxonibus recenti prælio vehementer exacerbatis inuadendos fines suos relinquere: cum de aduentu illorum dubitationem nullam haberent, si pergentes in Italiam suam patriam sine virtute militari dimitterent.

1081.

Miserunt ergo Principibus nostris nuncios, qui singulare colloquium rogantes, tempus & locum præfinirent, quo ex vtraque parte Principes electi de communi bono tractaturi conuenirent.

Conuenerunt autem vltra fluuium qui Wisara dicitur, in sylua quæ inde Capuana vocatur, quod ad vrbem quæ Capua nominatur, pertinere cognoscitur.

Sylua Capuana.

Conuenerunt autem Episcopi ex illa parte Colonienſis, Treuirensis, Bauenbergensis, Spirensis, Traiectensis, ex nostra vero parte Moguntinus, Magdaburgensis, Pathorbrunnensis, Hillinisheimensis.

Cumque qui ex illa parte erant, secretum quod soli Principes audirent, habere colloquium voluissent, nostri nullum sermonem conferre volebant, nisi quem cunctis qui conuenerant, magnis & paruis audire liceret. Iam vero sedentes

dentes ex vtraque parte diu tacebant; quod & nostri, qui rogati illis occurrerant, quid illi vellent, expectabant; & illi non se rogasse nostros, sed nostris rogatos venisse videri volentes, quid à nostris peteretur, auscultabant. Tandem nostri rumpentes silentium, vt omnium faceret verbum, Geuehardum petierunt Saltzburgensem Archiepiscopum. Qui surgens (vt erat vir per omnia prudens & honestus, & honori quem gerebat, non minimum conferens honoris) vultu modesto, voce mediocri, sensum profudit sapientis & pii pectoris:

Episcopi venerabiles, caterique quos videtis adesse, Principes Saxonici, hanc operam mihi dignati sunt imponere, quatenus animos omnium mei sermonis officio debeam vobis exponere. Vnde vos omnes sacerdotes sancti, caterique primates eximij, rogatos esse volo, vt me dignemini patienter audire, & causæ communi, quam sum iussus agere, animum tranquillum, quo verum examinare possitis adhibere; quod non plus nostra, quam vestra (si vultis) interest, quæ sum dicturus agnoscere. Vestro ipsorum testimonio fidenter inde nitimur, quod vos, quamuis à nostra societate discessistis, à veritatis amore non discedere confidimus: vestro (inquam) testimonio probare volumus, quantis iniuriis, quantis contumeliis simus affecti, dum toto animo, tota volũtate (sicut decebat) Regis eramus seruitio subiecti. Vos ipsi scitis, quoties sigillatim vel communiter vestrum petiimus auxilium, quo pro beniuola seruitute nostra, vel hoc, ex intercessione vestra redderet nobis præmium, vt à multarum, quæ nos importabiles premebant, leuaret fasce calamitatum. Hoc quod sæpe postulauimus, optime scitis: & quid postulando profecimus, similiter optime scitis. Inde vos non incusamus, quod vos pro nostra causa, quamuis parum nobis prodesset, sæpe laborasse cognouimus. Quale vero præmiũ nostræ deuotioni dederit vltimum, quid opus est dicere: cum manifestum est, oculis omniũ, quod hoc quod habuit maximum, nobis rependit extremum. Sacerdotes namq; non solum de nullo crimine conuictos, sed nec legaliter accusatos, aut in vincula (sicus latrones) coniecit, aut à sedibus suis, quos capere non poterat, omnium rerum suarum nudos effugauit: Ecclesiarum bona, quibus Episcopi vel ipsi viuere, vel pauperes Dei sustentare deberent, scelerum suorum fautoribus dissipanda concessit. Terram nostram multis iam vicibus igni ferroq; vastauit, cognatos siue milites nostros in nostris finibus innocẽtes occidit, cum nulla fuisset ei causa bellorum, nisi quod seruos habere volebat filios hominũ liberorum. Sæpe ipsum, sæpe vos singulos & vniuersos suppliciter orauimus, vt gladio deposito, causam nobiscum iudiciis ageret, & nos vestrum per omnia iudicium secuturos animo libenti spopondimus. Quid his omnibus profecerimus, vos ipsos in testimonium vocamus. Ergo nos, qui nunc adsumus, cum omnibus quos tenet Saxonica tellus, vobis ô sanctissimi Christi sacerdotes, & vobis ô nobilissimi Principes, & fortissimi milites, humiliter supplicamus, vt memores omnipotentis Dei, vestriq; officij, vos quod estis animarum pastores non perditores vocati, vos vero quod gladium ad defensionem, non ad internecionem accepistis innocentum, cogitetis, & nos vestros fratres in Christo, vestros cognatos in carne, ferro & flamma amplius persequi ne velitis. Quod hactenus molestiarum à vobis perpessi sumus, vobis donantes peccatis nostris imputabimus, & correptionem diuinæ pietatis appellabimus: dum posthac iniuriarum de vobis securi esse possimus. Gladiũ & ignem deponite, & (sicut decet homines Christianos cũ Christianis) causam rationibus, non cædibus agite, & quod ante cruoris effusionem postulauimus, nunc saltem vel cruore nostro satiati præstate. Multas quidem nobis ærumnas Dominus vester Heinricus crudeliter intulit, multis calamitatibus nos vltra modum fatigauit, & tamen ecce parati sumus eum nobis Regem sicut olim fuit, accipere: ecce parati sumus et fidelitatem & subiectionem iurare, & iuratam fideliter & libenter seruare. Tantum vos hoc veris assertionibus astruite, vt nos saluo nostro ordine, & laici possint facere hoc sine fidei sacræ detrimento; nec nos ab isto campo recedemus, donec omnia quæ dixi, compleuerimus. Si vero nostras sententias dignati fueritis attendere, veris, & manifestis, & ex scripturarum testimonio firmis rationibus ostendemus, quod dominum Heinricum nec clerici nec laici Regem habere possumus, cum animarum nostrarum salute. Nunc ergo vel vos nobis, quod iuste possit regnare probabiliter ostendite, & nos sub eius regnum socios fideles accipite, vel nobis, quod Rex esse ille non possit veraciter probare permittite: & nos contra rationem vt hostes persequi desinite. Quod si obiicitis, sacramento quod ei iurastis, vos esse constrictos, simili modo confirmabimus, nullo sacramento iure vos ad nostram persecutionem posse compelli. Hæc igitur est summa nostræ petitionis, vt Dominum Henricum vel vos iure posse regnare nobis probabiliter osten-

datis, vel nos vobis eum non posse veraciter ostendere sinatis, & cum res alterutra fuerit demonstrata, nos igni ferroque persequi cessetis.

Tunc illi responderunt, se nec ad causam tractandam conuenisse, nec se tantæ esse sapientiæ, vt tam magnam rem ex improuiso præsumant agendam accipere; præsertim cum non ad se solum, sed ad Regem, cunctosq; regno eius subditos pertinere videatur. Rogabant autem, vt ab initio Februarii (qui tunc erat) vsque ad medietatem Iunii pax ex vtraque parte daretur, intra quod tempus conuentu facto eadem causa, quam nostri nunc agere volebant, communi totius regni, partis vtriusque consilio tractaretur. Nostri vero dolos illorum percipientes, quod propterea tam longum tempus pacis habere volebant, vt hi qui domi remanebãt, esset tuti, donec illi, qui in Italiam pergebant, contumeliam facerent Apostolicæ dignitati; responderunt, se nec decipere velle, nec decipi, sed firmam & integram pacem dare & petere vsque ad terminum temporis prædicti. Cumq; illi Teutonicis omnibus nostræ partis adiutoribus pacem se dare promitterent; *Itane*, dixit Otto Dux, *nos stolidos esse putatis, vt non intelligamus consilium vestra calliditatis. Petitis vestris partibus à nobis pacis securitatem, donec Apostolicam possitis inhonorare dignitatem: & nobis pacem vestram promittitis, donec illum, qui nostrum caput est, pro vestro libitu (si Deus permiserit) male tractetis. O quam bona pax datur corpori, dum crudeliter abscisso crudelius illuditur capiti. Ergo nobis & nostris omnibus date, & vobis & vestris omnibus accipite pacem aut integram, aut nullam. Quod si plenam pacem nobis & nostris omnibus amicis, magnis & paruis dare non vultis: pergite iter, quod cœpistis: hoc tamen ante prædicto, quod in finibus vestris hospites cito non gratos habebitis, nec res vestras, vt velletis ab Italia reuersi, custoditas inuenietis. Nam hoc nolumus vos celare, quod cum primo poterimus, vnum rectorem volumus habere, qui & nos ab iniuriis fortiter (adiuuante Deo) defendat, & his, qui nobis iniurias fecerunt, æquitatis vicem rependat.* Milites ergo plebei partis aduersæ conclamant; nostros æquam rem offerre, suos Principes æquum nec præbere, nec accipere: se posthac ad pugnandum minus fore paratos, quam hactenus fuissent, quod causam iustitiæ cum Saxonibus esse cognouissent, plusq; nobis illum conuentum, quam in tribus præliis victoriam prodesse: quia (quod nunquam credere poterãt) nostros humiliter iustitiam postulare simul & offerre, ipsi præsentes audissent. Sic ab inuicem discceditur, tantum per VII. dies altrinsecus pace data.

Heinricus igitur in mense Martio intrauit Italiam, seminaturus & ibi, sicut in nostra fecerat terra, discordiam, quo nullam regni sui partem compositam relinqueret, nullam bellorum venenis pacis quietem non corrumperet.

Principes vero Saxoniæ cunctis gentibus Teutonicæ linguæ, non minus inimicis, quam amicis legatos miserunt, rogantes, vt (Heinrico filioq; eius excepto) quemlibet alium rectorem eligerent; se ei, quicunque esset, fideliter seruituros pollicentes: quatenus omnia Regni membra, sicut olim fuerant, in vnum sub vno Rege conuenirent. Mense autem Iunio, exercitu collecto perrexerunt in Orientalem Franciam, & prędis vel incendiis eam vastando, multas quas sibi fecerant iniurias vindicauerunt. Nam flamma latum facientes iter, venerunt non longe ab Auenberch, ibique Sueuos veteres amicos habentes obuios, de communi negotio Regis constituendi communi consilio tractauerunt, & post multos tractatus, vt Herimannum Regem eligerent, vnanimiter omnes consenserunt.

Abenberg.

Herimannus Rex in schismate.

Sed cum Saxones domum læti glorioſiq; redissent, nullumq; dubium de recipiendo Rege retinerent, Principes aduersæ partis, artis antiquę non obliti, quod electum Regem valde timebant, electionem eius, ne perficeretur, modis omnibus disturbare quærebant. Ottonem ergo Ducem solum sibi loqui rogabant, multisq; pollicitationibus ei, vt in electione vacillaret, persuadebant; non tamen vt certum quid eis promitteret, efficere poterant. Sic eo dubitante, magnaq; parte eius dubitationi consentiente, tota præterit æstas, & pene totam Saxoniam commouerat eius instabilitas. In Nouembre vero mense iterum vocatus ad soliloquium, cum iam totus esset inclinatus ad nostrorum partes hostium, Dei misericordia faciente, ne tot suos labores, quos pro patria tolerauerat, in vltimis temporibus

ribus perderet, equus cui sedebat, in plano campo cecidit, ipsique sessori crus vnum ita contriuit, vt fere integro mense, nisi portatus ire non posset. Igitur ad se (gratia Dei monente) reuersus, se peccasse, & diuina pietate correptum esse intellexit. Missis itaque legationibus diuersis, & hostibus renunciauit, & ciuibus suis se semper fore fidelem & concordem fideliter repromisit. *Ottonis ducis casus.*

Vnde Principes Saxoniæ valde lætati, Regem suum Herimannum cum magno tripudio Goslariæ susceperunt, paucis diebus ante natalem Domini. In natali vero S. Stephani protomartyris, à Sigefrido Moguntinæ sedis Archiepiscopo in Regem venerabiliter est vnctus, quum iam MLXXXII. annus incarnationis Dominicæ fuisset inceptus.

FINITVR SAXONICI BELLI HISTORIA.

DE VNITATE ECCLESIÆ CONSERVANDA, ET SCHISMATE, QVOD fuit inter Henricum IIII. Imp. Rom. & Gregorium VII. Pont. Max.

CVIVSDAM EIVS TEMPORIS THEOLOGI (QVIDAM VENERICVM VERCELLENSEM, alii WALTRAMVM *Naumburgensem existimant) Liber Apologeticus.*

ARGVMENTVM HVIVS OPERIS, PER VLRICHVM HVTTENVM,

à quo primum in Fuldensi Bibliotheca inuentum & editum est, cum præfatione ad FERDINANDVM Archiducem Austriæ, &c.

IAM eo processerat schismatis negotium, vt debellata primum vrbe Roma, post ejecto etiam Hilteprando, atque in exilio mortuo, & factione eius in Italia quidem cõsopita, in Germania vero, victis ac profligatis tot fortibus exercitibus, tribus etiam aduersum constitutis Regibus euersis & interemptis, compressa, in bene acta parte essent Henrichi res: vnum supererat, maledica in eum aduersariorum scripta. Hæ erant ad varios Hildeprandi, & eorum quotquot illi fauerant, epistolæ. Præterea Monachus quidam Hirsauiensis (vt se in omnia facile admiscet genus hoc hominũ) diuersarum partium Apologiam emiserat. Non ferendum videbatur, vt spurcissima infimorum hominum maledicta in dubia essent opinione: placuit respondere iis, tam quo ne impune fieret hæc optimo Imperatori iniuria, quam vt ne ad posteritatis quoq; memoriam penetraret hic fraudulenter obiectus veritatis luci fumus. Exiluit confestim hic quisquis fuit, certe malus non esse potuit, qui sic scripsit: exiluit, & optimam causam optime tueri aggressus est. Quam nos ipsius Apologiam sine præfatione, sine titulo, etiam à fine mutilam, antiquissimo & forte temporis illius charactere conscriptam cum inuenissemus: committere noluimus, vt cum extent in Henrichum conficta, eis quæ veritatis continent adsertionem, dies, vita, & hominum aures atque oculi denegentur, sed describẽdam librariis dedimus. Fuit enim diu iam incognita Henrichi IIII. fortissimi ac bellicosissimi omnium, qui in Germania imperauerunt, regis virtus. Nam qui in Italia res eius scripserunt nuper, aut ab illis sumpserunt, qui in gratiam Pontificum mentiti sunt omnia olim: aut ex communi odio, quod ab inimicis Pontificibus & contraria factione disseminatum est passim, mutuati sunt, tantum clarissimo Imperatori detrahentes, quantum scelerato Hildebrando concedendum arbitrati sunt. Qua de re alios sequens sic nuper scripsit hospes meus Baptista Egnatius: Certe nunquam laudes Gregorium Pontificem ab eo obsessum, adulterinum Pontificem vnum, & alterum superinductum, dolis & veneno etiam in illos grassatum. *Non desinam amico eximie probo, & inprimis modesto familiariter respondere: nam quod alij scribunt, quid ad me pertinet? Certe nunquam etiam laudes Egnati, fraude petitum ab illo impostore Regem vere Christianum ac strenuum, pestilentes concitatas in Germania discordias & seditiones, coactos in mutuam cædem & sanguinis effusionem Principes & populum Christianum, turbatam Italiam, deuastatam vrbem Romam, sæuitum ferro, grassatum veneno: nec tantum nunquam laudes hæc, sed (quæ tua est integritas) vbi quemadmodum vterque vixit, perpenderis, accuses etiam atque improbes. Quæ potest enim causa satis iusta gerendi belli esse ei, cui omne semel bellandi studium interdictum est? Inique agit vero, qui clausum obsidione premit eum, à quo solutus ipse prius, & in opinione fœderis constitutus, clandestinis domi machinationibus impetitus erat? Quid? Non erat hostiliter inuadendus, qui amico se colloquio nolebat committere, & ope atque opibus gerebat bellum? Tu Pontificem probas autem, qui à præstito iureiurando absoluit quenquam, nedum Principes populorum qui absoluit: quodam hoc quasi pomo discordiæ, quo in se concitentur, obiecto? Iam Henrichi vita longe aliter habet, quam Italici produnt annales. Certe enim (quod veteres bibliothecæ nostræ indicant) nemo vsquam diligentius tunc res Principum scribebat, quam apud nos Monachi. Quare cum inuenissem nuper in eadem Fuldensi bibliotheca quinque libros de vita Henrichi conscriptos (fuerant autem plures, sed posteriores illi abrepti sunt, scelere arbitror Aeneæ Syluij, qui postea pius fuit, & bibliothecam*

eam

eam miſere deuaſtauit) addidi continuo ea, quæ in chronicis Fuldenſibus de eadem re ſcripta inuent, quo ne mundus ignoret diutius, quales fuerint, qui diſplicuerunt malis. Profecto minor fuit ſcriptoribus Italis noſtrorum cura, & venerabilis eſt apud omnes paſſim nationes Germanorum fides & integritas: quo minus dubitare quis poſſit, vtros audiat potius. Verum ne diutius præfando ſuſpendam te, Princeps Ferdinande, iam ad ipſum te librum, quem dedico, admittam.

NEMO *aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo.* Per hæc ſancti Euangelii verba commendat Dominus vnitatem Eccleſiæ, quæ per charitatem concordans membrorum vnitate, colligit ſe in cœlum in ipſo Redemptore, qui eſt caput Eccleſiæ. Sic enim ipſe orat ad patrem pro fidelibus ſuis, quos prædeſtinauit concordes fore in vinculo charitatis & pacis: *Rogo*, inquiens, *vt omnes vnum ſint: ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint: & dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in eis.* Vnde ſanctus Auguſtinus in ipſius Euangelii expoſitione: *In vno*, inquit, *eſtote, vnum eſtote, vnus eſtote*. Et, *Væ illis, qui oderunt vnitatem Eccleſiæ, præſumentes in hominibus partes facere.* Vtinam voluerint hoc attendere, qui partes in hominibus fecerunt: vt faciunt ſcindentes vnitatem Eccleſiæ. Quale flagitium ſchiſmatis conſtat grauius eſſe, quam ſcelus idololatriæ: quoniam legitur in veteri teſtamento, idololatriam gladio punitam eſſe, ſchiſma autem hiatu terræ. Quapropter neceſſarium duximus, ſcribere aliqua de ſtatu huius temporis Eccleſiæ: quia quisquis ſenſerit ſe eſſe intra materna viſcera ipſius Eccleſiæ, non poterit ei, quando doluerit, non condolere. Diu enim eſt, quod in regno Romani imperii bella vbique & ſeditiones aguntur, quod filii à matris Eccleſiæ gremio diſtrahuntur: & cum ſuperet in plurimis diſcordia, vix in paucis remanſit concordia, per quam vnitur & conſiſtit Chriſti Eccleſia: quoniam inde dicuntur ſchiſmata, quòd diuiſa ſunt corda, quum ſcriptum ſit, quod *Multitudinis credentium fuerit cor vnum, & anima vna.* Sed huius diſcordiæ fomes & nutrimentum fuiſſe Gregorius Papa, qui & Hildebrandt, videtur aliquibus: quod nos nec affirmamus, nec renuimus, ſed huius rei ſecretum diuino iudicio relinquimus: quia nunc ibi conſtitutus eſt poſt corporis huius depoſitionem, vbi ſub iudice Deo recepit iuxta meriti ſui qualitatem. Tamen dicturi ſumus pauca de ſcriptis illius, vt his ea, qua oportet diligentia perſpectis, teneatur modus defenſionis partium ipſius: quoniam, ſicut ſcribit ſanctus Cyprianus epiſcopus: *Vnitatem qui non tenet, non tenet patris & filij fidem: vitam non tenet, & ſalutem.*

Igitur Romana eccleſia mater eſt omnium eccleſiarum, quæ faciunt vnam catholicam eccleſiam: & dignitas Romani nominis caput vel domina dicitur populorum, qui pertinent ad ipſam Romam: quæ cum ſit libera, facit etiam vt ſint liberi, quotquot ſunt ſub ciuilitate ſua. Hinc ſanctus Gregorius, ſcribēs ad Phocam Imperatorem: *Reformetur*, inquit, *iam ſingulis ſub iugo pij imperij libertas ſua: quoniam hoc inter reges gentium & reipublicæ diſtat, quod reges gentium domini ſeruorum ſunt, Imperatores vero Reip. domini liberorum.* Sed Conſtantinopolis, quæ noua Roma dicitur, tunc erat ſedes Imperatoriæ dignitatis, hoc ita ordinante induſtria & religione Conſtantini Imperatoris, vt vetus Roma obtineret primatum Apoſtolici honoris, & noua retineret principatum regię maieſtatis, vt ſic mater & filia concordarent in vnitatem Chriſtianæ fidei & religionis. Poſtquam autem degenerauerunt nouæ illius Romæ Imperatores, facti vel hæretici, vel hæreticorum defenſores, ſiue etiam catholicæ Eccleſiæ perſequutores: tunc mater quaſi ſcribere cœpit filiæ libellum repudii, & alios filios nobilitate ſimul, & virtute præſtantiores adquiſiuit ſibi, vt Galliæ & Germaniæ populi ſint & filii, & ciues ſui, atque Reges earum Imperatores ſint Reipublicæ & Romanæ Eccleſiæ patricii. Vnde legitur, Stephanum Papam veniſſe ad Regem Pippinum, &

postulasse patrocinium eius contra Haistulfum regem Longobardorum, ac ipsius patrocinii gratia decreuisse quemlibet deinceps regem Francorum patricium esse Romanorum, sicut verbi causa legitur in Chirographis de Carolo scriptum: *Carolus gratia Dei rex Francorum & Longobardorum, ac patricius Romanorum.* Hic est Carolus, qui primus ex Francorum regibus Imperator est ordinatus: quod vt fieret, per illius temporis Pontificem Romanum inuitus est adductus. Cuius etiam pater Pippinus, (de quo supra dictum est) cum esset maior domus in regno Francorum, hoc est, præfectus palatii, & ad eum spectaret summa regiæ potestatis & officii, electus est primus ex præfectis palatii in regem, atque ordinatus est per beati Bonifacii Moguntini archiepiscopi benedictionem, prius super hoc experto Zachariæ Papę iudicio: quia consensus & authoritas Romani Pontificis necessaria huic videbatur negotio. Missus est enim ad eum venerabilis vitæ, Burchardus Wirtziburgensis ecclesiæ episcopus, cum aliis ad hanc legationem idoneis nunciis, qui ex mandatis Principum interrogarent eius sententiæ oraculum, & acciperent responsum, quomodo possent reformare regnum Francorum in pristinæ dignitatis statum, quod multo iam tempore non haberet regii honoris priuilegium: illum vero, qui Rex diceretur, nihil amplius habere, nisi quoddam vani nominis simulacrum, cum nec opes, nec potentia, nec aliqua dispositio regni apud illum esset: sed apud maiorem domus quicunque palatio præesset; proinde iustum & idoneum sibi videri, vt ab Hilderico totius regiæ dignitatis & potentiæ iam ex hæreditaria successione priuato, transferretur regium nomen ad Pippinum, tunc temporis præfectum palatii, qui pro nobilitate sua atque virtute dignus fuisset, quatenus ipse, qui domi & militiæ regni gubernacula fortiter procuraret, cum labore pariter & officio nomen Regis conuenienter susciperet. Quorum postulationem cum æquam atque vtilem Zacharias Papa iudicasset, ad ea quæ postulabant consensit, atque eiusdem consensus sententiam postea Stephanus Papa confirmauit: & Pippinus factus est rex communi suffragio principum, atque Hildericus ex vano nomine Regis promeruit tonsuratus coronam monasticæ religionis, & habitum. Quod si ita est, immo quia ita est, videtur supradictus Papa Gregorius, qui & Hildebrant, immerito hanc notam imposuisse vel Zachariæ, vel Stephano, religiosis pontificibus Romanæ ecclesiæ, vt ipsi sola authoritate sua Hilderichum à regno deponerent, & absoluerent omnes Francigenas à iuramento fidelitatis, quam illi fecissent; cum fortasse ei, qui huiusmodi erat (iuxta quod supra dictum est) principes regni aliquod iuramentum dare indignum duxissent. Sic enim scripsit inter alia plurima ad Herimannum Metensem Episcopum, vt corroboraret per hoc animos partium suarum, quatenus tuto relinquerent regem suum, quasi ipse hoc exemplo potestatem haberet deponere eum. *Quidam*, inquit, *Romanus pontifex regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo, quod tantæ potestati non erat vtilis, à regno deposuit, & Pippinum Caroli Magni Imperatoris patrem in eius loco substituit: omnes Francigenas à iuramento fidelitatis, quam illi fecerant, absoluit.* Et longe supra: *Vt de multis*, inquit, *pauca dicamus, quis ignorat vocem Domini ac saluatoris nostri Iesu Christi in Euangelio dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, & in cœlis erit solutum? Nunquid hic reges excepti sunt? aut non sunt de ouibus, quas filius Dei beato Petro commisit?*

Extat supra apud Brunonem.

Hæc verba, si charitas, quæ ædificat, temperaret: discessio illorum, per quos regendus est mundus, iam facta non fuisset: quoniam sicut scribit sanctus Leo Papa: *Omnes res tutæ esse non possunt, nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent, & regia & sacerdotalis defenderet authoritas.* Vnde & Gelasius Papa: *Christus*, inquit, *memor fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperaret, sic actionibus propriis dignitatibusq; distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, vt & Christiani Imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus vterentur: ac sic modestia vtriusque ordinis curaretur, ne vtroque suffultus extolleretur.* Quæ cum ita Deus disposuerit, & hæc duo,

quibus

quibus principaliter hic mundus regatur, regalem scilicet potestatem, & sacratam Pontificum authoritatem ordinauerit, quis contra hæc ire tentabit, nisi qui Dei ordinationi resistit? Eo enim modo beatus Apostolus Paulus Ecclesiam Dei ordinat, vt nihil aduersus Principes & potestates seculi gerens, per quietem & tranquillitatem vitæ opus iustitiæ & pietatis exerceat. *Omnis*, inquit, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate, quod bonum & acceptum est coram saluatore nostro Deo. Qui autem resistit potestati, Dei* (inquit) *ordinationi resistit.* Non hic de illis potestatibus dicit, quæ persequutiones inferunt fidei: quia ibi dicendum est, *Deo obtemperare oportet magis, quam hominibus.* Sed de istis communibus dicit, quę non sunt timori boni operis, sed mali: quibus vtique qui resistit, ipse sibi damnationem pro gestorum qualitate conquirit. *Vis autem*, ait, *non timere potestatem? benefac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est, tibi in bonum: si autem male feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Ex his certe Apostoli verbis apparet, ordinasse Deum non per antistites & Ecclesiarum principes omnia crimina vindicari: sed ea, quæ excedunt districtionem ecclesiasticæ lenitatis, vindicari per iudicem mundi. Sacerdotale enim iudicium non habet nisi gladium spiritus, quod est verbum Dei: atque ideo quum per ecclesiasticas regulas non potuerit hæreticos coercere Ecclesia Dei, adiuuatur (sicut ait beatus Leo Papa) seueris constitutionibus Christianorum principum, quando ad spirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale iudicium. Sæpe autem contigit, Reges aliquos vel Imperatores fuisse hæreticorum fautores atque defensores: sed quanto crudelior hostis ad nocendum, tanto perspicacior cura erat Episcoporum, pro expetenda pace Ecclesiarum: quoniam iuxta Anastasii Papæ testimonium, ille pro Christo fungitur legatione, qui pro pace precatur Ecclesiæ. Quapropter idem Anastasius scribit ad Anastasium Imperatorem hæreticum, & defensorem hæreticorum: *Glorioſissimo & clementissimo filio Anastasio Augusto, Anastasius Episcopus. Exordium pontificatus mei primitus oblata populis pace pronuncio, consequenter pro fide catholica humilis pietati tuæ precator occurro: in quorum primo diuinum fauorem propinquasse confido, quod consonantia in me augustissimi nominis non dubium præstat auxilium, vt sicut vocabulum pietatis tuæ per vniuersas gentes toto orbe præfulget, ita per ministerium meæ humilitatis, sicut semper est, sedes beatissimi Petri in vniuersali Ecclesia assignatum à Domino Deo teneat principatum.* Et Gelasius Papa scribens permulta ad eundem Anastasium Imperatorem, pro pace ecclesiastica sic ait inter cætera: *Fili clementissime, rogo te pure, syncere, vt me in hac vita audias potius deprecantem, quam (quod absit) in diuino iudicio sentias accusantem.* Sic certe, sic solebant Deo digni pontifices Romani suppliciter deprecari pro ecclesiastica pace, non quærentes, immo nunquam concipientes animo aliquos de Regibus siue Imperatoribus deponere: & ideo pacem quærentibus, atque pacem offerentibus aderat Deus, remunerans humilitatem, patientiam, & mansuetudinem eorum, & vindicans se super hostibus ipsorum. Nam postquam ille etiam Anastasius Imperator hæreticus præsules Ecclesiarum supplicantes audire contempsit, diuino iudicio adustus fulmine interiit. Quærit autem nunc aliquis pontificum deponere principem populorum, quod est excitare quasi incendium ad destructionem Ecclesiarum. Si enim ponamus (verbi gratia) credentes Christo potestatibus seculi subiectos non esse, non tradere tributa, nec vectigalia pensitare, nulli eorum timorem vel honorem deferre: nonne per hoc rectorum & principum merito in semetipsos arma conuerterent: & persequutores quidem suos excusabiles, semetipsos vero culpabiles facerent? Non enim iam fidei, sed contumaciæ causa impugnari viderentur: & esset eis causa quidem mortis digna, meritum vero mortis indignum. Hoc ergo prouidens dicit Apostolus, immo per Apostolum sic ordinat Christus: *Reddite omnibus debitum, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem: nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* Et ipse Rex regum, & Dominus dominantium Iesus Christus, dignatus secundum carnis dispensationem describi ciuis Romanus, regulam quam

constituit super his dicens: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo:* hanc, inquam, suæ constitutionis regulam proprio confirmauit exemplo. Dixit enim ad Petrum, postquam ostenderat se à tributo liberum, vtpote Regis filium, & secundum carnem, & secundum spiritum: *Vt autem*, inquit, *non scandalizemus eos*: id est, ne nos Cæsari contradicentes, tumultuandi eis occasionem præbeamus, *vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies statherem, illum sumens da eis pro me & te.* Quæ quum ita sint a Deo disposita, & scriptis atque exemplis comprobata, nonne Dei ordinationi resistit, qui potestatibus resistit? quali nec obaudiendum Apostolus præcipit, etiamsi angelus de cœlo aliter, quam euangelizatum est, prædicauerit? *Quidam*, inquit, *Romanus Pontifex Regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo, quod tanta potestati non erat vtilis, à regno deposuit.* Superius quidem dictum est, & vere iuxta fidem historiarum dictum est, Zachariam Papam communi principum de regno Francorum legationi consensum præbuisse, qui decreuerant pro Hilderico, apud quem nulla vel regia potestas, vel regia dignitas: sed solum regium nomen erat, dignam in regno personam constituere, & vt omnis exhinc occasio tumultus abesset, monasterio eum mancipare, pro eo quod videbatur fuisse dignior coronari tonsura monachi, quam regio diademate. Sed nostri temporis Rex & Imperator, natus & nutritus in regno, quantum spectat ad humanum iudicium, dignus quidem videtur imperio, quum ex propria virtute, tum ex maiorum suorum merito & dignitate. Conferte nunc, si placet, illum exhæredatum totius regiæ dignitatis ac regię potestatis Hildericum, cum hoc tali viro, cui (vt salua dixerim fide) non inuenitur in toto Francorum regno aptior persona Romano imperio: quem per totum tempus imminentis belli, quod iam per XVII. annos gestum est, Deus mirabiliter custodiuit: quem & in omnibus præliis, quibus sexies cum hostibus conflixit, ineffabili modo protexit, & eripuit. Hostes quippe eius erant, qui iuxta regium morem sacramento ei fidem aliquando promiserant, qui pro eo ad confirmandas supradicti Papæ Hildebrādi partes duos potius inuasores regni, quam Reges, vnum post vnum, super se constituerant: quorum vnus in prælio cecidit, alter in expugnatione vnius castelli miserabiliter occubuit. Sic ille Romanus pontifex pacem confirmauit, quam Christus dedit fidelibus, atque reliquit. *Pacem meam*, inquit, *do vobis, pacem relinquo vobis.* Et: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.*

Ecce autem, erat inter hæc Herimannō Metensi Episcopo non modica cura vel de obedientiæ sententia, vel de fidei suæ obseruantia. Nouerat enim, se obedientiam debere Romano pontifici propter primatum sedis Apostolicæ: nouerat etiam se fidei, quam iuramento promiserat Regi, debitorem fuisse, quorum alterutrum violare magni est periculi: & ideo reus esse videtur grandis piaculi, per quem facta est hæc discessio inter rectores mundi. Sed ille Gregorius, qui & Hildebrand, securum quodammodo fecit prædictum Episcopum, & reliquos fautores partium suarum super iuratæ fidei præuaricatione, scribens, vt supra dictum est, quendam pontificem Romanum omnes Francigenas à iuramento fidelitatis, quam Hilderico inutili (vt ipse etiam dicit) ad regni gubernacula Regi promiserant absoluisse: vt intelligatur, se quoque tali exemplo posse, quos voluerit, à sacramento debitæ fidei absoluere. Propter quod & hoc intulit, quod Dominus beato Petro dicit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Verum etiam certum est, quod Dominus beato Petro, & in ipso sanctæ Ecclesiæ dederit ius ligandi atque soluendi, sed vincula peccatorum, non vt solueret sacramenta diuinarum scripturarum, neque vt ligaret Dei verbum: quoniam (sicut ait Apostolus) verbum Dei non est alligatum. Ergo præcipit Dominus per Moysen filiis Israel, immo filiis Ecclesiæ, ad quos magis pertinet repromissio Israel: *Non assumes nomen Dei tui in vanū: nec enim insontē habebit Dominus eum, qui assumserit nomen Domini Dei sui in frustra.* Quis poterit soluere istā Domini sententiam,

tentiam, siue illam, qua loquitur per Ezechielem Prophetam: *Qui soluit pactum, nunquid effugiet? Viuo ego, dicit Dominus: quoniam iuramentum quod sprenit, & pactum quod preuaricatus est, ponam in caput eius.* Vnde & in Euangelio ipse Dominus & Saluator ait, quod certe beatus Petrus, sicut prædicauit, sic a Domino accepit: *Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui autem vnum de mandatis istis minimis soluerit, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Hinc sanctus Augustinus in libro de Sermone Domini in monte: *Mandata*, inquit, *minima significantur per vnum apicem. Qui ergo soluerit, & docuerit sic, id est, secundum hoc, quod soluit, non secundum hoc, quod inuenit, & legitur, minimus vocabitur in regno cælorum: & fortasse ideo*, ait, *non erit in regno cælorum, vbi nisi magni esse non possunt.* Ergo quum talis sit, qui soluerit vnum de mandatis Domini minimis, qualis erit, qui soluerit vnum de magnis, siue de maximis Domini mandatis? Quum enim prohibuerit Dominus in Euangelio iurare siue per terram, siue per cœlum, aut per aliquid huiusmodi, nonne magnum, immo maximum peccatum est ei, si quis in vanum assumpserit nomen Domini Dei sui? *Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis, non peierabis, reddes autem Domino iusiurandum tuum. Ego autem dico vobis, Non iurabis omnino: neque per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius*, & cætera. *Sit autem* (ait) *sermo vester: est, est, non, non, quod autem his abundantius est, à malo est.* Euangelica quidem perfectio iuramentum non recipit: sed omnis sermo Christiani ita verus ac fidelis erit, quasi iuramentum quis dederit. Et propterea (sicut exponit sanctus Augustinus) intelligitur præcepisse Dominum, ne iuretur: ne quisquam, sicut bonum, appetat iusiurandum, & assiduitate iurandi per consuetudinem delabatur ad periurium. Proinde etiam sanctus Iacobus Apostolus, confirmans sententiam Domini de ipso sacramento: *Ante omnia*, inquit, *fratres mei nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem sermo vester: est, est, non, non: vt non sub iudicio decidatis. Quum autem aliquis iurauerit, considerandum est non solum cui, sed per quem iurauerit, constrictus perinde diuini attestatione nominis. Atque ideo, qui iuramentum contempserit, illum proculdubio despicit, per quem iurauit: illique iniuriam facit, cuius nomini credidit aduersarius: immo non tam aduersarius, sed amicus.* Vnde per supradictum Prophetam Ezechielem comprobans Dominus iuramentum, quod fecerat Sedechias Regi Babylonis, & irritum fecerat, suum magis, quam alterius fuisse: *Morietur*, inquit, *in præuaricatione, qua despexit me*. Periuri quippe regnum Dei non possidebunt, sicut dicit Apostolus; immo per Apostolum Dominus: qui plane beato Petro, & in ipso sanctæ Ecclesiæ, dedit ius ligandi atque soluendi: sed vincula peccatorum, non vt solueret sacramenta diuinarum scripturarum. Quod ipse etiam confirmasse legitur sanctus Petrus in libro de Ordinatione sancti Clementis, vbi commendat hæc diligenter obseruanda omnibus Christianis: *Veruntamen illud*, inquiens, *est, quod præ cæteris omnibus vobis cupio in commune seruari, vt concordiam teneatis, per quod solum potestis portum quietis intrare, & ciuitatem Regis summi, quæ pax nominatur. Clementem autem hunc Episcopum vobis ordino, & datam mihi à Domino potestatem ligandi & soluendi trado, vt de omnibus, quæcunque decreuerit in terris, hoc decretum sit & in cælis. Ligabit enim, quod oportet ligari, & soluet, quod expedit solui, tanquam qui ad liquidum Ecclesiæ regulam nouerit.* Ecce, qualem sanctus Petrus à Domino potestatem accepit ligandi atque soluendi, talem & ipse tradidit eius successori, scilicet in his, quæ oportet ligari, & expedit solui: non vt soluat aliquis Scripturam Domini, quæ non potest vlla virtute conuelli: quoniam firmum fundamentum Dei stat, sicut Apostolus affirmat. Et propterea ipse sanctus Petrus de talibus instruens beatum Clementem, & per eum omnes successores suos, repetit, & dicit: *Tu*, inquiens, (*vt dixi*) *quæ oportet ligabis: & quæ expedit, solues.* Ex his certe omnibus manifestum est, supradictum Papam Hildebrandum iniuste pariter, & indigne imposuisse hanc notam vel Zachariæ, vel Stephano, religiosis vtique Pontificibus Romanæ Ecclesiæ, vt alicuius horum exemplo, vel vllius sacræ Scripturæ testimonio posset absoluere à iura-

mento, quo fidem iurauerant Regi suo vel Principes, vel milites Reipublicæ. Qui enim soluit pactum, nunquid effugiet? *Vino ego*, dicit Dominus: *quoniam iuramentum, quod sprevit, & pactum, quod prævaricatus est, ponam in caput eius.*

Sequitur in supradicta Hildebrandi Papæ scriptura eiusmodi testimonium, quod legitur in libro de Ordinatione sancti Clementis, beatum Petrum dixisse ad populum: *Vt si pontifex Romanus alicui offensus fuerit pro delictis suis, cæteri non debeant ei esse amici, vel eum alloqui: alioqui vnum esse ex illis, qui exterminare volunt Ecclesiam Christi, quisquis amicus fuerit ei, qui est huiusmodi.* Certe non dixit hoc beatus Petrus de quolibet Rege vel Imperatore: sed per hæc facit quemlibet de turba populi citius redire ad satisfactionem pœnitentiæ, quando viderit se destitutum esse amicorum suorum societate, colloquio & amore. Nam vt quemlibet Christianum Regem prætermittamus, ecce quid pro impiissimo etiam Nerone scribit ipse sanctus Petrus: *Deum timete, Regem honorificate*: scilicet vt in hoc timor Dei comprobetur, si quilibet Rex honorificetur. *Charissimi*, inquit, *subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti: sive Ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Quia sic voluntas Dei est, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam, quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem: sed sicut serui Dei, omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate.* Et beatus quidem Apostolus Paulus: *Obsecro*, inquit, *primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum & acceptum est coram saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Non enim potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt, ordinata sunt à Deo, ad vindictam quidem malorum, laudem vero bonorum.* Et cætera, quę dicta sunt supra. Sed alia nunc inscripta sunt decreta contra Regem, immo contra Dei ordinationem, vt si pontifex Romanus Regi offensus fuerit pro delictis suis, cæteri non debeant ei esse amici, vel eum alloqui: alioqui vnum esse ex illis, qui exterminare volunt Ecclesiam Christi, quisquis amicus fuerit ei, qui est huiusmodi. Nec est inscriptio, quæ similitudinem quandam videtur operata esse in agro Dominico, iuxta quod dicit Dominus in Euangelio, quoniam in diuini medio seminis zizania superseminauit inimicus homo. Notum est enim his, qui experti sunt, præcipue autem his, qui diuisionem Ecclesiæ doluerunt, qualiter multi non solum laicorum, sed Episcoporum atque clericorum, siue monachorum, habentes quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam (sicut ait Apostolus) suspenderunt se, ac segregauerunt à communione totius orbis Ecclesiarum, quotquot communicant nostri temporis Regi Francorum, & Imperatori Romanorum: ipsique exigentes à nobis, non nos ab ipsis, verentur nobis communicare vel in colloquio, vel in pacis osculo, vel in orationis studio. Proinde quum superior sermo satis demonstrauerit, nimis esse contrarium diuinæ ordinationi, pariterque ecclesiasticæ paci, potestatibus non subiacere sublimioribus: de cætero quæramus, si iusta fuerit illa offensio Papæ aduersus Regem, qualis certe diuisit Ecclesiæ vnitatem, pro cuius scilicet vnitatis amore totum agimus, quicquid horum loquuti fuerimus, non pro defensione partis alterius: quandoquidem partes in Ecclesia nolit esse Deus, quoniam totum Ecclesiæ corpus, cuius caput est Christus, redemit ipse Christus. Ideoque vbi non est totum, quod dicitur catholica, hoc est, vniuersalis Ecclesia; ibi non est Christi, sed malignantium Ecclesia, quæ diuisa est in parte aliqua.

Ecce enim idem, de quo agitur, Papa Hildebrandt, suscepit aliquando in accusatione Regis scripta hostium suorum, & proinde excommunicauit eum: quandoquidem sacri Canones constituant, non posse aliquos, qui ante hesternum diem, aut nudiustertius inimici fuerunt, vel accusatores, vel testes fieri: nec debere per scripta vllius accusationem suscipi, nec accusatorem absente aduersario audiri. Sed Rex profectus est in Italiam, satisfacturus Romano Pontifici pro culpis,

culpis, quibus se excommunicauerat, & quasi priuatum regno iam effecerat, depositoq; cultu regio,& habitu,supplicem se per omnia ac pœnitentem obtulit:nec prius omni officio humilitatis impẽso destitit, donec in gratiam cum Papa rediit, & ad comprobandum ecclesiasticæ reconciliationis testimonium sacram communionem corporis & sanguinis Domini de manu pontificis accepit: mensam cum eo adiit,ac deinde dimissus est in pace: qualem scilicet pacem Iudas simulauit,non qualem Christus reliquit. Aderat enim & legatio hostium suorum, quærentium omnibus modis interrumpere initum hoc reconciliationis pactum,quibus Papa rescripsit talibus verbis: *Ne solliciti*, inquiens,*sitis*, *quoniam culpabiliorem eum reddo vobis*. Certe culpabiliorem facere aliquem,præcipue autem Regẽ,quem præcipit Petrus Apostolus honorificare,hoc non est ỏues Christi pascere. Culpabiliorem,inquam,facere præcipue eum,quem pœniteat culpabilem existere,hoc nõ est sacerdotem Domini esse: cum ipse in Euangelio Dominus dicat,gaudium fieri in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonagintanouem iustis,qui non indigent pœnitentia. Nunquid terribile, quod & illud sacramentum corporis Domini contemnitur, quo Rex ad altare in testimonium ecclesiasticæ reconciliationis communicatur? quod certe sacramentum pietatis signum quoque est vnitatis,& vinculum charitatis. Sed *ne solliciti*,inquit,*sitis*, *quia culpabiliorem eum reddo vobis*. Et si Rex,qui per seipsum culpabilis extitit,per Papam culpabilior redditur, quis eorum maioris culpæ reus tenetur? Hoc quæso considerate & tenete. Ecce autem proprie sunt regum quædam ornamenta,sicut corona & purpura, atque alia regni insignia, à quibus regem abstinere ad arbitrii sui tempus decreuit Papa,huius scilicet intentionis gratia: vt sic aut contemptibilior esset ipsius Regis in regno persona,donec roboraretur regnum,quod iam parabatur in electione alterius regis,dum fuerat ipse legitimus rex in Italia: aut si nõ permissus à se regalia resumeret ornamenta, certiorem perinde haberet exercendæ circa eum causam excommunicationis: quod videtur non esse officium pietatis, nec signum concordiæ & vnitatis. Vnde sanctus Papa Gregorius scribit ita in Homeliis,& ita docet,*vt ipsa hac ligandi & soluendi potestate se priuet, qui hanc pro suis voluntatibus,& non pro subiectorum moribus exercet*. Rex autem reuersus de Italia,inuenit nouum Regem,& hostes multiplicatos ex absentia sua, ex quorum manu abstulit cornu principatus sui,diuina auxiliante gratia,pariterque annitente proniſſimo in se principum fauore,quorum Deus tetigerat corda. Iam quidem exhibuerat Romano pontifici iuxta primatum Romanæ ecclesię debitum honorem & obedientiam, perferendo humiliter excommunicationis sententiam, vt deinde satisfaciendo consequenter posset promereri reconciliationis gratiam. Sed cum ipse hoc ageret, & totus in eo esset, vt eiusdem Romani Pontificis adiutorio (qui ad hoc ordinatus est,vt sit princeps pacis) regnum pacificaret, pariterque Ecclesiam Christi in vnitatem redigeret,& ea,quæ dispersa sunt, in vnum congregaret: ecce in quem totam spem posuerat,aduersarium sentiebat, vtpote qui non sibi vel suo regno,sed hostibus contra se consulebat,opemque ferebat, vt eum aut expellerent,aut omnino perderent: quale officium non est eorũ,de quibus à Domino dicit Propheta: *Quã speciosi*,inquiẽs,*pedes euangelizantium pacẽ, euangelizantiũ bona*. Igitur Christus pax est,& hæreditas Ecclesiæ; pax est: quoniã Hierusalẽ,quæ sursum est,& est mater omniũ nostrũm,visio pacis interpretatur: vnde & nihil aliud patria nostra,nisi pax vocatur. Qui autẽ contra pacẽ facit,aduersus Christũ & Ecclesiam facit. *Qui enim*,inquit,*mecum non est, aduersum me est: & qui mecum non colligit,dispergit*: hoc est, vnitatem Ecclesiæ scindit: quoniam quidem nemo nisi intra vnitatem Ecclesiæ saluari poterit. Præterea contra Christum quoque & Ecclesiam facit, quicunque terminos patrum suorum transgressus fuerit: hoc est, constitutiones canonum excesserit,qui constituunt, & constituendo describunt, vt nemo rebus suis aut honore spoliatus possit accusari, vocari, iudicari, siue damnari. Quæ quum ita sint,& nec inter catholicos reputandi sunt, qui sanctorum Patrum canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos transgressi fuerint: quomodo poterit Rex iuxta minas supradicti Papæ Hilde-

brand iudicari vel damnari? quum nec inferior aliquis possit accusari, vel vocari, quamdiu spoliatus est rebus suis, vel aliqua parte honoris sui. Proinde magnum sit scandalum viris secularibus, quando viderint despici sacros Canones ab ecclesiasticis dignitatibus: ideoque videtur hoc contigisse, vt congruus honor ac reuerentia non exhibeatur Episcopis, qui Superintendentes dicuntur ex Græca loquutione. *Deum*, inquit Apostolus, *timete, regem honorificate*. Alioqui puta etiam de ipso Principe sacerdotum eo modo sensisse Regem, quo legimus scite loquutum fuisse Domitium Oratorem: *Cur ego*, inquit, *te habeam vt Principem, quum tu me non habeas vt senatorem?* Et Dominus in Euangelio: *Omnia quæ vultis*, inquit, *vt faciant vobis homines, eadem & vos facite eis. Hæc enim*, ait, *lex & Prophetæ.* Sed sæpe dictus, ac sæpe dicendus Papa Hildebrand, Regem, quem beatus Petrus Apostolus præcipit honorificare: hunc ille quærit ita inhonorare, vt velit omnes, si fieri possit, auertere ab eius communione. Huius rei gratia scripsit illud quoque capitulum, ad confirmandos animos partium suarum, vel ad multiplicandos homines earundem partium: vt si Pontifex Romanus alicui offensus fuerit pro delictis suis, cæteri non debeant ei esse amici, vel cum alloqui.

Hinc ducta est quæstio, de qua hucusque tractauimus: scilicet, si iusta fuerit hæc offensio circa regem, vel digna Romano Pontifici, vicario sancti Petri, qui dicitur à Petra, quæ est Christus: quum id actum sit ex inscriptione capituli illius, vt plurimi episcoporum, clericorum, monachorum & laicorum suspenderunt se, ac segregauerunt à communione totius orbis Ecclesiarum, quotquot communicant Regi Francorum, & Imperatori Romanorum: ita vt exeuntes à nobis, non nos ab ipsis, vereantur nobis sociari vel in colloquio, vel in pacis osculo, vel in orationis studio. Sed pro eiusmodi scribit sanctus Papa Gregorius in libro de Pastorali cura: *Quum rector*, inquiens, *se ad loquendum præparat, sub quanto cautelæ studio loquatur, attendat: ne si inordinate ad loquendum rapitur, erroris vulnere audientium corda feriantur: & quum fortasse sapiens videri desiderat, vnitatis compagem insipienter abscindat.* Ecce autem nostri temporis Gregorius Papa, qui & Hildebrandt, quum aliquando os suum aperuit, Ecclesiam diuisit, & præter ea, quæ dicta sunt supra, propheticam ollam ab aquilone in tantum accendit, vt per hos XVII. aut eo amplius annos, vbique sint in regno Romani imperii bella & seditiones, Ecclesiarum & monasteriorum incendia & destructiones, & vt sit Episcopus aduersus Episcopum, clerus aduersus clerum, populus aduersus populum; immo filius aduersus patrem, & pater aduersus filium, & frater aduersus fratrem. Hinc sanctus Cyprianus Episcopus & martyr, loquitur inter alia plurima de vnitate Ecclesiæ: *Quam sibi*, inquiens, *pacem promittunt inimici fratrum? Quæ sacrificia celebrare se credunt æmuli sacerdotum? Secum esse Christum, quum collecti fuerint, opinantur, qui extra Ecclesiam colliguntur? Qui enim pacem Christi, & concordiam rumpit, aduersus Christum facit. Qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit. Occidi talis potest, coronari non potest: quia talibus, si etiam animas posuerint, non erit illa fidei corona, sed perfidiæ pœna. Vnitatem enim*, inquit, *qui non tenet, non tenet legem, non tenet patris & filij fidem: vitam non tenet, & salutem.* Inter hæc vide studium & affectum istius boni pastoris, & quantum explicuerit iste sanctus Cyprianus intimæ dilectionis circa miseriam eorum, quos videt iacere in periculis, quos cernit lapsos esse in peccatis, quos intelligit decidisse à stabilitate fidei, & Christianæ religionis, qui sic loquitur in libro de Lapsis: *Quid faciam, dilectissimi fratres, fluctuans vario mentis æstu? Quid, aut quomodo dicam? lachrymis magis, quam verbis opus est, ad exprimendum dolorem, quo corporis nostri deflenda est plaga, quo populi aliquando numerosi multiplex lamentanda est iactura. Quis enim sic durus ac ferreus, quis sic fraternæ charitatis oblitus, qui inter suorum multiformes ruinas, & lugubres ac multo squalore deformes reliquias constitutus, siccos oculos tenere præualeat, nec erumpente statim fletu prius gemitus suos lachrymis, quam voce promat? Doleo, Fratres, doleo vobiscum, nec mihi ad leniendos dolores meos integritas propria, & sanitas priuata blanditur, quando plus pastor in gregis sui*

vulnere

vulnere vulneratur. Cum ſingulis pectus meum copulo, mœroris & funeris pondera luctuoſa participo. Cum plangentibus plango, cum deflentibus defleo, cum iacentibus iacere me credo, iaculis illius graſſantis inimici mea ſimul membra percuſſa ſunt, ſæuientes gladii per mea viſcera tranſierunt. Immunis ac liber fuiſſe à perſecutionis incurſu non poteſt animus in proſtratis fratribus, & me proſtrauit affectus.

Hæc beatus Cyprianus martyr loquitur, qui nimio pietatis affectu miſeriis aliorum compatitur, qui ſuper diuerſis Eccleſiæ periculis dolet ac triſtatur, iuxta quod illius mulieris commota ſunt viſcera ſuper filio ſuo, quem voluit ficta mater, ſicut legitur in libro Regum, diuidi Solomonis gladio, ne vel ſibi viueret, vel propriæ matri : quod ſcilicet exemplum verus pacificus noſter Dominus Ieſus Chriſtus voluit contingere in figuram noſtri, vt ex hoc diſcernãtur filii alieni gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Sic enim ſanctus Ambroſius docuiſſe legitur, vt quando incerta ſunt iudicia de falſis Eccleſiæ filiis, per ſpiritum diſcernantur: quẽ ſcilicet ſanctum Ambroſium inducit prædictus Papa Hildebrand in ſcriptura ſua, dicens eum excommunicaſſe Theodoſium imperatorem pro culpa ſua quadam, vt ſic quoq; ſtatuat & confirmet partium ſuarũ ſchiſmata. Sed ipſe quoq; ſanctus Ambroſius Eccleſiam nõ diuiſit, ſed ea quæ Cæſaris ſunt, Cæſari, & quæ Dei, Deo reddenda eſſe docuit: qui Theodoſium quidem imperatorem compulſum tumultu quorundam, qui ei cohærebant, vindicare Theſſalonicenſium ſcelus grauiſſimum, Eccleſiaſtica coercuit diſciplina, quem inter alia eruditionis verba alloquitur ita, ſicut in Eccleſiaſtica loquitur hiſtoria, quæ dicitur Tripertita: *Cœqualium hominum, & conſeruorum princeps es, ô Imperator: vnus autem omnium eſt Dominus, Rex omnium, & Creator, cuius nunc ſuſcipe vinculum pro cæde populi, non præcedente iudicio, perpetrata: quoniam medicina hæc eſt ſanitatis maxima.* At imperator inquit: *Tuum opus eſt & docere, & medicamina temperare: meum vero, oblata ſuſcipere.* Tunc Ambroſius admonuit legem eum ſancire in poſterum, *vt ſententiæ principum ſuper animaduerſione differrentur ab executoribus in diem trigeſimum, quo locus miſericordiæ, vel ſi res tuliſſet, pœnitentiæ non periret.* Paruit imperator Theodoſius, & vinculum eius ſoluit Ambroſius. Qui etiam locorum differentiam in Eccleſia tunc docuit, quando eidem imperatori poſt oblatum munus ad altare, iuxta quod in Conſtantinopolitana Eccleſia ſolitus erat agere, ſuſtinenti, intra cancellos ſacrorum perceptionem myſteriorũ remandauit per archidiaconum: *O imperator, interiora loca tantum ſacerdotibus ſunt collata, quæ cæteri nec ingredi, nec contingere permittuntur: purpura namq; imperatores facit, non ſacerdotes.* Et in hoc quoq; mox egreſſus imperator paruit, ipſamq; communem cum cæteris expectationẽ deinceps ſeruauit, admodum lætus, vtpote enutritus diuinis eruditionibus: quod vix tandem (ſicut ipſe ait) diſcere ei contigerit, quæ differentia ſit imperatoris & ſacerdotis: & quod vix iam inuenerit magiſtrum veritatis. Ecce illa excommunicatio, quam vtilis erat Eccleſiæ pariter, atq; ipſi imperatori Theodoſio: quæ nunc in ea, de qua agitur, Scriptura prodendi ſchiſmatis ponitur exemplo, quo ſeparentur principes, vel milites reipublicæ, ab imperatoris ſui conſortio ſimul & obſequio. Neq; enim tale aliquid tentauerit ille murus & turris validiſſima Eccleſiæ, Ambroſius, quando etiam pulſabatur pro ſtudio hæreticorum Valentiniani imperatoris, & matris eius Iuſtinæ minis atq; verberibus. Vnde & inter alia virtutum ſuarum inſignia loquitur de eo digna memoriæ ſcriptura : Venerandus, inquiens, Ambroſius pro catholicæ fidei vnitate, non cum cæteris, ſed pro cæteris mori elegit. Non enim cum pereuntibus perire voluit : ſed vt ſaluarentur alii, ipſe ſe periculo ſæpiſſime dedit. Et cum mandaretur ei ab imperatore, tradi baſilicam : reſpondit, *Nec mihi*, inquiens, *fas eſt tradere, nec tibi accipere Imperator expedit : igitur noli grauari, vt putes te in mea, quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere: noli te extollere : ſed ſi vis diutius imperare, eſto ſubditus Deo: quoniam ſcriptum eſt: Quæ Deo, Deo, quæ Cæſari, Cæſari. Ad imperatorem*, inquit, *palatia pertinent: ad ſacerdotem Eccleſia.* Satis indicant hæc vel pauca de plurimis ſancti Ambroſii dicta, vel facta, qualis & quanta in Eccleſiaſticis rebus ac diſciplinis debeat eſſe diſcretionis obſeruantia : ne per negligentiam ipſius diſcretionis ma-

tris omnium virtutum, aliqua oriantur scandala. veruntamen, *Væ*, inquit, *homini illi, per quem scandalum venit.* Magna quidem sunt scandala, hæreses atque schismata: quæ ostendit Apostolus aut eadem esse, aut æqualia: *Conuenientibus*, inquit, *vobis in vnum in Ecclesia, audio scissuras esse, & ex parte credo. Nam oportet hæreses esse: vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Hinc & beatus Gregorius in XVIII. libro Moralium. *Alii*, inquit, *prauа de Deo sentiunt, alii recta de authoritate tenent: sed vnitatem cum fratribus non tenent: illi errore fidei, isti vero schismatis perpetratione diuisi sunt.* Vnde & in ipsa prima parte Decalogi vtrarumque partium culpæ exprimuntur, cum diuina voce dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* atque mox subditur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* qui enim de Deo peruersa sentit, liquet profecto, quia Deum non diligit. Qui vero de Deo recta sentiens, à sanctę Ecclesiæ vnitate diuisus est, constat profecto, quia proximum non amat, quem habere socium recusat. Et si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est: sicut sanctus Ioannes Apostolus ait. Igitur magna sunt scandala, hæreses, & schismata: de quibus & dicitur in Euangelio, *quoniam mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala.* Regnũ Dei hoc, est Ecclesia Dei. angeli Dei, hi sunt annũciatores verbi Dei: quales fuerũt Ambrosius atq; Innocẽtius, sacerdotes Dei, quorum vnum introducit in scriptura sua sæpe dictus Papa Hildebrant excommunicasse Theodosium Imperatorem, alterum vero Arcadium imperatorem. Quare hoc scripserit, & quare in agro Dominico hoc seminauerit, bene quidem intelligunt, quibus adhuc cum cæteris Christi fidelibus integra manet Christiana fraternitas: quibus circa vnitatem Ecclesiæ est syncera charitas, qua scilicet charitate concordat membrorum vnitas. Sicut enim in vno corpore, ait Apostolus, multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Ergo nostri non est propositi, singulas illius Papæ sententias per totum describere: sed tantum ea commemorare, quæ videntur præcipue quidem posse simplices fratrum animos ad studium schismatis confirmare: quæ etiam possunt nos ipsos inde scribentes, aut alios legentes, in bonum ædificare: qui dum conuertimus studium nostrum ad cognitionem Ecclesiasticæ disciplinæ, intelligimus sane per vnctionem sancti Spiritus, qui docet nos de omnibus, quomodo oporteat nos conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viuentis, columna & firmamentum veritatis.

Scriptum est enim, *quod Innocentius Papa Arcadium imperatorem excommunicauerit, eo quod in depositione sancti Ioannis Episcopi consenserit*: sed vnde hoc assumptũ sit, nos quidem adhuc incertum tenemus: sed hoc pro certo nouimus, quod nec in gestis Romanorum pontificum inuenitur, vbi gesta pariter eiusdem Innocentii describuntur: nec in libro decretorum eius reperitur, nec in Tripertita historia, vbi plus quam alibi legimus de illius depositionis sententia. Veruntamen Episcopi qui ipsum Ioannem deposuerant, catholici erant: vnde Gelasius Papa in libro contra fautores Agathi, vbi scribit, quod Apostolica sedes more maiorum, etiam sine vlla synodo præcedente, exoluendi quos synodus iniqua damnauerat, & damnandi, nulla existente synodo, quos oportuit, haberet facultatem: *Sanctæ* inquit, *memoriæ Ioannem Constantinopolitanum, Synodus etiam catholicorum præsulum certe damnauerat: quem sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absoluit.* Dicitur autem Arcadius imperator excommunicatus fuisse, eo quod consenserit in beati Ioannis episcopi depositionem. Sed quamuis pari sententia constringat Apostolus eos qui faciunt, & qui consentiunt facientibus: tamen iuxta humanam rationem leuioris quodammodo culpæ est qui consenserit, quam qui facit. Et cum illi præsules, qui deposuerunt prædictum pontificem, sint plane catholici, iuxta sententiam sancti Papæ Gelasii: Arcadius imperator consentiens facientibus ipse meruit specialiter excõmunicari, vel dãnari? Certe multa sunt Arcadii imperatoris priuilegia, quæ recipit Ecclesia, vtpote sibi valde necessaria, sicut testatur liber Christianorũ imperatorũ de fide catholica, ideoq; nõ repellit eũ à cõmuniõe sua.

Cod. libr. 1. tit. 1.

Con-

Constituit namque cum fratre suo Honorio supplicante Ecclesia, vt quæcunque a parentibus suis imperatoribus Christianis statuta sunt diuersis temporibus, circa sacrosanctas Ecclesias maneant inuiolata atque incorrupta, nihilque à priuilegiis immutetur. sed omnibus qui Ecclesiis deseruiunt, tuitio deputetur. *Si quis autem*, inquit, *in hoc genus sacrilegis proruperit, vt in Ecclesias catholicas irruens, sacerdotibus & ministris, vel ipsi diuino cultui, locoq; aliquid importet iniuriæ: si non poterit per procuratorem prouinciæ comprehendi, dignus videlicet talis capitali sententia puniri, sit cunctis non solum liberum, sed & laudabile, factum atrociter sacerdotibus aut ministris iniuriam veluti publicum crimen persequi.* *Lib. 10. C. de Epis. & cler.*

Constituit quoque, Ecclesia teste, iuxta edictum priorum Imperatorum, *omnes quos clementiæ suæ regeret temperamentum, in tali religione versari, quam diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat: vt scilicet secundum Apostolicam disciplinam, Euangelicamque doctrinam patris & filii & Spiritus sancti, vnam deitatem sub pari maiestate & sub pia trinitate credamus, nihil dissonum profana diuisione facientes: sed trinitatis ordinem personarum assertione, ac diuinitatis vnitatem catholica religione venerantes: reliquos autem, qui ab eorum quos commemoratio specialis expressit, fidei communione dissentiunt, vt manifestos hæreticos ab Ecclesiis expelli: neque his penitus post hæc obtinendarum Ecclesiarum, pontificumque facultatem permitti, vt veræ ac nitidæ fidei sacerdotia casta permaneant: nec post euidentem*, inquit, *præcepti nostri formam maligna locus detur astutiæ.*

Et iterum: *Qui diuinæ*, ait, *legis sanctionem aut nesciendo confundunt, aut negligendo violant & offendunt, sacrilegium committunt.*

Constituit etiam Arcadius cum fratre suo Honorio, Ecclesia teste, *vt si quis sacerdotum contra quietem publicam aliquid moliri fuerit deprehensus, secundum legem diuinæ memoriæ gratam vitam agat centum millibus ab eorum cœtibus separatus, à quorum est societate discretus.*

Et post plurima Ecclesiasticæ disciplinæ statuta: *Edictum*, inquit, *quod de vnitate per Africanas regiones clementia nostra direxit, per diuersa etiam loca proponi volumus, vt omnibus innotescat, Dei omnipotentis vnam & veram fidem catholicam, quam recta credulitas confitetur, esse retinendam.*

Omnes autem, inquit, *hæreticos atque schismaticos, & cæteros catholicæ Ecclesiæ aduersarios exterminari præcipimus primo ab aspectu Romanæ vrbis, deinde ab omnibus Ecclesiis, vt eis nihil ex moribus, nihil ex legibus sit commune cum catholicis: quoniam quod in religione diuina prauè committitur, ad iniuriam omnium refertur.*

Neque vero hæreticorum, inquit, *dementia, sine schismaticorum pertinacia conetur vlterius perpetrare, quæ reperit: neque eis illicita habere concilia, siue profana vsquam docere aut discere præcepta licitum sit: neque antistites eorundem audeant fidem, quam non habent, minuere: nec ministros, cum ipsi non sint ministri Dei, creare.*

Quoties autem, inquit, *de religione agitur, episcopos conuenit iudicare: in cæteris vero causis quæ ad vsum publici iuris pertinent, legibus oportet obtemperare.*

Constituit etiam idem Arcadius imperator, cum fratre suo Honorio, æque catholico imperatore, Ecclesia supplicante, *vt quicquid à diuis Principibus constitutum est, vel si quæ singuli quique antistites pro causis Ecclesiasticis impetrarant, sub pœna sacrilegii æternaliter conseruentur.* Quorum vnus antistes Romanus, scilicet Bonifacius, scripsit inter cætera ad eundem Honorium verbis supplicibus: *Ipsa*, inquiens, *Ecclesia deuotionem tuam Christianissime imperator meo quidem sermone, sed suo venerabili appellat affectu, quam Christus Deus noster vestri fidus rector & gubernator imperii, vni desponsatam sibi, & intactam virginem seruat, ne in eam aliquos patiamini insidiantium procellarum fluctus illidi, & quietam faciem tempestatis insolitæ tumore turbari, glorioßissime & tranquillißime imperator Auguste*: & cætera, quibus idem Papa precatur, vt à Principe hoc quoque constituatur. *Quatenus in vrbe Roma nunquam per ambitum antistes ordinet.* Cui inter alia rescripsit imperator Honorius: *Illud*, inquiens, *pietati nostræ satis placuisse cognosce*,

quod sanctimonia vestra sollicita est de Ecclesiarum aut populi perturbatione: proinde volumus id ad cunctorum clericorum notitiam peruenire, vt sciant omnes ab ambitionibus esse cessandum; ac si duo contra fas temeritate concertantium fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus sacerdotem: sed illum solum in sede Apostolica permansurum, quem ex numero clericorum noua ordinatione diuinum iudicium, & vniuersitatis consensus elegerit. Vnde id obseruandum est, vt omnes tranquillam mentem, & pacificos animos ex serenitatis nostræ admonitione custodiant, nec aliquid seditiosis conspirationibus tentare conentur: cum certum sit nulli partium suas studia profutura.

Hæc pauca de plurimis constitutionibus Ecclesiasticis siue Honorii siue Arcadii imperatorum (exempli gratia) descripsimus, vt pariter recognoscamus, qualis, & quam vtilis fuerit Ecclesiæ Arcadius, qui nunc pro condendi schismatis studio inducitur fuisse excommunicatus siue damnatus: quandoquidem certis manifestum sit indiciis, beatum Papam Innocentium, qui dicitur eum excommunicasse, Ecclesiasticas iuxta disciplinam sacerdotum nosse pariter & obseruasse regulas, quarum vna vel præcipua est de concordia regum atque sacerdotum: quia *omnes res*, inquit sanctus Leo Papa, *tutæ esse non possunt, nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent, & regia & sacerdotalis defendit authoritas.* Ipse enim Innocentius scribit in XXIII. capitulo Decretorum suorum, de reipublicæ etiam administratoribus: *Quæsitum est*, inquiens, *super his qui post baptismum administrauerunt, & aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem sententiam protulerunt, de his* (inquit) *nihil legimus à maioribus definitum: meminerant enim adeo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & Dei ministrum esse datum in huiusmodi vindicem. Quomodo igitur reprehenderent factum, quod authore Deo viderent esse concessum? De his ergo ita, vt hactenus seruatum est, sic habemus, ne aut disciplinam euertere, aut contra authoritatem Domini venire videamur: ipsis autẽ in rationem reddendam gesta sua omnia seruabuntur.* Notate autem diligentius hæc beati Innocentii verba; quæ vel sola videntur sufficere contra illius Papæ Hildebrandi scripta, quæ ipse non præuidebat posse destrui per ipsa sanctorum Patrum exempla, quibus cõtendebat firmare partium suarum studia. Dum enim docuit regi Francorum contradicendum, & non communicandum esse, cui potestas à Deo concessa est hæreditaria successione, videtur Dei ordinationi restitisse: qui etiam ipsum Dei ministrum cui gladius est permissus ad vindictam noxiorum, dum studuit gladio aduersariorum deiicere, non solum duplicauit gladium (iuxta quod in Ezechiele legitur) vel triplicauit: sed & multiplicauit, & non solum diuisit populum Christianum, sed & sacerdotia, vt multi sint Episcopi in parte ista, plurimi autem in parte altera. Vnde & supradictus Papa Innocentius: *Si instituta*, inquit, *Ecclesiastica (fratres) plena fuerint vigilantia ab omnibus Dei sacerdotibus obseruata, cessabit ambitio, conquiescet dissensio, hæreses, & schismata non emergent, locum non accipiet diabolus sæuiendi, manebit vnanimitas, iniquitas superata calcabitur, veritas spirituali feruore flagrabit, pax prædicata labiis cum voluntate animi concordabit, implebitur & dictum Apostoli: Vt vnanimes vnum sentientes permaneamus in Christo, nihil per contentionem nobis, neq; per inanem gloriam vindicantes: non hominibus, sed Deo nostro saluatori placentes, cui honor est & gloria in sæcula sæculorum, Amen.*

Atque iterum idem Innocentius Papa sic certe in exemplum ait: *Solicitudo & tristitia fratrum, quam sæpe pertulimus, imperatore præsente, cum pro pace Ecclesiarum sæpe rogaremus, cupientes eos in nostra recipere viscera, qui requisiuerunt sanitatem, ne diu membra ab vnitate corporis haberentur aliena.* Qui etiam (vt supradictum est) loquens de ministeriis potestatum: *Quomodo maiores*, inquit, *nostri reprehenderent factum, quod authore Deo videretur esse concessum? De his ergo potestatibus, vt hactenus seruatum est, sic habemus, ne aut disciplinam euertere, aut contra authoritatem Domini venire videamur, quibus certe in rationem reddendam gesta sua omnia seruabuntur. Nullatenus enim*, inquit, *condemnari potest humano examine, quem Deus suo iudicio reseruauit.* Ecce quomodo talis ille Apostolicus, aliorumque simul Apostolicorum consensus, errorem eorum quotquot repredendunt potestates à Deo ordinatas, destruxit: *Et si iterum quæ destruxi*, inquit, *readifico, prauaricatorem me constituo.* Proinde lectoris

pruden-

prudentia pariter & diligentia attendat, si cum scriptura sancta huius Innocentii, sermo Hildebrandi Papæ conueniat, qui eum dicit Arcadium imperatorem quasi iudicatum excommunicasse vel damnasse, qui etiam hoc addidit, scribens pro regis Francorum deiectione, quod beatus Gregorius ita per scripturæ suæ decretum constituerit, *vt si quis Regum, sacerdotum, iudicum, atque secularium personarum cõstitutionis suæ paginam agnoscens contra eam venire tentauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat.* De quibus tandem regibus vult vt hoc intelligamus, cum nihil tale in scriptis illius eximii doctoris Gregorii adhuc legerimus, qui deferebat honorẽ cui debebat honorem, sicut docet Apostolus: qui non resistebat, nec resistendum docebat potestatibus, cum resistens aliquis resistat Dei ordinationi: qui præcipit reddere quæ sunt Cæsaris, Cæsari. De quibus, inquam Regibus vult, vt propositum illud capitulum intelligamus? nunquid de regibus Francorum, siue de Imperatoribus Romanorum? Certe sanctissimus ille Papa Gregorius appellat Romanos imperatores *Dominos suos*, & se *Seruum eorum*: reges autem Francorum *filios suos*, ac se *patrem eorum*. Nam cum comperisset Simoniacam & neophytorum hæreses longe lateq; prorsus excreuisse, scripsit inter cætera regibus Francorum, sicut legitur in tertio libro de vita ipsius Gregorii Papæ: *Paterno vos salutantes affectu, patimus precellentissimi filii, vt detestabile hoc malum Simoniacæ hæresis, ac neophytorum, de regni vestri finibus studeatis prohiberi: & nulla apud vos excusatio, nulla contra animam vestram suggestio locum inueniat: quia facientis proculdubio culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare.* Et in quarto libro legitur ita scripsisse inter alia Sabiniano suo Constantinopolitano diacono, vt hoc loquatur imperatori Mauritio: *Vnum est*, inquit, *quod breuiter suggeras serenissimis Dominis nostris: quia si ego seruus eorum, vellem me in alicuius mortem miscere, Longobardorum gens nec regem, nec duces, nec comites haberet, atque in summa confusione diuisa esset. Sed quia Deum*, ait, *timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido.* Igitur Longobardi tunc temporis pagani erant, & inuasores Italiæ, ac persecutores Ecclesiæ: & tamen ille sanctissimus Papa Gregorius, noluit pro Dei timore quicquam horum facere, quę supradicta sunt posse efficere: scilicet vt Longobardorum gens nec regem, nec duces, nec comites haberet, atque in summa confusione diuisa esset: quamuis vel ipse vel Ecclesia sustinuerint talia ab eis illata incommoda, qualia scribit in XVIII. super Ezechielem Prophetam homelia; *Quid est iam, rogo, quod libeat in hoc mundo? vndique luctus aspicimus, vndique gemitus audimus: destructæ vrbes, euersa sunt castra, depopulati sunt agri, in solitudinem terra redacta est: nullus in agris incola, pene nullus in vrbibus habitator remansit: & ipsa paruæ generis humani reliquiæ adhuc quotidie & sine cessatione feriuntur, & finem non habent flagella cælestis iustitiæ, quia nec inter flagella directa sunt actiones culpæ. Alios in captiuitatem duci, alios detruncari, alios interfici videmus. Quid est ergo quod in hac vita libeat, fratres mei? Si & talem adhuc mundum diligimus, non iam gaudia, sed vulnera amamus. Ipsa aũt quæ aliquando mundi Domina esse videbatur, qualis remanserit Roma, conspicitis: immensis doloribus multipliciter attrita, desolatione ciuiũ, impressione hostium, frequentia ruinarum. Vbi iam senatus? vbi populus? Omnis secularium dignitatum ordo extinctus est in ea, & iam vacua ardet Roma.* Hæc passa est à Longobardis Ecclesia, hæc passa est & Roma: hæc passus quoque est sanctus Gregorius Papa; qui cum facere posset, vt Longobardorum gens nec regem, nec comites haberet, atque in summa confusione diuisa esset, nihil horum facere voluit, quia vir rectus ac timens Deum fuit. *Quia enim*, inquit, *Deum timeo, in morte cuiuslibet hominis me miscere formido.*

Sed vt magis ac magis conualescebat ciuilis, immo plusquam ciuilis discordia, per quã nostro quoq; tempore facta sunt prope similia, qualia superior sermo demonstrat per Longobardos acta esse in Romana republica, vt tam miserabilis (inquam) confusio rerum conualescat facta nuno per Christianos in Ecclesia: describit ille sæpe dictus Papa Hildebrant, regem Francorum tunc etiam, nunc imperatorem Romanorum, *Christianæ legis esse contemptorem, Ecclesiarum videlicet atque imperii destructorem, atq; hæreticorum authorem & consentaneum, ac propterea*

à se eum fuisse excommunicatum. Nos autem confidimus meliora de eo,& speramus in Deo,vt potius sit Christianæ legis amator,Ecclesiarum & Imperii defensor,& hæreticorum atque schismaticorum destructor,si pro contentionis suæ & erroris perseuerantia eorum non potuerit fieri corrector. Omne enim quod irreprehensibile est,catholica defendit Ecclesia: sicut scribit Marcellinus Papa. Ergo potestas à Deo concessa, reprehensione est plane indigna. de qua Apostolus,immo per Apostolum Dominus hanc regulam constituit: *Deum*, inquiens, *timete,regem honorificate*, *quoniam & honor regis iudicium diligit.* Sed ille Hildebrant econtra inhonorauit regem Francorum,& accusauit eum crimine pessimo apud Herimannum Metensem episcopum,intendens ipsum crimen,quo testificatur esse eũ Christianæ legis contemptorem,& Ecclesiarum atque imperii destructorem,simul & hæreticorum authorem,& consentaneum peruenire ad notitiam cunctarum Ecclesiarum. Quin potius audiat omnis Ecclesia,quam magna sit iniustitia, Canonum sacrosancta transgredi statuta,de quibus ad Ioannem Laridæum episcopum ita scribit beatissimus Papa Gregorius: *Hæc*,inquiens, *consona sanctis patribus diffinitione sancimus, vt qui sacris nescit aut contemnit obedire canonibus,nec sacris administrare altaribus,nec communionem capere sit dignus.* Ecce enim sancta Romana ecclesia fas habet iudicandi de omni Ecclesia. Sed Fabianus Papa scribit omnibus episcopis: *Nullus*,inquiens,*præsumat vnquam accusator esse simul,& iudex,& testis: quoniam in omni iudicio quatuor personas necesse est semper adesse,id est iudices electos, accusatores idoneos,defensores congruos,atq; legitimos testes. Iudices autem agent in æquitate,testes in veritate,accusatores intentione ad amplificandam causam,defensores extenuatione ad minuendam causam.* Quæ cum obseruari soleant in secularibus quoque iudiciis,nonne multo magis debent obseruari in dispositionibus Ecclesiasticis? Vnde idem qui supra,Fabianus Papa: *Si in rebus*, inquit,*secularibus suum cuique ius & proprius ordo seruandus est, quanto magis in Ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio? Quod hac obseruatione seruabitur, si nihil potestati,sed totum æquitati tribuitur.* Hoc Fabianus Papa scripsit & docuit,& hoc Romana ecclesia quasi diuini Petri voce firmatum tenuit,donec ille papa Hildebrant omnia conturbauit,qui regiam potestatem,quam vtpote à Deo concessam defendit catholica Ecclesia, multum per omnem modum inhonorauit. Regem enim,quem honorificari Apostolus præcipit,ipse de pessimo crimine accusauit,quod non probauit. Ipse etiã huius accusationis testis extitit,quia alios testes nõ adhibuit: ipse etiam iudex extitit,quia Regem se excommunicasse perhibuit. scripsit etiam (sicut supra iã diximus) quod ipse Regi fuerit offensus. Sed eiusmodi vel accusatores,vel testes,catholica Ecclesia non recipit: quoniam Anacletus Papa sic scripsit,& sic docuit: *Inoffensus*,inquiens,*accusatorum & testium affectus quærendus est,non suspectus.* Et Callistus Papa: *Nec accusatores*, inquit,*nec testes suspecti recipiantur: neque absente eo,quem accusare voluerit quicunq; accusator,credatur. Similiter testes*, ait,*per quamcunque scripturam testimonium perferant: sed præsentes ex his quæ viderunt & nouerunt testimonium dicant.* Igitur sicut Damasus quoque Papa scribit: *Accusatores & iudices idem non debent esse: sed per se iudices,per se accusatores,per se testes,per se accusati,vnusquisque in suo ordinabiliter ordine.* De quibus etiam inquit: *Omnibus vera semper fiat æquitas,quatenus accusationis & iudicii ac testimonii mercedem per veritatem gestorum consequi valeant.* Quis autem iudicem iudicabit,qui Dei minister est, vindex in iram ei qui malum agit,quem non sine causa portare gladium Apostolus dicit? *Charissimi*, inquit,*subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi,quasi præcellenti: siue Ducibus, tanquam ab eo missis,ad vindictam malefactorum,laudem vero bonorum: quoniam sic voluntas Dei est,vt benefaciatis, & obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam,quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem: sed sicut serui Dei omnes honorificate,fraternitatem diligite,Deum timete,Regem honorificate.* Hęc quidem potestas,quæ à Deo ordinata est,& quæ iubetur honorificari,vbi tandem debet iudicari? vtrum in ecclesia,an in curia? Si in Ecclesia,fortasse Ecclesia fit curia,quæ à cruore dicitur, sicut Syluester Papa attestatur: *Nemo*, inquiens, *clericus,vel diaconus,vel presbyter, propter quamlibet causam intret in curiam,nec ante iudicem cinctum causam dicere præsumat:*

mat: quoniam omnis, ait, *curia à cruore dicitur.* Et cum Ecclesiastica prohibeant decreta sub anathematis etiam interpositione, vt inferior quilibet gradus non præsumat superiorem accusare: quis accusabit Regem quasi præcellentem, cui (sicut Innocentius Papa ait) *seruabuntur sua gesta omnia ad reddendam Deo rationem?* Fabianus Papa: *Omnis*, inquit, *qui crimen obiicit, scribat se probaturum: reuera ibi semper agatur, vbi crimen admittitur: & qui non probauerit, quod obiecit, pœnam*, inquit, *quam intulerit, patiatur.* Probet nunc ille Hildebrant, aut aliquis de parte eius, Regem, quem nos adhuc æstimamus vt catholicum, probet, inquam, eum esse hæreticorum authorem, & consentaneum, atque hoc per idoneos faciat testes: quoniam Ecclesiastica iudicia non recipiunt personas quæ dicuntur infames: sicut sunt incestuosi, periuri, homicidæ, & qui auferunt iniuste facultates Ecclesiæ, & qui fratres calumniantur, aut accusant, & non probant, vel qui contra innocentes principum animos ad iracundiam prouocant, & qui Apostolorum vel patrum statuta violant, & cætera de quibus plura scribit Stephanus Papa. Contra hæc atq; alia sacrosancta canonum statuta aliud aliquid eligere, hoc est certe hæresim statuere: quoniã hæresis dicitur ab electione. Ecce aũt, verbi gratia, Theodoricum regẽ nouerat Romana Ecclesia fuisse hęreticũ, vtpote Arrianũ: nec tamen iudicauit eum, sed magis quæsiuit interea sibi eũ fore pacificum. Qui enim huiusmodi est, iã iudicatus est: quoniam (iuxta sancti Papæ Gelasii sententiam) error, qui semel cum suo authore damnatus est, in participe quolibet prauæ communionis effecto & execrationem sui gestat, & pœnam. Ecce, inquam, in Arriano quoque Rege potestatem à Deo ordinatam Ecclesia honorauit, cui (sicut legitur in decretis Symmachi Papæ) supplicem magis quam iudicem ipsa se obtulit: *Sancta*, inquiens, *synodus apud vrbem Romam ex præcepto glorioſissimi regis Theodorici ex diuersis regionibus congregata, curauit dissidentes cum humilitate propositi sui ad concordiam hortari, Deo in hoc parens, & sanctæ principis voluntati, vt non sub occasione dissentionis contingat membra dispergi: sed magis per mansuetudinem sustineri: sicut boni nos operis Paulus magister instruxerat dicens: Sanandos esse plurimos per patientiam atque doctrinam.* Similiter & Anastasius Papa non iudicauit Anastasium imperatorem hæreticum, vtique & defensorem hæreticorum: sed sicut Gelasius quoque fecerat, suppliciter pro pace Ecclesiastica alloquitur eum: *Fili*, inquiens, *clementissime, nos supplicantes controuersiam nolumus remanere in Ecclesia, cum magis vitanda sit contentio: quoniam sicut in Prouerbiis dicitur, Odium suscitat contentio: omnis autem qui non contendit, protegit amicitiam, & cætera*, quæ plurima loquitur pro pace Ecclesiastica: *quoniam ille*, inquit, *pro Christo fungitur legatione, qui pro pace precatur Ecclesiæ.* Christus enim est pax nostra: & ipsa est pax nostra quoque patria, ad quam suspiramus, & ad quam tendimus, si tamen pacifici sumus: quoniam cœlestis Hierusalem, quæ est mater nostra, visio pacis interpretatur: cuius terminos posuit Dominus pacem, sicut per psalmistam dicitur, Cuius participatio eius in idipsum: vt scilicet Ecclesia Dei, quæ & ciuitas Dei, vnum corpus sit cum Christo, qui id ipsum est quod æternaliter est: de quo Moysi dictum est: *Ego sum qui sum.* Sed Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum, continet in fundamento lapidem summum angularem, electum, precioſum: hoc est, Christum: vt & ipsi tanquam lapides viui superædificemini domus spiritales in sacerdotium sanctum, sicut dicitur per beatum Petrum: *Quoniam vos*, inquit, *genus electum, regale sacerdotiũ.* O quanta conditoris nostri gratia, vt idipsum quod ipse est, in ipsa quoq; sit Ecclesia, qui cum sit Rex & sacerdos, immo Rex regum & sacerdos sacerdotum, statuit Ecclesiæ domesticis huius donatiui priuilegium, vt sint regale sacerdotium. Hoc tantum merentur pacifici, qui sunt vnanimes in Ecclesia Christi, in ciuitate Dei: cum absque omni contradictione pertineant discordes ad ciuitatem Diaboli, nec resipiscant à laqueis Diaboli, à quo tenentur captiui. De ordine autem pacis, quæ est ordinata concordia hominum, plurima scribit sanctus Augustinus in XIX. libro de Ciuitate Dei, vnde hæc pauca quæ sequuntur excerpsimus pro vtilitate præsentis Opusculi.

Omnis igitur vſus rerum temporalium refertur ad fructum pacis terrenæ, in terrena ciuitate: in cœlesti autem ciuitate refertur ad fructum pacis æternæ. Quamdiu enim permistæ sunt ambæ ciuitates, vtimur & nos pace Babylonis: ex qua ita per fidem populus Dei liberatur, vt apud hanc interim peregrinetur. Propter quod & Apostolus admonuit Ecclesiam, vt oraret pro Regibus eius, atque sublimibus, addens & dicens: Vt quietam & tranquillam agamus vitam cum omni pietate & charitate. Et Propheta Hieremias, cum populo Dei veteri prænunciaret captiuitatem, & diuinitus imperaret, vt obedienter irent in Babyloniam, Deo suo etiam ista patientia seruientes: monuit & ipse, vt oraretur pro illa, dicens: Quia in eius pace est pax vestra vtique interim temporalis, quæ bonis malisq; conuenientis est. Pax autem nostra patria & hic est cum Deo per fidem, & in æternum erit cum illo per speciem. Igitur terrena ciuitas, quæ non viuit ex fide, terrenam pacem appetit, qua desigit imperandi obediendiq; concordiam ciuium, vt sit eis de rebus ad mortalem vitam pertinentibus humanarum quædam compositio voluntatum. Ciuitas autem cœlestis, quæ in hac mortalitate peregrinatur, & viuit ex fide, etiam ista pace necesse est vtatur donec ipsa, cuius talis pax necessaria est, mortalitas transeat. Ac per hoc dum apud terrenam ciuitatem velut captiua, vitam suæ peregrinationis agit, iam promissione redemptionis, & dono spiritali tanquam pignore accepto, legibus terrenæ ciuitatis, quibus hæc administrantur, quæ sustentandæ mortali vitæ accommodata sunt, obtemperare non dubitat: vt quoniam communis est ipsa mortalitas, seruetur in rebus ad eam pertinentibus inter vtramque ciuitatem concordia.

Et longe supra in libro quarto de Ciuitate Dei, idem Augustinus scribit, commemorans, qualiter Deus terrenæ quoque ciuitatis regnum disponit: *Deus*, inquit, *alle felicitatis author & dator, quia solus est verus Deus, ipse dat regna terrena & bonis & malis: neque hoc temere, & quasi fortuito, quia Deus est, non fortuna: sed pro rerum & temporum ordine occulto nobis, notissimo sibi: cui tamen ordini temporum non subditus seruit, sed eum ipse tanquam Dominus regit, moderatorque disponit: felicitatem vero non dat nisi bonis: hanc enim possunt & non habere, & habere seruientes: possunt & non habere, & regnare regnantes: quæ tamen plena in ea vita erit, vbi nemo iam seruiet vlli. Et ideo regna terrena & bonis ab illo dantur, & malis, ne eius cultores adhuc parvuli in profectu animi hæc ab eo munera, quasi magnum aliquid, concupiscant. Et hoc est Sacramentum veteris Testamenti, vbi occultum erat nouum, quod illic promissa & dona terrena sunt intelligentibus, & tunc spiritalibus, quamuis nondum in manifestatione prædicantibus, & quæ illis temporalibus rebus significaretur æternitas, & quibus Dei donis esset vera felicitas.*

Quæ cum ita sint, non tribuamus, inquit, *dandi regni atque imperii potestatem non Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum solis piis: regnum vero terrenum & piis & impiis, sicut ei placet, cui nihil iniuste placet. Ille enim vnus verus Deus, qui nec iudicio nec adiutorio deserit genus humanum, quando voluit, & quantum voluit, Romanis regnum dedit, qui etiam dedit Persis & Assyriis, sic quoque Deus regnum dedit hominibus, qui Mario ipsi: & Caio Cæsari, qui Augusto ipsi: & Neroni, qui Vespasianis & patri & filio suauissimis imperatoribus, ipsi & Domitiano crudelissimo: & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipsi apostatæ Iuliano.*

Et post aliqua: *Neque vero nos*, inquit, *Christianos quosdam Imperatores ideo felices dicimus, quia & diutius imperarent, & imperantes filios morte placida reliquerunt, & hostes reipublicæ domuerunt, & inimicos ciues aduersus se insurgentes & cauere & opprimere potuerunt: sed felices eos dicimus, si iuste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extollantur: sed se homines esse meminerint, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum maiestati eius famulum faciunt, si Deum timent, si diligunt, colunt: si plus amant illud regnum, vbi non timent habere consortes: si tardius vindicant, facile ignoscunt: si eandem vindictam pro necessitate regendæ tuendaque reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis exercent: si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent: si quid aspere coguntur plerunque decernere, minime lenitate & beneficiorum largitate cõpensant: si luxuria tanto eis est castigatior, quanto possit esse liberior: si malunt cupiditatibus pravis, quã quibuslibet gentibus imperare: & si hæc omnia faciunt nõ propter ardorem inanis*

gloriæ,

gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ: si pro suis peccatis sacrificium humilitatis, miserationis, & orationis Deo suo vero immolare non negligunt. Tales Christianos imperatores dicimus esse felices interim spe, postea re ipsa futuros, cum id quod expectamus aduenerit.

Hæc & alia huiusmodi scribit & docet sanctus Augustinus episcopus, vt cognoscamus, quomodo per pacem terrenam ad cœlestem peruenire debeamus: quomodo etiam dispositor sit, moderatorque regnorum Deus, & vnde vera felicitas contingat Christianis regibus, quos non recte agentes, iuxta quod supra dicitur, ita Deus in libro Sapientiæ alloquitur; *Audite reges, & intelligite: discite iudices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, neque custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis; horrende & cito apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum in his, qui præsunt, fiet: exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur: non enim subtrahet personam cuiusquam Dominus, nec reuerebitur magnitudinem cuiusquam Deus: quoniam pusillum & magnum fecit ipse, & æqualiter cura est illi de omnibus, fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excidatis. Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam.* Inter hæc quæ per Solomonem dicuntur à Domino, considerandum est, quod hic quoque dicitur regibus potestas data esse à Domino, sicut & prædicatur ab Apostolo: *Quoniam omnis*, inquit, *potestas à Deo*, ideoque quod irreprehensibile est, catholica defendit Ecclesia, sicut scribit Marcellinus Papa. Omne enim bonum, aut Deus, aut ex Deo est: potestas autem, quoniam ex Deo est, vtique bona est: vnde & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, sicut Apostolus ait. Non hic certe agitur de talibus, de quibus per Prophetam dicit Dominus: *Ipsi regnauerunt, & non ex me: iudices extiterunt, & non cognoui. Non cognoui*, inquit, quasi diceret, *reprobaui*: Dei enim nescire, hoc est reprobare. Verũtamẽ non regnauerunt ex Deo, qui regnũ arripuerunt superstite adhuc Rege suo, qui pro patribus suis successit in regnum iure hæreditario: quod fieri non posset nisi à Deo. Duo enim Reges, vnus post vnum, substituti sunt nostris temporibus à parte Principum, & partem regni tenuerunt, & non totum: quod scilicet totum habet magnum pietatis mysterium in vnitate fidelium: sed quia hoc consilium, & hoc opus ex hominibus erat, dissolutum est, quod ex Deo non erat: quoniam post breue temporis spacium ipsam quoque partem regni vtrique amiserunt: & vnus in prælio, alter in expugnatione vnius castelli miserabiliter perierunt, superstite eo, cui potestas data est à Deo, quam scilicet potestatem nec Principes nec populus partis illius dissoluere potuerunt vllo modo: quandoquidem ipsi quoque Regi possint iam (donante Deo) filii succedere in regnum, sicut ipse patribus suis successit in regnum. Ergo omnis potestas, quæ à Deo est, vtique bona est, quam tribuit Deus bonis & malis, vt ipsi placet, cui nihil iniuste placet. Certe Nabuchodonosor dicitur in libro Danielis Prophetæ Rex iniustus, & vltra omnẽ terram impius: & tamen hic talis Nabuchodonosor, de cuius etiam interitu multa horrenda vaticinantur per Prophetas Domini: Hic, inquit, dicitur à Domino *seruus Dei*, non sicut Prophetæ & omnes sancti, qui vere seruiunt Domino: sed quod in euersione Hierusalem Domini seruierit voluntati. de quo sic legitur in Hieremia Propheta ex sermone Domini: *Ego*, inquit, *dedi omnes terras istas in manu Nabuchdonosor regis Babylonis, serui mei, insuper & bestias agri dedi ei, vt seruiant illi: & seruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filii eius: gens autem & regnum, quod non seruierit Nabuchodonosor regi Babylonis, & quicunque non curauerit collum suum sub iugo regis Babylonis, in gladio, & fame, & siti, & peste visitabo super gentem illam, ait Dominus, donec consumam eos in manu eius.* Quod si tanto Deus zelatus est zelo regiam potestatem in rege iniusto, & vltra omnem terram pessimo, quid facturus est pro Rege Christiano & catholico? Ipse etiam regi Nabuchodonosor iurauerat Sedechias Rex Iuda, cuius scilicet periuriũ ita insecuta est vltio diuina: *Viuo ego, dicit Dominus,*

quoniam iuramentum quod spreuit, & pactum quod præuaricatus est, ponam in caput eius: & morietur in præuaricatione, qua despexit me. Ergo iusiurandum hos habet comites, veritatem, iudicium & iustitiam: vt si ista desierint, nequaquam sit iuramentum, sed periurium. Vnde & Dominus loquitur in Hieremia propheta: *Iurabis*, inquiens, *viuit Dominus, in veritate, & in iudicio, & in iustitia.* Quod dicitur, *Viuit Dominus*, in Testamento veteri: iusiurandum est ad condemnationem mortuorum, per quos iurauerunt cultores idolorum. In nouo autem Testamento prohibet Dominus non iurare omnino: Ne decidatis, inquit, sub iudicio, si non secutæ fuerint veritas & iustitia, quæ pariter iuxta sententiam ipsius Domini, comites sunt iuramento.

Pro magno quidem salutis nostræ mysterio iurare nos Dominus per seipsum pariter, & per Apostolum suum Iacobum prohibuit: quoniam videtur soluere Iesum, quisquis iuramentum soluerit. Vnde & sanctus Ioannes Apostolus & Euangelista: *Omnis*, inquit, *spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est: & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc iam in mundo est.* Qui enim soluit pactum, nunquit effugiet? *Viuo ego*, dicit Dominus, *quoniam iuramentum quod spreuit, & pactum quod præuaricatus est, ponam in caput eius: & morietur in præuaricatione, qua despexit me.* Ergo sicut testatur Dominus per Prophetam, iusiurandam habet comites, veritatem, iudicium, & iustitiam. Veritas autem Christus est, simul & iustitia Christus est. *Ego sum*, inquit, *via, veritas & vita.* Sed psalmista ait, quoniam iustitia & pax osculatæ sunt se, quando veritas de terra orta est, Christus scilicet natus de Maria virgine: factus est enim nobis Iesus Christus sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, sicut dictum est ab Apostolo. Igitur veritas est Christus, iustitia est Christus, pax est Christus, imo quicquid bonum est, aut Christus, aut à Christo est: quoniam Christus Deus est. Sed omnes virtutum species vno iustitiæ continentur nomine, beato quoque Hieronymo attestante, qui exponens illud Psalmistæ: *Beati, qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore: Cum Dominus*, inquit, *& saluator noster sit Dei iustitia, felix est & beatus, qui facit iustitiam in omni tempore, id est Christum: quoniam si iuste agimus, concipitur in nobis iustitia, & paritur ex nobis iusticia, & sumus mater iusticiæ.* Omnis autem spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audistis: quoniam venit, & nunc iam in mundo est: sicut dicit sanctus Ioannes Apostolus: ideoque probate spiritus, si ex Deo sunt. Scripsit enim Hildebrand Papa, secundum quod supra dictum est, Herimanno Metensi episcopo, quod ipse exemplo alicuius Romani pontificis potestatem habuerit soluere à Sacramento Principes regni, immo soluere in eis Sacramentum, quo fidem vel pactum promiserant Regi suo. Miseremini ô Principes regni cælestis, populus Dei, si tamen estis pacifici, & si estis in vnitate Ecclesiæ Dei: vos (inquam) miseremini, immo indignemini, quod æstimauit vos talis momenti, vt putaret vos posse in hanc sententiam adduci, vt id quod non potest fieri, credatis posse fieri. Nam Sacramentum dicitur quoq; iusiurandum, & Sacramentum dictum est ab eo, quod sit sacrum signum: vt dum visibiliter iusiurandum agitur, inuisibilis rei sacrum signũ intelligatur. Iurabis enim, inquit Dominus, in veritate, in iudicio & in iustitia. Quis enim potest hæc soluere, quæ (sicut Psalmista ait) sunt opera manuum tuarum Domine? *Opera manuum eius*, inquit Psalmista, *veritas, & iudicium: fidelia omnia mandata eius, confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate & æquitate.* Opera quippe virtutis Dei sunt veritas, iudicium & iustitia: & fidelia omnia mandata eius sunt, quæ non variantur neque mutantur: quoniam confirmata in seculum sæculi per humana verba nullo modo soluuntur, quæ verbo Dei confirmantur, facta in veritate & æquitate. Veritas enim est, qua dicta complentur: æquitas, qua iuste proferuntur: iudicium vero est, quo vel iustus, vel iniustus, vtrique pro meritis suis remunerantur. Siue iudicium dicitur, iuxta quod in libro beati Iob legitur: *Nunquid qui non amat iudicium, sanari potest?* Vnde sanctus Papa Gregorius: *Amat iudicium*, inquit, *quisquis vias suas subtiliter discutit, & Secretarium cordis ingressus, quid Dominus ipsi tribuit, & quid ipse Domino debeas, pensat.*

Tale

Tale iudicium qui non amat, nunquid ſanari poteſt? Iurabis enim, ait Dominus in veritate, & in iudicio, & iuſtitia. De quibus ſi aliquis ſolutus fuerit, & nihil horum habuerit, vel amauerit, quid tunc erit? profecto mendax & iniuſtus etiam iudicatus, quia mendax & iniuſtus. Veritas quippe loquitur in Euangelio de Diabolo: *ille*, inquiens, *homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in eo.* Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax eſt, ait, & pater eius, id eſt ipſius mendacii. Mendacium ſuum ipſe genuit, à nemine audiuit. Quomodo Deus pater genuit filium veritatem, ſic Diabolus lapſus, genuit quaſi filium mendacium. Ergo veritas eſt Dei, ſed mendacium eſt Diaboli: & quiſquis in veritate non ſteterit, ex ipſo eſt, qui mendacium primus genuit: quoniam omne mendacium ex veritate non eſt, ſicut ſanctus Ioannes ait: *Filioli*, inquit, *nemo vos ſeducat. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & Deus iuſtus eſt. Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt, quoniam ab initio Diabolus peccat. In hoc autem*, inquit, *apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli.* Quæ opera? Peccata. Ecce quæ, & cuius opera filius Dei venit diſſoluere: *Nolite*, inquiens, *putare, quia veni ſoluere legem aut Prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cœlum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Hoc verbum Dei loquitur ipſe, qui eſt verbum Dei, filius Dei: *Ego*, inquiens, *ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar, qui non veni legem aut Prophetas ſoluere, ſed adimplere. Qui autem ſoluerit & docuerit ſic* (id eſt, ſecundum quod ſoluit, non ſecundum id quod inuenit, & legit) *minimus vocabitur in regno cœlorum*: & fortaſſe ideo (ſicut ait Auguſtinus) non erit in regno cœlorum, vbi niſi magni eſſe nō poſſunt. Dominus enim Ieſus Chriſtus ipſe eſt, quod prædicat verbum Dei: ideoque corpus Chriſti intelligitur etiam Euangelium Dei, doctrina Dei, ſcriptura Dei. Vnde Hieronymus in expoſitione CXLVII. Pſalmi: *Licet corpus*, inquit, *Ieſu Chriſti in myſterio poſſit accipi, ſi quando tamen ſermonem Dei audimus, & caro Chriſti, & ſanguis eius funditur noſtris auribus.* Proinde qui ſcripturam Dei ſoluit, Ieſum ſoluit: qui ſcilicet filius Dei, verbum Dei apparuit, vt ſoluat opera Diaboli: & vt eadem opera Diaboli ſoluant ſacerdotes in verbo Dei, in virtute Dei conceſſit Chriſtus filius Dei viui, qui dixit beato Petro, & in ipſo ſanctæ Eccleſiæ, vtpote ſupra petram fundatæ: *Quæcunque ligaueris ſuper terrā, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Verbum enim Dei eſt non alligatum, ſicut teſtatur Apoſtolus Dei, nec ſolui poterit vllo modo ſcriptura Dei, opus Dei, verbū Dei. *Nam cælū*, inquit, *& terra tranſibunt, verba aūt mea non tranſibunt.* Igitur opera Diaboli ſunt peccata hominum, iuxta quod dicitur per Ioannem Apoſtolum: *Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt*: non carnis originem ducendo ex Diabolo, ſed imitationem, vel ſuggeſtionem peccandi ſumendo ab illo: quoniam ab initio, inquit, Diabolus peccat, de archangelo ſcilicet verſus in Diabolum, iuxta quod loquitur Dominus per Ezechielem Prophetam ſuum: *Tu*, inquiens, *Cherub extentus, & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum, ambulaſti perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te.* Omnis autem qui facit iniquitatem, & peccatum facit: ſicut idem qui ſupra, ſanctus Ioannes Apoſtolus ait: *Et ſcitis*, inquit, *quoniam apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli: omnis autem ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt: & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & iam in mundo eſt.* Ergo verbum, anima & caro vnus eſt Chriſtus in vna perſona Dei & hominis. Sed ille ſoluit Ieſum, qui vel diuinitatem eius, vel animam, vel charitatem negat. Soluit & ille Ieſum, qui mandata & verba Ieſu, vel peruerſe viuendo, vel peruerſius interpretando corrumpit. Sed & ille ſoluit Ieſum, qui ſcindit vnitatem Eccleſiæ: vnus enim homo Chriſtus, caput & corpus. nam corpus eius eſt Eccleſia eius. Igitur ex Deo non ſunt, qui Dei opera, vel verba, vel Sacramenta reſcindunt, nam filius Dei verbum Dei in hoc apparuit, vt ſoluat opera Diaboli: & vt ipſius Diaboli opera ſoluant ſacerdotes in verbo Dei, in virtute Dei, conceſſit Chriſtus filius Dei. Sed

Hildebrant Papa sic scripsit & sic prædicauit: *Quidam*, inquiens, *Romanus pontifex regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo quod tantæ potestati non erat vtilis, à regno deposuit, & Pipinum Caroli magni imperatoris patrem in eius loco substituit: omnes Francigenas à iuramento fidelitatis, quam illi fecerunt, absoluit.*

Mira quidem videntur nobis quæ astruit: vt scilicet religiosus aliquis Romanus pontifex Sacramentum fidei in aliquo absoluere tentauerit: quia fides Dei magis quam alicuius æstimatur, quæ alicui in eius nomine datur atque promittitur, quæ & ad inuocationem sanctorum Dei roboratur, vt ipsi quoque sint testes siue iudices pactæ fidei in nomine Domini. Quando autem à fide aliquis solutus fuerit, & fidem non habuerit, præcipue eam quam iuramento firmauerit, proculdubio mendax est, insuper & periurus, qualis regnum Dei non possidebit: sicut Apostolus ait. Ergo fides si titubauerit, charitas etiam ipsa langueſcit, sicut Augustinus in libro de Doctrina Christiana scribit: *Dum fides*, inquit, *titubat, diuinarum scripturarum authoritas vacillat.* Opus autem fidei, dilectio est, sicut Apostolus testatur: *Fides*, inquiens, *quæ per dilectionem operatur.* Vnde & sanctus Ioannes Apostolus: *Omnis*, inquit, *spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est*: confessionem hoc loco non solum catholicæ fidei, sed & operationis bonæ, quæ fit per charitatem, requirit: alioqui nonnulli hæretici, multi schismatici, sed & multi falsi Christiani confitentur Iesum Christum in carne venisse: sed cõfessionem suam factis negant, non habendo charitatem. Charitas quippe Dei filium adduxit ad carnem: & ideo negat illum in carne venisse, quisquis non habet charitatem. Igitur opus fidei dilectio est, sed Deus dilectio est, quam dicit Apostolus habitare in cordibus fidelium: fides enim tua de Christo, Christus est in corde tuo. Si fides in nobis, Christus in nobis, quem scilicet Iesum soluit, quisquis fidem absoluit. *Sed audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis, Non peierabis, reddes aũt Domino iusiurandum tuũ: ego autẽ dico vobis, non iurare omnino.* His atq; aliis Dei mandatis credere, hoc est fidem tenere, hoc est Christum in cordibus credentiũ habitare, cuius verba non possunt aliter fieri, quam iuxta verbum Dei, quod est filius Dei: proposuit enim ei istud legis mandatum, qui nondum ascendit ad culmen Euangelicum: *Reddes*, inquiens, *Domino iuramentum tuum: vobis autem*, inquit, *dico*, qui non estis sub lege, sed sub Euangelica profectione, *non iurare omnino. Iustitia autem Phariſæorum est, non occidere, non peierare. Sed vere dico vobis*, inquit, *nisi abundauerit iustitia vestra plus quam scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Quodcunque autem voueris (sicut per Solomonem dicitur) redde: multoque melius est non vouere, quam post votum promissa non reddere. Displicet enim Deo infidelis & stulta promissio, & si in vacuum aliquis iurauerit, non iustificabitur, sicut sapientia Dei loquitur in libro Ecclesiastico. Audistis, inquit, quia dictum est antiquis, non peierabis, reddes autem Domino iuramentum tuum, qui nondum ascendisti ad culmen Euangelicum: vbi prohibetur omnino iuramentum. Denique non implentibus ea quæ antiquis in lege iubentur, maledictum etiam proponitur: *Maledictus*, inquit, *qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea: & conteſtor vobis per cælum & terram, quod si non custodieritis mandata Domini Dei vestri, peribitis à facie terræ.* Quod si iubentur, qui sub mandato legis sunt quasi sub pædagogo, interposita maledictione Domino iuramentum suum reddere, quod (vt supra dictum est) datur sub Sacramento veritatis, iudicii & iustitiæ: quid fiet de his qui constringuntur sub maiori Sacramento Christianæ religionis? vbi quanto sublimior institutio atque doctrina, tanto grauior exactio atque vindicta, si quis soluerit vel vnum de minimis Domini mandatis, quæ scripta sunt in lege, quæ nec filius Dei venit soluere, sed adimplere: apparens certe opera Diaboli soluere, quæ etiam conceſſit sacerdotes in verbo Dei, in virtute Dei soluere? Hæc obsecro considerate, & si Angelus etiam de cœlo aliter quam Euangelizatum est à Deo, euangelizauerit vobis, non attendite: quia talis iuxta Apostolicam beati Pauli authoritatem, per quem loquitur Christus, perpetuo maledictus est anathemate.

Ecce

Ecce enim (vt sæpe dictum est) omne quod irreprehensibile est, catholica Ecclesia defendit, ideoque vel Zachariam, vel Stephanum Romanos pontifices pro merito suæ religionis & virtutum defendit: quorum neuter (vt certo scimus) Francigenas à iuramento fidelitatis suæ, quam alicui promisissent Regi, absoluit: sicut Hildebrand Papa scripsit & prædicauit, vt tali exemplo deciperentur Principes regni, quasi ipse posset absoluere eos à sacramento fidei, quam iurauerant Regi suo in nomine Domini, intendens eum perinde à regno priuari atque deponi.

Quod cum per hos x i v. aut eo amplius annos frequenter tentatum sit, ad effectum tamen peruenire non potuit: quoniam (vt Solomon ait) *Non est sapientia, non est fortitudo, non est consilium contra Dominum.* Ergo. Hilderichus non re, sed nomine tantum regnabat: quoniam apud Maiores domus tota dispositio regni, & tota potestas regni erat, quod ita fieri diuina dispensatio longe ante ordinauerat. Nam Ludouicus, siue Clodoueus, glorioſi Regis Dagoberti filius, disco operiens corpus beati Dionysii martyris, brachium eius fregit, statim stupefactus in amentiam incidit, & non post multum temporis vitam cum regno finiuit: cuius præsumptio, qua in sanctum Dei peccauerat, in posteros quoque redundauit: quoniam (sicut legitur in gestis Francorum) exinde diuersis atque pestiferis casibus regnum Francorum concidit: Postquam enim duo filii eius regni successores, Clotarius scilicet, atque Hilderichus in primæua ætate perierunt: vnus communi omnium morte defunctus, alter propter morum insolentiam occisus. Theodoricus tertius frater, multis aduersitatibus & ante regnum & in regno est afflictus, cuius Maior domus, id est, prouisor palatii, immo violator palatii extitit quidam Ebronius apostata, qui inter alia tyrannidis suæ & crudelitatis facinora sanctum Leodegarium episcopum & fratrem eius Gerinum diuersis pœnis & cruciatibus interfecit, multosque alios mactauit & oppressit: quo tandem occiso, Pippinus dux Austrasię Maior domus efficitur, qui iuxta nobilitatem pariter & religionem progenitorum suorum opus atque negotium piissimi rectoris, & religiosissimi principis exequitur. Dominus enim Arnolfus ex filia Regis Clotarii natus, quum esset primum Maior domus, in regno edidit nobiles & virtute præstantes filios palatio, qui postea ex meritorum consideratione factus Metensis Ecclesiæ Episcopus, genuit Deo spiritales filios in sacerdotio: cuius certe filius erat Anchisus, qui de nomine Troiani Anchisæ dicitur, appellatus: cuius item filius erat iste (de quo supra dictum est) Pippinus, pater scilicet senioris Caroli, & auus Regis Pippini, de quo sic inter cætera legitur in gestis Francorum: quod vna cum consilio & consensu omnium Francorum missa relatione ad sedem Apostolicam, & authoritate percepta præcelsus Pippinus electione totius gentis sublimatus sit, in sedem regni cum consecratione Episcoporum, & subiectione Principum. Et longe supra scriptor historiæ ostendens, quando & à quo inchoaret ille principatus, qui dicitur Maior domus: *Tempore*, inquit, *Clotarij patris Dagoberti regnum Francorum regi cæptum est, & administrari ab his, qui prouisores Aulæ regiæ, vel Maiores domus esse videbantur, diuina hoc dispensante prouidentia, vt ad horum progeniem Francorum transferretur regnum: fuitque eo tempore Maior domus in palatio Clotarij Regis Arnolfus, vir (vt postmodum claruit) Deo amabilis, qui post seculi gloriam Christi se seruitio subdens, mirabilis in episcopatu extitit.* Considerate nunc ordinem rerum gestarum, & perspicite, si iuxta scripturam Hildebrandi Papæ aliquis Romanorum Pontificum deposuerit à regno Regem Francorum, & Francigenas à iuramento fidelitatis, quam ei fecissent, absoluerit: quod scilicet fidei sacramentum (sicut supra probatum est ex testimonio sacræ scripturæ) nemo vnquam soluere poterit, nisi forte quemlibet inde solutum facere velit mendacem simul atque periurum, ac ideo condemnatum: quandoquidem ille Hilderichus, de quo agitur, nihil omnino regiæ potestatis vel dignitatis habuisse describatur: atque ideo comprobatur, quod non fuerit dominus aliquorum, siue rector, quoniam rex à regendo dicitur. Vt enim quemlibet regem Christianum prætermittamus, ecce quomodo in Nabuchodonosor rege iniusto, & vltra omnem terram pessimo: ecce (inquam) quo-

Maiores domus facti Reges Francorum.

modo regiam potestatem in eo zelatus est Dominus Deus: *Gens vero*, inquiens, *& regnum, quod non seruierit Nabuchodonosor Regi Babylonis, & quicunque non curauerit collum suum sub iugo Regis Babylonis, in gladio, & fame, & siti, & peste visitabo super gentem illam, ait Dominus, donec consumam eos in manu eius.* Ipsi etiam Regi Nabuchodonosor iurauerat Sedechias Rex Iuda, cuius scilicet periurium ita insequuta est vltio diuina: *Viuo ego*, dicit Dominus, *quoniam iuramentum, quod sprevit, & pactum, quod prævaricatus est, ponam in caput eius, & morietur in prævaricatione, qua despexit me. Qui enim soluit pactum, nunquid effugiet? dicit Dominus.*

Certum est, quia verum est, quod Hildebrandt Papa tentauerit soluere scriptu- 10
ram Domini, & mandata Domini, quæ sunt de vnitate Ecclesiæ Christi, quæ sunt etiam de sacramento fidei. Sed firmum fundamentum Dei stat, & dilectio, quæ valida est, sicut mons, in electis Dei, integra perseuerat: quoniam caput & corpus, quod est Christus & Ecclesia, ab inuicem non discordat. Poterit sane aliquis soluere in his, qui foris sunt, charitatem, quæ nunquam certe in electis cadit; de cætero (velit, nolit,) cœlum & terra prius transibunt, quam vel iota vnum, vel vnus apex prætereat de lege Domini, de scriptura Domini. Quæcunque autem scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, sicut docet Apostolus. Ecce enim postquam prædixerat Dominus gentem, quæ non seruierit Regi Babylonis, se visitaturum 20
esse in gladio, & fame, & peste, per quod scilicet testimonium, sicut & per Apostolum, docet potestatibus obediendum esse: postquam etiam prædixerat, Sedechiam Regem pro iuramento, quod soluerat, moriturum esse in prævaricatione, qua despexerit se: quoniam iuramentum Domini est, in cuius nomine iuratur, vbi iustitia, iudicium & veritas comites esse dicuntur. Post hæc (inquam) dicit Dominus per Hieremiam Prophetam, de Prophetis, immo de falsis Prophetis, hoc est, de falsis doctoribus: *Nolite*, inquit, *audire verba Prophetarum dicentium vobis: Nolite seruire Regi Babylonis, quia mendacium ipsi loquuntur vobis: quia non misi eos, ait Dominus, & ipsi prophetant in nomine meo mendaciter, vt eiiciant vos, & pereatis tam vos, quam Prophetæ, qui vaticinantur vobis.* Certe omnes quotquot potestati, immo Dei ordinationi resistunt, à regno Dei electi peribunt, & periuri regnum Dei non pos- 30
sidebunt. De duabus quippe ciuitatibus pauca diximus supra, iuxta quod scribit sanctus Augustinus in libro XIX. de Ciuitate Dei, de qua dicta sunt gloriosa, vbi inter alia plurima, quæ sunt eiusmodi, loquitur ista: *Quamdiu permistæ sunt ambæ ciuitates, vtimur & nos pace Babylonis, ex qua ita per fidem populus Dei liberatur, vt apud hanc interim peregrinemur. Propter quod & Apostolus admonuit Ecclesiam, vt oraret pro Regibus eius, atque sublimibus, addens & dicens: Vt quietam & tranquillam agamus vitam cum omni pietate & charitate.* Et Propheta Hieremias quum populo Dei veteri prænunciaret captiuitatem, & diuinitus imperaret, vt obedienter irent in Babyloniam, Deo suo etiam ista patientia seruientes, monuit & ipse, vt oraretur pro illa, dicens: *Quia in eius pace est pax vestra.* Beatus autem populus, cuius Dominus Deus 40
eius: & miser populus ab isto Deo alienatus, qualis etiam non est dignus, vt vel terrenæ vel cœlestis reipublicæ sit populus. Respublica enim dicitur, quod sit res populi, sicut scribit sanctus Augustinus in ipso XIX. libro de Ciuitate Dei: sed populum esse definit, *cœtum multitudinis iuris consensu, & vtilitatis cõmunione sociatum.* Quid autem dicat iuris consensum, disputando explicat, per hoc ostendens geri sine iustitia non posse rempublicam. *Vbi ergo*, inquit, *iustitia vera non est, nec ius potest esse. Quod enim iure fit, profecto iuste fit: quod autem fit iniuste, nec iure fieri potest. Non enim iura dicenda sunt, vel putanda quælibet iniqua hominum constituta: quocirca vbi non est vera iustitia, iuris consensu sociatus cœtus hominum non potest esse, & ideo nec populus: & si non populus, nec res populi: sed qualiscunque multitudinis, quæ populi nomine dignã non* 50
est. Ac per hoc si respublica res est populi, & populus non est, qui consensu iuris sociatus non est: non est autem ius, vbi nulla iustitia est: proculdubio colligitur, vbi iustitia non est, non esse rempublicam. Iustitia porro est ea virtus, quæ suã cuique distribuit. Et longe supra idem Augustinus in libro II. de Ciuitate Dei, introducens sententiam vel Scipionis, vel Tullii de republica: *Sicut in fidibus*, inquit, *ac tibiis, atque cantu ipso ac vocibus*

concentus

concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum atque discrepantem aures eruditæ ferre non possunt, isque concentus ex dissimilimarum vocum moderatione concors tamen efficitur, & congruus: sic & summis, & infimis, & mediis interiectis ordinibus, vt sonis moderata ratione, ciuitatem consensu dissimilimorum dicunt concinere: & quæ Harmonia à musicis dicitur in cantu, eam esse in ciuitate concordiam, arctissimum atque optimum in omni republica vinculum incolumitatis, eamque sine iustitia nullo pacto esse posse. Populum autem non omnem cœtum multitudinis: sed cœtum iuris consensu & vtilitatis communione sociatum esse determinant, & dicunt tunc esse rempublicam, id est, rem populi, quum bene ac iuste geritur, siue ab vno Rege, siue à paucis optimatibus, siue ab vniuerso populo. Quum vero iniustus est Rex, quem Tyrannum more Græco appellant, aut iniusti optimates, quorum consensum dicunt esse factionem: aut iniustus ipse populus, cui nomen vsitatum non reperiunt, nisi etiam ipsum Tyrannum vocent: non iam dicunt vitiosam, sicut prius fuerat disputatum: sed sicut ratio ex his illis definitionibus connexa docuisset, omnino nullam esse rempublicam: quoniam non esset res populi, quum Tyrannus eam factione capesseret: nec ipse populus iam populus esset, si esset iniustus: quoniam non esset multitudo turis consensu, & vtilitatis communione sociata, sicut populus fuerat definitus. Igitur duæ ciuitates in sacra scriptura commendantur: vna Dei, altera Diaboli. Illa per Hierusalem significatur, metropolin populi Dei: hæc per Babylonem, metropolin gentium populo Dei semper aduersariam: atque ideo, quoniam Hierusalem visio pacis interpretatur, pax per cines atque domesticos Babylonis confunditur, quoniam Babylon confusio interpretatur. Pacem (inquit Dominus) relinquo vobis, pacem meam do vobis: vnde si quando filij Ecclesiæ coguntur belligerare, non hoc agunt ex doctrina Christi, & traditione Ecclesiæ: sed ex necessitate & contagio quodam Babylonis ciuitatis terrenæ, apud quam tempore mortalitatis suæ peregrinantur filij Hierosolymæ. Hinc iterum Augustinus in supradicto libro de Ciuitate Dei; *Christianæ*, inquit, *religionis præcepta, de iustis probisque moribus, si simul audirent atque curarent Reges terræ, & omnes populi principes, & omnes iudices terræ, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus, ætas omnis capax, & vterque sexus, & quos Baptista Iohannes alloquitur, exactores ipsi atque milites: tunc & terras vitæ præsentis ornaret sua felicitate respublica, & vitæ æternæ culmen beatissimæ regnatura conscenderet: sed quia iste audit, ille contemnit, pluresque vitiis male blandientibus, quam vtili virtutum asperitati sunt amiciores: tolerare*, inquit, *Christi famuli iubentur, siue sint Reges, siue principes, siue iudices, siue milites, siue prouinciales, siue diuites, siue pauperes, siue liberi, siue serui, vtriusque libet sexus, etiam pessimam, si ita necesse est, flagitiosissimamque rempublicam, & in illa Angelorum quadam sanctissima atque augustissima curia, cœlestique republica, vbi Dei voluntas lex est, clarissimum sibi locum etiam ista tolerantia comparare.* Quod ipse præstare dignetur, qui viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

NOlite plures magistri fieri, fratres mei: scientes, quoniam maius iudicium sumitis, sicut dicit Iacobus Apostolus ex doctrina Domini & saluatoris nostri. *Vos*, inquit, *nolite vocari Rabbi: vnus est enim magister vester.* Vnde Augustinus in libr. qui prætitulatur de Magistro, disputans, quærens & inueniens magistrum non esse, qui docet hominem scientiam, nisi Deum: *Magistros*, inquit, *plures tunc fieri existimo, cum diuersa atq; inter se aduersa sentiũt, cum verum idipsum dicunt omnes, & verum dicunt, ab vnius veri magistri magisterio non recedunt. Qui enim*, inquit Christus, *maior est vestrûm, erit minister vester. Qui enim se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.* Sed cum ipse vnus magister Christus, idemq; Deus mutet tempora, transferat regna, tenens corda Regũ in dextra sua: legimus docuisse Hildebrandũ Papã, quod potestatẽ ipse habuerit super Reges & super regna: & posse id facere, quod per Deum fieri tantũ dicit Psalmista: *Hunc humiliat, & hunc exaltat. Nam reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Quam certe regulã proprio cõfirmauit exemplo, dicens Petro Apostolo: *Vt non scandalizemus eos*, id est, ne nos Cæsari cõtradicentes, tumultuãdi eis occasionẽ præbeamus, *vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies staterem, illũ sumens da eis pro me & te: & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Qui etiã docuit Apostolos Ecclesiam, non regnum disponere, vel ordinare: quod nec ipse legitur

affectasse, qui fugit in montem solus orare, quum turbæ venissent rapere eum, & regem constituere: quoniam quum in forma Dei esset, formam serui accipiens, venit non ministrari, sed ministrare. Iuxta quod etiam Paulus Apostolus, quum liber esset ex omnibus, omnium se seruum fecit, vt plures lucrifaceret. Vnde & Gregorius Papa, quum esset summus pontifex, & virtutum artifex, intantum se infra omnes humiliauit, vt primus ipse in epistolis suis *Seruum seruorum Dei* se appellauerit, & hoc humilitatis nomen ad posteros quoque transmiserit. Qui in libro Pastoralis curæ proposuit de bonis subditis, & malis rectoribus, exemplum Saulis & Dauid: qui certe, dum eum posset eundem persecutorem suum occidere, noluit occidere, eo quod esset Christus Domini: insuper & viros suos, ne consurgerent in eum, legitur sermonibus confregisse: & quia vel oram chlamydis suæ ipse præcidisset, pœnituisse: *Si quando*, inquit, *contra rectores vel in minimis lingua labatur, per afflictionem pœnitentiæ cor prematur: & quum præpositi potestati aliquis detraxerit, eius iudicium, à quo sibi prælata est, perhorrescat: Quia quum in præpositos*, ait, *delinquimus, eius ordinationi, qui eos nobis prætulit, obuiamus.* Et vt hoc exemplo probaret, quod scripto edidit, ne in Ethnicorum quidem morte ipse dilectus Deo Gregorius, sese miscere voluit: sed quum efficere potuerit (sicut ipse scribit) quod gens Longobardorum, nec regem, nec duces, nec comites haberet, nihil horum facere voluit, quia Deum timere se dicit.

At Hildebrand Papa miscuit se plurimorum mortibus Christianorum, succendens vbiq; incendia bellorum per totum pene Romanum imperium, vt non teneret Henrichus Rex regnum à Deo sibi collatum, per successiones patrum suorum. Qui etiam in vsum belli conduxit milites reipublicæ: quum militantes Deo implicare se non debeant negotiis secularibus, iuxta disciplinam Ecclesiæ, & propter supplementa stipendiariorum, siue mercedis, pro qua mercede eius militauerant contra Regem, eundemq; patricium Romanorum: spoliauit Romanam Ecclesiam oblationibus fidelium, quibus hactenus solebat alere indigentiam pauperum: qui (sicut ait Laurentius martyr ad Decium) sunt thesauri æterni, qui nunquam minuuntur & crescunt, qui in singulis asperguntur, & montibus inueniuntur, in quibus scilicet Ecclesiæ thesauris vere Christus est, in quibus Christi fides est. Segregauit etiam sibi ab Ecclesia plerosque Episcopos atque abbates: de republica autem plerosque duces atque comites, vt iam non sit vnum corpus vel Ecclesiæ vel reipublicæ, & vt non sit multitudinis credentium cor vnum & anima vna, secundum disciplinam Ecclesiæ: sed sint secundum Comicum, quot homines, tot sententiæ. Pro his & huiusmodi meruit talis Hildebrand dominus apostolicus Gregorius appellari, atque in doctrina & conuersatione catholicus inscribi, & apud ipsum atque Episcopos ipsius esse Ecclesiam Dei, & iustitiam Dei. Sic enim inter multa alia scriptum tenetur, in epistola contra Clementem Papã, quam reperimus scripsisse quandam infamem personam: *Igitur*, inquit, *quoniam (sicut Apostolus dicit) corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: & nos credimus, propter quod & loquimur, dominum apostolicum Gregorium in doctrina & conuersatione catholicum.* Et iterum: *Sed non prætermittendum*, inquit, *quod Wigbertus se seruum seruorum Dei nominat mentiendo: sanctam vero matrem Ecclesiam, id est, filios Dei, qui spiritu Dei aguntur, quorum conuersatio in cœlis est, Satanæ synagogam appellat.* Ecce enim Episcopi Hildebrandi Papæ quum sint proculdubio corporum pariter & animarum homicidæ: corporum quidem, quoniam ipsi, vtpote viri sanguinum & dolosi, vsi sunt manibus sibi obsequentium ad necem plurimorum: animarum autem, quoniam occiderunt quotquot separauerunt ab vnitate catholicæ Ecclesiæ: quoniam filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus, quales merito dicuntur synagoga Satanæ. Ecce, inquam, quum tales sint Episcopi Hildebrandi Papæ, scribitur in sua suorumq; parte sancta mater Ecclesia esse, quum catholica, hoc est, vniuersalis Ecclesia non sit in aliquarum partium schismate: sed in vniuersitate fidelium per spiritum pacis & charitatis ad inuicem concordantium. Describuntur etiam esse filii Dei, quum specialiter in Euangelio dicantur filii Dei, qui sunt pacifici. Describuntur quoque spiritales esse,

quod

quod est agi spiritu Dei, idemque in cœlis conuersari: cum profecto cœlis, qui enarrant gloriam Dei, dicat in Euangelio Dominus: *Vos*, inquiens, *cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Sed vt decipiant incautos ministri Satanæ, qui transfigurat se in Angelum lucis, transfigurantur & ipsi (sicut Apostolus ait) velut ministri iustitiæ, in quibus ipse, qui dicitur Rex super omnes filios superbiæ, operatur iam mysterium illius arrogantiæ: *In cœlum*, inquiens, *conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis, vnde refrigescit charitas multorum: sedebo super altitudinem nubium cœlestium (scilicet prædicatorum) & ero*, inquit, *similis Altissimo.* Vnde inquit quidam nomine tantum Christianæ professionis inflatus, vere autem carens Christianæ religionis fructibus: quum oportuerit eum humiliter se agere, arrogantia elatus, assumpsit sibi aliquid authoritatis Apostolicæ: & scribit ad omnes Ecclesias epistolam, in qua docere conatur eos, qui multo rectius, quam ipse, credebant, & cohortatur omnes ad nouas institutionum sectas accommodare aurem suam: *Huic*, inquit, *nullam epistolæ salutationem volui præfigere, in qua illius, cui nec Aue dicendum est, scriptis respondebo. Qui habet aures audiendi, audiat.* Et post aliqua, quibus furem esse atque latronem describit, qui ascenderit aliunde secundum Euangelica Domini dicta: *Caueto igitur*, inquit, *tu Christiane, ne Wigberto corde vel ore dixeris vnquam Aue.* Ecce magnificus ille laudator Hildebrandi Papæ probatur instituisse scholam contentionis, qui noluit esse annunciator salutis, indicans in principio epistolæ suæ salutationem, quæ à salute dicitur, se nolle nobis præscribere, quum præcipiat Paulus Apostolus fratres salutare se inuicem in osculo sancto: quod signum, inquit, salutationis in omni epistola ita scribo. *Vnde rogamus*, inquit, *vos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum, vt non cito moueamini à vestro sensu, neque terreamini neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, tanquam per nos missam. Omnibus autem, qui inuocant nomen Domini nostri in omni loco ipsorum, & nostro, gratia & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.* Hoc signum salutis, quæ ab Apostolo nobis optatur, & à Deo promittitur, ab authore propositæ Epistolæ nobis subtrahitur: gratia scilicet, qua nobis peccata donentur: pax, qua Deo reconcilientur. Vnde & ipse venit absque doctrina Christi, qui præcipit pacem primo auditoribus proponi: quoniam sicut per Esaiam Prophetam dicitur: *Opus iustitiæ est pax, & fructus labiorum Dei pax, & hæreditas Ecclesiæ est pax.* Sed contra Christum & Ecclesiam facit, quisquis contra pacem facit: de quorum numero esse ostenditur, qui (vtpote fur & latro, aliunde intrans ad doctrinæ studium, quam per Christum, qui est ostium, quo ad salutem intratur) negat in ipso limine scripturæ suæ, quod velit suis auditoribus salutationem, quæ iuxta testimonium beati Augustini à salute dicitur, annunciare: qui adhuc contentiosius agere probatur, quando ad confirmandas schismaticorum pariter atque hæreticorum partes testimonia sacræ scripturæ hinc inde contrahendo furatur, vt in insidiis, & quasi per latrocinia quædam incauti decipiantur. *Gregorius*, inquit, *Innocentius, & sequaces eorum omnes fortiter improbant quodlibet sacerdotale officium ab Ecclesia separatorum.*

Ecce quomodo ille minister Diaboli, ecce quomodo insanit, quomodo nos secum in foueam perditionis mittere quærit, qui apud XIII. tantum, aut paulo plures Episcopos Hildebrandi Papæ scribit sancta Dei esse sacerdotia: cæterorum autem, qui sunt per orbem terrarum, sacerdotia ab Ecclesia Dei esse separata: cum certe non solum Gregorii atque Innocentii testimonium, sed omnium sanctorum Patrum iudicium concordat cum sententia beati Cypriani Episcopi, qua testatur in libro de vnitate Ecclesiæ, quod alienus sit, prophanus sit, hostis sit, quod Deum patrem habere non poterit, qui non tenet vnitatem Ecclesiæ: quam consequenter etiam describit vnum sacerdotium habere. Nam *vt vnitatem*, inquit, *manifestaret Dominus, vnitatis eius originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit: & quia erant vtiq; & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi &*

honoris & potestatis, exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna monstretur, quam scilicet vnitatem tenere firmiter, & vindicare debemus: maxime nos, inquit, *Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, vt episcopatum quoque vnum atque indiuisum probemus.* Sed Hildebrand Papa sic diuisit etiam sacerdotia, quemadmodum Ecclesiam Dei, atque rempublicam imperii: quoniam partes inde segregauit sibi. Inter ipsum namque & inter Regem Henrichum graues ortæ sunt, atque inexorabiles discordiæ, Papa plurimum annitente, vt Rex deponeretur à regia potestate pariter & dignitate: Rege vero contra nitente, vt defenderet se ab hostium suorum circumuentione, qui pro parte eiusdem Papæ certantes quærebant eum opprimere. Exinde diuisa est Ecclesia, & diuisa sunt Ecclesiæ sacerdotia, atq; omnia scandalorum orta sunt genera: exinde creuit graue & diuturnum bellum, & non solum ciuile bellum, sed & plusquam ciuile bellum: & factæ sunt absque diuino pariter & humano respectu vastationes Ecclesiarum, & cædes hominum: exinde etiam corruptæ sunt diuinæ pariter & humanæ leges, sine quibus non subsistit vel Dei Ecclesia, vel imperii respublica, & exinde violata est fides & publica & catholica: exinde etiam illa creuit iniustitia, vt pro veritate falsa testimonia, & pro fide catholica abundent periuria, vt postquam leges bello siluere coactæ, impleatur iam ista Domini sententia per Osee Prophetam: *Non est*, inquit, *veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra: maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Hæc nunc abundare & superabundare, propter doctrinam Hildebrandi Papæ, qua diuisit corpus vel Ecclesiæ, vel reipublicæ, nunquid hoc est Apostolicum esse? & Gregorium, id est, bene vigilantem esse? & in doctrina & in conuersatione catholicum esse secundum sententiam scriptoris propositæ epistolæ? atque cum tali Hildebrando partes habere, & eiusmodi, qualia supradicta sunt, flagitia nutrire, fouere, vel defendere, nunquid hoc est filios Dei esse, & spiritales atque cœlestes esse iuxta sententiam scriptoris eiusdem epistolæ? Absit hoc, absit, inquam: quoniam attestante Apostolo, *Christus exhibuit sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, nec per duplicitatem rugam*: quia & per iustitiam est munda, & per simplicem intentionem tensa. Vnde & in Cantico canticorum Spiritus sanctus ex persona Domini designat & dicit: *Vna est columba mea, perfecta mea: vna est matris suæ, electa genetricis suæ.* Sed aduersarii nostri, quamuis ipsi exierint à nobis, non nos ab ipsis: tamen sic solent se commendare dictis ac scriptis: *Nos catholici sumus, nos in vnitate Ecclesiæ sumus.* Vnde scriptor illius epistolæ appellat eos, qui sunt in parte sui Gregorii, catholicos: nos autem, qui fidem sanctorum Patrum tenemus, qui bonis omnibus consentientes sumus, qui pacem amamus, & fraternitatem diligimus, qui impendimus honorem, cui debemus honorem: qui iuxta præceptum Petri Apostoli, subiecti sumus omni creaturę propter Deum, siue Regi tanquam præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis: & non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis, id est, indisciplinatis: qui confitemur iuxta doctrinam Pauli Apostoli, bonum esse & acceptum coram saluatore Deo nostro, qui omnes homines vult saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire, vt primum omnium fiant obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate: nos vero, qui optamus etiam cum Propheta dari capiti nostro aquam, & oculis nostris fontem lachrymarum, vt ploremus die ac nocte interfectos filiæ populi nostri: nos, inquam, præiudicat ille scriptor, dicens nos esse Schismaticos, & hæreticos, & excommunicatos: quia regiæ potestati non resistimus, & quia Clementi Papæ communicamus.

Quid inuiolabile, inquit, *Baptismi sacramentum apud schismaticos, & hæreticos, & excommunicatos valeat, Isidorus in Allegoriarum libro super Genesin declarat. Quod præter arcam*, ait, *omnis caro, quam terra sustentabat, diluuio consumpta est*: significat, quia præter Ecclesiæ societatem aqua baptismi, quam eadem sit vis, non solum non valet ad salutem, sed valet potius ad perniciem. Sciendum autem, quod Wigbertus arguit catholicos asserere illa, quæ fiunt extra Ecclesiam, sacramenta non esse, nec

aliud

aliud quam damnationem cuiquam conferre, astruens tam extra, quam intra catholicam Ecclesiam hæc omnia rata & vera existere, assumitque in testimonium assertionis suæ Augustini sententiam in quodam tractatu in Euangelium Ioannis contra rebaptizatos editam. *Ita ergo*, inquit Augustinus, *nec foris, sicut nec intus quisquam, qui ex parte Diaboli est, potest vel in se, vel in quoquam maculare sacramentum, quod Christi est.* Quam & nos sententiam fideliter amplectentes respondemus, hoc Augustinum de solo, vnde tunc agebatur, baptismi dixisse sacramento. Et in fine ipsius Epistolæ: *Intuendum etiam*, inquit, *quod qui Wigberto vel Heinricho fauent, aut temporalis commodi respectu, vel humanæ gloriæ faciunt hoc intuitu: nos autem, qui iustam partem Gregorij iam à Deo assumpti, sicut iustum est, defendimus, per hoc non homini, sed soli Deo placere contendimus.*

Hinc iam apparebit, qui sint schismatici, & hæretici, atque excommunicati, quum iste scribendo testetur, se suosque defendere partem sui Gregorii. Sed tunica Christi per totum texilis, atque cohærens reseruatur nobis integra & inconcissa à carnificibus Pilati: vtpote melioribus, quam qui diuidunt vnitatem Ecclesiæ, quandoquidem ipsi interfectores Christi dicant in Euangelio de integritate illius tunicæ: *Non scindamus illam, sed sortiamur de ea, cuius sit.* Vnitatis enim sacramentum, & concordiæ vinculum illa Christi tunica prætendebat, quæ ab accipiente ac possidente scindi omnino non poterat: sed totam simul, & solidam firmitatem inseparabiliter obtinebat. Vnde sanctus Cyprianus Episcopus in libro de Vnitate Ecclesiæ: *Quis ergo*, inquit, *sic sceleratus, quis sic discordiæ furore vesanus, vt aut credat scindi posse: aut audiat scindere vnitatem Dei, vestem Domini, Ecclesiam Christi?* Sed quidam exeuntes à nobis dicunt & scribunt, se defendere partem sui Gregorii, non id quod totum est Christi, quod est catholica Ecclesia Christi. Vnde Isidorus Episcopus in VIII. libro Etymologiarum: *Catholica*, inquit, *hoc est, vniuersalis Ecclesia dicitur: quoniam non secundum conuenticula hæreticorum in aliquibus regionum partibus coarctatur, sed per totum orbem dilatata diffunditur: ideoque fidem non habent catholicam, qui sunt non in toto, quod redemit Christus, & quod regnabit cum Christo, sed in parte aliqua maioris inde consequentes damnationis sententiam:* quotquot confitentur in symbolo, se credere sanctam Ecclesiam catholicam, & per aliquas partium sectas diuisi non tenent vnitatem Ecclesiæ: quæ scilicet vnitas, iuxta quod legitur, multitudinis credentium esse cor vnum & animam vnam, proprie conuenit catholicæ Ecclesiæ. Sed per diem, inquit, sol non vrettе, neque luna per noctem. Mystice dictus sol in Deo intelligitur, & in Ecclesia præfigurate dicta luna intelligitur. Sed tanquam à sole vritur, qui in Christo scandalizatur, credens aliquid minus in filio, quam in patre & Spiritu sancto: quoniam pater, & filius, & Spiritus sanctus vnus est Deus, consubstantialis & coæternus. Vritur autem tanquam à luna, qui scandalizatur in Ecclesia, credens eam esse in parte vna, iuxta quod & Dominus per pseudoprophetas & falsos doctores fieri prædixit, qui dicunt: *Ecce hic est Christus, ecce illic*: quum ille totum orbem emerit, qui tantum sanguinis sui pretium dedit. De his duobus timenda sunt scandala: quoniam & duo sunt præcepta, in quibus tota lex pendet & Prophetæ, dilectio scilicet Dei, & dilectio proximi. Pax multa diligentibus legem tuam Domine, & non est illis scandalum. Sed scribit contra nos noster aduersarius: *Nos*, inquiens, *iustam partem Gregorij iam à Deo assumpti, sicut iustum est, defendimus.* Vnde Augustinus scribens in tractatu Psalmi, cap. XII. de talibus: *Eo plus*, inquit, *abundat nequitia, quo sibi videtur abundare iustitia.* Et quia iustitia est in corde ipsorum, sed falsa, ideo ait: *Non perueniunt ad veram, quia repleti sunt falsa:* XIIII. aut eo amplius annos prælia & seditiones agitis.

Ecce enim vos (vt ita dicam) particulares Hildebrandi, per hos, & ne adhuc quidem paci vel concordiæ acquieuscitis: sed sicut vere ait Iacobus Apostolus, occiditis & zelatis, belligeratis & litigatis. Quod si zelum amarum habetis, & contentiones in cordibus vestris: *Nolite*, inquit, *gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem.* Non est ista sapientia desursum descendens à patre luminum: sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus

prauum. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, iudicans sine simulatione: fructus autem iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem. Vnde, inquit, bella & lites in vobis? nonne hinc? scilicet ex zelo amaro & contentionibus, quæ sunt in cordibus vestris? Propterea quidam ex parte Hildebrandi scribens grandem epistolam pro defensione eiusdem sui Gregorii, testatur in exordio loquutionis suæ, nolle auditores suos salutare: ostendens per hoc, fraternitatem se non diligere, quod est vnitatem non amare: qui certe scribens vbique contra sacramenta Christi & Ecclesiæ, terminauit scripturam suam, eo scilicet condendi schismatis errore, quo cœpit: & nesciens, aut contemnens, quod fructus iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem, ait: *Nos, sicut iustum est, defendimus iustam partem Gregorij iam à Deo assumpti.* Sic quippe sacra scriptura Geneseos de Enoch dicit, quod illum Deus tulerit: quoniam non apparuit. Sed catholica Ecclesia comprobat hoc, & dicit, quod in libro de vnitate Ecclesiæ Cyprianus Episcopus scribit: *Vnitatem*, inquit, *qui non tenet, non tenet patris & filij fidem, vitam non tenet, & salutem.* Proinde quomodo ille Hildebrand catholicus extitit, qui non Ecclesiæ, sed parti præfuit, sicut etiam defensor ipsius scribit: qui etsi Apostolicam sedem sibi vsurpauerit, nunquam tamen Romana Ecclesia illius sponsa fuit, quam pro legitima donatione spiritalis dotis collatis ante beneficiis spoliauit, proscidit ac dilaniauit: iuxta quod in secundo huius libri capitulo dictum est, & vere dictum est. Atque ideo ipsa, quæ vere erat & est Romana Ecclesia, quum sit mater omnium Ecclesiarum, quæ aliquo prauo dogmate nec aliquando fefellit, nec aliqua hæresi vnquam falli potuit: talis, inquam, sancta mater Romana Ecclesia, quum non posset non misereri filiis viscerum suorum, qui per dissensionem Regis Henrichi & Hildebrandi Papæ trahebantur, & vtinam adhuc non traherentur ad interitum: elegit summa necessitate Wigbertum Rauennatis Ecclesiæ Episcopum ad pastoralem curam Romani pontificatus, consentiente pariter & agente Rege Henricho, eodemque patricio Romanæ Ecclesiæ: necessitas autem non habet legem. Vnde Innocentius Papa: *Quod necessitas*, inquit, *pro remedio reperit, cessante necessitate debet vtique cessare, quod vrgebat: quia alius est ordo legitimus, alia vsurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit.* Igitur factum non est hæreticæ prauitatis errore, quod consensit Wigbertus viuenti adhuc Hildebrando subrogari, summa scilicet necessitate: quoniam constat, eum vixisse ad interitum Ecclesiæ pariter & reipublicæ. *Nam si Wigbertus*, inquit, *fur & hæreticus non fuisset, viuenti adhuc Gregorio, nullatenus subrogari consensisset.* Iste magis fur est & hæreticus, qui furtim collectis vndique sanctorum Patrum testimoniis ad confirmandas schismaticorum pariter & hæreticorum partes introiuit ad scribendum, & exiuit aliunde quam per ostium, quod est Christus: docens etiam absque doctrina Christi, & loquens absque veritate, quæ est Christus, qualis certe dicitur Antichristus: *Quoniam, qui mecum*, inquit, *non est, contra me est.* Quod si Clemens Papa fecit pius atque pacificus videtur his, qui sunt ex contentione, vel in hoc culpabilis esse, quod antea Episcopus alterius Ecclesiæ, nunc factus est Pontifex Romanæ Ecclesiæ, sciant hoc licitum esse ex Canonum constitutione, præcipue autem ex decretis Antheros Papæ, si non fuerit ambitus causa, sed aut necessitate aut vtilitate: iuxta quod Petrus sanctus & princeps Apostolorum, de Antiochia vtilitatis causa translatus est Romam, vt ibidem potius proficere posset: *Quoniam alia est*, inquit, *causa vtilitatis & necessitatis, & alia auaritiæ & præsumptionis, atque propriæ voluntatis.*

Vtrum autem sit pastor, an mercenarius, cognosci veraciter non potest, si occasio necessitatis deest. Vnde & inter cætera, quæ sunt eiusmodi, scribit sanctus Gregorius in Homeliis: *Lupus*, inquiens, *supernieniens indicat, quo quisque animo super gregis custodiam stabat.* Ecce enim Henrichus Rex non vt dispergeret oues Christi, sed vt congregaret eas in vnum, profectus est Romam: præcipue studens aut cum Hildebrando redire in gratiam, aut si id fieri non posset, substituere alium Papam, qui amaret pacem, & euangelizaret pacem, quum iam per

plures

plures annos bellum vndique vastauerit Romanum orbem. sed ille noluit Regem recipere, immo respuit eum alloqui vel videre, nisi offerret sibi regale sceptrum, & redderet in manus suas regiam potestatem, & honorem, & regnum: quale scilicet mysterium iniquitatis dicitur à Domino super principem Tyri, quoniam eleuatum est cor eius: & dixit, *Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi.* Non est enim potestas nisi à Deo, ideoque vel Petrus princeps Apostolorum non vsurpauit sibi ordinare aliquid de regno: sed, *Subiecti*, inquit, *estote omni creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, ad laudem vero bonorum.* Ergo Rex quum obstinatum Papę animum non posset inclinare ad studium pacis, alia pactionis conditione, nisi cederet regno, quod Deo ordinante obuenerat sibi auita pariter & paterna successione, tunc demum vsus est belli necessitate: quum etiam idem Hildebrand introitum Romanæ ciuitatis sibi obstruxisset, & Romanos ad repugnandum animasset: qui deinde conuersi ad studium pacis, vel quod bello vndique vrgerentur, vel quod contra Patricium suum repugnare impium fore arbitrarentur, legationem miserunt, rogantes ea, quæ pacis sunt, persistente Hildebrando Papa in obstinatæ mentis intentione, qua Regem Henrichum iudicauerat dignum esse odio omnium: vtpote excommunicatum à se, ideoque indignum eum esse aliquorum, qui rite colerent Deum, visu, alloquutione. Vnde quum vellet potius oues Christi dispergi vel occidi, quam cum Rege pacificari, cui certe dictum est à Domino cum Petro Apostolo: *Si diligis me, pasce oues meas*, id est: Fac pro fratribus, quod pro te feci, qui omnes sanguine meo redemi, ergo quum misereretur Christus ouibus suis, quibus noluit Hildebrand misereri, relictis eis, fugit in Traianum: quæ scilicet munitio hactenus inexpugnabilis dicta est, vulgo domus Theodorici. Tum quidem Romana Ecclesia elegit Wigbertum successorem illi fugitiuo, quum certe principes non sint timori boni operis, sed mali, sicut dicitur à Paulo Apostolo. Tum etiam Rex ordinatus est Imperator ab eodem Papa Clemente, ex qua amborum ordinatione præcipue insignis est annus, qui tunc erat ab incarnatione Domini MLXXXIIII. Sed post aliquantum temporis fugiens quoque Hildebrand ex illa, qua se occultauerat, munitione, Salernum petiit, ibique vitam finiuit. Igitur vtrum sit pastor, an mercenarius, cognosci veraciter non potest, si occasio necessitatis deest. Vnde sanctus Leo Papa scribens per Rusticum Narbonensem Episcopum cæteris pastoribus Ecclesiæ Christi, ostendens scriptis pariter & exemplis, non debere sacerdotes Dei vllis tribulationibus, vel scandalis infirmari, quo discedant a cura pastorali. Nam ipse dignus plane vicarius Petri Apostoli, & verus imitator essentialiter boni pastoris nō timuit occurrere vel Genserico Regi Vandalorum, vel Attalæ Regi Hunnorum, infestissimis scilicet hostibus Ecclesiæ, simul & reipublicæ, ac proinde scribit idem Leo inter cætera pastoribus Ecclesiæ: *Dicente vero*, inquit, *Domino, Beatus qui perseuerauerit vsque in finem: vnde erat beata perseuerantia, nisi de virtute patientia? Nam secundum Apostolicam prædicationem: Omnes qui voluerint in Christo pie viuere, persequutionem patientur, qua non in eo tantum computanda est, quod contra Christianam pietatem aut ferro aut ignibus agitur, aut quibuscunque suppliciis, quum persequutorum sæuitiam suppleant: sed & dissimilitudinem morum & contumacia inobedientium & malignarum telis linguarum, quum huiusmodi conflictationibus omnia semper membra Ecclesiæ pulsentur, & nulla piorum portio à conflictatione sit libera. Permanendum est ergo in opere credito & in labore suscepto: constanter tenenda est iustitia, & benigne præstanda clementia. Odio habeantur peccata, non homines: corripiantur tumidi, tolerentur infirmi: & quod in peccantibus seuerius castigari necesse est, non sæuientis plectatur animo, sed medentis; ac si vehementior tribulatio incubuerit, non ita expauescamus, quasi illi aduersitati propriis viribus resistendo, quum & consilium nostrum & fortitudo sit Christus, ac sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus: qui confirmans prædicatores Euangelij, & sacramentorum ministros: Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Et iterum: *Hæc*, inquit, *loquutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, in hoc autem mundo tribulationem habebitis: sed confidite, quia ego vici mundum. Quæ pollicitationes, quia sine dubio manifestæ sunt,*

Traianum domus Theodorici.

An. 1084.

nullis debemus ſcandalis infirmari, ne electione Dei videamur ingrati, cuius tam potentia ſunt adiutoria, quam vera ſunt promiſſa.

Hæc & eiusmodi dicta pariter, & facta beati Leonis Papæ, ſi quis diligenter attendit, conferens etiam in corde ſuo, quę Dominus Ieſus in Euangelio fecerit & docuerit, perſpiciet plane Eccleſiam Dei nunc quoque tentari multiplicibus hæreſium erroribus, quoniam oportet hæreſes eſſe, vt & probati manifeſti fiant in vobis, dicit Paulus Apoſtolus. Ergo Hildebrand dictus Papa Romanæ Eccleſiæ diſceſſit, immo fugit ab Eccleſia, ea præcipue cauſa, vt non videret vel alloqueretur regem Henrichum: quod & fecerunt partis eius Epiſcopi, quotquot non potuerunt epiſcopatus ſuos per vim & per bellum obtinere contra eundem Regem Henrichum, blaſphemantes in eo non ſolum hominem, creaturam Dei, ſed etiam ordinationem Dei: quoniam omiſſa ſinguli, ſiue per contentionem retenta ſua paſtorali cura refugerunt videre in memorato Rege hominem creaturam Dei, & noluerunt ſubiecti eſſe eidem Regi quaſi præcellenti, iuxta mandatum atque doctrinam Petri Apoſtoli, reſiſtentes Dei ordinationi: quoniam reſtiterunt ei, quæ à Deo eſt poteſtati. Inde diuinis humanisq; legibus poſthabitis, cœpit apud eiusmodi Epiſcopos eſſe palatium atq; curia, & à facie eorum egreſſa eſt tam crudelis ſententia, vt dicant malum bonum, & bonum malum: prædicantes beatos eſſe, qui pro parte Hildebrandi faciant prælia, ſeditiones, & homicidia. *Populę meus, qui beatum te dicunt, ipſi te decipiunt*, dicit Dominus. Beati enim pacifici, quoniam vocabuntur filii Dei, reddentes nunc interim ea, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, donec veniat perfecta beatitudo, quando pacem meam, inquit, do vobis, quam modo hic relinquo vobis. Ecce iuxta Euangelium vel Matthæi vel Lucæ, quorum vnus regiam generationem, alter ſacerdotalem Chriſti progeniem deſcribit pro magni myſterii ratione: iuxta horum, inquam, Euangelium credimus Adam primum, & Adam nouiſſimum eſſe eiusdem naturæ: ideoq; poſtquam Dominus & ſaluator noſter terram noſtræ carnis aſſumpſit, ne angelica quidem celſitudo deinde infirmitatem noſtram deſpexit: quoniam quum vel Loth vel Ioſue adorantes prius Angelos non prohiberentur adorare, Angelus Ioannem in Apocalypſi ſe adorare volentem compeſcuit, dicens: *Vide ne feceris, conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum.* Proinde conſiderandum eſt, vtrum peruerſiores ſint iſti, qui deſpiciunt in Rege hominem creaturam Dei, ex talibus ſcilicet factis negantes eam bonam eſſe: an illi, qui dicunt naturam Diaboli malam eſſe, quod affirmant Priſcillianiſtæ hæretici, de quorum fœtidiſſima hæreſi ſic ſcribit Leo Papa vere dignus ſucceſſor Petri Apoſtoli: *Nihil eſt*, inquit, *ſordium in quorumcunque ſenſibus impiorum, quod non in hoc dogma confluxerit: quoniam de omni terrenarum opinionum luto multiplicem faculentiam miſcuerunt, vt ſoli totum biberent, quicquid ulij ex parte guſtaſſent, qui dicunt inter cætera, quod Diabolus nunquam fuerit bonus, & quod non ſit officium Dei natura eius.* Sed Hildebrandt & Epiſcopi eius factis quidem negant creaturam Dei hominem bonam eſſe, quem ſcilicet hominem in tantum deſpiciunt in Rege, vt epiſcopatus ſuos relinquentes, & curam animarum ſibi creditarum negligentes fugiant eum videre: quum vera fides, quæ eſt catholica, omnium creaturarum, ſiue ſpiritualium, ſiue corporalium, bonam confiteatur ſubſtantiam, & mali nullam eſſe naturam: ex vitio quippe voluntatis prauæ vitiatum eſt bonum, ſiue in Angelo, ſiue in homine. Hinc ſupradictus Leo Papa: *Odio*, inquit, *habeantur peccata, non homines: & quod in peccantibus ſeuerius caſtigari neceſſe eſt, non ſauientis plectatur animo, ſed medentis. Vbi enim benęuolentia, ibi amicitia.* Sed cum diabolo amicitia non eſt habenda, cui ſemel renunciando bellum indiximus: cui ſi nunquam conſenſiſſemus, nunquam in iſtas miſerias incidiſſemus. Cum omnibus autem hominibus iubemur, quantum in nobis eſt, pacem habere: cuius pietatis ſtudium præcipimur vſque ad inimicos etiam diligendos transfundere. Inter hæc enim, quæ valde bona deſcribuntur, præcipue eſt bona creatura Dei homo: quoniam ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt homo: qui etſi male vſus ſit libero arbitrio, declinans à bono ad malum, non perdidit tamen mentis intellectum, vbi ad ſimilitudinem Dei

factus

factus est homo. Dicitur autem homo totius collectio multitudinis, quæ est sub specie hominis: qui scilicet homo diligendus est, non errores ipsius, non peccata ipsius. Nam dicens in Euangelio Dominus: *Diligite inimicos vestros, orate pro eis, qui vos persequuntur, benefacite eis, qui vos oderunt*: hortatur nos ad similitudinem Dei. Ideoque adiunxit: *Sitis*, inquiens, *filij patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*. Vnde Augustinus in tractatu Psalmi LXX. *Qui ergo*, inquit, *bene vult inimico suo, Deo similis est: nec ista superbia, sed obedientia est, quoniam ad imaginem Dei facti sumus. Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram*.

Hanc vtique imaginem Hildebrand & Episcopi eius in Rege Henricho & oderunt & persecuti sunt, & potestatem quæ à Deo est, qua & ipse adhuc regnat atque imperat, & oderunt, & persecuti sunt: ideoq; assumtis sibi quibusdam sciſſuris regni constituerunt contra ordinationem Dei alium Regem, Rudolfum scilicet Ducem Sueuorum, sub quo præliarentur bellum suum: quo quærebãt omnibus modis mortificare Regem Henrichum, cupientes corpore & anima perire eum. Igitur anno ab incarnatione Domini MLXXVII. cõuenerunt mense Martio Episcopi & Principes, qui erant ex parte Hildebrandi Papæ, & elegerunt Regem contra Regem, circa tertiam scilicet hebdomadam Quadragesimæ: quibus scilicet sacrosanctis diebus iubetur Christiana religio aliorum temporum negligentias diluere: & sicut rerum, ita quoq; offerre Deo decimas dierum: quando etiam præcipit Dominus per prædicatores suos insonare nõ signum belli, sed tubam prædicationis ad conuocandum in Ecclesia populũ propter pœnitentiæ studium. *Canite*, inquit, *tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos, & sugentes vbera*. Et iterum: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum, dicit Dominus Deus*. Legitur quoq; in libro Romani ordinis, quia ordo scrutiniorum quarta feria, tertiæ in quadragesima hebdomadæ propter nouæ scilicet regenerationis candidatum initiatur, & in sabbato sanctæ Paschæ finitur, vt secũdum formam VII. donorum Spiritus sancti, VII. scrutinia, & totidem oblationes, quas patrini vel matrinæ pro electis iubẽtur offerre, compleantur. Sed contra aliud nunc instituitur iter, quam ad baptismum: quoniam scrutinium intelligitur iter ad baptismum. Nam circa hanc tertiam quadragesimæ hebdomadam canitur per supradictos Episcopos quasi bellicum quoddam signum, vt congregent populum constituere sibi Regem nouum. Qui certe Rudolfus cum media quadragesima, die scilicet Dominica, per Sigifridum Moguntinæ Ecclesiæ archiepiscopum ordinaretur, sanguine multorum hominum initiatur: quoniam Moguntiæ plebis multitudo conclamans atque concurrens ad eiusmodi seditionis portentum repellitur, fugatur atque occiditur: & Ecclesia, in qua facta est hæc ordinatio, sanguine etiam violatur. Proinde vos, qui tremitis ad iudicium Domini, attendite obsecro iudicium Domini. Postquam vero ille Rudolfus Rex quarto ordinationis suæ anno in prælio occisus est, proximo dehinc anno vterque locus, qui erat particeps & electionis & ordinationis eius, ex Dei iudicio per ignem consumptus est. Nam opus illud speciosum Henrichi Regis secundi, & Imperatoris primi, scilicet Babenberg, in cuius episcopio ille electus est, ignis consumpsit in sabbato sancto paschæ, caput autem Galliæ atque Germaniæ Moguntiam similiter ignis consumpsit infra Pentecosten eodem anno, qui tunc erat MLXXI. incarnationis Dominicæ. *Vbi nunc est Israel Rex tuus? dicit Dominus, & vbi sunt iudices tui? quæ dixisti, Da mihi Regem & Principes. Ipsi quippe regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognoui, dicit Dominus exercituum*.

Rudolphus Rex in schismate.

Incendia Bambergæ & Moguntiæ.

Peracta vero, sicut dictum est, Rudolfi Regis electione pariter & ordinatione per Episcopos, de qualibet dicit per Prophetam Dominus: *Manus vestræ pollutæ sunt sanguine & digiti vestri inquinati*. Peracta (inquam) electione simul, & sanguinea illius ordinatione, quibus interfuerant legati quoque Hildebrandi Papæ, non multo post reuersus est Henrichus Rex de partibus Italiæ, quo perrexerat ad satisfactionem, vel ad supplicandum eidem Romano pontifici pro pace vel Ec-

cleſiæ vel reipublicæ. In cuius aduentu in Germaniam diſperſi ſunt inimici eius, & fugerunt à facie eius: abieruntque quidam de Epiſcopis in Saxoniam cum Rege ſuo Rudolfo, quidam autem ad montana, & ciuitates munitas, dicente Apoſtolo: *Quia principes non ſunt timori boni operis, ſed mali.* Recolite nunc Montanorum ſectam, immodicam fidei & patientiæ obſeruantiam: quia quum tempore perſequutionis fugiſſent quidam in montana, & latuiſſent in montibus, diuiſi per hoc de corpore Eccleſiæ, dicti ſunt Montani hæretici, ſicut in VIII. libro Etymologiarum ſcribit Iſidorus Epiſcopus. Sed Hildebrand & ſuæ partis Epiſcopi, quibus à Rege Henricho ſæpe pax oblata eſt, & minime recepta, diuiſerunt ſe ſponte ſua ab vnitate catholicæ Eccleſiæ: fugientesque in munitiones atque montana, reliquerunt Eccleſias ſuas absque ſpeculatore, & oues absque paſtore: eligentes potius fugere ad montem magnum, quem promittit Dominus per Prophetam Zachariam, coram Zorobabel duce Iuda in planum deduci, quam aſcendere ad montem Domini, de quo factum eſt ad Eſaiam verbum Domini: *Et erit*, inquiens, *in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*, quales ſuſcipiunt montes pacem populi, & colles iuſtitiam. Vbi enim pax, ibi & iuſtitia: quoniam iuſtitia & pax oſculatæ ſunt ſe, ſicut dicit Pſalmiſta. Vnde ipſe, qui eſt pax noſtra, Chriſtus dicit poſt ſalutarem doctrinam inſtitutionis Euangelicæ, cui iuſtum eſt obedire: *Hæc loquutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis.* Propter quod enim (ſicut atteſtatur Auguſtinus) totum agitur, quod Chriſtiani ſumus, ſcilicet vt in Chriſto pacem habeamus, & ſimus in vnitate corporis eius. Hæc enim pax non habet finem temporis, & ipſa erit omnis piæ noſtræ intentionis actionisque finis: propter hanc ſacramentis eius imbuimur, propter hanc mirabilibus eius operibus & ſermonibus erudimur, propter hanc Spiritus eius pignus accepimus, propter hanc in eum credimus & ſperamus, & eius amore, quantũ donat, accendimur. Hac pace in preſſuris omnibus conſolamur, hac preſſuris omnibus liberamur, propter hanc omnem tribulationem fortiter ſuſtinemus, vt in hac feliciter ſine vlla tribulatione regnemus. Patria enim noſtra pax eſt, & hæreditas noſtra pax eſt. *Per hanc*, inquit idem Auguſtinus Epiſcopus, *vos ſalutamus, hanc vobis annunciamus.* Sed oderunt Hieruſalem, qui oderunt pacem, qui conſcindunt vnitatem, quibus falſo pacem pronunciantibus populo reſpondetur, quum dixerint, *Pax vobiſcum, & cum ſpiritu tuo.* Falſum enim, inquit, dicunt, & falſum audiunt, quibus dicunt, *Pax vobiſcum*, quos ſeparant à pace orbis terrarum, & quibus dicuntur: *Et cum ſpiritu tuo*: ſi in ſpiritu eorum eſſet pax, nonne vnitatem diligerent, & diſſenſionem derelinquerent? Neque vero pax eſſe poteſt vera, vbi non eſt vera concordia: quia diſiuncta ſunt corda. Quomodo enim, inquit, conſors dicitur, qui ſortem iungit: ita ille concors dicendus eſt, qui corda iungit.

Montani hæretici.

Sed iam facta diuiſione Imperii ſimul & Sacerdotii ſurrexit Rex aduerſus Regem, gens aduerſus gentem, Epiſcopus contra Epiſcopum, populus contra populum. Exinde vero quantæ cædes factæ ſint hominum, quantæ deſtructiones Eccleſiarum, quanta etiam rerum confuſio exinde facta ſit in omni Eccleſia, indigere videtur tragœdia magis, quam hiſtoria. Magno ſe iudice quisq; tuetur, dum vterque Rex iuſte arma ſe induiſſe arbitratur: Henrichus ſcilicet, quod natus & nutritus in regno ſucceſſiſſet progenitoribus ſuis in regnum ex Dei ordinatione, ac proinde accepiſſet iuxta doctrinam Apoſtoli vindicem gladium in impios atq; iuſtos vel Eccleſiæ vel reipublicæ: Rudolfus autem, quod obediens eſſe deberet Pontifici ſedis Apoſtolicæ, qui per Epiſcopos partis ſuæ prædicaſſet, eum non teneri obnoxium periurii vel perfidiæ, ſi contra eum arma tuliſſet: qui, vtpote excommunicatus, Rex iam eſſe non poſſet: quum hoc ſit, inquiunt, fidei atque fidelium in Eccleſia, occidere ſcilicet ac perſequi eos, quicunq; communicantes vel fauentes excommunicato Regi Henricho, noluerint declinare poſt partium ſuarum ſtudia. Noua & inaudita eſt prædicatio eiusmodi, quum Eccleſia non habeat ſibi conceſſum gladium, niſi ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Iuſtitia quippe Phariſæorum eſt, non occidere, non peierare: *ſed vere dico vobis*, ait in Euangelio Dominus,

nus, *quia nisi abundauerit iustitia vestra plus quam scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Cum enim dictum sit his qui sunt sub lege, Domino iuramenta sua reddere: ego autem*, inquit, *vobis dico, qui estis sub Euangelica perfectione, non iurare omnino, & non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Ergo cum grauius sit gladio cogere ad supradictarum partium conspirationem, quam verberibus exigere fidem, ecce sanctus Gregorius scribit de eiusmodi ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum: *Noua*, inquiens, *atque inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. Pastores etenim*, ait, *facti sumus, & non persecutores.* Huius autem persecutionis rabiem, quæ iam non verberibus agitur, sed gladiis simul atque rapinis & destructionibus Ecclesiarum siue ciuitatum, & incendiis villarum multo tempore authoribus Episcopis exercetur: huius (inquam) persecutionis rabiem comprobat scriptor illius Epistolæ, qua suscepit partem sui Gregorii defendere: & intendit eam sanctorum patrum scriptis hinc inde fraudulenter collectis affirmare, vt gladius linguæ acerbius affligat ecclesiam, quam gladius occisionis hactenus afflixerit eam: quoniam iuxta sententiam quoque Augustini, grauius illi cor feriunt, qui gladio linguæ feriunt: & acerbius, inquit, sanguinem fundunt, qui Christum, quantum in ipsis est, in homine occidunt. Scribit enim post multa, & inter multa, quibus calumniatur vel Henrichus imperator, vel Clemens Papa: *Verum qui hactenus*, inquit, *tacebat, huic respondsurus calamniæ Papa Damasus procedat: Qui potest obuiare & perturbare peruersos, & non facit, nihil est aliud quam fauere eorum impietati: nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Leo Papa: Negligere, cum possis deturbare peruersos, nihil aliud est, quam illis fauere: ergo enim cui non resistitur, approbatur, & veritas, quæ minime defensatur, opprimitur. Gregorius in suis Moralibus. Plerunque quieti atque inconcussi relinquimur, si obuiare prauis pro iustitia non curamus: sed cum ad æternæ vitæ desiderium animus exarserit: si iam lumen intrinsecus respicit, si in se flammam ignis sancti feruoris accendit, inquantum locus admittit, inquantum causa exigit, debemus pro defensione iustitiæ nosmetipsos obiicere, & peruersis ad iniustà erumpentibus, etiam cum ab eis non quærimur, obuiare. Nam cum iustitiam, quam nos amamus, in aliis feriunt, nos nihilominus sua percussione confodiunt, etiamsi venerari videantur.*

Hæc sanctorum Patrum documenta, quæ conuertit ille peruersus ad confirmanda bellorum studia, nos teneamus pro defensione pacis & veræ iustitiæ: quoniam iustitia & pax osculatæ sunt se: neque alia sentiamus de supradictis cæterisque sanctis Patribus, nisi quæcunque sunt vera, quæcunque iusta, quæcunq; sancta, quæcunq; amabilia, quæ & didicistis & audiuistis. Sed videte obsecro, & attendite ea qua oportet diligentia, quare intulerit ille suprascripta sanctorum patrum testimonia: scilicet, quoniam Clemens Papa super his malis quæ fiunt in Ecclesia, dolet & tristatur, quæ nos patimur: quoniam si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: & si gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Ergo cum sit facta diuisio in Ecclesia illis exeuntibus à nobis, non nobis ab illis, inscribimur tamen, & blasphemamur schismatici esse, qui sumus in toto, non in aliquorum parte: & prædicantur illi, ac beneficantur catholici esse: quorum vnus audacior cæteris audet etiam scriptis partem sui Gregorii defendere, & sic inter cætera respondet ad dicta Clementis Papæ. Asserit etiam, inquit, prædictus calumniator ex occasione prædicationis catholicorum: *non enim possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate*, cum Apostolo dicentium, tam in Italico, quam Theutonico regno fieri rapinas, incendia, destructiones Ecclesiarum, gemitus & suspiria orphanorum & viduarum. Huic quiddam simile conclamabant & Iudæi in Redemptoris nostri occisione: *Commouit populum, docens per vniuersam Iudæam, & incipiens à Galilæa vsq; huc.*

Nostis vero qui Euangelium legitis, quæ Dominus Iesus fecerit, & docuerit, quomodo sanitates corporum, & curationes animarum operatus sit: ideoq; scribæ & Pharisæi de falsa iustitia præsumentes, beneficiis eius, & virtutibus inuidebant: & quæ negare nequiuerant, siniſtra interpretatione peruertere labora-

bant: & propter multa eius bona opera vsque ad mortem persecuti sunt eum, acclamantes eum commouisse populum: quoniam populus in his quæ glorioſe fiebant, admirabatur, & glorificabat Deum. Pharisæi quippe interpretantur diuisi, quales dicit Apostolus habere zelum Dei, sed non secundum scientiam: *Quoniam ignorantes*, inquit, *Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Quod si zelum amarum habetis, & contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem. Ecce enim aduersarii Redemptoris nostri calumniabantur, eum esse seductorem: iuxta quod & nostri temporis scribæ & Pharisæi appellant Clementem Papam calumniatorem: quia quærit salutem omnium, dolens fieri in Italico pariter & Theutonico regno ex prædicatione aduersantium episcoporum rapinas & incendia, atq; destructiones Ecclesiarum, gemitus & suspiria orphanorum & viduarum. Ex hoc enim, inquit Apostolus Ioan. cognoscimus spiritum veritatis & spiritū erroris: quia qui audit nos, spiritum habet veritatis: & qui nos non audit, spiritum habet erroris. Videamus quid moniturus est, in quo audire illum debeamus. *Dilectissimi*, inquit, *diligamus inuicem.* Hoc docet præcipue, & hoc ipsum monet assidue, quia dilectio ex Deo est. Et ideo qui nouit Deum, inquit, audit nos: qui autem non est ex Deo, non audit nos. Sed vere commouerunt populum, qui recedentes ab vnitate dilectionis, qua iubemur nos inuicem diligere, diuiserunt vel Ecclesiæ vel Reipublicæ populum, vt sit populus contra populum. Nam isti, iuxta Dominicum pariter & Apostolicum præceptum, subiecti sunt legitimo regi Henricho, vtpote Dei ministro, quem dicit Apostolus non sine causa portare gladium, scilicet ad vindictam impiorum: illi autem contra Dei ordinationem constituerunt super se in Regem aduersarium, qui sub Rege Henricho erat dux Sueuorum, quod certe factum est in defensionem malefactorum: quoniam leges silere solent per tempus bellorum. Ergo Petrus nondum intelligens quæ Dei sunt, portat gladium, qui vltor Dominicæ iræ positus est in eum qui male operatur. *Sed conuerte eum*, inquit, *in locum suum: quoniam si rogauero patrem meum, exhibebit mihi modo in auxilium plusquam XII. millia Angelorum. Omnis enim*, ait, *qui gladium acceperit, gladio peribit*: vel illo gladio, quem dicit Dominus vibratum esse in cœlo, quanto magis in terra: vel gladio spiritus, qui in Dei scribitur armatura, quem etiam habet Ecclesia Dei, vnde & debellantur eius inimici: eodemq; gladio spiritus præcipiuntur filii Ecclesiæ per suprascriptos patres, Damasum scilicet, atq; Leonem, & Gregorium, totius erroris falsitatem abscindere, & peruersos perturbare: quod, inquiunt, qui negligit facere, conuincitur impietati eorum fauere. Attestante enim eodem patre Gregorio, *Ecclesia ab aduersariis suis persecutionem patitur duobus modis: scilicet aut verbis, aut gladiis. Sed cum verbis*, inquit, *persecutionem sustinet, exercetur eius sapientia: cum vero gladiis, exercetur eius patientia.* Ecce impugnamur non solum periculis bellorum, vel pugnis verborum, sed etiam scriptis aduersariorum: & quod grauissimum nobis est, introducuntur contra nos testimonia sanctarum scripturarum, vt ea quibus coronauit Dominus Ecclesiam suam per sanctos Patres quasi scuto quodam protectionis, nunc ex parte sint hostium quasi pro quibusdam telis: quibus tanto grauius vulneretur Ecclesia, quanto pernicioſius solent familiares inimici in corde & corde loqui per labia dolosa. Vnde iam imminere videtur illa magna tribulatio, qualem dicit in Euangelio Dominus non fuisse ab initio mundi vsque modo. *Tunc si quis*, inquit, *vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce*, inquit, *prædixi vobis: sed væ homini*, ait, *per quem scandalum venit.* Grauiter quidem scandalizamur, quod sanctis quoque patribus, qui apud nos viuere debent in suis constitutionibus, hæc calumnia imponitur: vt per eorum doctrinam, qua loquitur nobis Christus, qui est pax nostra, confirmentur nunc partium siue bellorum studia. Vnde noster aduersarius, apud quem non est veritas, nec pax, neque iustitia, scribit post multiplicem testimoniorum congeriem: quibus contendit nihil valere apud nos Christi Ecclesiæ Sacramenta, & quod suspensi simus ab Ecclesiastica communione secundum Canonum præce-

pta:

pta: *Sufficiant*, inquit, *hæc pauca charitati vestræ, qui catholici vultis esse, quatenus has sanctorum patrum sententias in promptu habeatis, quibus & vos defendere, & veritatem impugnantes refellere valeatis.* Et post hæc, in fine ipsius Epistolæ ex propriis verbis condemnans se, suosq; ostendit nihil ipsis cum catholica hac vniuersali Ecclesia commune esse: & ideo catholicos non esse, cum suscepissent partem sui Gregorii defendere. *Nos*, inquit, *qui iustam partem Gregorii iam à Deo assumpti defendimus, per hoc non homini, sed soli Deo placere contendimus. Fructus vero iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem, sicut Iacobus Apostolus testatur: sed dum hæretici Deum defendere nituntur, offendunt: quanto magis, qui partem alicuius hominis defendunt? Intuendum etiam,* inquit, *quod homines qui Wigberto vel Henricho fauent, aut temporalis commodi respectu, vel humanæ gloriæ faciunt hoc intuitu.*

Erubescimus sane, quod facti sumus obprobrium nimis inimicis nostris: quod & dici non debet sine lachrymis: quia ipsi feruentiores sunt ad defendendam pariter & augendam partem sui Gregorii, quam nostri ad probandam & confirmandam vnitatem catholicæ Ecclesiæ Christi. Nam iuxta quod dicitur in Euangelio, moris esse scribarum, & Pharisæorum & hypocritarum, quod circumeunt mare & aridam, vt non tantum faciant vnum proselytum, sed vt totus mundus vadat post eos, non post Christum: vnde & Pharisæi, qui dicuntur diuisi, inuidebant Christo: sicut legitur in Euangelio, quod turba quæ præcedebat & quæ sequebatur euntem Hierosolymam, ad visionem scilicet pacis, laudes acclamauerit ei, *Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini*: & dicebãt: *Videtis quia nihil profecimus, ecce mundus totus post eum abiit.* Et ille: *Cum exaltatus, inquit, fuero, omnia traham ad me.* Et gratias agens Deo patri, quod mitibus atq; mansuetis reuelauerit Sacramenta aduentus sui, quæ nescierunt scribæ & Pharisæi: *Confiteor*, inquit, *tibi pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Ecce cum exaltatus fuerit Christus, dicitur ad se omnia trahere, & sibi omnia à patre suo tradita esse. Sed ille qui non est in hac vniuersitate, hoc est in catholica Ecclesia, scribit talia: *Nos*, inquit, *qui iustam partem Gregorii iam à Deo assumpti, sicut iustum est, defendimus: per hoc non homini, sed soli Deo placere cõtendimus.* Ergo, sicut dictum est ex authoritate sanctorum Patrum, hæretici dum defendere Deum nituntur, offendunt: quanto magis qui partem alicuius hominis defendunt. Vnum itaque signum est electionis, soliditas charitatis: Vnde ne vel miraculis quidem reproborum seducamur, quæ non fiunt ex charitate, sed per elationem. *In hoc*, inquit Dominus, *cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Igitur vbi non est charitas, vnde vnitur Ecclesia, ibi non est iustitia: & vbi non est iustitia, ibi nec virtus aliqua: quoniam omnes virtutum species continentur vno iustitiæ nomine, cum & iustitia sit lex diuina, & vinculum societatis humanæ. *Intuendum etiam*, inquit, *quod omnes qui Wigberto vel Henricho fauent, aut temporalis commodi respectu, vel humanæ gloriæ faciunt hoc intuitu.*

Sicut scribit Gelasius Papa: *Duo sunt, quibus principaliter mundus hic regitur: authoritas sacrata Pontificum, & regalis potestas. Christus enim memor fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperauit: sic actionibus propriis, dignitatibusque distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, suos volens medicinali humilitate saluari, non humana superbia intercipi: vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus vterentur, quatenus spiritalis actio à temporalibus distaret incursibus, & Deo militans minime se negotiis secularibus implicaret: & vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus, vt & modestia vtriusque ordinis curaretur, ne extolleretur vtroque suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.* Hanc Dei dispensationem quisquis diligenter considerat iuxta diuinam vtriusque potestatis ordinationem, perspiciet sane in hoc quoque per Hildebrandum & Episcopos eius magnam operatam esse iniquitatem: qui cum pro pontificali dignitate non deberent vel negotiis

sæcularibus sese implicare, vsurpauerunt sibi ordinationem regiæ dignitatis contra Dei ordinationem, & contra vsum atq; disciplinam Ecclesiæ: & quia ipsi noluerunt Henrichum regem regnare, iccirco noluit etiam scriptor propositæ epistolæ Regem eum appellare: sed miro modo eum inhonorauit, quem Deus Apostolum suum Petrum honorificare præcipit: quoniam & honor Regis iudicium diligit. Et quia nos instituti doctrina Apostoli Iudæ, non præsumimus dominationem spernere, vel maiestatem blasphemare, iudicamur extranei esse ab Ecclesiastica communione: cum aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum reddamus potestati à Deo nobis prælatæ debiti honoris suffragium, magnâ habentes impositam nubem testium, per quorum patientiam simul & doctrinam curramus ad propositi certaminis brauium. Sanctus enim Gregorius in libro de Pastorali cura, proponit nobis exemplum Saulis atq; Dauid: quomodo boni etiam atque eminentes in Ecclesia viri debeant malis quoque rectoribus subditi esse, iuxta quod Dauid Saulem pertulit: quem videlicet infestissimum persecutorem suum cum posset occidere, noluit occidere: insuper & viros suos, ne consurgerẽt in eum, sermonibus confregit: & quod vel oram chlamydis suæ abscidisset, pœnituit. Quod vero hic summus pontifex & virtutum artifex legitur proposuisse & docuisse, credas omnes sanctos patres pariter & fecisse & docuisse. Boni, inquit, subditi si quando pro infirmitate se abstinere vix possunt, vt extrema quædam atque exteriora præpositorum mala, sed tamen humiliter loquantur, quasi oram chlamydis silenter incidunt: quia videlicet dum prælatæ dignitati, saltem innoxiæ, & latenter derogant, quasi regis superpositi vestem fœdant: sed tamen ad semet ipsos redeunt, seq; vehementissime reprehendunt. Vnde & bene illic scriptum est: *Quia post hæc Dauid percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul.* Facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda iudicantur. Si quando vero contra eos vel in minimis lingua labitur, necesse est vt per afflictionem pœnitentiæ cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat: & cum præpositæ potestati detraxerit, eius contra se iudicium, à quo sibi prælata est, perhorrescat. Nam cum in præpositos delinquimus, Eius, inquit, ordinationi, qui eos nobis prætulit, obuiamus. Vnde etiam cum longe lateque excreuissent Simoniacæ & Neophytorum hæreses, idem Gregorius super hac re valde sollicitus, non minaciter, sed suppliciter inde egit apud Francorum Reges. *Paterno*, inquit, *vos salutantes affectu petimus præcellentissimi filii, vt detestabile hoc malum Simoniacæ hæresis ac Neophytorum de regni vestri finibus studeatis prohiberi, & nulla apud vos excusatio, nulla contra animam vestram suggestio locum inueniat: quia facientis proculdubio culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare.* Hæc legimus sanctum Gregorium scripsisse & docuisse, & vt multos lucrificaret, se seruum omnium, præcipue autem Regum atq; imperatorum fecisse: ideoq; videtur nobis hoc consequens non esse, vt constituerit Reges aliquos de regno suo deiiciendos esse, sicut ei adscribit propositæ scriptor Epistolæ. *Gregorius*, inquit, *huius nominis primus Decernimus Reges à suis dignitatibus cadere, & participatione corporis & sanguinis Domini carere, qui temerario ausu præsumpserint contra sedis Apostolicæ iussa venire.* Certe qui eiusmodi est, iam iudicatus est, iuxta quod & Saul à Domino reprobatus est: & tamen postquam abiecerat eum Dominus, ne regnaret super Israel, legitur multos annos vixisse pariter & regnasse, vt scilicet electorum Dei patientia exerceretur, aut probaretur sub crudelissimo rege, quem etiam ipse Dauid electus a Deo in regem patientissime tulit: & pro eo quod esset Christus Domini, timuit occidere, cum posset eum, vtpote persecutorem suum, occidere: qui in hoc etiam pœnituit, quod vel summitatẽ chlamydis eius abscindere præsumpserit. Saul vero LXXXV. sacerdotes Domini vna die occidit: & tamen eum qui eiusmodi erat, patientia sanctorum sustinuit. Sed Henrichus Rex nihil horum faciens, sed Episcopis liberam disponendarum ecclesiarum potestatem permittens, quia noluit in manus Hildebrandi Papæ pro voluntate hostium suorum tradere regiam potestatem, & honorem, & regnum suum: ideo scribitur merito pro inobedientia sua damnatus esse, quasi per hoc voluerit ius sacerdotale sibi substernere. *Respondendum est etiam*

his,

his, inquit, *qui spiritalibus secularia, diuinis humana præferentes, & ius sacerdotale laicis substernere volentes, conqueruntur Henrichum à Gregorio sine exemplo damnatum. Sed vt querimoniæ*, inquit, *huic silentium imponant, inclinent aures historiis, quam sæpe præsules non solum Apostolici, sed & prouinciales, in defensione iuris Canonici regali siue Imperatorio non pepercerunt nomini.* Ecce cum quanto agit studio pertinaciæ, vt moueat nos à soliditate fidei nostræ, quatenus introducti vel testimoniis scripturarum, vel historiis rerum, declinemus ad partem sui Gregorii Papæ: cum is certe vtriusque abuteratur, vertendo falsa interpretatione, non vera ratione. Sed nulli horum credimus mediante Deo, quales Antichristos dixit Ioannes Apostolus multos nunc esse in mundo: quia Paulus Apostolus, per quem loquitur Christus, dicit, & id secundo repetit: *Licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Ex huius certe anathematis vinculo, nemo liber existit, nisi quem nullus error inuoluit: ac proinde, sicut sanctus Leo Papa scribit: *Si omnes sacerdotes & mundus assentiatur damnatis, damnatio consentientes inuoluit, non præuaricationem consensus absoluit.* Sub damnationis quidem sententia sunt, quotquot Euangelio non obediunt, quotquot Dei ordinationi resistunt, quotquot in vnitate Ecclesiæ non sunt: quoniam vna est, inquit Dominus, columba mea, perfecta mea: vna est fides Christiana, quæ est catholica. Catholica aũt veraciter est illa, quę ab omnium perfidorum, atque ab eorum successoribus consortibus sincera, pura, immaculata communione est diuisa. Sed ille qui scribit & testificatur se in parte sui Gregorii esse, & partem ipsius defendere, ille inquam talis cum sit extra catholicam, hoc est vniuersalem Ecclesiam, scribit apud nos, qui nolumus participes esse partium suarum, nihil valere, nihilque nobis proficere Sacramenta Christi & Ecclesiæ, quæ sunt baptisma & chrisma, atque corporis & sanguinis Domini mysteria: & ad augendum nobis terrorem, introducit contra nos testimonium sancti Augustini: quod nos qui credimus & confitemur sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, retorquemus ediuerso in eos qui amplectuntur esse in parte sui Gregorii. Augustinus in sermone de Blasphemia spiritus sancti: *Si quenquam*, ait, *extra Ecclesiam suorum pœniteat peccatorum, & huius tanti peccati, quod alienus est ab Ecclesia Dei, cor impœnitens habeat, quid ei prodest illa pœnitentia, cum isto solo verbo dicat contra spiritum sanctum, quod extraneus est ab Ecclesia: quæ accepit hoc donum, vt in ea in spiritu sancto fiat remissio peccatorum?* Et iterum: *Cor impœnitens caueatur, nec aliter pœnitentia prodesse credatur, nisi vt teneatur Ecclesia, vbi remissio peccatorum datur, & societas spiritus in pacis vinculo custoditur.*

Hæc scribit sanctus Augustinus de catholica Ecclesia, vbi concordat membrorum vnitas per charitatis & pacis studia. *Vnde in vno*, inquit, *estote, vnum estote, vnus estote: & væ illis qui oderunt vnitatem Ecclesiæ, præsumentes in hominibus partes facere.* Ergo sicut idem Augustinus ait, *Faustinus parti præerat, non Ecclesiæ:* iuxta quod & Hildebrant parti suæ præerat, non Ecclesiæ, qualem scilicet partem scribit quidam de participibus suis defendere cœpisse. Sed Gelasius Papa: *Quæ priuilegio*, inquit, *vniuersalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione subsistũt: pars autem longe distat à toto, quod est vniuersale: ideoque inferior potest quidem errori cuilibet inuoluere aliquem, non absoluere.* Igitur siue sit ille Gregorius, siue Hildebrand, vel alius quisquam: qui præest parti, non Ecclesiæ, non potuit Henrichum Regem damnare: qui certe hoc studet, hoc optat, & maxime laborat, vt fiat vnum corpus Ecclesiæ, quatenus perinde etiam possit fieri vnum corpus Reipublicæ, fuerit sane errans, qualem describit Gelasius Papa non posse sine pœna esse. *Sit igitur*, inquit, *erranti dicta pœna fore perpetua, sit erranti dicta nunquam esse soluenda, quasi errans esse desiterit, pœna quæ erranti est præfixa perpetua, non erranti (id est, aliter effecto quam cui præfixa est) non solum non potest esse perpetua, sed nec esse iam pœna. Non est enim ipse cui præfixa est: erranti enim præfixa est, non non erranti. Quæ enim*, inquit, *erranti præfixa perpetua est, & perpetuo constringit errantem, non errantem non potest iam tenere.* Contra hæc sanctorum patrum testimonia,

si quid aduersarius noster respondere habeat, dicat: qui se iactat posse nobis per introductas rerum historias silentium imponere: qui tanto plus nos exerceat sua locutione, quanto plus ille videtur errare: quod etiam vnum esse beneficium diuinæ prouidentiæ attestatur sanctus Augustinus, vt qui foris sunt, plurimum prosint fidelibus, non verum quod nesciunt docendo, sed ad verum quærendum, & ad verum aperiendum catholicos excitando: ne imperitiæ nostræ tenebris delectati dormire magis velimus, quam lucem veritatis intueri. *Sed vt huic*, inquit, *querimoniæ silentium imponant, inclinent aurem historiis, quam sæpe Præsules non solum Apostolici, sed & Prouinciales in defensionem iuris Canonici regali siue imperatorio non pepercerunt nomini.* Et subiungit, quod Innocentius Papa Arcadium imperatorem sub anathematis vinculo à fidelium consortio separauerit: quod quam verum sit, ex his quæ in superiori libro scripsimus, vel de Arcadio, vel de Innocentio quisq; diligens facile peruidebit. Cum certe Innocentius Papa obseruantissime custodierit cum omnibus sanctis patribus Euangelicam hanc regulam Domini, vt redderent ea quæ sunt Cæsaris Cęsari, cum rite non possent aliter reddere Deo, quę sunt Dei: ideoq; iuxta quod supra dictũ est ex verbis Gelasii Papæ, ordinata est à Deo, sicut sacrata Pontificum authoritas, ita & regalis potestas, vt Christiani Imperatores pro æterna vita indigerent pontificibus, & pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus vterentur dispositionibus. Post hæc scribit, quod Constantinus Papa Philippum anathematizauerit: quod nec in gestis pontificalibus, nec in historiis inuenitur: vbi tantum legitur, quod Philippus supradicto Papæ literas praui dogmatis direxerit, quas ille cum Apostolicæ sedis concilio respuit. Philippus quippe præter id quod contra Iustinianum Imperatorem regnum adeptus est, hæreticus esse probatus est, qualis iam iudicatus est: iuxta quod etiam Gelasius Papa scribit: *Nostri*, inquiens, *maiores authore cuiuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato sufficere iudicarunt, vt quisque aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus.* Post hæc introducit historiam de Rege Hildericho, de quo satis dictum est in superiori libro, apud quem nec regia potestas nec imperialis authoritas esse probatur: ideoque huius exempli controuersia à nobis reprobatur. Sequitur autem, quod Adriano Papa iubente Carolus Desiderium Regem cum filio eius Adalgiso Italiæ regno priuauerit, & solus Italiam cum Francia obtinuerit. Certe Deus Romanorum præparauit regnum, vt ibi & Ecclesia & imperium haberet principatum: huic diuinæ ordinationi qui resistit, Deo resistit. Ergo Desiderius contra Romanam rempublicam simul, & contra Romanam Ecclesiam pugnauit, ideoque Rex ipse Longobardorum per tyrannidem contra Deum surrexit. Huius rei gratia Adrianus Papa vocauit Carolum in auxilium & defensionem Ecclesiæ pariter & Reipublicæ, cum pater quoque ipsius Pipinus Rex iam accepisset patriciatum eiusdem Romanæ Reipublicæ. Sed Carolus cum magna difficultate vel itineris vel belli Desiderium subegit, & perpetuo exilio damnauit: filiumque eius Adalgisum, in quem spes paternæ tyrannidis inclinata videbatur, de Italia expulit: & Romanis atque Adriano Romanæ Ecclesiæ rectori res suas restituit, quas hostilis incursio abstulerat: sicut liber de gestis ipsius Caroli indicat. Post hæc etiam sequitur, & dicit, quod Lotharium Nicolaus Papa ad obediendum Canonicæ legi coegerit, & inuicta temeritate Adrianus damnauerit. Certe non damnauit Lotharium Regem Adrianus, sed post primam & secundam correptionem pro crimine adulterii, quo publice regnum maculauerat, persistens adhuc in sordibus, deliquit ipse iuxta sentẽtiam Apostoli, proprio iudicio condemnatus: quoniam cum de manu ipsius pontificis ad comprobationem innocentiæ suæ corpus & sanguinem Domini reus accipere non timuisset, iudicium sibi manducauit & bibit: ideoque Roma egressus, paulo post in ciuitate Placentia obiit. Eo etiam modo Heribertus Rex, frater Sigiberti Regis Francorum, Dei iudicio percussus est, postquam à sancto Germano Parrhisiensis Ecclesiæ Episcopo propter duas sorores, puellas scilicet derelictæ reginæ, quas pro legitimo coniugio acceperat in vxores, excommunicatus est. Hæ sunt Historiæ, per quas ęstimamus induci posse, vt credamus Henrichum

iure

iure à Gregorio damnatum esse, & exhinc indignum eũ esse regio nomine & regia potestate: cum non legeremus quenquam de sanctis Patribus sibi aliquid de regni negotiis vsurpare. *Non est igitur*, inquit, *nouum, vel Ecclesiasticæ legi indebitum, Reges Apostolico obedire, non obedientes anathemati subiacere*. Certe obediens erat Rex Henrichus Apostolicæ authoritati, quando promiserat ad omnia quæ iusta essent, consensum præbere Romano pontifici: quando etiam depositio cultu regio, & habitu, supplicem per omnia, ac pœnitentem proiectis culpis sese Hildebrando obtulit: nec prius omni officio humilitatis impenso destitit, donec in gratiam cum Papa rediit, & ad comprobandum Ecclesiasticæ reconciliationis testimonium sacram communionem corporis & sanguinis Domini de manu eius accepit, mensam cum ipso Papa adiit: ac deinde dimissus est in pace, qualem scilicet pacem Iudas simulauit, non qualem Christus reliquit. Nam tunc aderat & legatio Saxonum, hostium scilicet Regis, & Gregorianæ partis fautorum: & rescripsit eis quærentibus interrumpere omnibus modis initum reconciliationis pactum. *Ne soliciti*, inquit, *sitis, quoniam culpabiliorem eum reddo vobis*. Regalia siquidem ornamenta interdixerat Regi, & si postea vteretur eis absque licentia sui, iam esset iusta occasio damnandi pariter & deponendi eum, quando transgressus fuisset impositæ legis suæ mandatum. Tum vero electus fuerat, & ordinatus in Regem Rudolfus, iuxta quod dictum est supra, & cum hæc facta sint ex ipsius Hildebrandi sententia: proinde Regi Henricho aut resumenda erant ea quæ proprie regum sunt regalia ornamenta, aut certe amittenda erat regia potestas, quam acceperat ex ordinatione diuina: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris*: in quo scilicet mandato Domini pendet lex fraternæ dilectionis. Nam Gelasius Papa scribit: *Postquam*, inquiens, *ad verum ventum est eundem Regem atque Pontificem, vltra sibi nec imperator pontificis nomen imposuit, nec pontifex regulæ regiæ fastigium vendicauit*. Sic enim scribit ad Anastasium imperatorem hæreticum & defensorem hæreticorũ: Qui etsi talis fuerit, tamen nec ipsi Gelasius nec aliorum quisquam sanctorum patrum, vel partem chlamydis suæ abscindere præsumpsit: quoniam in his etiam qui eiusmodi sunt, ordinationem Dei, & potestatem quæ à Deo est, quisq; sanctus honorificauit:

Quantum vero, inquit, *ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes, glorioſe fili, imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religiosi antistites, ne vel in rebus mundanis excluſæ videantur obuiare sententiæ. Excluſa est quippe hæc sententia, vt aliquis militans Deo secularia procuret negotia. Sic enim discreuit Christus vtriusque potestatis officia, Regum scilicet atq; Pontificum, quatenus spiritalis actio à tẽporalibus distaret incursibus, & Deo militans minime se negotiis implicaret secularibus: ac vicißim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset implicatus negotiis secularibus. Fuerint hæ*, inquit, *ante aduentum Christi, vt quidam figuraliter, adhuc tamen in carnalibus actionibus constituti, pariter Reges existerent, pariter sacerdotes, quod sanctum Melchisedech fuisse sacra prodit historia: quod in suis quoque Diabolus imitatus, vtpote qui semper quæ diuino cultui conuenirent, sibimet tyrannico spiritu vendicare contendit, vt pagani Imperatores iidem & Maximi Pontifices dicerentur. Sed cum ad verum ventum est eundem Regem atque Pontificem, vltra sibi nec Imperator Pontificis nomen imposuit, nec Pontifex regulæ regiæ fastigium vendicauit, quamuis membra ipsius (id est, veri Regis atque Pontificis) secundum participationem naturæ magnifice vtrunque in sacra generositate summisse dicantur, vt simul regale genus & sacerdotale subsistant.* Pont. Mon.

Hæc quidem scribit Gelasius: sed Hildebrand & Episcopi eius, vendicauerunt sibi absque dubio fastigium regiæ regulæ: immo vsurpauerunt sibi officia potestatis vtriusque, quoniam apud illos plane est regnum, aut vbi ipsi volunt, peruersiores inde effecti præ nimia ambitus vsurpatione, vt ad neutrum horum siue ad sacerdotium siue ad regnum possint idonei existere, cum vnum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit implere. Veruntamen Christianus non est, catholicus non est, quisquis Euangelio contradicit, quisquis doctrinam Apostolicam spernit. *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Deum timete, Regem, honorificate: &*

subiecti, inquit, *estote omni creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, ad laudem vero bonorum.* Igitur cum vtraque dignitas, regalis scilicet atque pontificalis, sic ordinata sit à Deo, quatenus spiritalis actio à temporalibus distet incursibus, & Deo militans minime se negotiis implicet sæcularibus: & cum non possint omnes res tutæ esse, nisi quæ ad diuinam confessionẽ pertinent, & regia & sacerdotalis defendit authoritas: attendite obsecro, & videte, quomodo Hildebrant & Episcopi eius inter alias innumerabiles, quæ inde emerserunt, hæreses quæ fierint, resistentes miro modo Dei ordinationi, hæc duo principalia, quibus regitur mundus, extirpare, & ad nihilum ducere: cupientes etiam alios omnes Episcopos tales esse, sicut sunt ipsi, qui vere non sunt Episcopi: & Reges eiusmodi habere, quibus ipsi regia licentia possint imperare. Ecce enim Herimannus Rex, successor Rudolfi Regis ipsorum, talis certe fuit, & talis extitit, vt de eo vere secundum literam interpretari possimus, quod in Daniele legimus: *quia stabit in loco eius despectus, & non tribuetur ei honor regius.*

Hermann. rex in schismate.

Nam vt prætermittamus, quot modis ab Episcopis vel à principibus Saxoniæ contemptui est habitus, qui omnes in variis voluntatibus volebant semper regnare: iuxta quod per Prophetam dicit Dominus, eiusmodi principes simul Reges esse. *Ipsi enim*, inquit, *regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.* Vt hæc inquam prætereamus. Ecce nos aliquando eundem Herimannum vidimus in castris Saxonum, non Regis siue principis loco militare, quem ne ad colloquia quidem principum perspeximus venire: & cum suppliciter eum interpellaremus pro imminentis periculi necessitate, quo iamiamq; minabatur nobis vastitas atque contritio Ecclesiæ nostræ, respondit se non posse vel sibi vel nobis prodesse. Primi vero de principibus erant in eisdem castris Egbertus marchio, & filii duo Ottonis Bauariæ quondam Ducis: quales dicit Dominus per Esaiam Prophetam præualere propter peccata populorum: *Dabo*, inquiens, *pueros Principes eorum.* Cæterum curia siue palatium erat apud Hartuigum, dictum Magadaburgensis Ecclesię Episcopum, siue apud Burcardum Halberstatensem Episcopũ, vt dum Episcopi transferunt studium atq; disciplinam Ecclesiæ ad curiam (quæ dicitur à cruore) prædicantes bonum & iustum esse prælia & seditiones fieri pro sua parte, non vereantur laici & ipsi crudelia agere. Nam iuncto Saxonum & Thuringorum atque Sueuorum agmine, pugnatum est tunc in orientali Francia contra Imperatorem Henrichum quinta iam vice: de qua scilicet pugna in sequentibus dicere decreuimus, quando de Alberone Wirtziburgensis Ecclesiæ Episcopo, quæ ad ipsum quoque pertinent, enarrabimus: cuius præcipue causa tunc effusus est sanguis multorum in circuitu illius ciuitatis, qui scilicet sanguis occisorum clamat quodammodo ad Dominum pro vindicta tanti sceleris. Superiore etiam tempore tentauerat idem Adalbero expugnare Episcopatum suum, quem sub Rege suo Rudolfo recipere cupiebat contra Regem Henrichum: ideoque secundum iam prælium, atrox nimis & crudele pugnauerunt Saxones contra eundẽ Regem Henrichum in orientali Frãcia, anno scilicet M LXXVIII. ab incarnatione Domini, VII. Mensis Augusti, vbi Rudolfus Rex fugatus est, & Sigefridus Moguntinæ Ecclesiæ Archiepiscopus in fuga captus, & vix de suspendio liberatus atque dimissus est. Wezelinus quoque Parthenopolitanæ, hoc est Magadaburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus in fuga occisus est: & Werinherus Merseburgensis Ecclesiæ Episcopus mortem vix euadens, nudus omnino dimissus est: & Adalbertus Wormaciensis Ecclesiæ Episcopus captus est & Regi Henricho oblatus: simul & Herimannus magni ducis patruus, vnus scilicet de principibus in quibus non est salus. Igitur pactum meum, dicit Dominus, fuit cum Leui vitæ & pacis: sed væ Prophetis, qui Prophetabant de cordibus suis, vt interficerent animas quæ moriuntur, & viuificarent animas quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mandatis: *propter quod*, ait Dominus, ô sacerdotes, *& ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis.* Tertium deinde prælium factum est in Thuringia, M L X X X. Anno ab incarnatione Domini,

Anno 1078.

1080.

Domini, v 1.Idus Februarii,quod ſcilicet prælium alterutris Regibus parum proſpere ceſſit: quoniam vnus victoriâ,alter Saxonia caruit: ſed eodem anno reuerſus eſt Henrichus expugnaturus Saxonum duritiam, & quartam iam contra eos inſtituit pugnam,quæ facta eſt 1111.Idus Octobris, quando & Rudolfus Rex ibi occiſus eſt,quarto anno ſuæ ordinationis. Sic ille prouectæ ætatis vir amiſit vitam cum regno Saxoniæ,cuius præcipue opera ante aliquot annos victi ſunt Saxones, cum primum cœpiſſent contra Regem Henrichum rebellare: licet maiorem exercitus iacturam acceperint victores quam victi, quod ſcilicet primum Regis Henrichi prælium contra Saxones geſtum eſt in Thuringia Anno MLXXV.ab incarnatione Domini,v.Idus Iunii. Tum quidem erat Rudolfus Dux Sueuorum, cui etiam dederat Hagna imperatrix cum regno Burgundiæ filiam ſuam in coniugium, vt regi Henricho filio ſuo eſſet tanto fidelior, quanto affinitate ſimul & beneficiis coniunctior. Sed qui prius fuerat defenſor imperii,atq; hoſtis Saxonũ, poſtea factus eſt inuaſor Imperii, atq; Rex Saxonum,vt prævalerent prælia & ſeditiones eorum.

Perempto ſiquidem Rudolfo Rege Saxonum parauit Henrichus Rex ſecundam profectionem in Italiam, ſi quo pacto poſſet flectere ad miſeriçordiam Hildebrandum Papam, vt pacẽ aliquando diligens, miſereretur vel Eccleſiæ vel Reipublicæ,quæ iam dudum fuerant in magna defectione pro imminente bellorum tempeſtate. Tunc quidem geſta ſunt,quæ ſuperius dicta ſunt vel de rebellione ac fuga Hildebrandi Papæ,vel de conſecratione Wigberdi in pontificem ſedis Apoſtolicæ, vel ordinatione Henrichi Regis, quando factus eſt Imperator atque Auguſtus iuxta diſpoſitionem Romanæ dignitatis. Ex illo tempore nunc eſt annus octauus: & ne adhuc quidem ceſſant participes Hildebrandi ſtudere modis omnibus,vt non habeat Romana Eccleſia Clementem Papam, neque Reſpublica catholicum Imperatorem, niſi Herimanno Regi deſpectiſſimo ſuccedat alius Rex deſpectior illo: & niſi ſuccedat etiam catholico Papæ Clementi aliquis hæreticus, ſicut fuiſſe monſtratur ille Caſſinienſis abbas Sergius, qui poſt diſceſſionem imperatoris ex Italia ſubintroductus eſt, & per ſtudia partium Hildebrandi ordinatus: cuius ſcilicet honoris rapinam non diu impunitus tenuit,quoniam in ipſo ordinationis ſuæ ingreſſu dyſenteriæ morbo ſolutus deficere cœpit,ac paulo poſt periculoſa morte interiit:ex quo ſcilicet diuino iudicio manifeſtum eſt,qualis etiam ipſe fuerit,qui adhuc proculdubio ſubintroductus eſt,vt incendia Hildebrandi iam defuncti reſuſcitaret,& hæreſes atque ſchiſmata illius ex tanti pontificatus authoritate confirmaret. Sæpe quidem Satanas expetiuit Petrum,vt cribraret ſicut triticum: *ſed ego*, dixit Ieſus,*rogaui pro te, vt non deficiat fides tua Petre*. Petrus quippe miniſterio eſt Eccleſiæ ſuper Petram,qui Chriſtus eſt, fundatæ: & idcirco portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam, quoniam ipſe Chriſtus ſuper ſemetipſum ædificauit eam: atque ideo nemo poteſt aliud fundamentum ponere,præterquam quod poſitum eſſe dicit ſapiens ille architectus Paulus Apoſtolus,qui eſt Chriſtus Ieſus, cum Eccleſia huius capitis ſit corpus: ex cuius vnitatis ſocietate quiſquis diſceſſerit,hunc alienum,profanum,& hoſtem eſſe,conſonans iudicium ſanctorum Patrum diffinit. Ecce quidam Epiſcopi receſſerunt in partem Hildebrandi, habentes eam pluris precii quam vniuerſitatem catholicæ Eccleſię Dei. Ex quo factum eſt ſeminante inimico homine in agro Dominico multorum ſcandalorum zizania, vt in Epiſcopiis eorum fierent non iam baptiſteria, ſed homicidia: non ſacri chriſmatis conſecratio, ſed humani ſanguinis effuſio: non alia quælibet Chriſti & Eccleſiæ Sacramenta, quæ ſolent fieri per Epiſcopos Dei, ſed execramenta, quæ ſolent fieri per miniſtros Diaboli, qui (ſicut ſanctus Cyprianus Epiſcopus ſcribit) videns idola derelicta,& per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitauit nouam fraudem, vt ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos:hæreſesque inuenit,& ſchiſmata quibus ſubuerteret fidem,corrumperet veritatem, ſcinderet vnitatem. Vnde & ſupradicti ſacerdotes Hildebrandi, æſtimantes ſuo more Eccleſiam Dei aut immitem eſſe,aut non poſſe ea quę ligata ſunt abſoluere,diſceſſerunt ab vniuerſali Eccleſia,

Sergius abbas Caſſin.

& reliquerunt proprias quoque Ecclesias absque pastorali cura, ne ex occasione suæ in Ecclesiâ perseuerantiæ cõtingeret se videre vel alloqui Imperatorem Henrichum, quem iam audissent perpetuo à suo Papa Hildebrando esse damnatum, quasi tam sacrosancti anathematis vinculum Ecclesia Dei deinceps non posset soluere, cum quilibet, etiam si iuste fuerit damnatus, & resipiscens postea, correxerit errorem suum, consequenter possit absolui, talem à Deo acceptam potestatem Ecclesia habente. Est quidem peccatum ad mortem, non dico vt oretur pro eo, ait Ioannes Apostolus: & est peccatum non ad mortem, dico vt oretur pro eo: est peccatum ad mortem in eodem peccato manentibus: est peccatum non ad mortem, ab eodem peccato recedentibus. Sed attestante Gelasio Papa nullum est peccatum, pro quo aut non oret Ecclesia, remittendum, aut quod data sibi diuinitus potestate desistentibus ab eodem non possit absoluere, vel pœnitentibus relaxare, cui dicitur, *Quæcunque dimiseritis super terram, dimissa erunt & in cœlis: & quæcunque solueritis super terram, soluta erunt & in cœlis.* Igitur ad remittenda peccata accipit Ecclesia spiritum sanctum, quo ipsa congregatur in vnum: atque ideo (sicut ait Augustinus) ne sit irremissibilis spiritus blasphemia, cor impœnitens caueatur: nec aliter prodesse pœnitentia credatur, nisi vt teneatur Ecclesia, vbi peccatorum remissio datur, & societas spiritus in pacis vinculo custoditur. Et supra idem Augustinus in sermone de Blasphemia spiritus sancti: *Quisquis igitur*, inquit, *reus fuerit impœnitentiæ contra spiritum, in quo vnitas & societas communionis congregatur Ecclesiæ, nunquam illi remittetur, quia hoc sibi clausit, vbi remittetur: & merito damnabitur cum spiritu, qui in se ipso diuisus est, diuisus & ipse contra spiritum sanctum, qui in seipso diuisus non est.*

Hac de causa & Clemens Papa, cui more Apostolico præter illa quæ extrinsecus sunt instantia, quotidiana est sollicitudo omnium Ecclesiarum, decreuit desertis Ecclesiis pastores constituere, si ipsi desertores Episcopi vel admoniti nollent redire ad societatem vnitatis Ecclesiæ, de seditiosorum quoque Episcoporum causa & damnatione præcepit Germaniæ Episcopis in generali Synodo agere, qui proprio (vt ait Apostolus) iudicio condemnati essent, vtpote exercentes prælia & seditiones, & dominationem spernentes, maiestatem autem blasphemantes, qui extulissent se super altitudinem regiæ potestatis, & restitissent ordinationi diuinæ dispositionis, transferentes regna, & negligentes sacerdotia: qui etiam pessimo suo exemplo, quo essent periuri, docuissent obedientes sibi infideles esse, atque fallaces: qui etiam, vtpote transgressores diuinarum humanarumq; legum, instituissent suos quoq; sectatores diuinis humanisque legibus esse inobedientes: qui etiã, vtpote violatores Ecclesiasticorum priuilegiorum, permisissent fautores partium suarum rapere & diripere bona & res Ecclesiarum: vt eiusmodi homines essent sibi promptiores ad omne nefas audendum, quibus ex consuetudine iam quasi in naturam versa est dulcedo coniurationum, rapinarum atque homicidiorum: quales scilicet Episcopi non essent pastores Ecclesiarum, sed ductores bellorum: non custodes dominicarum ouium, sed vt graues lupi, persecutores earum, interfectores animarum pariter & corporum, cum ipsi ad tuendas partes suas diu multumque vsi fuissent manibus impiorum ad occisionem multorum hominum.

Sed cum tales certe fuerint Episcopi Saxoniæ, & defensores Hildebrandi, sui scilicet Papæ: præsumebant tamen frequentibus conciliis se suosque sectatores iustificare: & Henrichum Regem, quem ipsi potissimum de regno Saxoniæ expulerant, damnare: eiusdemque damnationis notam imponere Episcopis atque Principibus, & omnibus qui communicarent ei, & qui subiecti essent ei. Ideoque tandem aliquando constitutum est consentientibus vtrinq; Episcopis, vt causa lõgæ concertationis, quæ non posset confici gladiis, terminaretur libris, lætantibus admodum laicis, quorum sanguis effusus est tot præliis, quod ad hoc peruentum sit, vt per ipsos authores belli contra Regem Henrichum decerni debeat, quod ibi iustitia sit, vnde victoria fuerit: cum tale iudicium veritatis, quod facillime ex libris agnoscitur, non possit vel falli, vel fallere. Fit conuentus in loco qui dicitur

Conuentus in Gerstungun.

Gerstun-

Gerſtungun, XIII. Calend. Februarii; Anno ſcilicet MLXXXV. ab incarnatione Domini. Tum primo Chunradus Traiectenſis Eccleſiæ Epiſcopus: *Ecce*, inquit, *venimus, vt probemus ex teſtimonio ſanctorum Canonum, non damnatum eſſe, vel excommunicatum Regem noſtrum Henrichum: cui, ſi non poterunt prodeſſe apud vos ea quæ legitime ordinata ſunt à Deo circa honorem Regium: ſaltem hoc concedite, vt eo vtatur iure, quo ex regulis Eccleſiaſticis conceſſum eſt vti vel infimæ in Eccleſia perſonæ.* Et dixit ad Wezelinum Moguntinæ Eccleſiæ Epiſcopum, vt ſurgeret & legeret capitulũ quidem ex decretis Romanorum pontificum. At ille ſurrexit, & legit, *quomodo rebus ſuis aliquis exſpoliatus, aut à ſede propria vi aut terrore pulſus non poteſt accuſari, vocari, iudicari, aut damnari, antequam omnia ſibi ablata ex integro reſtituantur, & cum omni priuilegio ſuo ius proprium reformetur, & ipſe pacifice diu ſuis fruatur honoribus, propriæ ſedi regulariter reſtitutus.* Quod & Nicænum conſtituit concilium, vt nemo Pontificum præſumat aliquem ſuis expoliatum rebus excommunicare aut iudicare: Ad hæc, cum obmutuiſſet Gebehardus Saltzburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, qui cauſam aduerſæ partis erat acturus, vtpote apud ſuos maxime vel ipſe ſenectute ſua, vel ſcientia ſcripturarum, ſiue eloquentia reuerendus: tum quidem intulit Werinherus Merſeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, *Vbi in Canonibus ſcriptum eſſet aliquid eiuſmodi de mulieribus?* & Wezelinus Archiepiſcopus porrigens eis librum: *Ecce*, inquit, *ipſi legite conſequens huius rei teſtimonium, quomodo huic quoque ſexui oporteat iuſtum iudicium fieri: & quomodo ne mulier quidem debeat obiectis reſpondere, donec permittatur ei rem familiarem libere diutius ordinare.* Tum omnes aduerſæ partis Epiſcopi ita ſunt confuſi, & ita deuicti, vt non haberent quid ad hæc reſpondere poſſent, manente apud Eccleſiam Dei victoria: quòniam obſtructum eſt os loquentium iniqua. Sed hinc reſonabant laudes Deo, illinc autem erat murmur multus in turba de ſermone illo. Quidam enim dicebant, *Quia bonus eſt*: alii autem dicebant, *Non, ſed ſeducit turbas.* Vnde facta diſſenſione inter ipſos etiam Principes aduerſæ partis occiſus eſt ibi Thiederichus comes, habens in coniugio ſororem Egberthi marchionis: quem cum alter Thiederichus, ſuus ſcilicet cognatus, cœpiſſet defendere, occiſus eſt & ipſe. Et certe niſi fuga eripuiſſet Vdonem Hildinisheimenſis Eccleſię Epiſcopum, & fratrem eius Chunradum comitem, ipſi pariter occubuiſſent per manus operantium iniquitatem: qui ambo multa poſt hæc paſſi ſunt aduerſa per prouinciales patriæ ſuæ, ſcilicet Saxoniæ, quia noluerunt reuerti ad partes factionis ſuæ. Ad extremum vero occiſus eſt Chunradus comes in publico prælio, dum ageret ibi ſtrenuiſſimi militis officium pro imperatore Henricho. At frater eius Vdo Epiſcopus captus, & vinculatus ab Egberto marchione, ſuſtinuit multos & diuturnos cruciatus ſub tyrannica illius crudelitate, donec promiſiſſet Hildinisheim ciuitatem Epiſcopatus ſui, quam per multos dies idem marchio oppugnauerat, ſe traditurum eſſe: quod tamen non fecit, licet ille tyrannus vni de datis obſidibus caput amputari præceperit. *Hildisheim.*

Celebrato (ſicut dictum eſt) conuentu Epiſcoporum atque Principum, citius abierunt catholici à concilio malignantium, ne forte inciderent in manus inimicorum ſuorum: quibus enim parcerent, qui de ſuorum cæde quidem ſociorum ſeſe non abſtinuiſſent? ſed his ita geſtis, deinde indicta eſt Synodus apud Moguntiam ſecunda hebdomada poſt Paſcha ſecundum conſtitutionem ſedis Apoſtolicæ, vbi conuenerunt cum Imperatore legati ipſius ſacroſanctæ & ſedis Apoſtolicæ, Petrus ſcilicet Epiſcopus Portuenſis Eccleſiæ, & duo Cardinales Romanæ Eccleſiæ. Aderat etiam omnium Epiſcoporum conſenſus ſiue de Italia, ſiue de Gallia, in quorum alternis cordibus viuit ſpiritalis amor & gratia: de qualibus ſcribit ſanctus Cyprianus Epiſcopus: *Vnitatem*, inquiens, *tenere firmiter, & vindicare debemus maxime nos Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, vt Epiſcopatum quoq; vnum atq; indiuiſum probemus.* Præſidebant quoque huic Synodo Wezelinus Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, & Eilberdus Treuirenſis Archiepiſcopus atq; Sigeuinus Colonienſis Archiepiſcopus. Liematus autem Premenſis Archiepiſcopus, quia nõ poterat adeſſe, miſerat illuc legatos ſuos ſua vice, promittens, ſe ad omnia conſenſurum quæ pertineant ad fidem catholicam, & ad pacem atque vnitatem *Conuentus Moguntinus.*

Ecclesiæ. Reliqui vero Episcopi qui illic tũ fuerunt, hi sunt, quorum nomina subscripta sunt: Thiederichus Viridumensis Ecclesiæ Episc. Henrichus Episc. Leodiæ, Chunradus Episcopus Traiectensis Ecclesiæ, Vdalricus Einstatensis Ecclesię Episcopus, Meginuuardus Frisingensis Ecclesiæ Episcopus, Otto Episcopus Ratisponæ, Ruobbertus Episcopus Babenburgensis Ecclesiæ, Huormannus Spirensis Ecclesiæ Episcopus, Otto Constantiensis Ecclesię Episcopus, Burcardus Episc. de Losanna, Sigefridus Episcopus ex Augusta, Gebehardus Episcopus Behemẽsis de Praga, Vdo Hildinisheimẽsis Ecclesię Episcopus, Henrichus Poderbrunnẽsis Episcopus, Erph Episcopus Monasterii, Folcmar Mindẽsis Ecclesię Episcopus: Bibo Tullensis Ecclesiæ Episcopus, quia per seipsum adesse non potuit, per legatos suos, qui vice sua intererant huic Synodo, consensit, & subscripsit: Burcardus quoque Basiliensis Ecclesiæ Episcopus, & Otto Stratzburgensis Ecclesiæ Episcopus, per legatos suos consenserunt & subscripserunt, qui propter hostes Ecclesiis suis crudeliter nimis imminentes domum dimissi sunt. Et multi simul presbyteri atque diacones interfuerant huic Synodo, congregatæ in ciuitate Moguntia: vbi & omnium (sicut dictum est) Episcoporum aderat consensus, siue de Italia, siue Gallia, immo de omni catholica Ecclesia, in quorum alternis cordibus viuit spiritalis amor & gratia: vt sicut vnitatem tenere firmiter & vindicare debent, maxime Episcopi qui in Ecclesia præsident, ita episcopatum quoque vnum atque indiuisum probent. Multæ siquidem Ecclesiæ faciunt vnam catholicam Ecclesiã: & licet plures facti sint sacerdotes, vnus tamen est Episcopatus propter vnam eandẽque Ecclesiam catholicam. Quam scilicet vnitatem qui non tenet, alienus est, profanus est, hostis est: sicut ex communi sanctorum patrum iudicio diffinitum est. Sed aliqui episcoporum exierunt ab illorum communione, quorum conuentus est, siue consensus ibi fuerat pro recuperanda pace vel Ecclesiæ vel reipublicæ, qui etiam ex multo tempore noluerunt vsque adhuc communicare sedi Apostolicæ: sine cuius authoritate nec ipsi quidem possunt alicuius Episcopalis officii ministerium habere: ideoque ipsorum hæreses & schismata ab omnibus catholicis reprobata sunt, atq; damnata, cum ipsis authoribus pariter & consortibus externæ communionis atq; perfidię. Hi autem sunt, qui aut fugiendo Episcopatus suos dimiserunt, aut eos per bella maxima sibi vindicando vsurpauerunt, ne communicarent eis qui communicant catholico Imperatori vel sedi Apostolicæ: Gebehardus Saltzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Hartuigus Magadaburgẽsis Ecclesiæ Archiep. Adalbero Vuirtziburgensis Eccles. Episc. Altman Patauiensis Eccles. Episc. Adalbertus Wormacensis Ecclesię Episcopus, Burcardus Halberstatensis Eccles. Episc. Werinherus Merseburgensis Ecclesiæ Episcopus, Guntherus Citicensis Ecclesiæ Episcopus, Benno Misinensis Ecclesiæ Episcopus, Hartuingus Wirdunensis Ecclesiæ Episcopus, Herimannus Metensis Ecclesiæ Episc. Reginhardus alter Mindensis Eccles. Episc. per studia partiũ subintroductus: Wigolt alter Augustæ Episcopus, per studia partiũ subintroductus: Gebehardus alter Constantiensis Ecclesiæ Episcopus, per studia partium subintroductus: Henrichus alter Poderbrunnensis Episcopus, per studia partium subintroductus, sed ne adhuc quidem initiatus.

Isti x v. præferentes nomen sacerdotii sæpe antea admoniti, nunc autem regulariter vocati, quia noluerunt ad pacem Christi & Ecclesiæ reuerti, ex authoritate sedis Apostolicæ sunt deiecti atq; damnati: quod (sicut scribit Gelasius Papa) non solũ pręsuli Apostolico facere licet: sed cuicunq; pontifici licet, quẽlibet locũ hęreseos secundum regulam ante damnatæ à catholica communione discernere. Magna quidem hæresis est, Dei resistere ordinationi, cuius solius est potestas dãdi imperii: qui dat felicitatem in regno cœlorũ solis piis, regnum vero terrenum, & piis & impiis, sicut ei placet, cui nihil iniuste placet. Qui enim (inquit Augustinus) regnum dedit Mario, ipse & Caio Cæsari: qui Augusto, ipse & Neroni: qui Vespasianis vel patri vel filio, suauissimis imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo: & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse apostatæ Iuliano. Magna, inquam, hæresis est Dei ordinationi resistere: quod

constat

conſtat ſupra ſcriptos x v. pſeudoepiſcopos feciſſe, dum deſtruere nitebantur regnum Henrichi Regis à Deo ſibi collatum, reſiſtendo ei atq; repugnando vſq; ad effuſionem ſanguinis multorum hominum. Ex hac crudeliſſima hæreſi multæ hæreſes & ſchiſmata emerſerunt, vt nec diuinæ nec humanæ leges quicquam nunc valeant apud illos, vel contra illos, qui inique agunt: qui dum nuſquam non erraſſe monſtrantur, ſacroſancti eſſe apud ſuos deſcribuntur, apud quos nihil ſancti vel ſacri inuiolatum tenetur. Pręualuit etiam apud eos, qui eiusmodi ſunt, periurium atq; perfidia, vt hæreticorum ſimul, catholicorumq; cõfeſſione permiſta, cuncta veræ & ſinceræ religionis ſint turbata, catholicaq; & Apoſtolica puritas confuſa. Periuri quippe patricidis & matricidis, cæterisq; qui non poſſidebunt regnum Dei, ab Apoſtolo comparantur: quam ſcilicet ſententiam nullus hominum poſſe ſoluere probatur. Ideoq; maiori damnationis ſententia Epiſcopi inuoluuntur, qua periuri eſſe declarentur, qui præcipue ex mandato Domini per Euangelium ſimul & ex conſtituto Canonũ iurare prohibentur. Iurauerant quippe Henricho Regi omnes ſupraſcripti Epiſcopi, abſq; his, qui ex occaſione belli Saxonici furtiue ſunt introducti: quorum perfidiam & hæreſes atq; ſchiſmata ſi quis diligẽter attendit, & diſcutit per ſingula, perſpiciet ſane nunquam ab initio naſcẽtis Eccleſiæ tot & tanta, ſicut nunc ſunt, fuiſſe ſcandalorum genera: quorum cum ſupra dixerimus aliqua, plura adhuc dicemus, quę per ſingulos illos pſeudoepiſcopos in Eccleſia ſint geſta, cũ ea, quæ geſſerint in Republica, ſint omnibus manifeſta. Sicut enim per vnũ ſcribentẽ eorum omnium vulgata transgreſſio eſt, qui in eandem ſchiſmatis atq; perfidiæ reciderant actionẽ, amplectendo magis atq; defendendo ſui Gregorii partem, quam catholicæ Eccleſiæ vniuerſitatem: ſic in vno eodemq;, qui pro omnibus ſcripſerat, vel ſcribendo omnium voluntates prodiderat, cuncta quæ ad noticiã rerũ ſatis abũde iudicamus ſufficere, ſtudemus fideliter exponere.

Primo quidem dicendum eſt, quod ſine lachrymis dici non oportet: quia mater noſtra, ſancta ſcilicet Romana Eccleſia, in tantam deſpectionem apud aduerſæ partis Epiſcopos venit, vt ſicut in Romana repub. non poteſt Rex aut Imperator eſſe, niſi quem iidem ipſi velint, qui (ſicut Gelaſius quoq; conqueritur) ſedi Apoſtolicæ poteſtatem primatus ſui conantur eripere, & ſibimet eam cõtra canones contendunt vſurpare. Vnde etiam quidã infamis perſonæ, qui ſcribit ſe ſuosq; partem ſui Gregorii defendere, præſumit cõtra ſancta ſanctorum loqui, & magnificari aduerſum nomen catholicæ Eccleſiæ Dei, prædicans eam eſſe in parte ſui Gregorii, apud ſupradictos quoque pſeudoepiſcopos eſſe ſancta ſacerdotia Dei, ipſosq; eſſe ſpirituales, atq; in cœleſtibus conuerſari, & eſſe filios Dei: cæteros autẽ excõmunicatos & hæreticos & ſchiſmaticos eſſe, quicunq; ſubiecti ſunt, vel communicant ei, qui non eſt in parte alicuius, ſed in toto, ſcilicet Imperatori Hẽricho, ſiue Wigberto, eidemq; pontifici Romano: apud eos denique nihil niſi ad condemnationem valere Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta, quæ ſunt baptiſmatis & chriſma, & corporis ac ſanguinis Domini myſteria. Ergo quibus ex cauſis, & qua neceſſitate Wigbertus Papa ſit electus, ſupra iam diximus: qui certe per eius, quę vere eſt Romana Eccleſia, conſenſum, & per ſuffragium Henrichi Regis, eiusdemque Romani patricii eſt ordinatus. Sed Syluerius Papa (ſicut legitur in geſtis pontificalibus) olim per vim leuatus, & vt ſacerdotes ordinationi eius iuxta antiquum morem vel decretum ſubſcriberent, compulit tyrannus quidã Theodorus. Quod cum obtinere non poſſet, licet cauſam hanc gladiis ageret: tamen poſt ordinationem ipſius Syluerii ſubſcripſerunt ei omnes communi conſenſu, propter adunationem videlicet religionis & pacis, ne forte ſuſtineret Eccleſia aliquod ſcandalũ ſchiſmatis. Nunc autem Romana Eccleſia & patricius Romanorum conſenſerunt in Wigberti electione: & tamen nec poſt ſeptimum annum, quo defunctus eſt Hildebrand Papa, licet Romanam Eccleſiam talem pontificem habere, qualis catholicum corpus Eccleſiæ non diuidit: ſed integrare illud & vnire intẽdit, cum in Chalcedonenſi Concilio ſtatutum ſit, vt intra tres menſes debeant Epiſcoporum ordinationes fieri, niſi forte neceſſitas excuſabilis coegerit dilationis tempus protrahi. Ecce ad quid peruenit mater omnium Eccleſiarum, vt ſubiacere videa-

Syluerius PP.

tur iudicio peruersorum, quæ ius habet de omni Ecclesia iudicandi, neque cuiquam de eius licet iudicare iudicio: sicut constituunt decreta Canonum. Ecce Wigbertus, qui & Clemens Papa, cuius doctrina certe est Apostolica, & cuius scripta vere sunt catholica, sicut didicimus ex illa, quam tractare suscepimus Epistola, quæ scriptor illius peruertere molitur interpretatione falsissima, sicut probabimus in sequenti libro: ille, inquam, Clemens Papa, inscribitur falso fur atq; hæreticus, ab homine iniquo & doloso. Veruntamen supradictus Papa Syluerius iam beatissimus (sicut legitur) factus, postquam reuocare noluit Antimum patriarcham hominem hæreticum, à beato Agapeto decessore suo depositum pro nequitia illius, propter hoc per visionem Augustæ est depositus: cui Vigilius archidiaconus eius successit, qui præcipue depositionis ipsius causa extitit: qui etiam eundem Papam suum deportari in exilium fecit, vbi eum fame tribulationis, & aqua angustiæ (sicut legitur) vsque ad mortem sustentauit. Hæc quamuis Vigilius fecerit, nemo tamen in hanc præsumptionis audaciam prorupit, vt ipsum Romanę Ecclesiæ Pontificem vel hæreticum, vel furem descripserit. De quo certe Vigilio postea perpesso multa pericula pro Ecclesia, quam ipse magna regebat industria, dé illo, inquam, scribit Arator subdiaconus, in Opere suo, quod de actibus Apostolorum composuit heroico metro:

Wigbertus postea CLEMENS PP.

Publica libertas Vigili sanctissime Papa,
Aduenis incluso soluere vincla gregi.
De gladiis rapiuntur oues pastore ministro,
Ing, humeris ferimur te reuocante pii.
Hoc tibi magne pater cum defero munus amoris,
Respice quod meritis debita soluo tuis.

Igitur Clemens Papa cupiens gregem Domini, & oues Christi, ex rapina ac deuoratione bestiarum agri eripere, & quod perierat quærere, quod infirmum, consolidare, & quod ægrotum erat, sanare: quod fractum, alligare: & quod abiectum erat, reducere: constituit Apostolica authoritate supradictam Synodum fieri in regno Theutonico, apud metropolim ciuitatem Moguntiæ, vt ageretur ibi de fide catholica & pace Ecclesiarum atque concordia. Ideoque aderat ibi omnium consensus Episcoporum de omni catholica Ecclesia, in quorum alternis cordibus viuit spiritalis amor & gratia: vt sicut vnitatem tenere firmiter, & vindicare debent, maxime Episcopi, qui in Ecclesia præsident, ita episcopatum quoque vnum atque indiuisum probent. Aderat etiam Imperator Henrichus, præcipue author huius Synodi: quia nihil tutum neque firmum poterit esse in his, quæ sunt eiusmodi, nisi defendat & probet ea regalis authoritas pro maiestate Imperii. Sed aduersæ partis Episcopi cupientes hanc indictam Synodum præoccupare, aut præuertere, conuenerunt infra hebdomadam Paschæ in castello quodam Saxonię Quidilingeburg nomine, vbi locus est congregationis fœminarum Deo seruientium sub canonica institutione. Et vt conspiratio eorum plus valeret, & deciperet columbæ simplicitatem, quam serpentis astutia non temerasset: adduxerant quendam sub specie legati sedis Apostolicæ, qui dictus est Otto Episcopus Ostiensis Ecclesiæ, quum iam Clemens Papa præsideret Romanæ Ecclesiæ. Intererat etiam huic conuentui Rex Saxonum Herimannus, cui ne apud suos quidem tribuebatur honor regius, à quo tunc & illius Synodi cœpit tractatus. Nam memoratus Otto Episcopus, *Audiens ego*, inquit, *quod Rex vester legitimum non habeat coniugium, sed ex consanguinitate sociatum, iudico inter eum & vxorem eius fieri diuortium.* Huius iudicii sententiam quum non approbassent assidentes Episcopi, dicentes agendæ huius rei tempus tunc non esse: secundo intulit, se iudicare bonum & iustum esse, vt res Ecclesiarum, quas Saxones atque Thuringi vsurpassent, in proprios vsus restituerentur, spoliatis Ecclesiis atque monasteriis, quibus fuissent oblatæ, ac Deo consecratæ. Hæc quoque sententia quum non placuisset Episcopis, vtpote timentibus offendere præsentiam noxiorum, qui pariter conuenerant ad roborandas partes coniurationis suæ: tunc rogabant ipsi, rogabant & alii Principes Saxoniæ, vt his atque huiusmodi omissis, consentiret cum eis ad ea, quæ

Quidilingeburg.

cœpissent

cœpissent agere: se quidem conuenisse, vt tractarent, quomodo defendere possent partes ac studia sui Gregorii Papæ, eiusque anathema circa Regem Henrichum renouare, ac populo indicare, quod excommunicatus sit omnis, & saluus esse non possit, quisquis Henricho Regi in aliquo communicauerit. Tum ille Otto flexus est ad voluntatem eorum, & consensit: quia vento agitata arundo extitit. Damnauerunt iterum omnes, qui aderant Episcopi Henrichum Regem, & iustificauerunt multis modis sui Gregorii partem, agentes ipsi omnia contra regulas & instituta Ecclesiæ, qui non conuenissent ad Synodum in loco celebri, in ciuitate scilicet episcopali, qui conuenissent in festis diebus Paschæ, in diebus scilicet gaudii & lætitiæ: vt miserias miserorum augerent, vt seditiones ac prælia renouarent, vt etiam fidem destruerent. Vnde audiant ipsi iustificatores sui Gregorii, & damnatores Imperatoris Henrichi, quum ipsi magis sint damnati, vtpote destructores fidei: audiant (inquam) de huiusmodi sententiam sancti Papæ Gelasii: *Non tam propter religionis*, inquit, *causam student dispositionibus publicis obuiare, sed potius per occasionem regiæ alligationis catholicam fidem moliuntur euertere, & tali commercio sperata præstare: quum ego & decessor meus non solum minime in hac parte damnationis nomen Imperatoris attigerimus, sed insuper postquam adeptus est regiam potestatem, honorificis eum literis salutare curauimus. Sacerdotes autem, qui præuaricatoribus se communicasse propria voce confessi sunt, à communione Apostolica submouerunt decessores mei: quibus scilicet damnatis, si ipsi placet misceri. Non potest nobis*, inquit, *imputari: à quibus si velit Imperator abscedere, tanto magis à nobis non potest esse damnatus, sed potius ad gratiam synceræ communionis admissus.* Et idem Gelasius, ostendens non licere cum perfidis, vel cum sociis perfidorum habere conuentum, iuxta quod dicitur in Psalmo: *Non sedi in concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo: Nec Ecclesiastici*, inquit, *moris est, cum his, qui pollutam habent communionem, permixtamque cum perfidis, miscere concilium: quoniam qui voluntarie sectantur contagia perfidorum, separati sunt certe ab Apostolica sede: ideoque*, ait, *cum talibus, & apud tales, etiamsi esset necesse fieri, nulla posset Synodus prouenire.* Ergo Pius atque Vrbanus, Lucius etiam atque Symmachus, & Gregorius, Romani Pontifices, constituerunt sub anathematis interpositione, vt prædia diuinis vsibus tradita, & cœlestibus secretis dicata, nemo præsumat humanis vsibus applicare: quia siue alienator, siue venditor alicuius Ecclesiastici prædii, magni vel exigui, cum accipiente pariter iudicantur esse sacrilegi. Et quum ituri sint certe iuxta diuinam sententiam in supplicium æternum, qui ex propriis facultatibus non subleuant necessitates pauperum: quid dignum æstimari poterit iudicio ac damnatione eorum, qui diripiunt aliena, præcipue autem quæ sunt Dei Ecclesiarum? Ecce in supradicto conuentu aderant, qui multarum Ecclesiarum possessiones & prædia inuaserant pariter, & possederant: & hoc ita fieri sacerdotes Saxoniæ consenserant. Qui enim his, quæ sunt huiusmodi, non restitit, suggestione qua potuit, consensit: quum ex authoritate diuina dicat Apostolus, *Non solum, qui faciunt prava, reos esse, sed & qui consentiant facientibus.* Primum quidem locum tenuit in illa malignantium Ecclesia supradictus Otto Hostiensis Episcopus, qui nunc à Saxonibus eorumque consortibus dicitur Papa Vrbanus: super qualium certe ambitu & promotione supplicat Imperatori Gelasius Papa, immo per Gelasium catholica Ecclesia: *Desinant*, quæso te, *temporibus tuis quidam per occasionem perturbationis Ecclesiasticæ præcipitanter ambire: quæ non licent, ne & illa, quæ male appetunt, nullatenus apprehendant, & modum suum apud Deum hominesque non teneant.* Atque iterum super eiusmodi alloquens etiam senatum Romanum: *Ad senatum*, inquit, *pertinet Romanum, vt memor fidei, quam à parentibus suscepisse se meminit, contagia vitet communionis externæ, ne à communione sedis Apostolicæ, quod absit, reddatur externus.* Quum enim in ordinatione successoris sui Clementis dicat Petrus Apostolus: *Hæc meæ prædicationis & doctrinæ cathedra, eum qui cupit eam, & audacter expetit, non requirit: sed ornatum moribus, & in verbis eruditum.* Ille autem sæpe dictus Otto præcipitanter ambiuit, & inuasit sedem Apostolicam, vsus manu & auxilio pessimorum, apud quos nec diuinarum nec humanarum valet ali-

Vrbanus Antipapa.

quid constitutio legum. Symmachus Papa generali præsidens Synodo dixit: *Si quis Papa superstite, & eo inconsulto, aut subscriptionem pro Romano pontificatu commodare, aut pro alio promittere, aut sacramentum præbere tentauerit, aut aliquod certe suffragium polliceri, vel de hac causa priuatis conuenticulis factis deliberare aliquid, aut decernere præsumpserit, loci sui dignitate, vel communione priuetur.* Ecce autem in priuatis conuenticulis agitur de pontificatu sedis Apostolicæ, quæ sub Hildebrando certe videtur priuilegia primatus sui amisisse, quum ipse voluerit non apud eam, quæ mater est omnium Ecclesiarum, sed in parte suorum esse ius potestatemq; iudicandi non solum de vnaquaque Ecclesia, sed de ipsa quoq; Romana Ecclesia. Ideoque (sicut Leo Papa scribit, & catholica Ecclesia consentit) priuilegium meretur omnino amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Ecce enim idem Hildebrand Colonienſem Ecclesiam suis quoq; priuilegiis spoliauit, qui Hartuigo Magadaburgensis Ecclesiæ Episcopo hoc cõcessit, & hoc iussit, vt terminos patrum transgrediendo, inuaderet parochiam alterius Metropolitani Episcopi, & ordinaret Episcopum quendam Reginhardum in Mindensi Ecclesia, ad contemptum & ad iniuriam Sigiuuini Colonienſis archiepiscopi. Hoc etiam exemplo memoratus Otto Episcopus Ostiæ, Moguntinam Ecclesiam suis quoque priuilegiis spoliauit: atq; ipse transgrediendo simul terminos patrum, parochiam Metropolitani Episcopi inuasit: & ad contemptum atque ad iniuriam Wezelini archiepiscopi, Gebehardum quendam in Constantiensi Ecclesia Episcopum ordinauit, quum adhuc etiam vixisset Otto Episcopus ipsius Constantiensis Ecclesiæ: sed iampridem ab ea expulsus est iniurioſe, quia noluit in parte Hildebrandi esse, & esse communionis externæ. Sic vero sanctorum Canonum regulæ custodiuntur, & obseruari mandantur vel ab Hildebrando, vel ab Ottone: pro quibus vos, qui habetis zelum amarum, occiditis & zelatis, litigatis & belligeratis, ne sit alius Pontifex sedis Apostolicæ, nisi per quem disciplina Ecclesiæ euertatur, & qui contra authoritatem Domini venire videatur, vt iam omnibus hæreticis aditus, ianuaq; pandatur? Dicitur enim per beatum Iob, gerentem scilicet typum vel Christi, vel Ecclesiæ: *Alij terminos transtulerunt, diripuerunt greges, & pauerunt eos.* Vnde sanctus pater Gregorius in XVI. Moralium: *Quos*, inquit, *aliorum nomine nisi hæreticos designat, qui à sanctæ Ecclesiæ gremio extranei existunt? Ipsi enim terminos transferunt, quia constitutiones patrum præuaricando transcendunt. De quibus nimirum constitutionibus scriptum est: Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Qui greges*, inquit, *diripiunt, & pascunt: quia imperitos quosque peruersis ad se persuasionibus trahunt, & doctrinis pestiferis ad interficiendum nutriunt.* Atque idem Gregorius in epistola ad Eulogium patriarcham Alexandrinum: *Meus*, inquit, *honor est solidus vigor fratrum meorum: & tunc ego honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur.* Hinc etiam & Gelasius Papa: *Absit hoc*, inquit, *absit à fidelibus, hoc sibi velle quempiam arripere, vnde videatur honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacunque parte.* Sed sicut supra dictum est, alii terminos transtulerunt, & ad contemptum atq; ad iniuriam Metropolitanorum quoq; Episcoporum in parochiis Moguntiæ simul & Coloniæ ordinationes sibi vsurpauerunt. Vnde Callistus vrbis Romæ Episcopus vniuersis Episcopis: *Si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodo pertinet parochiam propriam, sine consilio & voluntate omnium comprouincialium Episcoporum extra aliquid agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit: & quod egerit, irritum habeatur, & vacuum.* Et iterum de eadem re Callistus: *Nullus primas, nullus Metropolitanus, nullusq; reliquorum Episcoporum alterius adeat ciuitatem, aut ad possessionem accedat, quæ ad eum non pertinet, & alterius Episcopi etiam parochia super cuiusquam dispositione, nisi vocatus ab eo, cuius iuris esse dinoscitur, vt quiddam ibi disponat, vel ordinet aut iudicet, si sui gradus honore potiri voluerit: sin aliter præsumpserit, damnabitur: & non solum ille, sed cooperantes, eiq; consentientes: quia sicut ordinatio, ita eius & iudicatio, & aliarum rerum dispositio prohibetur.* Et vt Metropolitanis sua iura seruentur, sic etiam Leo Papa inter cætera scribens loquitur: *Secundum sanctorum patrum canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, Metropolitanos singularum prouinciarum Episcopos ius traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus,*

ita vt

ita vt à regularibus præstitutis nulla aut negligentia aut præsumptione discedant. Quæ quum ita sint, & alii qui dicuntur hęretici, terminos transtulerint, ecce apud ipsos qui sunt eiusmodi, scribuntur esse sancta Dei sacerdotia, & apud eosdem solummodo rite celebrari Christi & Ecclesiæ sacramenta, vt ipsi imperitos quosque, qui sub nomine gregum per beatum Iob designantur, peruersis ad se persuasionibus trahant, & doctrinis pestiferis ad interitum nutriant. Sed nisi cognoueris te, ô pulchra inter mulieres: *egredere*, inquit Dominus, *& abi post vestigia gregum*, id est, nisi honorem tuum, quo ad similitudinem Dei es condita, bene viuendo cognoueris, à conspectu meæ contemplationis egredere, & imperitorum vitam imitare populorum, & cultores peruersorum dogmatum, quasi hœdos tuos pasce in tabernaculis pastorum: hoc est, in conuenticulis hęreticorum. Ecce enim defensor partium Hildebrandi scribit contra sedem Apostolicam simul, & contra vniuersalem Ecclesiam, dicens eam amisisse honorem sacerdotii, vt facilius possit decipere eos, qui credunt illius peruersissimo errori: introducit testimonia sanctorum patrum, Innocentii, Cœlestini, Gregorii, Augustini. Innocentius Papa: *Qui honorem*, inquit, *amisit, honorem dare non posse, nec vllum aliquid ab eo accepisse, adquiescimus: quia nihil in dante erat, quod alius ab eo posset accipere. Et verum est certe: quia quod non habuit, dare non potuit. Damnationem vtique, quam habuit, per prauam manus impositionem dedit: & qui particeps factus est damnati, quomodo debeat honorem accipere, inuenire non possum.* Hæc certe scribit Innocentius contra eos, qui sunt eiusmodi, qualis est supra memoratus Otto, vel Hartuigus, qui terminos antiquos transgressi sunt per vsurpatæ ordinationis excessus. De quibus & Callistus Papa scribit: *Quod si quis, etiam Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodo pertinet parochiam propriam, sine consilio & voluntate omnium comprouincialium Episcoporum extra aliquid agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit: & quod egerit, irritum habebitur, & vacuum*: iuxta consequens etiam Cœlestini Papæ testimonium: *Si quæ facta sunt*, inquit, *ordinationes illicitæ, remoueantur, quoniam stare non possunt.* Et quum iuxta consonam sanctorum Patrum diffinitionem dignus non sit vel sacris altaribus administrare, vel communionem capere, qui nescit sacris Canonibus obedire. Consequenter etiam introducit propositæ scriptor Epistolæ contra se suosque, qui non sunt in communione vniuersalis Ecclesiæ, sed in parte sui Gregorii, illud nostri patris Gregorii testimonium, quo scribit ad Maximum: *Nos*, ait, *consecrationem dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicatis hominibus est celebrata: quia vero sine vllius exempli forma violasti tantam sacerdotij dignitatem, præcipimus, vt tu ordinatoresque tui nullatenus attrectare quicquam præsumatis sacerdotalis officij, nec vsque ad rescriptum nostrum ad cultum vos sacri altaris accedere. Quod si contra hæc agere præsumpseritis, anathema vobis sit à Deo, & beato Petro Apostolorum principe, vt contemplatione iudicij vestri, cæteris quoque catholicis Ecclesiis vltionis vestræ præbeatur exemplum.* Hæc certe scribit pater noster Gregorius contra præuaricatores Ecclesiasticæ disciplinæ, quæ defensor ille partium sui Gregorii introducit ad destruendum sacerdotium vniuersalis Ecclesiæ, quæ communicat sedi Apostolicæ. Ideoque interpositis quibusdam scriptis, quibus conatur ostendere, nihil nisi ad condemnationem apud nos valere Christi & Ecclesiæ sacramenta, quæ sunt baptisma, & chrisma, atque corporis & sanguinis Domini mysteria. Post hæc subiungit adhuc de ordinatione testimonium beati Augustini, quę scilicet ordinatio solet per manus impositionem fieri: *Corporalia*, inquit, *sacramenta, quæ portant & celebrant etiam segregati ab vnitate corporis Christi, formam possunt exhibere pietatis, virtus vero pietatis inuisibilis & spiritalis ita in eis non potest esse: quemadmodum sensus non sequitur hominis membrum, quando amputatur à corpore. Ergo quod in omnibus membris vnius corporis agit anima, hoc agit Spiritus sanctus in tota Ecclesia. Vnum quippe corpus, & vnus spiritus, sicut dicit Apostolus. Præter hoc corpus potest quidem aliquis habere vel fidei, vel baptismatis formam: sed non habet vitam. Nisi enim spiritu intus vegeteris, frustra foris de forma gloriaris. Si quod membrum in humano corpore præciditur, nunquid præcisum anima sequitur? Sic homo Christianus viuit in corpore Christi, quousq; catholicus est:*

præcisus autem, hæreticus factus est. Sed ille aduersarius noster scribit nos præcisos esse: se vero suosque participes permansisse in vnitate vniuersalis Ecclesiæ. Absit autem à nobis, vt nos exissemus ab ipsis: sed ipsi exierunt à nobis. Sicut enim scribit sanctus pater Augustinus in libro de vera religione: *Posset schismaticos area Dominica vsque ad tempus vltionis ventilatione velut paleas sustinere, nisi vento superbiæ, immo leuitate cessissent, & sese à nobis vltro separassent.* Nam quod præcisi sint de vnitate Ecclesiastici corporis, testatur ipse, qui in fine epistolæ suæ, ad quem cuncta, quæ dicũtur, solent referri, profitetur, se partem sui Gregorii defendere. Vnde iterũ Augustinus in lib. de vera religione: *Sed quia*, inquit, *in hac Dominica area pro volũtate quisq; vel palea vel frumentũ est, tam diu sustinetur peccatum aut error cuiuslibet, donec aut accusatorem inueniat, aut prauam opinionem pertinaci animositate defendat. Tenenda est autem nobis*, ait, *Christiana religio, & eius Ecclesiæ communicatio, quæ catholica est, & catholica nominatur non solum à suis, verum etiam ab omnibus inimicis, velint nolint. Nam ipsi quoque hæretici & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur. Sed apud eos*, inquit, *solos quærenda est vera religio, qui Christiani, catholici, vel orthodoxi nominantur: id est, integritatis custodes, & recta sectantes. Hæc enim Ecclesia catholica per totum orbem valide lateque diffusa vtitur ad profectus suos omnibus orantibus, vnctione Spiritus sancti docente de omnibus. Præter hanc Ecclesiam quicunque est, Spiritum sanctum vtique non habet, ideoque per prauam manus impositionem damnatio ei offertur, qui absque dono Spiritus sancti ordinatur.* Quod in supra memoratorum quoque Episcoporum, vt non dicam consecrationibus, sed execrationibus factum esse probatur, qui contra sacros canones spiritu Dei conditos, in alienis parochiis ordinationes celebrauerunt, qui etiam contra consensum simul, & contra disciplinam catholicæ Ecclesiæ priuata sibi conuenticula constituerunt, qualium certe conuenticula siue ordinationes damnauit semper, atque damnabit omnis Ecclesia sanctorum, ne præualeat aduersus eam pars iniquorum. Vnde etiam Gelasius: *Quod incessabiliter*, inquit, *repetendum est, sicut firmum esse nullus ambigit Christianus, omnes complices, sectatores, communicatores damnatæ semel prauitatis pari sorte censeri: ita consors erit & pœnæ, quisquis communicauerit alicui Ecclesiasticarum regularum transgressori.* Nullus enim primas, nullus enim Metropolitanus, nullusque reliquorum Episcoporum, alterius Episcopi adeat parochiam, vt ibi disponat, vel ordinet, aut iudicet quicquam: sin aliter præsumpserit, damnabitur: sicut Callistus Papa scribit, & omnis Ecclesia sanctorum consentit. Quod & factum est de Hartuigo Magadaburgẽsi Episcopo: quia Sigiuuinus Colonienſis Episcopus damnauit eum, consentiente in idipsum comprouincialium Episcoporum iudicio, postquam nullo modo potuit adduci, vt satisfacere vellet Ecclesiæ pro iniusta ordinatione cuiusdam Reginhardi in episcopatu Mindensi. Prætendebat autem ille Hartuigus potestatem sui Gregorii Papæ, qua talem sibi posset concedere ordinationem iuxta authoritatem sedis Apostolicæ: ideoq; sibi curæ non esse super aliquorum vel vocatione, vel damnatione. Ecce apponit peccatum super peccatum, & iustæ damnationi addit pariter ecclesiasticæ vocationis & regularis disciplinæ contemptum. Igitur præter illam damnationem, damnatus est etiam idem Hartuigus cum cæteris suprascriptis Episcopis in Moguntiacensi Synodo, iubente id fieri Apostolica sede, quum nollent reuerti ad pacem & concordiam catholicæ Ecclesiæ.

Sed ex his omnibus Episcopis, qui vel damnati fuerant, vel depositi, vnus tantum, scilicet Benno Misinensis Episcopus, venit ad sedem Apostolicam, pro errore suo petiturus veniam, quam & promeruit accipere, iuxta quod ipsa mater omnium Ecclesiarum Romana Ecclesia soleat se appellantibus, quicquid pietatis est, semper offerre: quia sicut in contumacia persistentibus conuenit nos esse seueros (ait sanctus Papa Gregorius) sic iterum humiliatis & pœnitentibus negare locum veniæ non debemus. Ergo Clemens Papa pœnitentem benigne suscepit, & confessum pro errore suo honorifice tractauit, abeuntemque cum literis Apostolicæ sedis ad Henrichum Imperatorem misit, quem & ipse libenter accipiens

correctum

correctum dimisit libere abire in episcopatum suum. Sed illa satisfactio vtinam fuerit pura, syncera atque catholica: quoniam sicut scribit Leo Papa, *saluberrimum est, & spiritalis medicinæ vtilitate plenum, vt quicunque se correctos videri volunt, errorem suum, & ipsos erroris authores damnari à se fateantur sine ambiguitate, vt nullum Ecclesiæ membrum peremptis sensibus praue intentionis possit violari talium societate.* Nam certum est, eundem Episcopum Bennonem nihil deinceps viriliter egisse cum comprouincialibus pseudoepiscopis, vel cum principibus Saxoniæ pro conuentione & studio pacis Ecclesiasticæ, quales dicuntur à Domino per Esaiam Propheram speculatores cœci, canes muti, non valentes latrare: quoniam sicut Gelasius Papa scribit: *Prænaricatoribus vtique consentit, quisquis suggestione, qua potest, non resistit: & qui alios ab errore non reuocat, seipsum*, inquit, *errare demonstrat.* Cæterum præuaricatores Ecclesiasticæ legis Episcopi, qui in supradicta Synodo sunt depositi, & omni Ecclesiastica dignitate priuati, sententiam depositionis suæ à sede Apostolica prolatam paruipendunt: & superbiæ spiritu inflati, non solum vetitum sibi officium ausu temerario vsurpant, sed etiam secundum Canones concessam sedi Apostolicæ potestatem conantur eripere, & sibimet eam contra Canones contendunt vsurpare: ideoque frequentibus conuenticulis pariter & scriptis firmauerunt sibi hunc sermonem nequam, vt non possit Romana Ecclesia alium habere Papam, nisi sit ex parte sui Gregorii, qui velit resistere Henricho Regi, immo diuinæ ordinationi, qui etiam velit sedem Apostolicam inuadere contra Wigbertum Pontificem ipsius Romanæ Ecclesiæ. Sed velint nolint partes aduersariorum, ecce sacri Canones constituerunt totius Ecclesiæ appellationes deferri ad examen sedis Apostolicæ, ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere, sanxerunt: ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam vero ad nullius iudicium commeare, nec de eius iudicio iudicari præceperunt: neque sententiam illius oportere dissolui constituerunt, cuius potius sequenda decreta mandarunt. Quod si ita est, immo quia ita est, debuerunt proculdubio aduersariæ partis Episcopi aut consentire cum sede Apostolica pro pace & vnitate Ecclesiæ: aut merito condemnari, vtpote transgressores iudicii sedis Apostolicæ. In hoc enim vtique consenserunt & Wigbertus & Rex Henrichus, atque totius Ecclesiæ assensus, vt quisquis resistat paci vel Ecclesiæ vel Reipublicæ, sit eis sicut ethnicus & publicanus. *Beati*, inquit, *pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.* Sed discordes Episcopi, quales dicuntur filii Diaboli, qui alios docent, quare semetipsos non docent, dicentes iuxta authoritatem Patrum debere nos timere ligari vel iniuste, & excommunicatis non communicare? Vnde (sicut Gelasius Papa scribit) prorsus in quamlibet se partem, causationemque conuertunt, manifeste veritatis ita laqueis suffocantur, vt suis ipsi verbis possint, actionibusque concludi, nec nisi solam perniciem obstinatæ perfidiæ residuam ventilare. Ecce enim quorum vulgata transgressio est, per vnum scribentem proponunt nobis sanctorum Patrum testimonia, quæ sunt circa eos, qui iungunt se excommunicatis communione aliqua. *Quod autem*, inquit, *excommunicatis non sit communicandum, audiamus sanctum Callistum Papam: Excommunicatos à sacerdotibus nullus recipiat ante vtriusque partis examinationem iustam, nec eis in oratione aut cibo vel potu, aut osculo communicet, nec Aue eis dicat.* Vrbanus Papa: *Valde timenda est sententia Christi, licet iniuste aliquem liget, quod tamen summopere præuidere debet.* Gregorius in Homeliis: *Vtrum iuste aut iniuste obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is qui subest, & quum iniuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolnere indiscrete timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu pastoris est, ligari timeat, vel iniuste, nec pastoris iudicium temere reprehendat: ne & si iuste ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia culpa, quæ non erat, fiat.* Idem Gregorius presbyteris, diaconis, nobilibus, & populo Ladicæ: *Peruenit ad me quosdam vestrorum ignorantia vel necessitate deceptos, his qui ab Apostolica sede culpa (sicut nostis) exigente communione priuati sunt, communicasse. quosdam vero salubri discretione protegente Domino suspendisse: & quãtum de constantibus gaudeo, tantum de deuiantibus ingemisco: quoniam sacræ communionis mysteria, quæ ad solutionem nobis diuina pietate concessa sunt, in detrimẽtum animæ suæ magis*

receperunt. Et quia sic (vt vobis omnipotens Deus innotescat) vehementer charitati vestrę, & medullitus ex toto compatior paterno affectu; obtestor atq; suadeo, vt ab illicita se quisque communione suspendat: & quos Apostolica sedes in consortio communionis suæ non recipit, omnino refugiat, ne inde reus ante conspectum æterni iudicis, vnde poterat saluari, consistat. Idem Ianuario Episcopo Sardinię: *Eis vero, qui ab ecclesiastica communione sunt suspensi, nullus religiosus secundam Canonum præcepta iungatur: sed nec illis communicandum est, qui communicant excommunicatis.* Gelasius contra fautores Acatii: *Nihil nobis commune cum hominibus communionis externæ, nec prætendat quisquam, quod alicui forsitan euidentiori non communicasset, vel communicare videatur hæretico. Quid enim iuuat, si illi communicet: & his tamen communione iungatur, qui ab illius non sunt communione diuersi? Quid profuit, quod videri volebat illi palam nō cōmunicare, cui per suos cōplices nectebatur?*

Hæc quidem sanctorum Patrum testimonia amplectimur, ea qua dignum est, veneratione: sed nimium, nimiumque non expauescimus ea pro huius temporis confusione, quando hęreticorum simul, catholicorumque confessione permista, cuncta veræ & syncerę religionis turbantur, catholicaque & Apostolica puritas confunditur. Ecce enim Hartuigus Magadaburgensis Episcopus, qui semel ac secundo damnatus est (sicut vere supra diximus) ipse videns diutius non posse contra Imperatorem episcopatum suum repugnando sibi vindicare, simulabat cum eo pactum pacis facere, & supplicem se ac deuotum ei offerre. Qui etiam, vt facilius promereri posset episcopatum ab Imperatore, promittebat cunctos Principes, qui adhuc essent cum eo discordes, in gratiam eius reducere. At Imperator præ nimio amore pacis, non considerans, quia lupos in ouile ouium intromittere, hoc non sit consuluisse Ecclesiæ vel Reipublicæ, acceptis iuramentis super promissæ fidei firmitate, reddidit ei iniuste episcopatum absque synodali conuentione, & absque consensu sedis Apostolicæ. Quod factum est quarto anno postquam iuste depositus est synodali iudicio. Tum vero ille Hartuigus nactus occasionem, qua posset habere liberum hinc inde introitum simul & exitum, cœpit redire ad consuetæ factionis exercitum, & traducere Episcopos & Principes totius regni ad partem sui Papæ Gregorii: & vt auctius resuscitaret ac nutriret ipsius incendia Hildebrandi iamdiu defuncti, primo quidem per clandestina colloquia, deinde per contracta vndecunque poterat conuenticula sermonem intulit de excommunicatione Imperatoris; de iniusta (vt ipse dicebat) successione Wigberti ad pontificatum Apostolicæ sedis: valde autem periculosum fore cum eiusmodi hominibus communionem aliquam habere: Imperatori vero promissam fidem & promissum seruitium libenter conseruare, si velit publice confiteri, se vinculo anathematis ligatum esse, & inde solui per participes sui Gregorii Papæ: si etiam velit Wigbertum deponere, alioquin se pœnitere, quod vel viderit hominem excommunicatum, cui nunquam debeat communicare aliquis fidelium. Hæc sæpius memorando, sollicitabat animos plurimorum, quum iam posset fieri pax Ecclesiarum: nisi ipse Hartuig, iuxta nomen suum, durum eis renouasset bellum. Ergo plurimi etiam Episcoporum, qui damnauerant in Synodo eundem Hartuigum, & in damnatione eius subscripserant, iuxta Apostolicæ sedis decretum, ipsi non solum in communionem eum absque synodali conuentione receperunt: sed etiam aliqui eorum contra Imperatorem simul, & contra sedem Apostolicam eum eo conspirauerunt, vt iam ex multitudine prævaricationis illorum, qui eiusmodi sunt Episcoporum, iustificata quodammodo videatur leuitas Græcorum, apud quos (sicut Gelasius Papa scribit) facilis & inculpabilis putatur esse permistio, quod apud eos nulla sit veri falsiq; discretio: & cum velint omnibus reprobis esse communes, in nulla monstrentur probitate consistere. Hinc hæreticorum simul catholicorumq; confessione permista, cuncta veræ & syncerę religionis turbantur, catholicaq; & Apostolica puritas confunditur. Gelasius: *Aut catholici*, inquit, *aut hæretici erant, de quibus illa passim latrocinia detestanda sęuiebant. Si hæretici, prodi, discuti, & legitime conuinci modis omnibus debuerant, vel suis confessionibus, vel aliorum vocibus confutari.* Sed mirētur alii, quod de illo quoq; Hartuigo vere secundum literam possit intelligi hæc per Esaiam Prophetam sententia Domini:

Hartuigus episc. Magdeburg.

Hart-Wick.

Nunquid

Nunquid iste est vir, qui conturbauit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit? Tu enim, inquit, *terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti.* Hæc (inquam) mirentur alii in hoc, de quo nunc agitur, viro: nos autem miramur in illo, quod tam stultus pastor potuit tot sacerdotes, & tantum populum post se in perniciem trahere, vtpote qui nullius fere est literatoriæ eruditionis, vel scientiæ: nisi quod iam mysterium illius stulti pastoris (hoc est, Antichristi) operatur in illo, de quo ad Zachariam Prophetam dicitur a Domino: *Adhuc*, inquit, *sume tibi vasa pastoris stulti, quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non requiret, & contritum non sanabit, & id quod stat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, hoc est, virtutes sanctorum, & in sua corpus malitia traiciet.* Ecce enim contigit in diebus illis Imperatorem celebrare apud Mogontiam natiuitatem Domini, vbi aderant cum eo aliquot Episcopi, & quidam de Principibus regni. Aderat etiam ibi ille Hartuigus, cui tunc non solum communicauit quisque præsens Episcopus, clerus & populus, sed etiam Ruochardus, qui ante aliquot menses post obitum Wezelini ordinatus est Moguntinæ Ecclesiæ Archiepiscopus, cessit ei in ordine, & officio suo, & consensit indigno modo, vt ad initia nocturnalium lectionum solitas benedictiones faceret in tam celebri conuentu, & in tam celebri nocte natiuitatis Domini. Sic vero, sic nunc promulgatrix est, aut exequutrix sanctorum Canonum Moguntina quoque Ecclesia, non attendens, siue paruipendens quid gestum sit in ea, & quid gesserit ipsa, quomodo ille Hartuigus iudicatus & damnatus sit in ea. Pro huiusmodi scribit Gelasius Papa contra fautores Acatii: *Hæc est*, inquiens, *illa mistura, hæc est illa confusio, qua per totum hoc regnum inter catholicam hæreticamque communionem nulla est discretio. Ideoque sicut quisquis*, ait, *ab hac colluuione cunctorum separatus, est syncera communionis, & ideo catholicus comprobatur: ita quisquis illius detestandi commercij particeps inuenitur, quantum à syncera communione, tantum à catholica atque Apostolica remotus est confessione.*

Ruochardum Moguntin.

Ecce proponunt nobis aduersarii pro suæ partis confirmatione, vt debeamus timere ligari vel iniuste: sed qui alios docent, semetipsos non docent. Igitur conuincit veritas, iustitia & iudicium, quia iuste damnatus est ille Hartuigus iuxta meritum suum. Vnde & Dominus dicit ei per Malachiam Prophetam, & cæteris, qui irritum fecerunt pactum Leui, pactum scilicet vitæ & pacis: *Maledicam*, inquiens, *benedictionibus vestris, & maledicam eis, quoniam legem meam super cor non posuistis.* Post illos autem dies, quibus hæc, quæ diximus, facta sunt Moguntiæ, concelebrata est etiam Coloniæ per eundem Hartuigum ordinatio Adalheidæ Reginæ. Sed & si Herimannus Colonienſis Episcopus pro affectu consanguinitatis, qua proxime attingebat eum, non est recordatus damnationis, qua decessor eius Sigiuuinus damnauerat eum: tamen Colonienſis Ecclesia, quæ vtraque damnatione eius consenserat, communionem eius vitare debuerat: quoniam nihil interest, vtrum ei aliquis communicet, qui eiusmodi est: siue illi iungatur communione, qui diuersus non est ab illius hæretici communione. *Sic*, inquit Gelasius, *sic passim omnis licite fieri à quocunque videntur, & nullum discrimen rerum, nulla examinatio Ecclesiæ postulatur, sed vbique hæretici intromittuntur, & nemo resultat: sed velut muta pecora in captionem ducta, subditis voluntatibus perfidiam sectantur.* Iam vero apparet, quantam perniciem generet, quod sacri Canones negliguntur, quod imperiti, indigni, simoniaci, neophyti, Ecclesiis præficiuntur: quales quum non possint scientia & doctrina, atque aliis operibus bonis innotescere, præsumunt sceleribus ostendere se aliquid esse vel posse, & inter cætera extollunt se contra regiam potestatem, immo contra Dei ordinationem: & qui, vtpote militantes Deo, non debuerant se vel negotiis secularibus implicare, vsurpant sibi regnum ordinare & regere, qui debuerant Ecclesiarum rectores esse, & sese exemplum humilitatis omnibus præmonstrare. Sic enim discreuit Christus vtriusque potestatis officia, Regum scilicet atque Pontificum, quatenus spiritalis actio a temporalibus distaret incursibus, & Deo militans minime se negotiis implicaret secularibus: ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset impli-

catus negotiis secularibus. Vnde idem, qui hæc scripsit, Gelasius, consequenter discernit quoque iudicia Ecclesiæ à regiis dispositionibus : *Quo*, inquit, *more, quo ritu aliquis damnatorum prætenditur absolutus, quum nec à Pontificibus legitime, & Ecclesiasticis legibus fuerit expeditus, nec à seculari potestate potuerit præter Ecclesiæ tramitem prorsus absolui. Quantum enim ad religionem pertinet, non nisi Apostolicæ sedi iuxta Canones debetur totius summa iudicij : quantum autem ad seculi potestatem, ille à Pontificibus, & præcipue à beati Petri vicario debet cognoscere, quæ diuina sunt, non eadem iudicare : nec sibi hoc quisquam potentissimus seculi, qui tamen Christianus est, vendicare præsumit.* Et idem Gelasius contra Acatium, immo contra omnem Episcopum, qui aliquid eiusmodi vsurpat sibi contra sedis Apostolicæ decretum : *Quum constet, semper sedis Apostolicæ iudicio huiusmodi personas aut discussas esse, vel purgatas : aut sic ab aliis, quibus competebat, Episcopis absolutas : vt tamen absolutio earum ex sedis Apostolicæ consensione penderet, vbi vtrumque defuerit, nec discussionem legitimam, nec purgationem firmam, ac per hoc receptionem constat fuisse indebitam. Ecce interim in his*, inquit, *causa vestra nutat & labitur : & si hæc sola sit, prorsus tota subruitur.* Nobis autem ausi sunt Canonum facere mentionem, contra quos semper ambitionibus, semper illicitis effeciſſe, excessibus monstrantur, immo si causa eadem latius inquiratur, tantæ illic tragœdiæ, tanti reperiuntur errores, vt si ipsi sint iudices, qui eadem perpetrarunt, quum euidenter fuerint confutati, à sui damnatione non temperent.

Igitur non licet alicui Christiano occidere quenquam, immo nec odisse: quoniam iustitia Pharisæorum est non occidere, non peierare : sed, *Amen dico vobis*, ait Dominus, *quia nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et ad Noe atque ad filios eius : *Qui effuderit*, inquit, *sanguinem hominis, pro sanguine eius effundetur sanguis illius. Anima quippe omnis carnis est in sanguine.* Ideoque etiam, quisquis per scandalum, siue peruersitate doctrinæ effuderit illud vitale, quo homo vegetatur, viuit & sustentatur, in die iudicii effundetur ab eo : hoc est, quod sibi videbatur habere vitale, cogetur amittere. Ergo per totum fere hoc tempus memoriæ nostræ effunditur sanguis hominum per viros hominum, quod fit præcipue ex instinctu Episcoporum aduersæ partis, vt iam manifestentur opera carnis, quę sunt inimicitię, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, hæreses, inuidiæ, homicidia, & his similia : quæ prędico vobis, ait Apostolus, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Propter hæc comprimenda sacerdotale iudicium, quod cruentas refugit vltiones, seueris Christianorum Principum constitutionibus adiuuari debet : sicut Leo Papa docet, quia timentes corporale iudicium, nonnunquam ad spiritale recurrunt remedium. Sed vt passim omnia licite fiant, ipsi aduersæ partis Episcopi regiam potestatem, immo diuinam ordinationem euertere parant, quum de his quoque, qui post baptismum aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem sententiam protulerunt, sic scribit sanctus Papa Innocentius, quod de ipsis nihil definitum sit à maioribus : *Meminerant enim*, inquit, *à Deo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & Dei ministrum esse datum in huiusmodi vindicem. Quomodo ergo reprehenderent factum, quod authore Deo viderent esse concessum? De his ergo*, inquit, *vt hactenus seruatum est, sic habemus, ne aut disciplinam euertere, aut contra authoritatem Domini venire videamur : quia ipsis in rationem reddendam gesta sua omnia seruabuntur.*

At memoratus Hartuig, vt euerteret regiam potestatem, immo diuinam ordinationem, militauit cum suis consortibus Episcopis per multas expeditiones contra Henrichum Regem: quarum nulla magis ad viuum nos tetigit, quam illa, *Herisfeld.* quando ad locum Herosfeldiæ posuit castra. Specialiter enim ipse præ cæteris Saxonibus odio habebat eundem locũ Herosfeldiæ, ideoq; ciuitatẽ & sancta nostra quærebat omnibus modis destruere. Nam Abbas eiusdẽ loci, dictus quoq; & ipse Hartuigus successerat illi damnato, & deposito in episcopatũ Magdaburgẽsis Ecclesiæ,

cleſiæ, Imperatore & cæteris principibus regni plurimum annitentibus ſuper electione eius & ordinatione, quoniam præter id, quod adprime inſtructus & eruditus eſt tam moralibus diſciplinis, quam ſacris ſcripturis, in hoc quoque ipſe placuerat eis: quia id quod Imperator non potuit efficere totis viribus regni, hoc ipſe perfecit ex induſtria ſapientis ingenii: ſcilicet vt diuideretur vnitas peruerſorum, quum non poſſet per diſciplinam rei militaris emolliri duritia Saxonum, vel reſcindi ſocietas Thuringorum. Sicut enim eſſe noxium ſolet, ſi vnitas deſit bonis: ita pernicioſum eſt, ſi non deſit malis. Peruerſos quippe vnitas corroborat, dum concordat: & tanto magis incorrigibiles, quanto vnanimes facit. Vnde etiam Paulus conſpiciens pernicioſam ſibi eſſe vnitatem reproborum, diuidere curat turbam Saducæorum & Phariſæorum: quumque in duas partes tumultuantium multitudo diuiditur, ei via ereptionis aperitur: quia quem turba perſequentium vnita conſtrinxerat, diuiſa laxabat. Eripiuntur etenim iuſti, dum diuiduntur iniuſti: & electorum vota ad perfectum perueniunt, dum reproborum agmina per diſcordiam confunduntur. Igitur facta diuiſione aduerſariorum, qui per multos iam annos repugnauerant contra Eccleſiam pariter, & contra rempublicam: illi vero, qui declinauerant poſt Imperatorem, pepererunt ei incruentam de hoſtibus victoriam: quoniam quum timerent hinc à comprouincialibus vrgeri, illinc ab Imperatore, qui iam circa Calend. Iulii cum exercitu aderat, impugnari, deditionem fecerunt omnes & Saxones & Thuringi, præter pauciſſimos, qui audito aduentu Imperatoris fugerant vltra flumen Albiam cum ſuo Rege Herimanno: qui etiam, vtpote reus maieſtatis atque hoſtis Eccleſiaſticæ pacis, damnatus eſt in ſupradicta Moguntiacenſi Synodo. Cuius fugæ vel authores vel comites erant Epiſcopi aduerſæ partis. Ideoque Imperator tanto iuſtius decreuit ſubſtitui catholicos Epiſcopos deſtitutis Eccleſiis, quanto euidentius appareret ipſos deſertores Eccleſiarum locum etiam tenere mercenariorum, qui veri fuiſſent hæretici, iidemque magiſtri multorum ſcelerum. Sicut enim ſanctus Gregorius docet: *Mercenarius eſt, qui ſtare in periculo ouium non poteſt: qui in eo, quod ouibus præeſt, non oues diligit, ſed lucrum terrenum quærit.* Igitur fugitiuo illi, & hæretico Hartuigo ſucceſſit catholicus Hartuigus in epiſcopatum Magadaburgenſis Eccleſiæ, quem poſt electionem cleri & populi ipſius Eccleſiæ ordinauit ſuffraganeus eius Diedo Epiſcopus, Anno M LXXXV. ab incarnatione Domini, III. Idus Iulii. Ad cuius ordinationem præſens erat Imperator Henrichus: ibique & præſens erat Wezelinus Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, & Sivviginus Colonienſis Archiepiſcopus, atque alii plures Epiſcopi, quos enumerare longum duximus, ſtudentes breuitati. Sed poſtquam Imperator dimiſit exercitum, paulo poſt Saxones atque Thuringi ad molitæ infidelitatis redierunt ingenium, atque poſt duos fere menſes promiſſæ fidei & pacis per interpoſitionem iuramentorum immemores, compulerunt Imperatorem per vim bellici tumultus, diſcedere ex Saxonia cum catholicis Epiſcopis, aperientes iterum hæreticis aditum introeundi ad ouile ouium, vt pro paſtoribus lupi dominarentur eis. Poſt hæc anno altero, quum iam ſimili modo, (ſicut frequenter factum eſt) eluſus fuiſſet Imperator per Saxonum atque Thuringorum perfidiam, qui vſque ad Botam fluuium cum exercitu ſuo tunc peragrauerat vtrorumque prouinciam, compoſita pace iuxta conditiones, quas principes vtrinque æquas & vtiles iudicaſſent, diſceſſit inde propter inſtantem Quadrageſimam. Sed amatores contentionis ac diſcordiæ pſeudoepiſcopi Saxoniæ, quærebant ſolito pacis conditiones interrumpere, cupientes magis perfidia & periurio ſecum omnes teneri, quam pacem fieri: ideoque non iam (ſicut antea) volebant euentum belli expectare intra prouincias vel Saxoniæ, vel Thuringiæ: ſed audebant illud extra fines ſuos in vlteriora regni transferre, vbi poſſent communicata cum Sueuis ſcelera aduerſus Eccleſiam pariter, & aduerſus Rempublicam committere: iuxta quod factum eſt in epiſcopatu Wirziburgenſis Eccleſiæ, vbi pugnatum eſt contra Imperatorem Henrichum, quinta iam vice, Anno ſcilicet M LXXXVI. ab incarnatione Domini, III. Idus Auguſti. Huius pugnæ cauſa extitit, qua ipſam ciuitatem Wirziburg ex obſidione hoſtium

1085.

1086.

Imperator liberare voluit: sed dolus magis quam virtus victoriam hostibus peperit. Veruntamen non magis cum hostibus, quam cum proditione ac perfidia sociorum dimicatum est: quæ dimicatio maior atq; periculosior est. Nam acies Colonienſis atq; Traiectenſis militiæ, ex composito auertit se, & fugit, vt erat inter principia contra hostes ordinata: quæ sociorũ defectio fregit animos cæterorum in re tam trepida, tamq; inopinata: ac perinde subtractis vndiq; per fugam equitũ subsidiis, versum est in pedites totum pondus prælii. Quibus deinde nec pugna constare, nec fuga sine magna cæde potuit explicari. Tum forte captus est ibi quidam clericus Wezelini, Moguntini Archiepiscopi, nomine Reginherus, quem aduersarius ille Christi & Ecclesiæ Hartuig corripuit: quod qui sub priore Episcopo Sigefrido sui partem Papæ Gregorii constantissime defenderit, regemq; Henrichum, omnesq; fautores eius proniſſime abominatus sit, nunc quasi per fugam quidem ad iniustitiam reuersus sit: ac deinde eum circa occisorum corpora circumduxit, atque gloriando dixit: *Ecce modo apparet, ecce modo apparet, vbi iustitia sit, quum apud nos*, inquit, *victoria sit*. Sed iustitia & pax osculatæ sunt se, quoniam neutra potest absq; altera esse. Studium autem & gloria est eorum, qui pertinent ad terrenam ciuitatem, effundere humanum sanguinem, quum filii pacis hi sint filii Dei. At illius sanguineæ crudelitatis Episcopi

Nulla locis facies reuocat feralibus arcis
Hærentes oculos, celsos cumulis æquantia colles
Corpora, sidentesq; in tabem spectat aceruos.

Certe talis vir sanguinum alienus est, hostis est, quem sensus doloris non tetigit in prostratis fratribus: iuxta quod in libro de Lapsis scribit sanctus Cyprianus Episcopus: *Quid faciam*, inquit, *dilectissimi fratres, fluctuans vario mentis æstu? Quid, aut quomodo dicam, lachrymis magis quam verbis opus est ad exprimendum dolorem, quo corporis nostri deflenda est plaga, quo populi aliquando numerosi multiplex lamentanda est iactura. Quis enim sic durus ac ferreus, quis sic fraternæ charitatis oblitus, qui inter suorum multiformes ruinas, & lugubres, ac multo squalore deformes reliquias constitutus, siccos oculos tenere præualeat, nec erumpente statim fletu prius gemitus suos lachrymis quam voce depromat? Doleo, fratres, doleo vobiscum, nec mihi ad leniendos dolores meos integritas propria & sanitas priuata blanditur, quando plus pastor in gregis sui vulnere vulneratur. Cum singulis pectus meum copulo, mœroris & funeris pondera luctuosa participo, cum plangentibus plango, cum deflentibus defleo, cum iacentibus iacere me credo. Iaculis illis grassantibus inimici, mea simul membra percussa sunt, sæuientes gladij per mea viscera transierunt. Immunis ac liber fuisse à persequutionis incursu non potest animus in prostratis fratribus, & me prostraut affectus.* Et vnde eiusmodi cladis tempestas emerserit, statim subiungendo ostendit: *Habenda tamen est*, inquit, *fratres dilectissimi, ratio veritatis: nec sic mentem debet, & sensum persequutionis infesta tenebrosa caligo cæcasse, vt nihil remanserit lucis ac luminis, vnde diuina præcepta perspici possint. Si cladis causa cognoscitur, & medela vulneris inuenitur. Dominus probari familiam suam voluit: & quoniam traditam nobis diuinitus disciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem, & prope dixerim dormientem, censura cælestis erexit: quumque nos peccatis nostris amplius meremur, clementissimus Dominus sic cuncta moderatus est, vt hoc omne, quod gestum est, exploratio potius quam persequutio videretur. Studebant augendo patrimonio singuli, & obliti quid credentes aut sub Apostolis ante fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incumbebant. Non in sacerdotibus est religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina, corrupta est in viris barba, in fœminis forma fucata, adulterati post Dei manus oculi, capilli mendacio colorati, ad decipienda corda simplicium callidæ fraudes, circumuentiendis fratribus subdolæ voluntates, non iurare tantum temere, sed adhuc etiam peierare, præpositos superbo tumore contemnere, venenato sibi ore maledicere, odiis pertinacibus inuicem dissidere. Episcopi*, inquit, *plurimi, quos & hortamento esse oportet cæteris, & exemplo diuina procuratione contempta, procuratores rerum secularium eligant fieri: & derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas prouincias oberrantes, negotiationis quæstuosa nundinas aucupari, esu-*

rientibus

rientibus in Ecclesia fratribus habere argentum largiter, vel fundos insidiosis fraudibus capere, vsuris multiplicantibus fœnus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis eiusmodi meremur, cum iampridem præmonuerit ac dixerit cēsura diuina: Si dereliquerint legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, si iustificationes meas profanauerint, & præcepta mea nō obseruauerint, visitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum: prænuntiata sunt ista nobis, & ante prædicta: sed nos data legis & obseruationis immemores id egimus per nostra peccata, vt dum Domini mandata contemnimus, ad correptionem delicti & probationem fidei remediis sæuioribus veniremus. Nec saltem sero conuersi ad Domini timorem sumus, vt hanc correptionem nostram, probationemque diuinam patienter & fortiter 10 *subiremus.* Et in libro de vnitate Ecclesiæ idem Cyprianus Episcopus: *Vnitatem* inquit, *simul & dilectionem magisterio suo Christus docuit Prophetas omnes, & legem præceptis duobus, Dei videlicet dilectione, & proximi, incluſit. Quam vero vnitatem seruat, quam dilectionem custodit aut cogitat, qui discordiæ furore vaſanus Ecclesiam scindit, fidem destruit, pacem turbat, charitatem dissipat, Sacramentum profanat? Malum hoc fidelissimi fratres iampridem cœperat: sed nunc creuit eiusdem mali infesta clades exurgere, ac pullulare plus cœpit hæritica prauitatis & schismatum venenata pernicies.*

Hæc memorat sanctus Cyprianus Episcopus, veraciter describens quæ fiunt nostris quoque temporibus. Non solum enim Ecclesia per hæreses & schismata diuiditur, & pax vndique turbatur: sed etiam aduersæ partis Episcopi gau- 20 dent & lætantur super effusione humani sanguinis, quia non habent viscera fraternæ dilectionis. Quisquis autem creaturam Dei hominem non diligit, odit: neq; enim odio dignum æstimat, nisi quod malum esse iudicat. Hæresis quidem Manichæorum putat humanæ naturæ originem esse à principe tenebrarum, assumens in testimonium sui erroris quod dicit in Euangelio Dominus: *Vos ex patre Diabolo estis.* Bona est quippe omnis natura, sed per voluntatem malam vitiata est hominis natura. Sed vnde dixerit Dominus ad Iudæos, qui iam quærebant eū occidere: *Vos ex Diabolo estis*: vnde hoc inquam dixerit, ostendendo subiungit: *Et desideria patris vestri vultis facere.* Quæ sunt illius desideria? *Ille*, inquit, *homicida erat ab initio.* Imitantur autem eum, qui sunt ex parte illius: ac perinde dicuntur filii eius, 30 quia sunt imitatores homicidii illius, qui nō gladio armatus, non ferro accinctus ad primum hominem venit, verbumq; malum seminauit, & occidit. Similiter & occidit eum qui persuadet alicui mala, secundum quod dicit Psalmista: *Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus* Ecce enim ille Hartuig dictus quondā Magadaburgensis metropolitanæ ciuitatis Episcopus, persuasit plurimis certe effundere sanguinem hominum: qui & fecit cædem plurimorū per manus sibi obsequentium, cum quibus & post victoriā, de qua supra diximus, introduxit Adelberonem in Wirziburg ciuitatem quondam sui Episcopatus, quā amiserat primo quidem proprio iudicio damnatus, deinde Ecclesiæ etiam iudicio condemnatus atq; depositus, postquam posuit partem suam cum hypocritis atq; 40 infidelibus: quoniā sicut Cyprianus Episc. scribit, *Quisquis vnitatis concordiā scindit, ac fidem, primam perfidiam posteriore mutauit.* Hic sanè Adelbero præclarior erat cæteris suæ partis episc. & nobilitate pariter & sciētia, ac religiōe simul & ętate, vtpote qui iā obiit circa 40. annū ordinationis suæ. Hic ergo cum fuisset etiam particeps electionis pariter & ordinationis Rudolfi regis contra legitimū Regē Henrichū, ne eum se contingeret videre vel alloqui, sponte dimisit Episcopatum suum, & fugit ad altitudines montiū, oblitus sane quomodo solet Ecclesia cū Psalmista dicere contra altitudinē doctrinæ hæreticorum: *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?* id est, sicut prudens? Latuit enim hic Adelbero in altissima quadā munitione, quæ dicitur Latine Mōs vini: & licet sępius *Weinsperg.* 50 offerretur ei legatio Hērichi, Imp. & supplicatio cōmissi gregis, vt reuerteretur ad custodiā sui, Episcopatus noluit tamen reuerti. Ecce scribit Isidorus Episc. in VIII. libr. Etymol. *Montani*, inquiēs, *hæretici dicti sunt, quod tempore persecutionis in montib. latuerūt, & ea occasione se à cathol. Eccles. corpore diuiserūt.* Quod si tales fuerūt hæretici fugientes persecutionē, quid illi qui oderunt pacē, & spōte dimiserūt Eccl. vnitatē? Quis vero custodiet oues à luporum insidiis, quando deserit eas cura pastoris?

Qua conſcientia, inquit, Leo Papa, *honorem ſibi ſacerdotii præſtitum vendicant, qui pro animabus ſibi creditis non laborant? Conſiderent*, ait, *milites Chriſti, iccirco ſe cotidie calicem Chriſti ſanguinis bibere, vt poſſint & ipſi propter Chriſtum ſanguinem fundere.* Hoc eſt enim velle cum Chriſto inueniri, id quod Chriſtus & docuit & fecit, imitari, ſecundum Ioannem Apoſtolum dicentem: *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quomodo ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Ergo Chriſtus daturus ſanguinem ſuum pro ſalute totius mundi intrauit Hieruſalem cum turbis, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur clamantes Oſanna, quæ & ſternebant ei in via veſtimenta ſua, humilitatis & iuſtitiæ inſignia, ſimul & ramos palmarum prætendentes pietatis opera. Sed Adelbero introiuit cum viris ſanguinum in ciuitatem Wirtziburg fugato inde Meginhardo Epiſcopo ſucceſſore ſuo, atque Imperatoris præſidio. Tum quidem decimus erat annus, poſtquam idem Adelbero fugerat de Wirtziburgenſi Eccleſia, immo de catholica Eccleſia: Et quãuis ſæpe ab Eccleſia, ſæpe ab Imperatore ad priſtinum dignitatis ſuæ locũ ſit reinuitatus, reuerti tamen noluit, niſi fortaſſe eo, quo dictum & factum eſt modo, Epiſcopatum ſuum ſanguine multorum hominum redimere contigerit. Ecce de eiuſmodi ſcribit Cyprianus Epiſcopus de vnitate catholicæ Eccleſiæ *Auerſandus eſt*, inquiens, *talis atque fugiendus, quiſquis fuerit ab Eccleſia ſeparatus: peruerſus eſt huiuſmodi, & peccat, & eſt à ſemetipſo damnatus. An ſibi aliquid eſſe cum Chriſto videtur, qui aduerſus ſacerdotes Chriſti facit, & qui ſe à clero eius, & plebis ſocietate ſecernit? Arma ille contra Eccleſiam portat, contra Dei diſpoſitionem repugnat, hoſtis altaris, aduerſus ſacrificium Chriſti rebellis, pro fide perfidus, pro religione ſacrilegus, inobſequens ſeruus, filius, impius, frater inimicus, cõtemptis Epiſcopis, & Dei ſacerdotibus derelictis conſtituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ hoſtiæ veritatem per falſa ſacrificia profanare, neſcire: quoniam qui contra ordinationem Dei innititur, ob temeritatis audaciam diuina animaduerſione punitur.* Hæc & alia quæ plurima ſcribit ſanctus Cyprianus Epiſcopus in lib. de vnitate catholicæ Eccleſiæ: Hæc (inquam) valde neceſſaria ſunt contra eos qui non ſolum voce, ſed & ſcriptura profitentur ſe defendere partem ſui Gregorii Papę. Reliquit ergo Eccleſiam Adelbero, qualem ſcilicet Eccleſiam deſpondit Paulus Apoſtolus vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto: & ſeceſſit inde ad ſupradictam munitionem, quæ dicitur Mons vini, vbi & celebrauit ſacrificium & orationem prẽter altare, & communionem Eccleſiæ catholicæ Dei. Si enim hæreditas Eccleſię eſt pax, & patria eius eſt pax, igitur & regnum illud Dei patris, quod cotidie rogat Eccleſia vt adueniat, eſt pax. *Pacem*, inquit, *relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Vnde conſtat, precem alteram illicitis vocibus feciſſe, & Dominicæ hoſtię veritatem per falſa ſacrificia eum profanaſſe, qui non precatur pro pace Eccleſiæ: quam ſcilicet pacem noluit ille Adelbero vel tunc recipere, quando intra ciuitatem Wirtziburg obſeſſus potuit capi quidem, vel occidi: ſed nullo modo flecti, vt vellet Imperatorem videre, vel alloqui: per quod deſtrui quoque cernitur gratia Dei, qua creati ſumus, quam & cum impiis quoque communionem habemus, cum quibus homines ſumus: atque ideo quiſquis priorem contemnit gratiam, qua creati ſumus, ingratus quoque exiſtit ſecundæ gratiæ, quare creati ſumus atq; ſaluati, cũ eſſemus mortui peccatis, ſicut dicit Apoſtolus. Ex hoc enim quod aduerſæ partis Epiſcopi iuxta ſectam Manichæorum deſpiciunt in Rege Henricho hominem, creaturam Dei, refugientes eum videre vel alloqui, per illam ſcilicet occaſionem, qua dicunt eum eſſe excommunicatum: ex hoc inquam, totum eſt illud ſcandalum, quod reliquerunt Eccleſias ſuas, & curam Dominicarum ouium: & quod per parochias ſuas multo iam tempore multa fiunt homicidia, rapinæ & incendia, pro his quæ ſunt Epiſcoporum ſolennia, ſiue in celebrando baptiſmate, ſiue in cõſecrando chriſmate, ſiue in docenda Chriſtiana plebe. Sed ex geſtæ rei conſideratione penſari poterit cauſa vel Imperatoris, vel illius Epiſcopi Adalberonis, vel cæterorum qui ſunt in parte eius contentionis. Nam beati pacifici, quoniam ipſi vocabuntur filii Dei. Ergo obſeſſus erat ille Adalbero in Wirziburg ciuitate ab Imperatore: & non poterat vlla ratione adduci ad pacis conditionem ſiue per Epiſcopos, ſiue per Principes regni qui erant cum Imperatore, dicens ſe quidem

poſſe

posse mori, non autem flecti, vt vellet vnquam sponte sua Regem Henrichum videre vel alloqui. At Imperator leuiter ferens contemptum suum, cum haberet, vtpote minister Dei, vindicem in impios gladium, noluit occidere quenquam noxiorum: sed cum capienda esset ciuitas, non solum dimisit impunitos hostes Ecclesiæ, & desertores militiæ suæ, verum etiam ipsum Adalberonem: & quod cum eo erat præsidium hostium, milites scilicet Reipublicæ, permisit comitante suo quoque ducatu securos abire. Modo fuerit Imperator errans, qualis non potest esse sine pœna Ecclesiasticæ excommunicationis: cum iuxta sententiam sancti Papæ Gelasii, moliantur fidem catholicam euertere per occasionem regiæ alligationis, qui student obuiare dispositionibus publicis. Sed charitas cooperit multitudinem peccatorum, sicut dicit Dominus per Apostolum suum: charitatem autem Imperator hostibus quoque suis exhibuit, quando in pace eos abire permisit. Sicut enim scribit sanctus Cyprianus Episcopus in libro de Patientia, *Charitas fraternitatis vinculum est, fundamentum pacis, tenacitas ac firmitas vnitatis, quæ & spe & fide maior est, quæ & opera & martyria præcedit, quæ nobiscum semper æterna in cælestibus regnis permanebit.* Et post aliqua: *De ira quid dicam*, inquit, *& de discordia, & de simulatione, quæ in Christiano esse non debent? inexpiabilis & grauis culpa discordiæ, nec passione purgatur: & si discordes etiam occisi fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Nos vero*, inquit, *meminisse debemus, quo vocabulo plebem suam Christus appellet, quo titulo gregem suum nuncupet: Oues nominat, vt innocentia Christiana ouibus æquetur: Agnos vocat, vt agnorum naturam simplicem simplicitas mentis imitetur. Quid sub vestitu ouium lupus latitat? quid gregem Christi, qui se Christianum mentitur, infamat? Christi nomen induere, & non per Christi viam pergere, quid aliud est quam præuaricatio diuini nominis, quam desertio itineris salutaris? quando ipse moneat & dicat eum esse sapientem, qui verba Dei audierit, & fecerit.* Atque in libro de Vnitate catholicæ Ecclesiæ idem Cyprianus Episcopus: *Opto equidem*, inquit, *dilectissimi fratres, & consulo pariter & suadeo, vt si fieri potest, nemo de fratribus pereat, & consentientis populi corpus vnum gremio suo gaudens mater includat. Si tamen quosdam schismatum duces, & dissensionis authores in cæca & obstinata dementia permanentes non potuerit ad salutis viam consilium salubre reuocare: cæteri tamen vel simplicitate capti, vel errore inducti, vel aliqua fallentis astutiæ calliditate decepti, à fallaciæ vos laqueis soluite, vagantes gressus ab erroribus liberate, iter rectum via cælestis agnoscite. Contestantis Apostoli vox est: Præcipimus vobis*, inquit, *in nomine Domini Iesu Christi, vt recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate, & non secundum traditionem quam accepistis à nobis. Et iterum dicit: Nemo decipiat vos inanibus verbis: propterea enim venit ira Dei in filios contumaciæ: nolite ergo esse participes eorum. Recedendum est à delinquentibus, vel immo fugiendum, ne dum quis male ambulantibus iungitur, & per itinera erroris & criminis trahitur, à via veri itineris exerrans pari crimine & ipse teneatur. Vnus Deus est, & vnus Christus, & vna Ecclesia eius: & fides vna, & plebs in solidam corporis vnitatem concordiæ glutine copulata. Scindi vnitas non potest, nec vnum corpus dissidio compaginis separari, ac diuulsis laceratione visceribus in frusta discerpi. Quicquid ab vnitate discesserit, seorsum viuere & spirare non poterit, substantiam salutis amittit.* Hæc beati Cypriani verba fidelissima sunt, & vera quæ constringunt certa declinantes in aliquarum partium schismata: atq; ideo erga se insolubilē esse sententiā faciunt, qui tales permanere diligūt, quales veraciter absolui non poterunt. Igitur supradictus Adalbero, accepta abeūdi licentia de ciuitate Wirziburg, cum ad pacis conditionē flecti non potuisset, in dilectū sibi Montem vini secessit: ibiq; Anno ab incarnatione Domini M X C. obiit, qualē deinceps Ecclesia in communionem non recepit, iuxta quod sanctus Leo Papa scribit: *Nos*, inquiens, *quibus viuentibus non communicamus, mortuis communicare non possumus.* 1096.

Eodem etiā anno obiit Herimannus, dictus quondā Metensis Ecclesiæ Episcopus: qui & ipse cū recessisset fugiens ab Ecclesia sua, damnatus est in supradicta Synodo, atq; depositus: quoniam sæpe vocatus per Imperatorem, sæpe etiam vocatus per oues pascuæ eius noluit reuerti ad pastoralem curam Ecclesiæ suæ, non aliam prætendens excusationis occasionem, nisi quod nollet videre vel alloqui excommunicatū Imperatorem. Si noluit videre, vel alloqui Christianum Impe-

ratorem, quid Neronem? quid Diocletianum? quid Maximianum? Isti quidem Imperatores erant impiissimi & sæuissimi Ecclesiæ persecutores: quorum certe conspectum præcipit Dominus discipulos suos non fugere: *Sed cum steteritis*, inquit, *ante Reges & Præsides, nolite timere: Deum autem timete, & Regem honorificate.* O quid facerent, si illi desertores Ecclesiarum Episcopi sub persecutione prædictorum Imperatorũ fuissent, quod exemplum reliquissent fidelibus pro fide Christi certantibus? Apostolus quippe volens exponere quid sit Episcopatus, quia nomen est operis, non honoris: *Qui Episcopatum*, inquit, *desiderat, bonum opus desiderat.* Vnde Augustinus Episcopus in XIX. libro de Ciuitate Dei: *Græcum est*, inquit, *atque inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur superintendit, curam scilicet eorum gerens, scopos quidem intentio est. Ergo Episcopin*, inquit. *si velimus, Latine superintendere possumus dicere: vt intelligat se non esse Episcopum, si præesse desiderat, non prodesse.* Proinde etiam dicitur in Ordinatione Episcopi, vt memor sic sit semper sponsionis, & desponsationis Ecclesiasticæ, & dilectionis Dei, & non obliuiscatur illius diei, quo assecutus est hunc honorem pontificii, ne ouile Domini prædo violentus irrumpat, & dispersas absque pastore oues fur nocturnus inuadat. Ecce enim quidam Brun in desertum ouile ouium non per ostium, sed aliunde ascendit: & sicut ait Dominus, moris esse furi atque latroni, ad hoc venit, vt furtum faceret, mactaret & perderet. Nam cum non esset Ecclesiastico more electus, & populo Mettensis Ecclesiæ, vtpote qui fuisset ignotus, & filius cuiusdam Adalberti comitis de prouincia Alamanniæ, tum ille non Episcopus, sed tyrannus in multitudine graui conductorum militum ad vrbem Mettensem accessit, cędes hominũ fecit, per circuitum sanctificationis sanguinem sibi repugnãtium effudit: ipsam quoque domum sanctificationis contaminauit, bona etiam & res ipsius ecclesiæ distribuendo militaribus viris dissipauit, ouesque dispersit Christi, qui post aliquantum tempus conceptæ tyrannidis ipsum quoque nomen Episcopi amisit: quia Imperator potestatem ei episcopatus abstulit, postquam tãta ibi per eum fieri scandala intellexit, quæ nemo digne deplorare poterit. Sicut enim scribit sanctus Leo Papa: *Principatus quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiamsi moribus atque actibus non offendit, ipso tamen initii sui est perniciosus exemplo, & difficile est vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Neque vero*, ait, *vlla sinit ratio, vt inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à prouincialibus Episcopis cum Metropolitani iudicio consecrati.* Ecce in ipsa quoque Metensi Ecclesia per decem aut eo amplius annos prætermissa sunt consueta episcoporum officia, & nec chrismatis, nec aliorum Sacramentorum (quæ proprie ad Episcopos pertinent) ministeria sunt ibi celebrata, sine quibus non potest esse Ecclesia Dei. In tantum valuit sermo Hildebrandi Papæ, qui illum Herimannum docuit & exemplo & scriptura de ecclesia sibi commissa fugere, vt iuxta quod dicitur per Malachiam Prophetam, *Dispердat Dominus virum qui fecerit hoc, & magistrum & discipulum de tabernaculis Iacob, vbi est congregatio sanctorum*: quoniam maiorem nemo habet charitatem, quam vt animam suam quis ponat pro amicis suis, iuxta exemplum illius qui essentialiter bonus est pastor & Episcopus animarum nostrarum.

Bruno Metensis intrusus.

Quid de Burcardo dicimus, quem Rex Henrichus de infimo loco exaltatum fecit quondam, vt esset Halberstatensis Episcopus Ecclesiæ? cui pro mercede suscitauit diuturnum & graue bellum Saxonum, Thuringorum atque Sueuorum. Qui cum præcipue & ante omnes in hoc esset studio, vt Regẽ deponeret à regno, qui eum sublimauit Episcopali fastigio: occisus est tandem Goslariæ à suis popularibus in quadam contentione, quæ inter ipsos hostes vel Ecclesiæ vel Reipublicæ facta est non sine plurimorum sanguine, in diebus scilicet passionis Dominicæ, quando iterum contra Ecclesiam, vel contra rempublicam celebrabant conuenticula sua, quę solent etiam adhuc per singulos fere menses facere, cum non oporteat nisi publicum fieri concilium propter vnitatem vel Ecclesiæ, vel Reipublicæ: quoniam omne regnum in seipso diuisum, desolabitur, sicut in Euangelio à Saluatore nostro dicitur. Et iterum de Ecclesia sua loquitur, & ad eos qui sunt in Ecclesia loquitur, vt si ipsi concordes fuerint, si secundum quod mandauit & docuit,

Burcardus Halberstat Episcop.

duo

duo aut tres collecti vnanimiter orauerint, impetrare possint de Dei maiestate quod postulant, duo aut tres licet sint: *Si duobus*, inquit, *ex vobis conuenerit in terra, de omni re quamcunque petieritis, continget vobis à patre meo qui in cœlis est. Vbicunq; enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum.* Ecce vnanimitatem prius posuit, concordiam pacis ante præmisit, vt cõueniat nobis, fideliter & firmiter docuit. Vnde & Cyprianus Episcopus in libro de Vnitate catholicæ Ecclesiæ: *Quomodo autem*, inquit, *potest ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipsius Ecclesiæ, & cum vniuersa fraternitate non conuenit? Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constet à Christo & ab eius Euangelio separari? Non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt, & cum hæreses & schismata postmodum nata sunt, dũ conuenticula*, inquit, *sibi diuersa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt. Igitur cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei vnanimes noluerunt. Ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel obiecti bestiis animas suas ponant: non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ: nec religiosæ virtutis exitus glorioſus, sed desperationis interitus. Occidi*, inquit, *talis potest, coronari non potest.* Ergo post tredecim expeditiones, quibus contra Regem, eundemque Imperatorem Henrichum supradictus militauerat Burcardus, quem nos ipsi quoque vidimus cum illo Magadaburgensi Hartuigo in castris, quæ posuerant Saxones atque Thuringi ad locum Herosfeldiæ (sicut supra iam diximus) quando perrexerunt in orientalem Franciam ad patrandum illud circa Wirtziburg magnæ occisionis scelus, post hæc (inquam) occisus est in seditione quadam popularium suorum Nonis Aprilis, in quarta feria Dominicæ passionis, Anno scilicet MLXXXVII. à tempore Dominicæ natiuitatis. 1087.

Vidimus etiam ibi Gebehardum, dictum quondam Saltzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopum, qui post multa Ecclesiæ stipendia cœpit iam quasi puer centum annorum, militare in castris Saxonũ: ac paulo post recepturus dignam factorum suorum remunerationem obiit, postquam à viris sanguinum, suis scilicet participibus, effusus est sanguis multorum in circuitu Wirtziburgensis Ecclesiæ, velut in circuitu Hierusalem. Ecce enim Saltzburgensis Ecclesia condimento pastoralis cibi multo iam tempore caruit, ex quo eius pastor Gebehardus fugit, quia pacificus non extitit, qualem scilicet non pastorem, sed mercenarium in Euangelio appellat Dominus: quoniam lupo occasionem sæuiendi permisit, subtracta pastorali cura ipsius. Vnde idem Deus scientiarum Dominus, qui & pastor bonus, dicit Ecclesiæ doctoribus: *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos: bonum est*, inquit, *sal.* Per sal quippe sapientia verbi designatur, quo arcana cordis condiuntur. Sed (sicut ait sanctus Gregorius) *sal sine pace non virtutis est donum, sed damnationis argumentum: quoniam scientia inflat, charitas vero ædificat.* Vnde Dominus subiungit atque dicit, *quod si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* In quo scilicet errans doctor corrigitur, qui ad auferendum constituitur? Ideoque, ait, *ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Iuxta hoc mandatũ Domini missus est etiam extra ecclesiam infatuatus ille doctor Gebehardus, quando in supra dicta Synodo Moguntiacensi condemnatus est atq; depositus: cum ipse prius, vtpote recedens ab vnitate catholicæ Ecclesiæ, proprio sit iudicio condemnatus. *Gebehardus Saltzburgens.*

Apud illos siquidem Episcopos euntes ad expugnandum Wirtziburgensis Ecclesiæ Episcopatũ, quando factum est hoc (de quo iam diximus) prælium, apud illos (inquam) Episcopos tunc erat curia, quæ dicitur à crudelitate: quoniam apud eos, sicut nos ipsi prospeximus, conuenerunt Principes Saxoniæ, tractantes de suscepti belli crudelitate, vbi primus erat de principibus Egbertus marchio, filius Egberti senioris, qui fuit patruelis istius qui adhuc regnat, Henrichi Imperatoris, quem scilicet Henrichum, adhuc valde puerũ ille senior Egbertus & alii quidam de Principibus regni subtraxerunt immature à tutela piæ memoriæ matris suæ Imperatricis Hagnæ, cum iam ante annos sex obiisset religiosus pater eius Henrichus, Anno scilicet MLVI. Dominica incarnatione, quando sextus erat annus istius iunioris Henrichi à natiuitate, tertius autem ab eius ordinatione in Regem, quæ facta est Aquisgrani per Herimanni Colonienſis Archiepiscopi *Egbertus marchio Saxoniæ.*

vnctionem. Sed postquam puerilis regni custodia venit à matre ad Principes regni, tum vero iura vel Ecclesiæ, vel Reipublicæ cœperunt pro leui momento haberi: cum siquidem nulla re, præterquam legibus, poterit multitudo coalescere in corpus vnius populi. Et reuera quod tunc confotum est, erupit iam in regulum: quoniã ea quæ tunc latebant genimina viperarum, pepererunt iam fœtorem terrimum, & principem omnium serpentum Diabolum, iuxta quod ipse Diabolus videtur nunc de carcere suo solutus esse: postquam, sicut scriptum est in Apocalypsi, exiuit nationes seducere, & in bellum trahere, quas antea modis, quibus poterat, per mala multa & varia seducebat. Ecce enim, vt prætermittamus quæ tunc gesta sunt ambitione principum, vel auaritia, quæ est idolorum seruitus, & quomodo earundem rerum, vnde destruitur Ecclesia pariter & Respublica, plerosque etiam Episcopos atque Abbates immoderatus inuaserat appetitus; quærentes puerile Regis ingenium suis potius instituere moribus, quam bonis artibus, vt hæc (inquam) prætereamus, ecce contentio facta est inter Wezelinum Hildinisheimẽsem Episcopum, & Wideradum Fuldensem abbatem, super altitudine sessionis suæ: cum de Diabolo scriptum sit, quia omne sublime videt, & est Rex super omnes filios superbiæ. Igitur Rex puer 11. anno postquam distractus est à custodia matris suæ, celebrauit natalem Domini Goslariæ, vbi inter cubicularios Episcopi & Abbatis certatum est pugnis atque scamellis pro herilis sedis positione, cum illi vindicare voluissent Episcopo suo principem locum iuxta Moguntinæ Ecclesiæ Episcopum in conuentu regiæ sessionis in Ecclesia, propter priuilegium parochiæ suæ: isti autem contra tendere propter primatum Fuldensis Abbatiæ. Et tunc quidem in tam sacrata festiuitate natiuitatis Domini certatum est (sicut diximus) pugnis atque scamellis: deinde vero in Pentecoste res gerebatur gladiis, cum vtrique & Episcopus & Abbas, summo studio se præparassent ad tuendum sessionis suæ locum, contractis vndique multis militaribus viris. Erat enim ex parte Episcopi senior ille Egbertus (de quo supra diximus) qui præoccupauerat Ecclesiam maiorem Goslariæ cum suis pariter & Episcopi militibus, & inter pulsandum ad vesperam in vigilia Pentecostes consonabant pariter tumultuariæ seditiones. Perrumpentibus enim intra Ecclesiam Fuldensibus ad auxilium sociorum, quibus iã imminebat mortis periculum, proh nefas, multi hinc inde occisi, fœdauere cæde sua templum Dei, & altare Dei. Eiusmodi vero impietatis simul & crudelitatis testamentum hæreditauit ille senior Egbertus, super iuniorem Egbertum filium suum: cui enim iste parceret, qui cognato suo Regi Henricho non pepercit? quem vita pariter & regno priuare voluit. Sæpe quidem iste iunior Egbertus contra Regẽ coniurauit, sæpe etiam sese à coniuratorum societate ad Regem conuertit, & nũc harum nunc illarum partium fuit. Ecce enim post prælium, quod gestum esse diximus in Episcopio Wirtziburgensis Ecclesiæ, vbi idem Egbertus primus erat de principibus Saxoniæ, post hoc vero Imper. Henrichus intrauit cum exercitu per Thuringiam in Saxoniam: vbi cum non auderent Saxones atq; Thuringi offerre ei occasionem pugnandi, tum quidem Egbertus marchio, vtpote Princeps huius quoq; belli, iureiurãdo promisit Imperatori, vt si vellet inde exercitum reducere, sese deditionem facturum esse, in loco scilicet Herosfeldiæ. Factum est ita, & adhuc testis est Herosfeldia, quod ibi Egbertus marchio supplicẽ se Imperatori obtulit, quod ei fidem iuramento promisit, quod marcham suam & comitatus suos ab Imperatore recepit, quod in pace dimissus abiit, quod postera die legatos suos ad Imperatorem remisit: qui dicerent fidem, quam prius promisisset comprouincialibus suis Saxonibus, se non posse soluere: cæterum de his quæ pepigisset cum Imperatore, nihil se acturũ esse. Iam quidem dimiserat Imperator exercitũ suum, ideoq; non poterat tunc persequi tantæ impietatis simul & infidelitatis virum. Nã Hartuigus atq; Burcardus illi pseudoepiscopi, haud lõge tunc aberant à loco Herosfeldiæ cum suis plurimis: qui cũ fuissent inimici pacis, non vtiq; filii pacis, auerterũt animum Marchionis, ne seruaret pacis pactum, ab eis in spẽ regni adductus: quoniam vt rex eorum futurus esset, interposita sua fide promiserunt ei. Ecce per Zachariam Prophetam dicit Dominus: *Hæc sunt ergo verba, quæ facietis: Loquimini*

Egbertus iunior.

vnusquisq;

vnuſquiſq; veritatem cum proximo ſuo, veritatem & iudicium pacis iudicate in portis veſtris, & vnuſquiſq; malum contra amicum ſuũ ne cogitetis in cordibus veſtris, & iuramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc ſunt, quæ odi, dicit Dominus. Contra hæc docet Hildebrand per ſe, docet & Epiſcopos ſuos mendacium pro veritate, & pro eo quod præcepit Dominus his qui ſub Euangelica ſunt perfectione, non omnino iurare: docent ipſi ſectatores ſuos iuramentum mendax diligere, iuxta quod factum eſt in illius Marchionis transgreſſione, cum eiuſmodi ſint infideles atque periuri, quotquot ſunt ex illorum pſeudoapoſtolorum parte, qui dicunt ſe miſſos eſſe vt ſoluant auditores ſuos à iuramentis, per quæ fidem dediſſent dominis ſuis: cum certe periuri dicantur à Paulo Apoſtolo, ſimili ſubiacere damnationi, qua iudicantur patricidæ & matricidæ, & cæteri qui non poſſidebunt regnum Dei.

Vnde etiam præpoſitæ ſcriptor epiſtolæ, qui profitetur ſe defendere partem ſui Gregorii, cuius certe participes ſunt periuri atque hæretici, raptores atque homicidę, quales nemo iuſte poterit defendere, ſed aut corrigere, aut reprobare: pro his (inquam) ſcribit ille, vt periuria atque homicidia, rapinas atque incendia ſtatuat, atque confirmet ſolito more. *Sciendum eſt etiam*, inquit, *quia quicunque fidelitatem iurant Dominis, non iurant niſi quam ex catholica lege debent Dominis. Fidelitatis autem huius modum determinat Apoſtolus, ſcribens Epheſiis, vt ſerui obediant Dominis carnalibus, ſicut Chriſto. Quod exponens Hieronymus in tractatu eiuſdem Epiſtolæ: Pulchre,* ait, *imperans ſeruis, vt obediant Dominis, adiecit, quaſi Chriſto.* Et iterum: *Vt ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei, vt ſcilicet non audiat ſeruus carnalem Dominum, ſi contraria Dei præceptis voluerit imperare: vt & ſeruos non videatur, contra Dominos concitare: & rurſum nequaquam Dominos doceat audiendos, ſi vitioſa & nefanda præcipiant. Ex hoc præcepto Apoſtoli, & explanantis eum Hieronymi, patet euidentius, quia tum non debeant ſerui obedire Dominis, niſi ſicut Chriſto, id eſt niſi in his quæ facienda præcepit Chriſtus: quicunque obſequitur eis in his quæ ſunt contra Chriſtum, fidelitate in infidelitatem altera erit periurus. Ex decretis Soteris Papæ: Si aliquid forte nos incautius iuraſſe contigerit, quod obſeruatum peiorem vergat in exitum, illud conſilio ſalubriori mutandum nouerimus: ac magis inſtante neceſſitate periurandum nobis eſt, quam perfecto iuramento in aliud crimen matus eſt diuertendum. Ambroſius in libro Officiorum: Eſt, ait, contra officium nonnunquam, promiſſum ſoluere, Sacramentum cuſtodire: vt Herodes, qui iurauit, quoniam quicquid petitus eſſet, daret filiæ Herodiadis: & necem Ioannis præſtitit, ne promiſſũ negaret. Hæc de iuramentis,* inquit, *ideo intulimus, quoniam nos periuriorum hortatores autumat* Wigbertus. *Iurauit etiam Dauid per Dominum, occidere Nabal, virum ſtultum & impium, atq; omnia quæ ad illum pertinerent demoliri: ſed ad primam interceſſionem Abigahil fœminæ prudẽtis, mox remiſit minas, reuocauit enſem in vaginam ſuam, nec aliquid culpæ ſe tali periurio contraxiſſe doluit.* Per hæc quippe verba nihil aliud agitur, niſi vt fides deſtruatur: & vt ſeducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi, vt ſint periuri: iuxta quod etiam ſunt hæretici atque ſchiſmatici, quicunq; declinant poſt eos, qui ſunt eiuſmodi, quales ſuſceperunt defendere ſui partem Gregorii. Vnde & Saluator, qui hoc in euangelio orat, & hoc fieri deſiderat, vt quomodo vnũ ſunt pater & filius, ſic & nos in ipſa vnitate maneamus: ille (inquam) noſtra reſpiciens tempora, loquitur inter cætera: *Filius*, inquiens, *hominis cum venerit, putas inueniet fidem in terra?* Verbi gratia, ecce iurauit Imperatori Egbertus marchio, vt fidelis ei eſſet, iuxta quod admonet Apoſtolus ſeruos Chriſti obedire Dominis carnalibus, ſicut Chriſto. Quod ſcilicet iuramentum ſi ſit obſeruatum, quomodo iuxta ſententiam illius ſcriptoris in peiorem vergit exitum? Fortaſſe nobiliſſimus ille adoleſcens adhuc viueret, & occiſus non eſſet, ſi iuxta id quod iurauerat Imperatori, fidelis eſſet, & pacificus extitiſſet: & ſi eidem Imperatori iuramenta ſua ſeruaſſent Principes regni, certe non fuiſſet facta diuiſio regni, & non eſſent inteſtina hæc bella, vnde admodum deſtructa eſt Eccleſia pariter & Reſpublica. Sed propter transgreſſionem iuramentorũ facta ſunt hæc omnia: & ille Marchio occiſus eſt infidelitatis ſuæ cauſa, & iam non poterit ei prodeſſe vel ſuus Gregorius, vel aliquis illius partis Epiſcopus: quoniam iuxta quod in libro de Dominica oratione ſcribit ſanctus Cyprianus Epiſcopus, *Diſcordans & diſſidens, & pacẽ cum fratribus non habens, nec ſi pro Domini nomine occiſus*

fuerit, crimen dissensionis fraternæ poterit euadere: quia sicut scriptum est: Qui fratrem suum odit, homicida est: nec ad regnum cœlorum peruenit, aut cum Deo viuit homicida: Non potest esse, inquit, *cum Christo, qui imitator Iudæ maluit esse quam Christi.*

Igitur postquam Egbertus marchio decepit Imperatorem (sicut diximus) deinde & ipse pariter deceptus est: quoniam Episcopi eum defellerunt, non ei donãtes regnũ quod promiserunt: quapropter secessit à parte eorũ & societate, & iterũ datis obsidibus atq; iuramentis confirmauit pactũ pacis & fidei cum Imperatore. Interea contigit hoc, quod supra diximus: quia tũc occisus est ille Burcardus Halberstatensis Episcopus à suis popularibus non id agente Marchione, sed tamẽ hoc factum ipso approbãte. Tum ẽt ille Hartuigus Magadaburgẽsis pseudoepiscopus, cũ non posset solus cum paucis complicibus suis vim sustinere vel Marchionis vel Imperatoris, venit in gratiam Imperatoris, iuxta quod supra dictum est à nobis. Et certe vtriq; alteri contra alterum iã iurauerat, qui & inter Imperatorem simul & Marchionem ita medius versabatur, vt si fieri posset, alterum perdere per alterum voluisset. Vnde cum infidelis adhuc infideliter egisset, & iterum marchio reus toties violatæ fidei, & pacis successione, occultisq; colloquiis bellum renouasset: tũ vero illi Hartuig nõ deerat vel Imperatori contra Marchionẽ militando, vel Marchioni cõtra Imperatorẽ consulendo. Nã (vt de multis dicamus pauca) ecce Imperator obsederat munitionem quandam marchionis in Thuringia. Tum & ipse vicissim ferro & igne deuastans circumquaq; omnia, cœpit obsidere castellũ Quitilingeburg in Saxonia, vbi erat intrinsecus soror Imperatoris simul, & eius sponsa, de qua diximus supra: ad quarũ ereptionem Imperator cum misisset sæpe dictum Hartuigum, data sibi parte copiarum: ille militaris episcopus dicitur mandasse per nuncium suum Marchioni, vt non tardaret venire, si cũ Imperatore vellet pugnare: quod tuto tunc facere posset, cũ iam ab eo militum multitudo subtracta fuisset. Et vt nihil verius credatur, quam compositus vtrinq; dolus: ecce flexit viam Hartuigus, ne Marchioni fieret obuius, cum diuersis itineribus ipse tenderet in Saxoniam, ille autem in Thuringiam, vbi tunc dimicatum est in ipsa natiuitatis Domini vigilia, quæ tunc obuenerat die Dominica, quando terminum accepit annus ab incarnatione Domini MLXXXVIII. Ecce quid faciunt hæreses & schismata, vt dicat in corde suo cognatio eorum simul, *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra,* Num tenebræ dies Domini, & non lux & caligo, & non splendor in ea? sic dicit Amos Propheta. Ecce quando Angelus Domini cum magna luce apparuit; & gaudium illud magnum natiuitatis Domini & Saluatoris euangelizauit: quãdo ẽt concinuit multitudo militiæ cœlestis, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ea quippe tam festiua solennitate Angelorum atq; hominũ factus est luctus ingens, mœror, atq; tristitia, & effusio humani sanguinis. Primo quidem impetu fugatus est Marchio: sed restaurato deinde prælio, victor victus est Imperator diuino quodam iudicio. Nam episcopos Saxoniæ, qui iudice Eccl. sunt damnati non solũ in cõmunionẽ receperat: sed & Episcopatus suos, vnde fuerant depositi, singulis absq; iudicio Ecclesiæ reddiderat: ideoq; quoniã hostes Christi, qui est pax Ecclesiæ, permiserat Imper. de Ecclesia triumphare, concessit vicissim Christus victoriam hostibus Reip. & hoc pro disciplina magis electorum suorum, quam pro gloria eorum qui ad cumulum perditionis suæ polluerunt tam crudelibus factis diem pariter Dominicum, atque natiuitatis Dominicæ Sacramentum. Neque enim diu circa Egbertum marchionem vltio diuina cessauit: quoniam cum ipse Henricho alteri Saxonum Marchioni arma intulisset, plurimis suorum amissis victus, de prælio aufugit: ac deinde cum fuissent manus omnium principum Saxoniæ contra eum, & manus eius contra omnes, postremo miserabiliter occisus est, proditus in quodam tugurio, vt non dicam id quod verius est, in molẽdino: sicq; regiæ nobilitatis adolescens bellum consummauit, quo regnum sibi expugnare quæsiuit.

Quidlinburg.

1088.

1090.

Annus tunc erat ab incarnatione Domini M. nonagesimus, quando occisus est supradictus marchio Egbertus. Eodem etiam anno defunctus est Luidolfus Dux Carentinorum, cum & ipse appeteret regnum contra Imperatorem

Henri-

Henrichum: atque Bertolt filius Rudolfi, regis quondam Saxonum, in ipso iuuentutis suæ flore defunctus est: & Hug potentissimus comes Alsatiæ, post multa crudelia, quæ fecerat vel in Ecclesia, vel in Republica, occisus est. De talibus dicitur à Domino per Zachariam Prophetam, ad Zorobabel ducem Iuda: *Non in exercitu, nec in robore superabis aduersarios: sed in spiritu meo* (hoc est in obseruatione legis Dei) *dicit Dominus exercituum.* Fuit enim Imperator tunc in Italia, quando hęc circa aduersarios suos sunt gesta: quam scilicet tertiam illuc profectionem fecerat præcipue contra Mathildam fautricem Hildebrandi Papæ, cuius scilicet secretis sermonibus assuefacta, ne adhuc quidem potest compesci muliebribus furiis instincta, vt pacem quam bellum malit: & vt rebus suis iam vsque ad vltimum pene exterminium dissipatis consulere velit, cum hactenus ipsa fuerit præpotens diuitiis, vtpote filia Bonifacii marchionis. Nęque vero Petrus siue Paulus doctrinam contentionis dictauerunt cum mulieribus: sed vnus præcepit infirmum vas muliebre castam suam conuersationem in timore considerare: alter vero docet mulieres, se ornare cum verecundia & sobrietate, & quod decet mulieres, pietatem per bona opera promittere: nunc autem aliter Mathil illa instituta, post octauum quoque annum, quo defunctus est Hildebrand familiaris eius, defendit proniissime contra sedem Apostolicam & contra Imperatorem, partem ipsius, qui propter frequens cum ea & familiare colloquium generauit plurimis scæuæ suspicionis scandalum, dum non obseruauit attentius diuinum illud Lucii Papæ mandatum: *Duo presbyteri*, inquit, *& tres diaconi in omni loco non deserant Episcopum, propter testimonium scilicet Ecclesiasticum.* Posuit autem Hildebrand partem suam cum illa muliere rixosa, vt per hunc quoque sexum oppugnetur vel Ecclesia, vel Respublica. Sed dicitur ei à Domino per Hieremiam Prophetam: *Quia sic in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace super terram.* Et iterum de participibus eiusdem Hildebrandi, inter quos etiam sunt Nortmani homines crudelissimi: *Nortmãni.*

Fuerunt, inquit, *nominati illi scientes bellum: ideoque non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ inuenerunt: propterea*, ait, *perierunt.* Sicut enim supra dictum est, nominati illi Principes regni, imo destructores regni, perierunt anno MXC. ab incarnatione Domini. Hic annus insignis quoq; est morte Adelberonis atque Herimanni Episcoporum, de quibus dictum est suprà: de quibus etiam scribit sanctus Leo Papa: *Nos*, inquiens, *quibus viuentibus non communicauimus, etiam mortuis communicare non possumus.* Ipsi quidem exierunt ex nobis, non nos ex illis: sed non erãt ex nobis: quia si fuissent ex nobis, permansissent vtiq; nobiscum, sicut dicitur per Ioannem Apostolum. Vnde & Cyprianus Episcopus in libro de Mortalitate: *talẽ*, inquit, *te iudicat Dominus, qualem te inuenit, cum vocat: vnitatem enim*, ait, *qui non tenet, non patris & filii tenet fidem, vitam non tenet & salutem.* Superiori etiam anno defunctus fuerat Wigoltus Augustæ alter episcopus, qui Sigefrido eiusdem ciuitatis Episcopo adhuc viuente per partium studia est subintroductus: qui furtiue ad ordinationem ingressus, per Sigefridum Moguntinæ Ecclesiæ Archiepiscopum ordinatus est Goslariæ in Saxonia, cum Augusta ciuitas iuxta alpes sit in Rhetia: qui certe non iuxta solennem Episcoporum morem intrauit cum cleri & populi suffragiis, sed cum hostibus eiusdem ciuitatis: quæ primo quidem per proditionẽ capta, & per Imperatorem liberata: deinde etiam capta est similiter per proditionẽ, & ad solum vsque destructa. Tum vero ingens præda facta est ibi ex rebus atq; bonis tam cleri quam populi, quibus apud hostes prodesse nõ potuit templum Dei, & Ecclesia sanctæ Matiæ semper virginis, vbi hæc recondita sunt propter metum hostilis incursionis. O quam bonus pastor, & quam prudens familiæ Dei dispensator ille Wigoltus: qui vtpote fur, ipse intrauit in ciuitatem cum furibus & homicidis, atq; raptoribus, vt raperet, mactaret & proderet. Quod cum factum sit feria IIII. ante cœnam Domini, postera die accessit ad altare Domini: & manibus sanguine plenis & iniquitate, præsumpsit sacri chrismatis consecrationem sibi vsurpare: ac mox post completũ officiũ infirmari cœpit, & post aliquot dies cũ magno tormento vitam finiuit. Capta autem ciuitate, captus est & Sigefridus Episcopus iuxta altare Dei, quem Welff dux quondam Bauariæ, persecutor Ecclesiæ, fecit

Wigoldus August. Episc.

in ſua cuſtodia teneri, donec ſeſe redemiſſet tãti æſtimatione theſauri, quanta ſuppleret auaritiam hoſtis iniqui. Honeſte quidem Eccleſia & religioſe captiuos redemit, vt cum ipſi ab ea redimuntur, dicatur: *Hos Chriſtus redemit*: aurum enim Eccleſia habet, non vt ſeruet, ſed vt eroget, & ſubueniat in neceſſitatibus: quia redẽtio captiuorum, eſt Sacramentorum ornatus. Vnde & ſanctus Ambroſius Epiſcopus in libris de Officiis: *Vere illa*, inquit, *ſunt vaſa precioſa, quæ redimunt animas à morte: & ille verus eſt theſaurus Domini, qui operatur quod ſanguis eius operatus eſt: & tũc vas Dominici ſanguinis agnoſcitur, cum in vtroq; viderit redemptionem: vt calix ab hoſte redimat, quos ſanguis à peccato redemit.* Ergo poſt duos tandẽ annos ſolutus eſt Sigefridus Epiſcopus ex hoſtili cuſtodia, ſuper qualium miſeria ſic per Hieremiam Prophetã conqueritur Eccleſia: *Ego*, inquiens, *derelicta ſum ſola: exui me ſtola pacis, indui me autẽ ſacco obſecrationis, & clamabo ad Altiſſimum in diebus meis, animæquiores eſtote filii: clamate*, inquit, *ad Dominum, & eripiet vos de manu principum iniquorum.*

De his ſcilicet inimicis Principibus cum plura haberemus dicere, nobis videntur hæc pauca ſufficere, de quibus & participes eorũ poterunt cognoſci, quos & ſimilis error inuoluit, & conſtringit par pœna peccati. Supereſt tantũ referre de Adelberto Wormacienſis Eccleſiæ quondam Epiſcopo, qui dãnatus eſt ẽt, atq; depoſitus in ſupradicta Moguntiacenſi ſynodo. Hic vero Adelbertus (ſicut ſupra quoq; diximus) captus eſt fugiẽs de prælio Saxonũ, cum eſſet in parte eorũ contra Regẽ Henrichum, vnde & cuſtodiæ traditur: ſed poſt aliquantũ temporis, interuenientib. pro eo ad Regẽ amicis eius, ſolui iubetur, & omne debitũ ei remittitur, quod cõmiſiſſet vel in cõiuratione facta contra ſtatũ Reip. vel in alterius regis electione. At ille perſiſtens in ſententia ſchiſmatis ſui, & in hac peruerſa atq; hactenus inaudita hæreſi, qua refugiunt qui ſunt eiuſmodi, Regem hominẽ videre vel alloqui, quaſi homo mala ſit creatura Dei, non potuit vlla ratione inflecti, vt vellet ad Eccleſiã & Epiſcopatũ ſuum reuerti: dicens quæq; ẽt extrema prius experiri velle, quã videre, vel alloqui Regẽ ſua ſponte. Ecce captiuus ille tenetur in cuſtodia, paſcitur pane atro, & aqua breui, iuxta quod dicit Propheta: & hoc patitur non propter fidei meritum, ſed vt redire velit ad vnicę matris Eccleſiæ gremiũ. Qui cũ honeſte potuerit reuerti ad Eccleſiã & Epiſcopatũ ſuum, neglexit cũ propriam ſalutẽ, tum curã ouium ſibi creditarum: atq; eluſis regularibus cuſtodiis turpiter fugit, rediens ad ſectas & ſchiſmata partium ſuarũ. Hinc Auguſtinus: *Fratres mei*, inquit, *ſi Chriſti vnica Eccleſia eſt (vt vna eſt) quicquid inde præciditur, quis tollit, niſi leo ille rugiẽs, & circuiens quærẽdo quẽ deuoret? Væ his qui præciduntur: nam illa*, ait, *integra permanebit.* An non præciſus à catholica eſt Eccleſia, qui pro aliquarũ partium ſtudio exiit ab illa, propria quoq; Epiſcopatus ſui ſponſa repudiata? Et ſi ille Adelb. reliquit Wormac. Eccleſiã, nunquid ideo repellit Dominus plebẽ ſuam? *Dixit Sion* (congregatio enim ſanctorũ, qui in pace Domini, & in virtutũ ſpecula ſunt cõſtituti, appellãtur Siõ:) *Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei*: cui per Eſaiã Prophetã reſpõdet Dominus: *Nunquid obliniſci poteſt mulier infantẽ ſuũ, vt nõ miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamẽ non obliniſcar tui, dicit Dominus*: nemo enim vnquã carnẽ ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eã, ſicut & Chriſtus Eccl. *Erunt*, inquit, *duo in carne vna*: quoniã redemptor noſter cũ ſancta Eccl. quã redemit, ſecundũ carnem vna ſubſtantia eſt, & vna perſona. Ecce nos, qui vnũ Eccleſiæ catholicũ corpus veneramur atq; diligimus: nos (inquã) deſcripſimus, quãta breuitate potuimus, quales ſint aut fuerint primi de participibus Hildebrandi: vt iã, ſi poſſit, præpoſitę ſcriptor Epiſtolæ defendat partẽ ſui ipſius Gregorii, iuxta quod promittit ille, præſumens plurimũ de ſua iuſtitia, quã & quærit ſtatuere: ignorans certe (ſicut Apoſtolus ait) quę ſit Dei iuſtitia. Quiſquis enim in ſemetipſum deſcendit, & beati Iacobi Apoſtoli verba attendit, quibus dicit, *In multis offendimus omnes*: non facile diuidit ſe, aut ſeparat à conſortio aliquorũ, pro eo quod ſint peccatores: quia *ſi dixerimus*, inquit, Ioannes Apoſtolus, *quoniam peccatũ non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Quod ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt Deus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, quoniã non peccauimus: mendacem eum facimus, & verbum eius non eſt in nobis.* Ex his beati Ioannis Apoſtoli

Adelbertus Wormac. Epiſc.

verbis

verbis colligitur, quod si nemo se iustum profitetur, sed omnis se peccatorem recognoscit & confitetur: ex his (inquam) colligitur, quod membra sibi inuicem compatiantur, & faciant omnes quod præcepit & docet Apostolus, flere cum flẽtibus, gaudere cum gaudentibus, sustinentes inuicem in dilectione, satis agentes seruare vnitatem spiritus in coniunctione pacis. Vnde & Cyprianus Episcopus in libro de Patientiæ bono: *Ecce*, inquit, *ecce probauit Apostolus, nec vnitatem seruari posse, nec pacem, nisi se inuicem fratres mutua tolerantia foueant: & concordiæ vinculum patientia interueniente custodiant, iuxta quod iterum dicit Apostolus: Nolite alta sapientes, sed humilibus consentientes: humiles quippe sunt vnanimes & pacifici, qui non faciunt schismata.* Sed superbi faciunt ea, quales dicuntur Pharisæi, quia per falsam iustitiã sunt à cæteris diuisi. Sicut enim scribit Isidorus Episcopus in libris Etymologiarũ, *schisma ab animorũ scissura vocatur, cuius sectæ æmulatores diffiniũtur, quod eodẽ cultu, eodẽ ritu credant vt cæteri, sed solo congregationis dissidio delectentur. Fit autẽ*, inquit, *schisma, cum dicunt homines: Nos iusti sumus, nos sanctificamus immundos, & cætera horum similia.* Sed schisma grauius esse scelus quam idololatriam, didicimus ex testimonio sacræ scripturæ: quoniam legitur in veteri Testamento, idololatriam gladio punitam esse, schisma autem hiatu terræ. Igitur æmulatores, siue authores schismatum, quæ dudum facta sunt in Ecclesia pariter, & in Republica, extant præcipue quidam qui dicuntur monachi de Hyrsaugia: ex quorum schola peruenit ad nos hæc, de qua tractamus, Epistola, quæ contra Apostolicã sedem & contra regiam potestatem est descripta*: & intestinum illud bellum, quo in plures sectas iam diu scissus est singularis ille ordo monachorum, ecce peruenit ad publicum malum. Qui enim debuerant se continere intra solitudines monasteriorum, egressi sunt vltra terminos & constitutiones Patrum, vsurpantes sibi contra diuinam ordinationem disponere, immo destruere regnum & sacerdotium, qui mittunt circumquaque Angelos verbi sui, prædicantes apud se suosq; sectatores esse tantum Ecclesiam Dei & iustitiam Dei, & sancta sacerdotia Dei: qui hoc etiam addunt, sicut ipsorum indicant scripta, quod sint cœlestes & spiritales, ac filii Dei. Ergo monachus interpretatur singularis, siue solitarius. De monachis quidem hoc constitutum legitur in Chalcedonensi Synodo, capitulo IIII. *Qui reuera & manifeste solitariam vitam sectantur, honore competenti fungantur. Verum quoniam quidem sub prætextu habitus monachalis Ecclesias & conuentus & res communes disturbant, ciuitates indiscrete circumeuntes, & monasteria construere studentes: placuit nullũ vsquam ædificare posse, neq; monasterium construere, neq; oratorium, absque ciuitatis Episcopi voluntate: Monachos vero qui sunt per singulas ciuitates & prouincias, Episcopis subditos esse, & quietem diligere, ieiuniis & orationibus contentos esse: & in illis locis perseuerare, in quib. seculo videntur renunciasse; nequaquam autem Ecclesiasticis vel secularibus rebus communicare: nec importunitatem inferre propriis monasteriis desertis, nisi forte quæsiti fuerint propter causam necessariam à ciuitatis Episcopo: non esse susciendum seruum, faciendum monachũ, præter proprii Domini voluntatem: qui vero hoc constitutum nostrum excesserit, eum à communione suspendi decreuimus, ne nomine Dei blasphemetur.* Hæc est Chalcedonensis constitutio Synodi, de qua sanctus Papa Gregorius sic scribit inter cætera Secundino seruo Dei incluso: *Libenter accipiens dilectionis tuæ scripta, quibus rogasti me libellum exoratorium tibi scribere, desidero te certum esse: quia omnes Ecclesiæ orientales vno sensu, vna doctrina, sanctam Chalcedonensem Synodum ita nobiscum custodiunt atque venerantur, vt nullus reperiatur, qui eiusdem Synodi defensor sectatorq; non fuerit. Vnde necesse est*, inquit, *vt dulcissima dilectio tua, ad id quod præcipue in bonis moribus viuit, quod se per abstinentiam affligit, quod doctrina Dei vehementius insistit: hoc studiosius cogitet, ne errorem schismaticorum sequens, à sancta vniuersalis Ecclesia possit diuisa inueniri. Et quid tot labores proderunt, si in vnitate fidei non fuerint inuenti, quæ ante omnipotentis Dei oculos bonis operibus animam præcipue custodit? Hinc enim dicitur: Vna est columba mea, perfecta mea.* Contra hæc atq; alia sanctorum Canonum statuta aliud aliquid agere, hoc est hęresim eligere, cuius author simul & communicator principali sententia damnationis est vtiq; obstrictus, iuxta quod scribit sanctus Papa Gelasius: *Hic*, inquit, *si examinatio quæritur, si auctoritatis pondus inquiritur Chalcedonensis Synodi, tenore illius*

Hirsaugiẽses monachi.

**per Gerhardũ abb. 13. vide Trithem. in Hirsaug. fol. 117.*

diffinitionis executio reperitur: quo damnati illic erroris communicator effectus, præfixa nihilominus particeps damnationis existit: quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo authore damnatus, in participe quolibet praua communionis effecto, & execrationẽ sui gestat, & pœnam. Quibus conuenienter ex paterna traditione perpensis: Quid ambagibus, inquit, & nebulis ista prætexunt, vt impudentiam suam, mentẽq; vasanam inanibus potius fabulis cælare lethaliter, quam prodẽdo medicinaliter sanare cõtendant? Sicut enim, inquiunt, sanctus pater Benedictus audiuit à Diabolo, *Maledicte, & non Benedicte*, nec illi nocuit: ita & his Wigberti non nocebit maledictio: veritas quippe loquitur in Euangelio, de Diabolo: *Ille*, inquiens, *homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia veritas non est in eo*: qui scilicet videns idola derelicta, & per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitauit nouam fraudem, vt sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos: hæresesque inuenit & schismata, quibus subuerteret fidem, corrumperet veritatem, scinderet vnitatem. Quos detinere non potest in viæ veteris cæcitate, circumscribit noui itineris errore, rapit de ipsa Ecclesia homines: & dum sibi appropinquasse iam lumini, atque euasisse seculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras infundit: vt cum Euangelio, & obseruatione eius, & lege non stantes, Christianos se vocent, & ambulantes in tenebris habere se lumen existiment, blandiente aduersario atq; fallente, qui secundum Apostoli vocem transfigurat se velut Angelũ lucis, & ministros subornat suos, velut ministros iustitiæ, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi: vt dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur.

Sicut, inquiunt, *enim sanctus pater Benedictus audiuit à Diabolo, Maledicte, & nõ Benedicte, nec illi nocuit: ita & his Wigberti maledictio nõ nocebit.* Quid ergo? nõ nocebit eiusmodi monachis, quod transgressi sunt per omnem modũ constitutiones prædictæ Synodi Chalcedonensis? Constitutum est siquidẽ inter cætera, Monachos per singulas ciuitates & prouincias Episcopis subditos esse, & quietem diligere, nequaquam autem Ecclesiasticis vel secularibus rebus communicare, alioqui alienos esse ab Ecclesiastica communione. Certe firmamentum Dei stat: & quod authoritate constitutionis Ecclesiasticæ præfixũ est, nulla ratione conuelli potest: iuxta quod & sanctus Papa Gregorius de eiusmodi scribens ad Ioannẽ Larissæũ Episcopũ, indicat: *Consona*, inquiens, *sanctis Patribus diffinitione sancimus, & qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare altaribus, vel cõmunionem capere sit dignus.* Et videte amplius, atque intelligite attentius. Illi enim Monachi, de quorum Epistola tractamus, nõ solum per scripturam suam, sed per omnem operam suam defendunt ea flagitiorum scelera, quæ per occasionem belli solent fieri, iuxta quod dictum est supra. Et sicut ipsi furantur de sacris scripturis testimonia, quatenus cõdant & statuant hæreses & schismata sua: sic etiam defendunt fures, homicidas atque periuros, sicut supra inuenitur in ipsorum scriptura. Sed ostenditur Zacharię Prophetæ volumen volans: hoc est, iudicium Dei ab occulto prodiens, cui & dicitur: *Hæc est maledictio, quæ egredietur super faciem omnis terræ: quia omnis fur* (sicut ibi scriptum est) *iudicabitur, & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur. Educam illud, dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mẽdaciter, & commorabitur in medio domus eius, & consumet eum, animã scilicet cum corpore.*

Sicut enim, inquiunt, *sanctus pater Benedictus audiuit à Diabolo, Maledicte, & non Benedicte, nec illi nocuit: ita & his Wigberti maledictio non nocebit, immo magis proderit, ad Dominum dicentibus cum sancto Dauid, Maledicẽt illi, & tu benedices.* Ecce qui docuerunt linguam suam mentiri, & maledicere, dicunt se maledicentibus benedicere, qui Christum & Ecclesiam non cessant blasphemare: quales tradidit Apostolus satanæ, vt discant non blasphemare. Ecce enim, cum iuxta Canonũ decreta non liceat alicui iudicare de iudicio Romanæ Ecclesiæ: illi quidem blasphemant Wigbertum, eundemq; Clementem Episcopum Romanæ Ecclesiæ, scribentes eum furem & hæreticum atq; mendacem esse: insimulantes eum, quod dici nefas est, Diabolo vel simulacro idoli similẽ esse, ideoq; anathema ipsius sibi nõ nocere:

præsu-

præsumentes etiam Regem Henrichum, quem Deus præcepit honorificare, multis modis similiter blasphemare. *Conatur etiam*, inquiunt, *statua, quam erexit Nabuchodonosor, se non adorantes catholicos astruere schismaticos. At nos*, aiunt, *fauente clementia Dei, certissima ratione probabimus, hoc errore non teneri: sed eos potius, qui exemplo Dathan & Abiron insurrexerunt in Gregorium, sicut illi in summum sacerdotem Aaron, qui conuenientes in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius, sedentesque in concilio vanitatis, Gregorio, cui orbis terrarum communicauit, obedientiam contumaciter renunciauerunt, & se ab vnitate corporis Christi (quod est Ecclesia) per orbem terrarum diffusa, separantes: Wigbertum à sede Apostolica in Synodis Romæ septennio celebratis, excommunicatum sibi Papam elegerunt: quasi dicentes Domino, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.*

Quum per Solomonem loquatur sapientia Dei: *Ne in cogitatione quidem detrahas Regi, quia ego*, inquit, *os Regis obserua, & præcepta iuramenti Dei: & scito quia pro his adducet te Deus in iudicium.* Quum hæc (inquam) ita sint, animaduertendum est, quomodo aduersus Dominum & aduersus Christum eius conuenerint, qui ordinationi Dei, à quo potestas est, resistunt: qui etiam Christum Domini, Regem Henrichum scilicet, blasphemantes, nomẽ ei atq; impietatem Nabuchodonosor imponunt: quum idem Rex atq; Imperator videri se velit, atq; appellari Catholicum, vtpote consentientem omnibus bonis, qui sunt solliciti seruare vnitatem in vinculo pacis. Sed dicit Dominus per Hieremiam Prophetam: *Ego*, inquiens, *dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis serui mei: insuper & bestias agri dedi ei, vt seruiant illi: & seruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius: gens autem & regnum, quod non seruierit Nabuchodonosor Regi Babylonis, & quicunque non incurauerit collum suum sub iugo Regis, in gladio & fame & peste visitabo super gentem illam, ait Dominus, donec consumam eos in manu eius. Et vino ego, dicit Dominus, quoniam iuramentum, quod dederat ei Rex Sedechias, & spreuit, ponam in caput eius, & morietur in prauaricatione, qua despexit me.* Deinde sequitur, & dicit Dominus de falsis doctoribus: *Nolite audire verba Prophetarum dicentium vobis, Non seruietis Regi Babylonis: quia mendacium ipsi loquuntur vobis: quia non misi eos, ait Dominus, & ipsi prophetant in nomine meo mendaciter, vt eiiciant vos, & pereatis tam vos, quam Prophetæ, qui mentiuntur vobis. Nolite ergo audire eos, ait Dominus, & seruite Regi Babylonis.* Hoc est mandatum Domini super Rege Ethnico, & vltra omnem terram: quanto magis super Rege Christiano & catholico? *Sed licet nos*, inquit Apostolus, *aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizatum est vobis, anathema sit.* Ex huius anathematis vinculo nullus certe liber exiitit, quisquis regiæ potestati resistit vel detrahit. Et quisquis iuramentum soluit, quod Domino suo reddendum Saluator in Euangelio præcipit, ac perinde (sicut sanctus Leo Papa scribit) Si omnes & sacerdotes & mundus assentiatur damnatis, damnatio consentientes inuoluit, non prœuaricationem consensus absoluit. *Gregorio*, inquiunt, *cui orbis terrarum communicauit, obedientiam contumaciter renunciauerunt.* Sed oues meæ (ait Dominus) vocem meam audient: alienum autem non sequuntur, quia non nouerunt vocem alienorum. *Et se ab vnitate*, inquiunt, *corporis Christi, quod est Ecclesia, per orbem terrarum diffusa separauerunt.* Ecce quomodo mentita est iniquitas sibi, quæ profitetur in scriptis suis defendere sui partem Gregorii, qui certe non præfuit Ecclesiæ, sed parti suæ: quoniam qui es benedictus Deus in secula, te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia. Illi quippe exierunt à nobis, non nos ex ipsis. *Et Wigbertum à sede Apostolica in Synodis Romæ septennio celebratis excommunicatum sibi Papam elegerunt.* Loquentes quidem blasphemias, barbarismum fecerunt, qui *septennio* vitiose dixerunt: qui à charitate, quæ sit de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium: volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Sicut enim sæpe dictum est, non licet alicui iudicare de iudicio sedis Apostolicæ, quæ habet facultatem sine vlla Synodo præcedente, exoluendi quos Synodus iniqua damnauerat, & damnandi quos oportuit nulla Synodo existente. Gregorius quippe, qui & Hildebrand,

non præfuit Ecclesiæ, sed parti suæ. Ideoque (sicut ait Gelasius Papa) quæ priuilegio vniuersalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione subsistunt. *Et eligentes*, inquiunt, *sibi Papam Wigbertum, quasi dixerunt, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Ergo qui viam pacis nescierunt, & in viam suam declinauerunt, ipsi vtique pastores ignorauerunt intelligentiam, sicut dicit Dominus per Esaiam Prophetam: *Aperite*, inquit, *portas, & ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem.* Vetus error abiit: seruabis pacem, quia in te sperauimus. Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es in nobis. Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te: tantum in te recordemur nominis tui. Ego enim sum (ait Dominus) via, veritas & vita. Sed Moyses sequester ac medius inter Deum & populum Israel, dixit ad Aaron sacerdotem Domini, quando orta est seditio atque tumultus in Ecclesia Dei, vt stans inter viuos & mortuos oraret pro populo, vt cessaret plaga ab eo, cuius causa interitus erat schisma pro sacerdotio. Vnde loquutus est ad Chore & ad omnem multitudinem: *Mane*, inquit, *notum faciet Dominus, qui ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi: & quos elegerit, appropinquabunt ei.* Et ait Dominus ad Moysen: *Præcipe vniuerso populo, vt separetur à tabernaculis Chore & Dathan & Abiron*: surrexitq; Moyses, & abiit ad Dathan & Abiron, & sequentibus eum senioribus Israel dixit ad turbam: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Et cætera de eorundem schismaticorum suppliciis, quæ omnia in figura cõtingebant illis: scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt, sicut dicit Apostolus. Vnde considerandum est, quem ex his elegerit Dominus: vtrum Wigbertum, an Hildebrandum, vel sui schismatis successorem Sergium, siue illum Ottonem sacrilegum: qui (sicut dictum est supra) furatus est Ecclesiarum priuilegia, ordinationes faciens in alienis parochiis contra sanctorum Canonum decreta, vt eiusmodi sacrilegii exemplo aditus ianuaq; pandatur omnibus hæreticis, si talis fuerit non pastor, sed inuasor Apostolicæ sedis. Qualis certe fur & Hildebrand fuit: quoniam constat, eum oues Christi non in vnum congregasse, sed vnum ouile Christi dissipasse: qui & præcipiens, aut consentiens illicitas atque furtiuas ordinationes fieri in Metropolitanorum Episcoporum parochiis, spoliauit Ecclesias suis priuilegiis. Ideoque iuxta quod per Malachiam Prophetam dicitur à Domino: *Disperdidit Dominus virum, qui fecit hoc, magistrum & discipulum de tabernaculis Iacob, vbi est sanctorum congregatio*: quoniam vnus paulo post, quo venerat profugus, ad Salernam defunctus est in externis mansionibus: & alter nunc vsque vagatur in incertis sedibus. Tales certe vel hæretici vel schismatici insurrexerunt ad exemplum Dathan & Abiron contra sacerdotium Domini. Qualis etiam fuit tertius illorum socius ille Sergius, qui insurrexit contra Clementem Papam, per partium studia subintroductus: atque statim in ipso ordinationis suæ ingressu profluuio ventris solutus paulo post interiit, diuino iudicio percussus. Sic quippe legitur in Ecclesiastica historia, Arrium ad Ecclesiam pergentem, Episcoporum & populorum frequentia constipatum, humanæ necessitatis causa ad secretum locum declinasse: vbi quum sedisset, intestina eius atque omnia viscera in secessus cuniculum defluxisse, & ita dignam mortem blasphemiæ & fœtidæ mentis exoluisse. Vnde constat, eos magis quam Wigbertum consortes esse Arrii, quos constringit similis pœna vel exilii vel supplicii. *Quod enim*, inquiunt, *ipse Wigbertus se transfigurans in angelum lucis, quasi ad docendum testimonia colligit de Scripturis, mirum non est: quia & Arrius hoc fecisse legitur, de quo filius minor patre asseritur.* Sic vero, sic oportet fieri per doctores Ecclesiarum, vt iuxta Psalmistæ testimonium faciant iudicium conscriptum, iungentes testimonio testimonium, quo scilicet iudicio conscripto nihil firmius est contra insidiosos errores aduersariorum: quo etiam nihil tutius est ad exhortationem & doctrinam fidelium. Certe Arrius non vtebatur diuinæ Scripturæ testimoniis: sed abutebatur, iuxta quod & isti faciunt pseudographi: de qualibus per Hieremiam Prophetam dicitur: *Quomodo dicitis, sapientes non sumus, & lex Dei nobiscum est?* Vere mendacium, inquit, operatus est stylus mendax scribarum. Omnis enim arbor ex fructu suo

Sergii exitus.

ctu suo cognoscitur, sicut dicit Dominus. Ergo Wigbertus, qui & Clemens Papa, profert cum Apostolo, & docet ea, quæ sunt fructus spiritus, sicut est charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, & cætera quæcunque pudica, quæcunque amabilia. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? dicit Dominus. Hi sunt fructus, à quibus spiritus maligni, qui in pseudoprophetis loquuntur, valent dinosci, spinæ videlicet schismatum, & horridi hæresium tribuli, quibus eos, qui sibi incaute appropiant, fœde lacerando contaminant: sicut econtra per fragantiam vuarum, ficorumque dulcedinem, apte figurantur fructus bonorum, qui pertinent ad Deum, qui sanctos applicabit sibi, & quos elegerit appropinquabunt ei. Sed (sicut scribit sanctus Gregorius ad supradictum Secundinum, seruum Dei inclusum) Peruersi homines, qui ecclesiasticam disciplinam fugiunt, de suis actibus reprehendi pertimescunt: & nos quasi de fide reprehendunt, quam ipsi nesciunt: & dum neque in fide recti, neque in bonis operibus intenti sunt, cotidie deteriores fiunt, dum in eis culpa grossescit, quæ quasi de zelo feruoris fidei fieri etiam laudabilis appetit. *Sicut enim*, inquiunt, *sanctus pater Benedictus audiuit à Diabolo, Maledicte, & non Benedicte, nec illi nocuit: ita & his Wigberti maledictio non nocebit.*

Velint nolint, iam iudicati sunt, quicunque contra Canones faciunt: & qui contra pacem, quam Christus reliquit nobis, faciunt, & qui vnitatem Ecclesiæ diuidunt. Sed illi exierunt à nobis, non nos ab ipsis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum, sicut dicit Ioannes Apostolus. Vbi enim est charitas, ibi pax: & vbi humilitas, ibi charitas. Humilitas quippe pertinet ad confessionem, quia confitemur nos peccatores esse: charitas autem cooperit multitudinem peccatorum, sicut dicit Iacobus Apostolus. Sed Monachi, de quorum schismatibus atque scripturis tractamus, longe degenerauerunt ab illa, quam professi sunt, beati Benedicti paternitate: qui docent regiæ potestati, immo diuinæ ordinationi resistendum esse, & exaltant se contra pontificatum sedis Apostolicæ: qui etiam se iustos & regulares Monachos esse profitentur, & cœlestes se ac spiritales esse gloriantur, sicut scripta ipsorum attestantur. Certe sanctus Benedictus docet, nihil vtilius esse Monacho quam humilitatem: ostendens ex sacrę scripturæ testimonio, genus esse superbiæ omnem exaltationem. *Omni*, inquit, *vilitate, vel extremitate contentus sit Monachus: & non solum sua lingua pronunciet, sed etiam intimo cordis credat affectu, se inferiorem & viliorem omnibus.* Sed illi nunc Monachi, qualibus certe Pharisæis dicit in Euangelio Dominus: *Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus, Dominus autem nouit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominabile est apud Deum:* illi (inquam) sic docent in synagogis suis, & sic scribunt contra Pontificem Apostolicæ sedis: *Caueto*, inquiunt, *tu ô Christiane, ne Wigberto corde vel ore dixeris vnquam Aue.* Quin immo caue tu ô Christiane, ne vnquam ei dixeris Aue, qui ad te venerit, & doctrinam Christi non attulerit: quoniam qui ei Aue dixerit, communicat operibus illius malignis, sicut Iohannes Apostolus ait. Credite experto, & qui veritatem dicit, Dei testimonium assicite: quia quum eiusmodi genus Monachorum in nostra prouincia aut solum sit, aut primum, eis certe est graue ad audiendum iustitiæ verbum, cum vno Iustitiæ nomine contineātur omnes species virtutum: sed plusquam Euangelium Christi, & mandatum Dei, valent in monasteriis suis consuetudines eorum, quæ sunt mandata hominum. Hinc etiam Cyprianus Episcopus in libro de vnitate catholicæ Ecclesię: *Filij*, inquit, *Aaron, qui imposuerunt altari ignem alienum, quem non præceperat Deus, in conspectu statim Domini vindicantis extincti sunt. Quos imitantur scilicet atque sectantur, qui Dei traditione contempta, alienas doctrinas appetunt, & magisteria humanæ institutionis inducunt. Quos increpat Dominus, & obiurgat in Euangelio suo, dicens: Reiicitis mandatum Dei, vt traditionem vestram statuatis. Peius* (inquit) *hoc crimen est, quam quod admisisse lapsi videntur: qui tamen in pœnitentia criminis constituti, Dominum plenis satisfactionibus deprecantur. Hic Ecclesia quæritur & rogatur, illic Ecclesia impugnatur. Huc potest necessitas fuisse, illic voluntas tenetur in scelere. Hic qui lapsus est, sibi tantum nocuit: illic qui hæreses & schismata facere conatus est, multos secum trahendo decepit: hic*

animæ vnius est damnum, illic periculum plurimorum. Certe peccans hic & intelligit, & lamentatur, & plangit: ille tumens in peccato suo, & in ipsis sibi delectis placens, à matre filios segregat, oues à pastore sollicitat, Dei sacramenta disturbat: & quum lapsus semel peccauerit, ille quotidie peccat. Hæc sunt verba beati Cypriani de cultoribus humanæ traditionis, quorum consuetudines diuersæ quidem sunt in diuersis locis: sed quicquid diuersum est, hoc vtique verum non est. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Igitur vtilis est Scriptura, cum absque patre non profertur, cum absque Christo non dicitur, cum sine Spiritu sancto non assumatur: alioqui (sicut Hieronymus ait) Diabolus est, qui de scripturis loquitur. Quum enim immundus spiritus exierit ab homine, scilicet tempore baptismatis, ambulat per loca inaquosa: explorans ipse callidus insidiator, si quos suæ malitiæ gressus figere possit in cordibus fidelium, quæ iam expurgata sunt à mollitie fluxæ cogitationis. Sed quærens requiem, & non inueniens in mentibus fidelium munitis vndique ex mandatis Domini: *Reuertar*, ait, *in domum meam, vnde exiui: & quum venerit, inuenit eam scopis mundatam*, gratia scilicet baptismatis à peccatorum labe castigatam, sed nulla boni operis industria cumulatam: quia vbi non est iustitia, ibi non est virtus aliqua. Quam domum etiam vacantem inuenit, à bonis scilicet actibus per negligentiam: ornatam autem simulatis virtutibus per hypocrisin: & tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Per septem malos spiritus vniuersa vitia designantur: ideoque recte nequiores tunc cum ingressi spiritus dicuntur, quia non solum illa septem vitia, quæ septem spiritualibus virtutibus sunt contraria, habebit: sed & per hypocrisin ipsas se virtutes habere simulabit. *Et fiunt*, inquit Dominus, *nouissima hominis illius peiora prioribus.* Ecce enim ipsi se iustos & regulares esse monachos profitentur, qui etiam simulacra peruersorum dogmatum colunt & venerantur, quæ conflauit Diabolus in officina & domo illa, quæ vacat à septem spiritualibus virtutibus, & diuinis sacramentis, de quibus dicit Psalmista: *Quoniam eloquia Domini, eloquia casta, septuplo sunt purgata*: per timorem scilicet Domini, per pietatem, per scientiam, per fortitudinem, per consilium, per intellectum, per sapientiam, vt exinde constet vni & septiformi Ecclesiæ non alia recipienda esse eloquia, nisi septempliciter purgata atque probata. Vnde & sanctus Benedictus: *Constituenda est*, inquit, *nobis Dominici schola seruitij, in qua institutione nihil asperum, nihil graue constituturos speramus: sed & si quid paululum districtius dictante æquitatis ratione propter emendationem vitiorum, vel conuersationem charitas processerit, non ilico pauore perterritus refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda: processu vero conuersationis & fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei: vt ab ipsius nunquam magisterio discedentes, in eius doctrina vsque ad mortem in monasterio perseuerantes, passionibus Christi per patientiam participemur, vt regni eius mereamur esse consortes.* Ex his vel paucis verbis poterit considerari, quam spiritualis sit institutio atque doctrina beatissimi Benedicti: qui docet inter cætera, alumnos suos passionibus Christi per patientiam participari: qui quum in forma Dei esset, humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: cuius scilicet mortificationis exemplum vel indicium est renunciare mundo, & actibus eius, ac desideriis. Quia ipse dicit Dominus: *Qui non accipit*, inquiens, *crucem, & sequitur me, non est me dignus.* Et quod docet ipse pater Benedictus, conuersantes in schola seruitii diuini non debere vnquam discedere à magisterio Christi, hoc est, quod dicit Iacobus Apostolus: *Nolite*, inquiens, *plures magistri fieri, fratres mei, quoniam maius iudicium sumitis: nisi dicatis idipsum omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* Sed in monasteriis, vbi ad conuersionem veniunt, vsque ad mortem perseuerare monachos & regula eiusdem patris Benedicti instituit, & Chalcedonensis Synodus sub anathematis interpositione decreuit: nisi forte fuerint quæsiti à ciuitatis Episcopo propter causam necessariam Ecclesiæ, iuxta quod constitutum esse videtur in decretis Syricii Papæ: *Monachos*, inquit, *quos tamen morum grauitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregari & optamus & volumus: ita vt qui intra trigesimum ætatis annum*

sunt,

sunt, in minoribus per gradus singulos crescente tempore prouehantur ordinibus, & sic ad diaconatus vel presbyterij insignia maturæ ætatis consecratione perueniant: nec statim saltu ascendant, nisi in his, quæ singulis dignitatibus præfixa sunt, tempora fuerint custodita. At nunc omnia recta peruertuntur, & Monachi quoque terminos patrum transgrediuntur, & absque licentia proprii Episcopi ingrediuntur: immo inuadunt parochias alterius Episcopi: quales dicuntur circumcelliones, iuxta sententiam beati Augustini, vbi exponit verba Psalterii: *Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Quem scilicet dulcem sonum, & dulcem charitatem, & dulcem melodiam dicit monasteria peperisse, & inde Monachos appellatos fuisse. *Quia enim*, inquit, *sic viuunt in vnum, vt vnum hominem faciant, & sit in illis (quomodo scriptum est) anima vna & cor vnum, multa quidem corpora, sed non multa corda: recte dicitur monos, id est, vnus, solus, quod interpretatur monachus.* Et idem Augustinus in tractatu Euangelii de fure & latrone, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde: *Sunt*, inquit, *quidam homines, qui in suis gloriantur moribus, & alios post se trahere quærunt: non de Christi præceptis instruentes suos sectatores, sed suis exemplis viuere eos suadentes.* De quibus alio loco ipsa veritas ait: *Docentes doctrinas hominum, & mandata Dei contemnentes*, qui per aliam partem ascendere quærunt, rapere & occidere, non vt pastor saluare & conseruare. Hinc & per Hieremiam Prophetam Dominus ait: *Grex*, inquiens, *perditus factus est populus meus, pastores eos seduxerunt fecerunt q; vagari in montibus. Omnes qui inuenerunt, comederunt eos: & hostes eorum dixerunt, Non peccauimus, pro eo quod peccauerunt Domino, hæc passi sunt, & hæc fecimus.* Hoc ipsum certe opprobrium, quod hostes Hierusalem, & ciues Babyloniæ aliquando dixerunt: hoc etiam in se transtulerunt, qui nunc iuxta eiusdem Prophetæ vaticinium assumptiones falsas & iectiones viderunt. *Non peccauimus*, inquiunt, *pro eo quod peccauerunt Domino, hæc passi sunt.* Sed si dixerimus (ait Iohannes Apostolus) quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Vnde Augustinus Episcopus: *Vbi est*, inquit, *charitas, ibi pax: & vbi humilitas, ibi charitas. Humilitas quippe pertinet ad confessionem, quia confitemur nos peccatores esse: charitas autem cooperit multitudinem peccatorum.* Et iterum: *Signent se omnes signo crucis Christi, respondeant omnes Amen: cantent omnes Alleluia, baptizentur omnes, intrent Ecclesiam, faciant parietes basilicarum: non discernuntur filij Dei & filij Diaboli, nisi charitate.* Hic est enim character ille, quo signati sumus in diem redemptionis nostræ: quia Dei diffusa est charitas in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: quo scilicet spiritu promissionis sancto (sicut ait Apostolus) signati estis. Sed qui acceperant characterem bestiæ, & adorant imaginem eius, missi sunt in stagnum ignis & sulphuris, vbi est bestia & pseudoprophetæ, & cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum: sicut dicitur in Apocalypsi per Iohannem Apostolum. Igitur filii Dei & filii Diaboli discernuntur charitate, ex qua contingit membrorum vnitatem concordare: vt si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: & si gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Sed qui assumptiones falsas & iectiones viderunt, *Non peccauimus*, inquiunt, *quia pro eo quod peccauerunt Domino, hæc passi sunt.* Hęc sunt verba eorum, qui pertinent ad Babylonem, ad terrenam scilicet ciuitatem, qui sunt aduersarii & hostes Hierusalem, quę interpretatur visio pacis: cuius aduersarius est quoque, atque hostis Rex Babylonis: qui vtpote gerens mysterium Diaboli, principis huius mundi, erexit sibi statuam contra Deum cœli, vt adorent eum omnes, qui non pertinent ad ciuitatem Dei: quales etiam sunt cultores peruersorum dogmatum, quæ sunt doctrinæ & mandata hominum: quibus vtpote venientibus contra doctrinam Christi, non est Aue dicendum, ne communicetur malignis operibus eorum.

Sed neq; hoc prætereundum, inquiunt, *quod Wigbertus se seruum seruorũ Dei nominat mentiendo: sanctam vero matrẽ Ecclesiam, id est, filios Dei, qui spiritu Dei aguntur, quorum conuersatio in cœlis est, synagogam Satanæ appellat.* Ergo qui sunt pacifici, hi dicuntur à Domino filii Dei: & qui charitatem habent, hi spiritum Dei habent. Nam in exordio nascentis Ecclesiæ, venit Spiritus sanctus super credentes, & loque-

bantur linguis: nunc autem, quia exterioribus signis sancta Ecclesia non indiget, quicunque credens in nomine Iesu Christi, fraternam habuerit charitatem, Spiritui sancto in se manenti testimonium perhibet, iuxta quod Iohannes Apostolus docet: *In hoc*, inquiens, *scimus, quoniam Deus manet in nobis, in spiritu quem dedit nobis.* Hoc enim agit spiritus in homine, vt in illo sit charitas: quoniam charitas (inquit Paulus) diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Verum quoniam multi charitatem non habentes, & vnitatem Ecclesiæ peruerso dogmate scindentes, nihilo minus Spiritum sanctum in se esse contendunt, recte super his sequentia sancti Ioannis verba nos instruunt: *Charissimi*, inquit, *nolite omni spiritui credere*: sed probate spiritus, si ex Deo sunt: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. A fructibus eorum cognoscetis eos, dicit Dominus. Ecce enim summus Pontifex sedis Apostolicæ arguitur mendacii, quia humilians se in omnibus, appellat se Seruum seruorum Dei: quod legitur beatus Papa Gregorius primus omnium in principio Epistolarum suarum scribendo, satis humiliter definisse, cunctisque suis successoribus documentum hoc suæ humilitatis dereliquisse. Sic vero, sic sancti omnes per humilitatem ascenderunt ad exaltationem illam cœlestem, de qua cecidit ille apostata Angelus per superbiam, qui dixit in corde suo: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum in monte Testamenti lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* Quam scilicet Sathanæ altitudinem imitantur hi, qui sunt ex parte illius, quorum finis interitus. De quibus & Psalmista loquitur: *Deiecisti eos*, inquiens, *dum extollerentur.* Postquam enim moti sunt homines ab Oriente, & recesserunt à vero lumine, tunc aduersus Deum impietatis suæ turrim ædificauerunt, tunc dogmatum superbias confinxerunt, curiositate volentes non licita in ipsius cœli alta penetrare: & vocatus est locus ille Babel, id est, confusio: quale mysterium iniquitatis nunc operatur per quosdam, qui dicuntur Monachi, confundentes Ecclesiam pariter, & Rempublicam peruerso dogmate suo: qui aduersantur, & extollunt se aduersus regiam potestatem, & aduersus Apostolicam sedem: putantes legitimum non esse regnum, nisi quod per scelus fuerit quæsitum: nec idoneum esse Romanæ Ecclesiæ Episcopum, nisi per quem pandatur omnibus hæreticis ianua & introitus in ouile Dominicum. Nouimus quidem domesticam institutionem eiusmodi Monachorum, quam vere possumus assimilare siliquis porcorum, de quibus non potuit ille saturari, quem dicit in Euangelio Dominus adhæsisse vni de principibus huius seculi: postquam dissipauit portionem paternæ substantiæ, tradens naturale ingenium luxui atque delidiæ: quum ad imaginem Dei factus sit homo, in intellectu scilicet, in mente, in interiore homine, in eo quod intelligit veritatem, diiudicat iustitiam & iniustitiam, nouit à quo factus est, potest intelligere creatorem suum, laudare creatorem suum: quam scilicet intelligentiam habet, qui prudentiam habet: alioqui pater mendacii Diabolus aufert à cordibus hominum Dei veritatem, aufert Dei imaginem, & imprimit apostasiæ suæ & mendacii imaginem. Quum enim à cæteris animantibus per hoc maxime differamus, quod rationale animal sumus, & loqui possumus: ratio autem omnis & sermo, diuinis libris continetur, per quos & Deum discimus, & quare creati simus non ignoramus: mirandum est valde, quod nolunt aliqui, præcipue autem Monachi, quæ præclara sunt discere, qui ne pueros quidem vel adolescentes permittunt in monasteriis habere studium salutaris scientiæ, vt scilicet rude ingenium nutriatur siliquis dæmoniorum, quæ sunt consuetudines humanarum traditionum, vt eiusmodi spurcitiis assuefacti non possint gustare quam suauis est Dominus, qui dicit in Euangelio de talibus: *Væ vobis scribæ & pharisæi, hypocritæ, qui tulistis clauem scientiæ: vos enim*, inquit, *non intratis, nec sinitis introeuntes intrare.* Igitur ignoratio diuinarum Scripturarum, ignoratio est Christi, qui dicitur virtus Dei, & sapientia Dei. Vnde & per Isaiam Prophetam dicit Dominus: *Eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est à me, & timuerunt mandato hominum me, & doctrinis: ideo ego ecce addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo. Peribit enim*, inquit, *sapientia à sapientibus eius,*

Monastica schola institutio.

eius, & intellectus prudentium eius abscondetur. Ecce enim, quod pro exercitio & industria naturalis ingenii apud paganos olim iniustum & turpe videbatur, hoc nunc apud Monachos pro iustitia & sanctitate tenetur & colitur: sicut sunt descriptæ apud eos consuetudines, & laxæ vestes. Vnde & Quintilianus in primo libro de Institutione orat: *Consuetudo*, inquit, *si ex eo, quod plures faciunt, nomen accipiat, periculosissimum dabit præceptum, non orationi modo, sed quod maius est, vitæ.* Vt ergo transeam, inquit, quemadmodum vulgo imperiti loquuntur, consuetudinem sermonis vocabo consensum eruditorum: sicut viuendi, consensum bonorum. Hinc & Tullius in Rhetoricis: *Consuetudo*, ait, *ius est absque lege, hoc est, absque scripto: quia lex dicitur à legendo.* Moyses vero primus diuinas leges sacris literis explicuit, & populo Dei seruandas contradidit. Nam omne ius legibus constat, & moribus. Sed sicut Isidorus Episcopus scribit in libris Etymologiarum: *Lex est constitutio scripta, & mos est vetustate probata consuetudo non scripta.* Plenitudo autem legis est charitas, quia per sacram Scripturam cognoscit homo quid sit, & vnde sit, & quomodo sit, & ad quid vel quo peruenturus sit. Cognoscit etiam per sacræ Scripturæ scientiam beneficia Dei, gratiam Dei, dona Dei: vt perinde possit debitas gratiarum actiones referre suo creatori, suo redemptori atque saluatori. Vnde & ipsa Dei sapientia loquitur per Salomonem: *Sapientiam*, inquiens, *& disciplinam qui abiicit, infelix est: & vacua est spes illorum in perpetuum, & labores eorum sine fructu, & inhabilia sunt opera illorum.* Sicut enim scribit sanctus Augustinus, Deus mundum propter exercitium fecit, & omnibus copiis honestauit, duas proponens causas, præsentem & futuram, cœlestem & terrenam, vt ad probationem essent hominum: vt qui spreta futura vita præsentem eligeret, carni deputaretur: qui vero præsenti futuram anteponeret, spiritalibus dignus haberetur. Sed carnales delicias spiritualibus præferunt, qui naturale ingenium otio & desidia torpescere sinunt, qui etiam Euangelio Dei propter suas traditiones non obaudiunt. *Attendite*, inquit, *à fermento Pharisæorum* (quod est hypocrisis) *qui dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias, & ne induamini duabus tunicis*: quia vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. Christus vero simplicitatem columbæ nos habere docuit: qui glorioſam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, sibi exhibuit: id est, quæ per peccatum non habeat maculam, vel per duplicitatem rugam. Vnde & Cyprianus Episcopus, ostendens in libro de Vnitate catholicæ Ecclesiæ, iccirco in columbæ specie Spiritum S. venisse, vt debeamus in domo Dei, in Ecclesia Christi vnanimes habitare, concordes & simplices perseuerare: *Hæc est*, inquit, *Ecclesia, noscenda simplicitas, & obtinenda, vt columbas dilectio imitetur fraternitatis, vt mansuetudo & lenitas aquetur equibus & agnis. Quid facit in pectore Christiano luporum feritas, & canum rabies, & venenum lethale serpentium, & cruenta sæuitia bestiarum? Gratulandum est*, inquit, *quum tales de Ecclesia separantur, ne columbas, ne oues Christi, sæua sua & venenata contagione prædentur. Cohærere & coniungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pugna cum pace, tempestas cum tranquillitate. Nemo existimet bonos de Ecclesia posse discedere: sed qui iactantur, sicut inanes paleæ tempestate: quorum peruersa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet vnitatem.* Ergo longum est inter Monachos certamen atque discordia de veste monachica, & apud eos, qui religioſiores videntur pro sua iactantia: apud eos (inquam) tam solenne est & celebre, tamque sanctum & venerabile nomen, quod est duplex vestis, vt reliqui per monasteria Monachi nullius meriti vel momenti æstimentur ab eis, nisi induantur hac dyploide confusionis. Sed *duabus*, inquit Dominus, *tunicis ne induamini: & habentes victum, & quibus tegamini, his estote contenti.* Contra hæc etiam diuina mandata affectant laxas vestes, qui sunt sibi in hoc quoque placentes: quum superbi, secundum Scripturas sanctas, alio nomine appellentur sibi placentes. Sed per naturale ingenium, quo illi minus sapiunt, intellexit Lucanus quidam gentilis poeta, quod laxæ vestes prætendant teporem quendam, & mollitiem eorum, qui desides ac pigri videntur ad virtutum exercitia:

Quicquid ad hos, inquit, *tractus, mundiq; teporem*

Labitur, emollit gentes clementia cæli:
Illic & laxas veſtes, & fluxa virorum
Velamenta vides.

Sed ſanctiſſimus pater Benedictus, deſcribens quatuor genera Monachorum: *Tertium*, inquit, *Monachorum teterrimum genus eſt Sarabaitarum: id eſt, ſibi viuentium, qui nulla regula approbati, experientia magiſtra, ſicut aurum in fornace, ſed in plumbi naturam molliti, adhuc operibus ſeruantes ſeculo fidem, mentiri Deo per tonſuram noſcuntur: quibus pro lege eſt deſideriorum voluptas, quum quicquid putauerint vel elegerint, hoc dicant ſanctum: & quod noluerint, hoc putent non licere.* Vnde & per Solomonem dicitur: *Sunt impij, qui ita ſecuri ſunt, quaſi iuſtorum facta habeant.* Sed vos, qui ſequuti eſtis me (ait Dominus) intrate per anguſtam portam: quia lata porta & ſpacioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quam anguſta, inquit, porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam. Ad hanc vero, quia difficilis eſt aſcenſus, ideo etiam ſanctus Hieronymus inter alia inſtitutionis monita proponit Monacho myſterium ſui habitus: *Vis*, inquiens, *ſcire, quales Dominus quærat ornatus? habeto prudentiam, iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem. His*, inquit, *cæli plagis includere: hæc te quadriga in altum, velut aurigam Chriſti, ad metam concitum ferat.* Ergo ſancti Patres, qui vere erant Monachi, non verbis, ſed factis ita conſtituerunt & tenuerunt modum atque regulam monaſticæ veſtis, vt eſſet ad ædificationem ea vtentibus, & ad venerationem foris eam aſpicientibus. Vnde ſicut egregius vir Caſſianus ſcribit in quarto libro de Inſtitutis Monachorum: quidam de ſanctis Patribus ita inſtituit inter cætera quendam venientem ad conuerſionis ſtudium: *Noueris*, inquit, *te ab hodierno die huic mundo, & actibus ac deſideriis eius, eſſe defunctum, teque ſecundum Apoſtolum mundo huic eſſe crucifixum, tibique hunc mundum: conſidera ergo conditiones crucis, ſub huius te deinceps ſacramento oportet in hac luce verſari: quia iam tu non vines, ſed viuet in te, qui crucifixus eſt pro te. Eo ergo*, inquit, *habitu ac figura, qua pro nobis in patibulo fuit ille ſuſpenſus, nos quoque neceſſe eſt in hac vita degere: vt ſcilicet ſecundum Dauid affligentes de timore Domini carnes noſtras, vniuerſas voluntates ac deſideria non noſtræ concupiſcentiæ ſeruientia, ſed mortificationi eius habeamus affixa.* Vnde & Monachorum pater Benedictus, docens quomodo oporteat renunciantes ſeculo conuerſari in ſchola diuini ſeruitii: *Paſſionibus*, inquit, *Chriſti per patientiam participemur, vt regni eius conſortes eſſe mereamur.* Igitur Cuculla, quæ minor cella interpretatur, atque ideo ſicut Monachus eſt vocabulum quoddam myſterii: ſic & cuculla eſt quædam virtus ſacramenti, ſuper qualem ſcilicet ſpiritualem habitum legitur quidam de ſanctis Patribus vidiſſe eandem virtutem ſtare, quam vidit ſuper baptiſmum ſtare. Cuculla autem, id eſt, minor cella, dicitur veſtis cucullata propter cucullum, qui eſt capitis operimentum. De quo ſic ſcribit quidam de antiquis poetarum:

Cuculla.

Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Igitur cuculla eſt tunica talaris, & cucullata atque manicata, habens ſpeciem crucis per quatuor partes extenſæ, vt eum qui crucifixus eſt mundo, hęc quadriga ex omni parte concludat, atq; perducat ad cœleſtia, ſcilicet prudentia, iuſtitia, fortitudo, atq; temperantia, ita vt prudentia deſurſum copulata ſit cum iuſtitia, quarũ neutra poteſt eſſe ſine altera: duæ vero altrinſecus virtutes, id eſt, fortitudo atque temperantia, ſic ſunt cognatæ prioribus, atq; coniunctæ, vt dum dextra contendit imbecillitatem infirmorum ſuſtinere, ſiniſtra contemperata ſit, & ſollicita ordinem, modum atque opportunitatem rebus ſingulis reſeruare. Hæc iuxta ſententiam beati Hieronymi & ornamento ſunt, & munimento, quo ſcilicet monili nihil eſt (inquit) pretioſius, nihil ea gemmarum varietate diſtinctius, quando ex omni parte decoraris, cingeris, atque protegeris. Vnde & docet liber Eccleſiaſticus: *Quoniam beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & qui in iuſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei, ſtatuit caſulam ſiue cucullam ad manus illius, & ſtatuit ſimul filios ſuos ſub tegmine illius, vt requieſcant bona per ævum in caſula, ſiue in cuculla eius.* Sicut enim ſcribit Iſidorus Epiſcopus in lib. xix. Etymologiarũ: *Caſula eſt veſtis*

cucullata

cucullata dicta per diminutionem à casa, eo quod totum hominem tegat, quasi minor casa: inde & cuculla, inquit, *quasi minor cella.* Scribit autem Monachorum pater Benedictus: *Sufficere*, inquiens, *credimus Monachis per singulos cucullam, & tunicam, & scapulare propter opera.* Ecce primo facit generalem super veste Monachi descriptionem. Ac deinde infert numerum, & qualitatem: *Sufficit enim*, inquit, *Monacho duas cucullas habere, & duas tunicas, propter noctes, & propter lauare, & ipsas res.* Tunica quippe cum sit vestis diuersarum formarum, siue fuerit linea, siue lanea, siue pellicea, atque alia eiusmodi plurima: hic dicitur certe talis tunica, qualis est camisia: quarum duæ à sancto Benedicto propterea vnicuique Monacho permittuntur, non vt simul portentur, sed vt vicissim induantur: vt dum vna lauatur, quod est lauare ipsas res, altera in vsu habeatur, & idcirco contra præceptum Domini, vel aliorum sanctorum Patrum, ipse pater Benedictus nihil docuisse vel constituisse probatur. Quod autem constituit propter noctes etiam tales tunicas haberi, inde est, quod in alio regulæ suæ capitulo præcipit, vt Monachi dormiant vestiti, & cingulis præcincti: quoniam camisia solet præcingi. Cama enim, vnde dicitur camisia, est breuis lectus, sicut in XX. libro Etymologiarum scribit Isidorus Episcopus. Et supra in XIX. libro: *Camisiæ*, inquit, *vocãtur, quia in his dormimus in camis, id est, in stratis nostris.* Cæterum Basilius Episcopus scribit in regula sua de institutione Monachorum: *Cum autem duas tunicas habere prohibeat sermo diuinus, quomodo potest hoc suscipi? nihil inde possumus dicere, cum manifesta diffinitione descriptum sit, in qua dicitur: Qui habet duas tunicas, det non habenti, ex quo sine dubio plurimos habere illicitum est. Quibus ergo habere duas tunicas non licet, his quomodo aliquid de diuersitate indumentorum præcipi potest? Quæ autem*, inquit, *postmodum introducta sunt humanæ vitæ artificiis, luxuriæ ingenio sunt conquisita.* Legitur enim in Ecclesiastica historia, quod Montanus quidam hæreticus duplicis vestimenti author extiterit, & quod sectatores eius initium sumpserint ex imperitia. Et quum præceperit Dominus duas tunicas non portari, nec vestiri ambitione pharisaica, eos omnia agere contraria, & ea simul acquirere & congregare, quæ Dominus etiam habentes iubet abiicere. Proinde etiam ait in Euangelio Dominus: *Qui non baiulat*, inquiens, *crucem suam, & venit, non potest meus esse discipulus.* Crux quippe Domini non illa tantum dicitur, quæ passionis tempore ligni affixione construitur: sed illa, quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur. Vnde & in signo crucis describitur non solum tota Monachi vita, & institutio: sed omnis Christiana actio, bene operari in Christo, & ei perseueranter inhærere, cœlestia sperare, sacramenta non prophanare: vt (sicut ait Apostolus) in charitate radicati & fundati, possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum: id est, crucem Domini, cuius latitudo dicitur in transuerso ligno, quo extenduntur manus: longitudo à terra vsque ad latitudinem ipsam, quo à manibus & infra totum corpus affigitur: altitudo de latitudine sursum vsque ad summum, quo adhæret caput: profundum vero, quo terræ infixum absconditur. Ergo (sicut dictum est) cuculla est tunica talaris, & cucullata, atque manicata, vbi quasi per quendam pædagogum docentur superius comprehensa sanctæ crucis mysteria, vt in altitudine sit charitas bene operandi, in longitudine perseuerantia firmiter inhærendi, in altitudine contemplatio cœlestis vitæ, inscrutabilia in profundo Dei iudicia, vnde ista in homines venit gratia. Sicut enim Monachus est vocabulum quoddam mysterii: sic & cuculla est quædam virtus sacramenti: quale scilicet vestimentum sic metitur in regula sua sanctus Basilius Episcopus, iuxta doctrinam & præceptum Apostoli, vt nec breuius sit, nec grandius, quam ad staturam Monachi. Quam certe sententiam confirmat sanctus pater Benedictus Abbas, inquiens: *Prouideat de mensura, vt non sint curta ipsa vestimenta vtentibus ea, sed mensurata.* Nam sanctus Augustinus Episcopus scribit in libro de beata vita: *Modus*, inquiens, *vbique seruandus est, vbique amandus, si vobis cordi est ad Deum reditus. Modus enim animi est sapientia, quæ & Dei est sapientia: id est, Christus: qui etiam cum veritas sit, neque veritas*, inquit, *sine modo, neque modus sine veritate vnquam fuit, & ideo verum omne, quod loquimur, Dei esse probatur.* Vnde & Dominus

excitans in nobis intellectum, vbi homo ad imaginem Dei factus est: *Estote*, inquit, *perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est.* Omnia enim in mensura, & numero, & pondere creauit Deus. Optimus est autem in omni re modus, & laudabilis vbique mensura: sed in bonis quoq; rebus quicquid modum excesserit, vitium est, sicut Hieronymus ait. Per consuetudinem autem turpe cœpit nõ videri, quod est turpe: quia recedit pudor blandiente consuetudine. Ideoque pro virtutibus ducuntur ea, quę sunt vitiosa, & pro honestate, quę sunt inhonesta: quæ omnia peccatores & apostatę Angeli suis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia deuoluti, à cœlesti iugo recesserunt. Ergo templum & altare, & adorantes in eo mensurantur, sicut in libro Apocalypsis legitur: atrium autem, quod foris templũ est, eiici foras iubetur, vt non metiatur. Latitudo quippe præsentis vitæ per atrium significatur: atq; ideo metiendi non sunt, qui foris templum sunt, qui per atrium designantur: quia angusta porta est, quæ ducit ad vitam: & latitudo vitæ prauorum non admittitur ad mensuras & regulas electorum. Vnde etiam prȩcepit in Euangelio Dominus, constitutos in agro & operatione virtutum, non reuerti retro, vel aliquid de domo pristinæ conuersationis tollere: & ne alteram quidem tunicam tollere, quam Apostoli prohibentur habere. Sed quia ociositas inimica est animæ: ideo propter opera tantum constituit sanctus Benedictus alteram cucullam, quæ dicitur scapulare: eo quod eiusmodi vestis apta sit caput tantum & scapulas tegere. Sic enim scribit & docet beatus Basilius in regula sua de Institutione Monachorum: *Reuera*, inquiens, *necessarium videtur, eum qui manuum opere vti in aliquo debet, expeditum esse, & in omnibus præparatum: ac sine vllo impedimento inueniri ad omne boni operis ministerium.* Vidimus nos aliquando vestem cucullatam, paruam quidem: sed ita moderatam, vt desuper vsque ad renes tantum deflueret, & vtrinque vsque ad humerorum confinia pertingeret: qualis certe forma atque mensura proprie dicitur scapulare, quod Monachis propter opera tantum assignatur ex mandato regulæ: quia ibi exprimitur vtrinque, vt & Monachus singularitatis suæ custodiam per vestem cucullatam attendat: & per breuitatem eius simul & per brachiorum nuditatem magis explicitus & impiger ad opera fiat. Rara autem est nunc apud Monachos, & inusitata eiusmodi vestis: quia pauci, aut omnino nulli istius temporis Monachi student more Patrum labori aũt exercitio operis: quum apud antiquos patres fuerit vsitatum, vt nullum susciperent in consortium suum, nisi probatus hoc meruerit per operis exercitium: quod orationum studia, atque lectionum præcipue valent contra impugnationes vitiorum.

Sarabaita. Vnde & Sarabaitas, hoc est, sibi viuentes, appellat sanctus Benedictus tertium genus Monachorum: *quoniam nulla*, inquit, *regula approbati experientia magistra, sicut aurum in fornace, sed in plumbi naturam molliti adhuc operibus seruantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur: quibus pro lege est desideriorum voluptas: cum quicquid putauerint vel elegerint, hoc dicant sanctum: & quod noluerint, hoc putant non licere.* Hinc beatus Hieronymus scribit ad sacram virginem Eustochium: *Tria*, inquiens, *sunt genera Monachorum, ex quibus tertium est deterrimum, atque neglectum, & quod in nostra prouincia aut solum est, aut primum: apud quos*, inquit, *affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis grossior, crebra suspiria, detractio clericorum: & siquando dies festus venerit, saturantur ad vomitum. Sed quia sciunt Monachorum nomen glorioſum, sub ouium pellibus lupos tegunt, Christum mentitur Antichristus: & turpitudinem*, inquit, *vitæ falso nominis honore conuestiunt: qui etiam dum erubescunt pro Christo glorioſam cum Apostolo suscipere nuditatem, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli, & desideria multa & inutilia & noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.*

Considerandа sunt hæc, quæ sancti Patres conscribunt super eo genere Monachorum, quod nunc in nostra quoq; prouincia aut primum est, aut solum: quales etiam in publicum iam emerserunt exitium, concitantes regnum aduersus regnum: qui non ab Apostolica sede quidem abstinuerunt, sed multa contra eam gesserunt, scripserunt, & docuerunt: ideoq; etiam à catholica Ecclesia apostataue-runt, qui in cathedra pestilentiæ sederunt, & supra altitudinem nubium sedem

suam

ſuam poſuerunt: quale ſcilicet myſterium iniquitatis prætendunt in veſte ſua, vtentes capitio tunicæ pro cuculla, quæ dicitur minor cella, & habet ſpeciem crucis, ſicut dictum eſt ſupra. Vnde & beatus Iob, qui interpretatur dolens, & tenet typum vel Chriſti, vel Eccleſiæ, conqueritur ſe circumdari multitudine hæreticorum, quales ſunt fabricatores mendacii, & cultores peruerſorum dogmatum: *In multitudine*, inquit, *eorum conſumitur veſtimentum meum, & quaſi capitio tunicæ ſic cinxerunt me.* Tunicæ vero capitium circumdat induentis collum: collum autem, ſi ſtringitur, vocis vſus & vitalis flatus necatur. Corpus ergo Eccleſiæ quaſi capitio tunicæ cingunt, qui conſtrictis doctrinæ ſalutaris prædicatoribus, velut eius collum prementes, in ea claudere iter vocis volunt: quale ſcilicet myſterium iniquitatis prætendunt plures Monachi in veſte ſua, per quos fiunt, & facta ſunt ſchiſmata atque hæreſes in Eccleſia: qui etiam à matre filios ſegregant, oues à paſtore ſollicitant, Dei ſacramenta diſturbant: qui etiam Dei traditione contempta, alienas doctrinas appetunt, & magiſteria humanæ inſtitutionis inducunt. Qualem ſcilicet conſuetudinem ſolent defendere ac roborare per ſancti patris Benedicti teſtimonium, quo dicit peregrinum quemque Monachum conſuetudine loci, quam inuenerit, ſimpliciter fore contentum. Sed neceſſe eſt ex ipſius patris ſententia diſcernere, quid voluerit peregrinum aliquem Monachum, vtpote adhuc incognitum, & forte rudem atque indiſciplinatum, tenere in conſuetudinis propoſitione: cum idem pater adprime eruditus diuina lege, & ſatis exercitatus ſtudio moralis ſcientiæ, videatur conſentire cum cæteris doctoribus, qui dicunt morem eſſe conſenſum omnium ſimul habitantium, qui inueteratus conſuetudinem facit: ſicut eſt, aſſurgere maioribus, & vultum atque inceſſum & ſermonem atque habitum ita moderari ac gerere, vt honeſtas naturæ perpendatur ex morum probitate. Nam ipſe pater Benedictus teſtatur, ſe regulam deſcripſiſſe, vt hanc (inquit) obſeruantes in monaſteriis, diſcant aliquatenus vel honeſtatem morum, aut initium conuerſationis tenere: cæterum poſſe eos, qui ad perfectionem conuerſationis feſtinãt, per doctrinas ſanctorum patrum, & per inſtituta eorum ad celſitudinem perfectionis venire, cum ſermo diuinus, & autoritas veteris ac noui Teſtamẽti rectiſſima ſit norma vitæ humanæ. Ideoq; (ait) nihil debet Abbas extra præceptum Domini q; ſit, aut docere, aut cõſtituere, vel iubere: ſed iuſſio eius, vel doctrina vt fermentũ diuinæ iuſtitiæ in diſcipulorũ mẽtibus cõſpergatur. *Oportet autem*, inquit, *Abbatem eſſe doctum lege diuina, vt ſit vnde proferat noua & vetera.* Sicut enim dicit Dominus per Ieremiam Prophetam: *Stultus eſt omnis homo à ſcientia, & opera eorum vana ſunt, & riſu digna.* Ergo licet Moyſes ſit, licet Petrus, aut Paulus ſit, in nihilum deputabitur cuncta eorum abſq; Deo ſapientia: à quo eſt omnis modus, omnis ſpes, omnis ordo, omnis ſpecies, & omnis iuſtitia. Sed conualeſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex apud eos eſt cuſtoditus: de qualibus ſcribit Caſſianus ad Caſtorem Epiſcopum in libris de Regulis Monachorum, & inſtitutionibus: *Multi*, inquit, *per diuerſas regiones pro arbitrio ſuo habentes quidem (vt Apoſtolus ait) zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, diuerſos modos ac regulas ſibimet conſtituerunt, & tot propemodum regulæ ſunt vſurpatæ, quot etiam monaſteria, cellaq; conſtructæ ſunt. Ideoq; conſtat has diuerſitates per prouincias vſurpatas eſſe, quia nec dum ſeniorum inſtitutionibus eruditi, neſcientes quidem ordinem diſciplinæ monaſteriis præeſſe, feſtinant, & abbates antequam diſcipuli, quod libitum fuerit, obſeruari decernunt, promptiores ſuorum inuentorum exigere cuſtodiam, quam examinatam maiorum ſeruare doctrinam. Super hac re*, inquit, *viri & vita nobiles, & ſermone ſcientiaq; præclari multa iam opuſcula deſudarunt*: S. Baſiliũ & Hieronymũ dico, aliosq; nonnullos, quorũ tenor ſciſcitãtibus fratribus ſuper diuerſis inſtitutis vel quæſtionibus, non ſolum facundia, verumetiam diuinarum ſcripturarum teſtimoniis, copioſo ſermone reſpondet. Vnde & legitur in Eccleſiaſtica hiſtoria, de priorum patrum temporibus, quomodo reſtiterunt lupis gregi Dominico inſidiantibus, qui nunc plus abundant iſtis nouiſſimis diebus. Igitur hæreticis, inquit, per omnem locum zizaniorum modo pura verbi Dei ſemina iaculantibus, & areas Apoſtolicæ doctrinæ adulterina admiſtione polluentibus, ex omni parte ſacerdotes Domini,

velut vigilantes agricolæ, excutere & expurgare eorum mala semina nitebantur: & tanquam solliciti pastores, insidiantes lupos gregibus Christi, clamoribus simul insectationibusque repellere, commonendo fratres, instruendo, scribendo etiam longe positis, ipsos, sicubi coram deprehendissent, in communi perurgendo, & verborum luctamine, ac disputationum certamine prosternēdo, alii etiam posteris consulendo, quæstiones eorum & peruersas obiectiones editis commentariis confutando. Hinc etiam sanctus Leo Papa: *Non est*, inquit, *omnino ferendum, sed profanis erroribus etiam quorundam sacerdotum corda consentiunt, vel (vt mitius dixerim) non resistunt. Qua conscientia honorem sibi sacerdotij præstitum vendicant, qui pro animabus sibi creditis non laborant? Bestiæ irruunt, & ouium septa non claudunt. Fures insidiantur, & excubias non prætendunt. Morbi crebrescunt, & remedia nulla prospiciunt. Cum autem illud addunt, vt his qui sollicitius agunt, consentire detrectent, & impietatibus olim toto orbe damnatis subscriptionibus suis anathematizare dissimulent: quid de se intelligi volunt, nisi quod de numero fratrum, sed de parte sint hostium?* Et iterum idem qui supra, scilicet Leo Papa: *Non sit peruersis*, inquit, *liberum, simulare quod fingunt, ne sub velamine nominis Christiani decretorum imperialium statuta declinent. Quia ideo ad catholicam Ecclesiam cum tanta cordis diuersitate conueniunt, vt quos possint, suos faciant: & legum seueritatem, dum se nostros mentiuntur, effugiant.* Sicut enim ait sanctus Augustinus: Inimici Christi ita sentiunt nullum sibi esse pondus autoritatis ad suadendum, quod profertur contra doctrinam Christi, dum si non habent nomen Christi. De cætero, Deus patientiæ & solatii det vobis fratres idipsum sapere in alterutrum, secundum Iesum Christum, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum, & patrem Domini nostri Iesu Christi, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Deus itaque summus & verus cum verbo suo, & Spiritu sancto, quæ tria vnum sunt, Deus vnus, omnipotens & factor omnis animæ, atque omnis corporis, cuius sunt participatione felices, qui fecit hominem rationale animal ex anima & corpore, qui eum peccantem nec impunitum esse permisit, nec sine misericordia dereliquit: qui bonis & malis essentiam etiam cum lapidibus, vitam seminalem cum arboribus, vitam sensualem etiam cum pecoribus, vitam intellectualem cum solis Angelis dedit: à quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo: à quo est mensura, numerus, pondus: à quo est quicquid naturaliter est, cuiuscunque generis est, cuiuslibet æstimationis est: à quo sunt semina formarum, forma seminum, motus seminum atque formarum, qui dedit & carni originem, pulchritudinem, valetudinem, propagationis fœcunditatem, membrorum dispositionem, salutem concordiæ: qui & animę irrationabili memoriam dedit, sensum, appetitum: rationali autem insuper mentem, intelligentiam, voluntatem, qui non solum cœlum & terram, nec solum Angelum & hominem, sed nec exigui & contemptibilis animantis viscera, nec auis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium, sine suarum partium conuenientia, & quadam veluti pace dereliquit. Hinc nullo modo est credendus regna hominum, eorum dominationes & seruitutes, à suæ prouidentiæ legibus alienas esse voluisse: sicut scribit sanctus Augustinus in libro quinto de Ciuitate Dei, asserens veritatem catholicę fidei. Quam certe fidem catholicam quum nos teneamus, & confiteamur, tamen hæretici esse, & schismatici ab hominibus externæ communionis inscribimur, quoniam iuxta doctrinam atque mandatum beati Petri Apostoli, nos subditi sumus Regi tanquam præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis, & quia etiam communicamus Pontifici Apostolicæ sedis. Sed qui debeant æstimari vel catholici, vel hæretici, poterit ex studiis alterutrorum colligi, iuxta quod in superiore libro aliqua eorum gesta & mores descripsimus. Quum nostri denique aduersarii exigentes à nobis, non nos ab illis, fecerunt schisma in Ecclesiastico corpore, professi etiam in scriptis suis, se defendere partem sui Papæ Gregorii, qualibus certe scribit Apostolicus doctor Gelasius: *Tollatur ergo*, inquit, *nomen è medio, quod Ecclesiarum discretionem procul à catholica communione operatur, vt syncera pax fidei communionisq; reparetur & vnitas*: & tunc quis nostrûm contra venerandam vel insurrexerit, vel nitatur insurgere vetustatem, competen-

ter &

ter & legitime perquiratur, & illic apparebit quis modesto proposito custodiat formam, traditionemq; maiorum, quis supra hæc inreuerenter insiliens, quis rapina æqualem posse fieri arbitretur.

Hæc hactenus: nunc vero (sicut supra promisimus) de scriptis Clementis papæ disseremus, probantes ea fidei catholicæ esse, quæ vir quidam iniquus & dolosus quærit peruertere falsissima interpretatione: qui etiam plura præter hanc, quam adhuc in manu tenemus, Epistolam, profitetur se scripsisse contra eundem Pontificem Apostolicæ sedis: *In libello*, inquiens, *quem fecimus tibi scribi, optime ad omnia respondetur his quæ in Wigberti Epistola inuenis*: sed quis sit ad quem scribat, textus scripturæ non indicat, cum nec proprii nominis, nec eius ad quem scribitur epistola, * vocabuli mentionem aliquam scriptor fecerit: qui etiam in exordio ipsius epistolæ dicit, quod salutationem ei præfigere nolit: cum præcipiat Paulus Apostolus, fratres salutare se inuicem in osculo sancto. *Quod signum*, inquit, *salutationis in omni epistola ita scribo: atque ideo rogamus*, ait, *vos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostra congregationis in idipsum, vt non cito moueamini à vestro sensu, neque terreamini neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam, scientes quomodo oporteat vos conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis, & manifesta magnum Sacramentum pietatis.* Ecclesia quippe Dei dicitur columna in his esse, qui scilicet firmiores cum eodem Apostolo Paulo solent imbecillitates infirmorum sustinere: in quibus est etiam firmamentum veritatis, quia veritatem ipsi Euangelii confirmant verbis & miraculis. Sed magnum quidem Sacramentum pietatis ipsa dicitur Ecclesia, quoniam attestante beato Iob: *Pietatis est sapientia, abstinere autem à malis est scientia.* Pietas quippe, quæ est Dei cultus, Græce dicitur Theosebia, quoniam ad colendum Deum soli Ecclesiæ competit religio sancta atque sincera. Sed sicut scribit Augustinus in libro de Vera religione: *Paria quidem Sacramenta celebrant hæretici, quamuis sententia dispares sint: qui dum errores suos animosius defendere, quam cautius corrigere malunt, excluſi à catholica communione & à participatione, quamuis parium Sacramentorum propria vocabula, proprioſque conuentus non in sermone tantum, sed etiam superstitione merentur*: vt Photini & Arriani, & qui nostris temporibus emerserunt, Paterini, de quibus postea sumus dicturi.

Clementis PP. scripta.

* *Walramũ nominat Trithem. in Hirsaug. fol. 117.*

Θεοσέβια.

Patareni.

Sunt autem Sacramenta chrisma, & corpus & sanguis: quæ ob id Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum, virtus secretius salutem eorundem Sacramentorum operatur. Vnde & à secretis virtutibus, vel à sacris Sacramenta dicuntur: quæ ideo fructuose penes Ecclesiam fiunt, quia sanctus in ea manens Spiritus, eorundem Sacramentorum effectum latenter operatur: atque ideo nec bonorum meritis dispensatorum hæc dona amplificantur, nec malorum attenuantur, quæ viuificat Spiritus sanctus: quia neque qui plantat, neque qui rigat, aliquid est: sed qui incrementum dat, Deus. Horum enim quodlibet Sacramentum, si verbis Euangelicis in nomine patris, & filii, & spiritus sancti aliquis etiam hæreticus consecrauerit, illa sanctitas Sacramenti verbis Euangelicis consecrata vere integra manebit: quãuis fides illius sub eisdẽ verbis, aliud opinata quam catholica veritas docet, nõ sit integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Vnde Augustin. in libro cuius titulus est De vnico baptismo: *Non itaq;*, ait, *ideo nõ sunt Sacramenta Christi & Eccl. quia eis illicite vtuntur nõ solum hæretici, sed ẽt omnes iniqui & impii: sed tamen illi*, inquit, *corrigendi & puniẽdi, illa vero agnoscẽda & venerãda sunt: quia nec ipsa creatura, quã Deus condidit, mala est: nec verba Euang. in quibuslibet errantib. reprehẽdẽda sunt: sed error ipsorũ, in quib. & sacramẽti integritas honoratur, & mẽtis vanitas emendatur.* Proinde Clemens papa arguit eos qui aliter credunt de ipsis Sacramentis Christi & Ecclesiæ, asserentes ea extra Ecclesiam Sacramenta non esse: qui etiam cum fidem catholicam non habeant, sese catholicos appellant: cæteros aũt qui multo rectius quam ipsi credunt, hæreticos atque schismaticos esse diiudicãt. *Sciendum vero*, inquiunt, *quod Wigbertus arguit catholicos asserere, illa quæ fiunt extra Ecclesiam, Sacramenta non esse, nec aliquam damnationem cuiquam conferre, astruens tam extra quam intra catholicam Ecclesiam hæc omnia rata & vera existere*: assumitque

in testimonium assertionis suæ Augustini sententiam, in quodam tractatu in Euangelium Ioannis, contra rebaptizatores editam. *Ita ergo*, inquit Augustinus, *nec foris, sicut nec intus, quisquam qui ex parte Diaboli est, potest vel in se vel in quoquã maculare Sacramentum, quod Christi est. Quam & nos*, inquiunt, *sententiam fideliter amplectentes, respondemus, hoc Augustinum de solo, vnde tunc agebatur, Baptismi dixisse Sacramento.* Notate obsecro, notate vtrorumq; verba, vt pariter proficiamus in fide catholica: quod nobis præstare dignetur, qui sine fine viuit & regnat, Amen.

* *Cætera desiderantur.*

BVRCHARDI, NOTARII IMPERATORIS, AD NICOLAVM SIGEBERGENS. ABBATEM, DE VICTORIA FRIDERICI IMPER. ET EXCIDIO MEDIOLANENS. EPISTOLA.

DOMINO & patri suo N. venerabili Abbati Sigebergensi, Burchardus suus filius primogenitus auere. Lætamini in Domino: Quam mirabile & iocundissimum est in oculis omnium, quod nuper Imperio factum est à Domino, prudentiam vestram non debet latere: quod nec quidem illis futuris temporibus poterit aboleri, nec cuiquam ætati præteritæ creditur euenisse. Troia siquidem decem annis obsessa, equi fraude & traditione mulieris est capta. Romani etiam non solum multis annis, sed & multis ætatibus Carthagine laborantibus, cum Carthaginenses sub duce Hannibale exercitum in Europam per Hispaniam mouerent, Scipio Romanus, qui prius Africanus, propè Siciliam clam mare traiecit cum exercitu, Carthaginemq; ciuibus ac defensoribus vacuam inueniens cepit & subuertit. Aquilienses,* qui nunc Veneti, nouem annis obsessi, tandem relictis mœnibus (saluis tamẽ rebus & personis) nihilominus rebelles extiterũt, nec de se, sed de lapidibus Attilæ victoriam reliquerunt. Rauennates à Theoderico rege Gothorum septem annis obsessi, tandem illum Dominum compositione media sustinuerunt, ipsi nec rebus nec loco cedentes. Sed quid in pluribus huiusmodi quærimus exempla? Fredericus Imperator specialiter præ cunctis vidit diem magnum, quando iudicio diuino in noua Lauda cum gladiis in ceruicibus, cum crucibus in mænibus, ad pedes misericordiæ eius sine omni conditione prostratum & redditum est totum Mediolanum. Contra quod tamen nec fraude, nec dolo, sed tantum viribus & constantia atq; veritate constat esse laboratum. Ne igitur pro variis rumoribus à tramite veritatis aberretis, de singulis certitudinem audietis.

* *Aquilegienses.*

Clausis igitur per hyemem stratis, cum illi fortiter iam arctarentur, animos principum callidis propositionibus attentabant, vt si quo modo tanquam re peracta eos securos facerent, ipsi interim vel de Brixia, vel de Placentia coadunatis viribus mercatum inducerent. Sed cum nil proficerent, & tam ingenio quã viribus deficerent,

deficerent, tandem post multos terminos, & machinationes plurimas suprema necessitate famis, & inediæ coacti, in capite ieiunii termino constituto duo proponebant, videlicet vt vel sine omni terrore se dederent, vel per conuentionem gratiam inuenirent. Conuentio talis erat: *Totum fossatum planare, muros & omnes turres destruere, trecentos obsides dare, quoscunque eligeret Imperator, & vt hi per tres annos in captiuitate tenerentur, potestatem quam vellet Imperator siue Teutonicam siue Lombardicam recipere, omnia regalia dimittere, pecuniam soluere, Imperatori palatium, quantum & vbi vellet, siue intra siue extra ciuitatem suis impensis leuare, nec vnquam de cætero fossatum vel murum sine verbo Imperatoris facere, nec cum aliqua ciuitate aut populo confœderari aut iurare, tria millia hominum extra ciuitatem eiicere, & Imperatorem cum exercitu suo intra ciuitatem, quamdiu velit, recipere.* Super his igitur agitato consilio, magna pars Principum, quorum caput Dominus noster Colonien sis conditionem recipiendam consuluit, quia tunc plena esset victoria, & Imperator vindictã & misericordiam pro velle posset exercere. Quidam etiam vtrunq; honestum esse dicebant Imperio. Maior etiam pars, cuius caput Comes Flandriẽsis * conuentionem recipiendam * consuluit: tũ quia Mediol. ad hanc promptiores viderẽtur, tum quia ipsam soluere non possent: & tunc Imperator in misericordiam minus peccaret, si conuentione non soluta fortius in eos vindicaret. Et tandem omnes licet inuiti in hanc consenserunt, eo quod quasi certum haberetur conuẽtionem seruari non posse, cum strata ad transducendũ mercatum non aperiretur, nisi tota vel maior pars conuentionis prius impleretur, quod fieri non posset. Protractis igitur aliquot diebus pro remissione Sacramenti, quo Mediolanenses Brixiensibus & Placentinis tenebantur, cum difficultatem conuentionis attẽderent, & rerum exitus longius metirentur, stupefacti & dimissa conuentione, ipsi deditionẽ elegerunt, & ad solius misericordiæ propitiatorium se contulerunt. In Kalendis igitur Martii, id est prima die mensis, Consules Mediolanensium cum aliis nobilibus numero quasi viginti, se cum ciuitate, cum rebus & personis, remota omni simulatione fraudis, quæ in prima deditione nos circumuenerunt, sine omni tenore vel conditione, prostrati cum nudis gladiis in ceruicibus, palam in plena curia Domino Imperatori reddiderunt, præstantes Sacramenta quæcunque videbantur * pro se & pro cæteris omnibus Mediolanensibus. Rursum sequenti die Dominica, qua conuenienter cantabatur, *Reminiscere miserationum tuarum Domine*, plusquam trecenti electissimi milites Mediolanenses cum præfatis Consulibus venientes, item præsidente Domino Imperatore prociderunt, & tam pulchre quam miserabiliter properantes solam misericordiam inuocabant, claues ciuitatis obtulerunt, omnium portarum atque acierum * resignantes vexilla principalia, quæ erant numero triginta sex, & ipsi Sacramenta eadem quæ Consules præstiterunt. Postea tertia feria venit populus cum bareocio, * quod apud nos *standait* dicitur, & cum reliqua militum multitudine, afferens omnium vicinarum vexilla numero centum, & paulo plura. Per ordinem igitur nouam Laudam ingressi populus trium portarum currum præcedebat, reliqua vero multitudo sequebatur vsque ad Imperatoris palatium. Qui in solio excelsior residens, quam cito ab illis videbatur, tubicines stantes in curru tubis æreis fortius intonabant, & superbiæ suæ tunc morienti ibidemque sepeliendæ quasi supremas exequias repulsabant, & finito clangore statim Imperatoriæ receptioni sunt oblatæ tubæ. Deniq; singuli vicinatũ maiores procedebant profitentes, & vexilla sua per ordinẽ à primo vsq; ad vltimum resignantes. Stabat autem currus multiplici robore conseptus, ad pugnandum desuper satis aptatus, ferro fortissime ligatus: de cuius medio surrexit arbor procera, ab imo vsque ad summum ferro, neruis, & funibus tenacissime circũtecta. In huius summitate supereminebat crucis effigies, in cuius anteriori parte beatus depingebatur Ambros. ante prospiciẽs & benedictionẽ intẽdẽs quocunq; currus verteretur. Is post omnis Mediol. honoris resignationẽ vltimus accessit, & ipse caput suum declinaturus, cui qui præerant arte totam machinam illam & arborem ipsam vsq; ad terrã declinabant: adeo vt nos qui intra soliũ Domini Imperatoris eramus, quinã machinæ veriti excuteremur. Sed arbor deflexa

Reinoldus Archiepisc.

* Blandratensis.

* f. reiicien-dam.

* inhebantur.

* arcium.

* bauerio.

nec cecidit, nec reascendit, donec Imperator fimbrias vexilli collegit, currumque reascendere fecit, & stare subiugatum. Tunc milites & populus vnanimiter in facies suas ceciderunt, plorantes & misericordiam inuocantes. Post hæc quodam Consule miserabiliter perorante, finita oratione, omnis multitudo rursus procidit, & cruces quas tenebat extendens cum eiulatu magno in virtute Crucis misericordiam inuocauit. Vnde vehementer moti sunt ad lachrymas quicunq; audierunt, sed Imperatoris facies non est immutata. Tertio Comes Blandratensis pro illis olim amicis suis miserabiliter perorans, vim fecit omnibus vt possint lacrymari, ipso crucem præferente, & tota multitudine item cum ipso suppliciter procidẽte: sed solus Imperator faciem suam firmauit vt petram. Dehinc à Domno Colonensi * facta est deditionis eorum tam pura distinctio, & ab ipsis responsa est tam mera confessio, vt deinceps locum habere non debeat alicuius ingenii vel pacti vel conuentionis obiectio. Et sciatis quod ipse est principium, medium & finis honoris Imperatoris. Orandum est igitur vt Dominus conseruet eum, & viuificet eũ, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eũ in manum inimicorum eius. Porro Imperator implorantibus illis respõdit quæcunq; dicebat, * & opportuno tempore misericordiam se facturum ex consilio promisit: & sic dimittens vniuersos sequenti die iterum omnes præsentari fecit. Illi autem spe misericordiæ cruces quas in manibus ferebant, per cancellos in caminatam * Imperatricis proiiciebant, cum ante conspectum eius introitum non haberent. Illis igitur altera die præsentatis & plorantibus respondit Imperator, se velle facere principium misericordiæ & principium iudicii. Dixitq;, si iustitiæ iudiciis esset agendum, omnes eos vita debere priuari, sed nunc misericordiæ locum dari oportere. Illi vero, hoc verum esse ex legibus affirmabant, istud respectu diuinę miserationis fieri exoptabant. Iussit igitur Imperator omnes consules & exconsulares, maiores, & milites, Legistas & iudices in obsidatu teneri, populum vero, tanquam minus culpabilem, tantum Sacramento affectum in ciuitatem remitti. Deinde missis magistratibus in ciuitatem, iussit ab omnibus qui duodecennes essent vel vltra Sacramenta præstari, quod & factum est. Iussit & singulas portas ciuitatis, & circa portas fossatum, & muros complanari, vt ad singulas portas singulis aciebus lata fronte æquabili gressu pateat introitus: factumq; est ita. Et cum de duobus milibus castrorum tantum quatuor ipsis superfuissent, eadem iussi resignauerunt, & hoc ad iudicium. Ita Dominus Imperator cum Mediolanum vicisset, à misericordia victus est: & ne communione proscriptorum peccaretur, & vt misericordiæ satisfaceret, personas Mediolanensium à banno imperiali absoluit. Deinde muri ciuitatis, & fossata, & turres paulatim destructæ sunt, & sic tota ciuitas de die in diem magis ac magis in ruinam & desolationem detracta est. Quę autem de populo & terra futura sit ordinatio, in voluntate Dei & principum consilio pendet. Quadringentos tamen obsides Dominus Imperator ex optimis elegit ac scripto notauit: quos nunquam à se dimittet, nisi prius toti rei finem imposuerit. Porro in octauis Paschæ apud Taurinum curia celebrabitur, ad quam Principes & barones de Francia, de Burgundia & Hispania & Prouincia conuenient, & tractabuntur magna: & dein ad alia Imperii negotia exercitum & victrices aquilas conuertent.

Hæc vobis scripsi, reuerende pater, vt apud vos ipsum desiderii vestri voluntas inueniat, quod * animus rem sciente extorqueri non oporteat. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis millesimo CLXII. anno regni Domini Friderici vndecimo, electione vero Episcopatus Domini Reinoldi quarto.

* Reinoldo Archiepisc.

* l. decebat.

* f. Cameram.

* l. animus rem sc.

GODEFRIDI

GODEFRIDI MONACHI S. PANTALEONIS APVD COLONIAM AGRIPPINAM *Annales* DILIGENTISSIMI, AB ANNO DOMINI MCLXII. VSQVE AD ANNVM MCCXXXVII.

ANno Dominicæ incarnationis MCLXII. Mediolanenſes longa obſidione totis iam viribus fracti, interuentu quorundam Principum adiuti, Imperatoriæ poteſtati ſe & ciuitatẽ tradiderunt. In Kal. Martii conſules Mediolanenſium cum aliis nobilioribus viginti ante conſpectum Imperatoris venientes, & ante pedes ipſius procidentes, gladiosq; nudos ceruicibus ſuis imponentes, veniam pro ſe & cæteris omnibus poſtulabant, facturi animo lubẽti, quæcunq; iuberentur. Iuſſit ergo Imperator omnes Conſules & Exconſulares, maiores, milites, legiſtas & iudices in obſidatu teneri: populum vero tanquam minus reũ Sacramento conſtrictum in ciuitatem remitti: muros ciuitatis cum turribus funditus deſtrui, foſſatum impleri. *Vide epiſtolam Burcardi notarii ad Nicolaum abbatem Sigebergenſ.*

Imperator Paſcha Papiæ magnifice celebrat.

Secunda feria Paſchæ Piſani Imperatori fidelitatem iurauerunt, & expeditionem prompto animo in Apuliam, in Calabriam, in Siciliam, in Sardiniam, in Corſicam, & verſus Conſtantinopolin faeere promiſerunt.

Feria tertia Brixienſes ſimilia iurauerunt.

Eodem tempore Ludevvicus Rex Franciæ legatos ad Imperatorem pro cõponenda pace & vnitate Sanctæ Eccleſiæ miſit, quos ipſe gratanter ſuſcepit. igitur generali Synodo indicta in municipio quod Leona dicitur ſuper fluuiũ Saonam in Epiſcopatu Biſontino, Imperator cum Papa Victore, multisq; Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibusq; affuit, in decollatione S. Iohannis Baptiſtæ. Rex autem Franciæ ex altera parte fluminis pridie aduenerat, ſed ex conſilio Papæ Alexandri & ſibi parentium in proximo caſtro reſedit, nec ad Imperatorem peruenit. Affuit huic Synodo Rex Danorum Waldimarus, qui ibidem coronam de manibus Imperatoris ſuſcipiens, homo eius factus eſt. Igitur Imperator & Rex Danorum cum tota illa frequentia Pontificum & principum, ſicut in prima & ſecunda Synodo, Victorem vniuerſalem Papam nominauerunt, & Alexandrum cum ſuis ſequacibus ſchiſmaticos deſignauerunt.

Anno Domini MCLXIII.

Imperator curiam celebrem apud Moguntiam habuit, & quoſdam conuictos de interfectione Archiepiſcopi Arnoldi, digna vltione multauit, & ad reprimendam ciuium inſolentiam murum deſtrui ciuitatis mandauit.

Quen-

Quendam etiam cognatum suum nomine Conradum Episcopum eis suo arbitrio præfecit, qui nec multo post contra Imperatorem sentiens sponte Episcopatum tanquam pro iustitia deseruit, & ad partem Alexãdri Papæ, eo quod sibi probabilior videretur, transiuit. Vnde Imperator Christianum Cancellarium suum in eius loco subrogauit.

*qui & Gazari, Austb. Gazares. C. de haretic. c. 8. & 9. ext. eod. Vide librum Eckberti contra Catharos ad Reginoldũ Epis. Colon. hoc anno scriptum.

Hoc etiam anno quidam hæretici de secta eorum qui Kathari* nuncupantur, de Flandriæ partibus Coloniam aduenientes, prope ciuitatem in quodã horreo occulte mansitare cæperunt. Sed dum neque Dominico die Ecclesiam intrarent, à circummanentibus comprehensi & detecti sunt. Qui Ecclesiæ Catholicæ repræsentati, & diu satis de secta sua examinati, dum nullis probabilibus documentis corrigi possent, sed in suo proposito pertinacissime persisterent, eiecti sunt ab Ecclesia, & in manus laicorum traditi. Qui eos extra vrbem educentes, nonis Aug. ignibus eos tradiderunt, mares quatuor, & iuuenculã vnam: quæ dum miseratione populi prope seruaretur, si forte interitu aliorum terreretur, & saniori consilio adquiesceret, subito de manibus se tenentium elapsa, vltro ignibus se iniecit, & perijt.

Ipso anno Archiepiscopus Saltzburgensis à ministerialibus S. Rutberti crudeliter interemptus est.

Anno Domini MCLXIIII.

Imperator iterum in Italiam regreditur.

Oceanus limitẽ suum XII. pene milliariis XIIII. Kal. Martii egressus, multa millia hominum diuersi sexus & ætatis maxime circa fluuium Wiseram submersit.

In parasceue IIII. videlicet Id. April. celebrante Rulando apud Senonas diuina, horribiles tenebræ factæ sunt, & dum quidam Cardinalis passionem legeret, in ipsa vbi dicitur, *Consummatum est*, fulgur tam stupendum cecidit, & deinde tantus fragor intonuit, vt Rulandus dimisso altari, & Diaconus dimissa lectione, & omnes qui aderant, fuga consulendum esse sibi iudicarent.

Victor Papa apud Lucam obiit, ibique sepultus est. cui Wido succesit Cremensis Episcopus X. Kal. Maii, & ab Henrico Leodiensi Episcopo ordinatus est VI. Kal. Maii, & Romano more Paschatis est appellatus.

*Raugrenatus in Dassele in Saxonia.

Hoc anno cum Conradus Palatinus frater Imperatoris Colonienſem Episcopatum pro libito transire ac prædari vellet, & montem qui Rinecke dicitur, occupare intenderet, Reinoldus* Colonienſis electus qui in Italia cum Imperatore erat, hoc fidelibus Colonienſis Ecclesiæ intimans prædictum montem præoccupari fecit. Cum autem Palatinus se præuentum cerneret, bellum Colonienſibus posito termino secunda feria Rogationum indixit in campo Anturnacenſi. Ex industria vero Colonienſium prælatorum tantus equestris & pedestris, insuper & naualis occurrit exercitus, qualem nostra memoria ex Teutonicis cum tot fortibus, tot pręclaris, tot nobilibus viris vnquam in acie constitisse perœpimus. Plures enim erant, qui in bellatorum numero computati sunt quam CXXV. millia. Vnde nec Palatinus nec aliquis suorum comparere ausus est, cum XII. diebus eius expectassent aduentum. Interea Dominus Reinoldus Colonienſis electus, cum Imperatore in Italia degens, super omnes qui aderant Principes fidelis ac deuotus seruiuit: auditoque huius lætitię ac victoriæ nuncio, impetrata ab Imperatore licentia, cum integritate gratiæ eius rediit, acceptis ab eo pretiosissimis muneribus, trium scilicet Magorum corporibus, qui infantiam Domini mysticis muneribus venerati sunt, duobusq; martyribus Felice & Nabore, qui cum prædictis Magis apud Mediolanum venerabiliter reconditi erant. Itaque cum pręfatis & illustrissimis donis in vigilia beati Iacobi Coloniam ingressus, glorioſe ac magnifice suscipitur, maxime pro reliquiis, quas ad perpetuam Germaniæ gloriam Coloniæ intulit.

*Bamberg.

In Kal. Octobr. Imperator de Italia rediens, curiam celebrem Bauinberg* habuit in oct. S. Martini, vbi aliquantulum electo Colonienſi durius locutus est,

pro

pro Palatino fratre suo: sed industria ac sapientia eiusdem electi indignatio hæc sedata est.

Anno Domini MCLXV.

Natus est Imperatori filius nomine Henricus, apud Nouiomagum. Imperator celeberrimam curiam Wirzeburg in Pentecoste habuit: vbi tam ipse Imperator quam omnes Principes iurauerunt, quod Dominum Apostolicum Paschalem nunquam desererent, nec ad partem Rulandi aliquando transirent. Et tunc primum Dominus Reinoldus ibidem sabbato Quatuor Temporum in presbyterum ordinatus est, & quamplures cum eo alii electi. Postea vero VI. non. Oct. ordinatus est Coloniæ in Archiepiscopum à Philippo Osenburgense Episcopo, præsente Imperatore & Imperatrice.

Anno Domini MCLXVI.

Imperator Natalem Domini Aquisgrani celebrat. Ibi IIII. Kal. Ianua. cum frequentia Pontificum ac Principum, magnoq; cum tripudio cleri ac populi extulit de sarcophago ossa Karoli Magni Imperatoris, vbi sepultus quieuerat annis CCCLII. & quædam regalia xenia in vasis aureis & palliis sericis tam Imperator quam Regina eidem contulerunt Ecclesiæ, additis X. marcis annuatim.

Eodem anno Reinoldus Archiepiscopus, & Gerhardus præpositus Brunnensis beatissimos martyres, Cassium, Florentium & Mallusium VI. Non. Maii cum venerabili cleri deuotione ac multitudine populi transtulerunt, inuento sicco quidem sed euidenti sanguine ipsorum, cum annis DCCCLXXII. passio ipsorum transacta fuerit.

Imperator expeditionem suam in Italiam indixit, pro confirmatione Domini Papæ Paschalis, tum pro perfidia Mediolanensium, qui sine permissu eius ciuitatem reædificabant. Nec mora, Reinoldus Episcopus tam à clero quam à populo Colonienſi accepta licentia, cum centum loricatis militibus ante egressum Imperatoris, persona sua rebusque omnibus saluis transalpinauit, & in vigilia omnium Sanctorum vsque Ypoream peruenit, indeque Domino Imperatori, qui ex altera parte per vallem aduenit Tridentinam, quantocyus occurrit. Episcopi quoque & Barones totius Longobardiæ cum gaudio Imperatorem susceperunt.

Anno Domini MCLXVII.

Terræmotus factus est XIIII. Kalend. Febr. media nocte. Grando etiam maxima III. Non. April. cecidit, ita vt oua columbarum magnitudine æquaret.

Igitur Imperator quarto Italiam ingressus per virtutem optimatum suorum & præcipue per industriam Reinoldi Pontificis in breui omnem Italiam, Longobardiam & Apuliam sibi subiecit. Interim illustrissimus præsul Reinoldus Tuscię partes adiit, & deinde Tusculanum intrauit: illi enim adhuc Imperatori fideles erant. Quo audito Romani contractis copiis ferme ad XLII. millia hominum in vigilia Pentecostes, VI. Kalend. Iunii scilicet, sata & vineas Tusculanorum vastare cœperunt, & Reinoldum Episcopum obsidione arctare. Ipse autem ob reuerentiam sacræ diei intra muros se continuit, & quoniam tantam multitudinem armatorum nonnisi auxilio deitatis cum tam paucis militibus euadere posset: non enim plusquam CXL. milites habebat. Itaq; secunda feria Pentecostes Christianus Episcopus Moguntinus, & Philippus Cancellarius Imperatoris cum D. fere sariantibus, per longam & arduam viam fessi ad auxilium Reinoldo venerunt, & castra iuxta Tusculanum metati sunt. Nec mora, Romani eos inuadentes terga dare compulerunt. Quo viso Reinoldus spem salutis habens in Domino, suos breuiter allocutus, audacter erupit portis, Romanos cum nimia virtute & constantia inuasit, profugauit, fugauit. Cæsa sunt in illo prælio passim per agros nouem millia Romanorum, quinque millia capta, pluresque referuntur esse quos impetus fugientium attriuit, quam quos gladius consumpsit.

Computatum est enim postea à Romanis, de XLII. millibus vix duo millia

in vrbem rediisse. Post hanc diuinam & humanam victoriam Imperator Romam cum armata manu intrauit, Lateranensesq; ad deditionẽ acceptis ab eis CCLXXX. obsidibus coegit, & Papam Paschalem in sede beati Petri collocauit: vbi etiã idem Papa III. Kal. Aug. Dominica ante Vincula S. Petri XV. electos, alios in Patriarchas, alios in Archiepiscopos, nonnullos in Episcopos ordinauit: tertia dehinc die, in festo beati Petri, Dominam Beatricem vxorem Cæsaris in Imperatricem consecrauit.

Pactum quod pepigerunt Romani cum Domino Friderico Imperatore & semper Augusto, Iurauerunt præsentes, & iurabunt futuri senatores & totus populus Romanus Domino Friderico Imper. fidelitatem, & quod iuuabunt eum coronam Imperii Romani retinere, & defendere eum contra omnes homines: & iustitias suas tam intra vrbem, quam extra vrbem iuuabunt eum retinere, & quod nunquam erunt tam in consilio quam in facto, vbi Dominus Imperator mala captione capiatur, vel membrum perdat, vel aliquod detrimentum in persona patiatur: & quod Senatum nonnisi per eum vel per nuncium suum ordinabunt, sine fraude & malo ingenio. Dominus Imperator confirmabit Senatum perpetuo in eo vigore, in quo nunc est, & augebit eum tali tenore, vt Senatus per eum ordinetur & ei subiectus fiat, & faciet inde priuilegium cum sigillo auri, in quo contineantur hæc, videlicet confirmatio Senatus, & quod faciet salua omnia iusta testamenta populi Romani quantum ad Imperatorem pertinet, quod ea illis non auferet, & bonos vsus vrbis & locationis libellos tertii & quarti generis conseruabit, & præcipiet in eodem priuilegio non auferri Romanis in toto imperio suo plateaticum, portaticum, aut ripaticum, & si aufferre præsumpserit, incidat in pœnam C. librarum auri. Hæc omnia cum subscriptione Principum curiæ fient.

Hiis itaq; prospere & laudabiliter gestis miserrima superuenit clades, & pestilentia Romanis finibus semper amica, quæ (vt in Ezechiele legitur) à sanctuario Domini incipiens, omnes pene sacerdotalis ordinis dignitates deiecit, principes prostrauit.

Primo Daniel Parisiensis Episcopus, deinde Alexander Leodiensis Episcopus, in vigilia beati Laurentii obierunt. Deinde Reinoldus Archiepiscopus vir sapientia & industria mirabilis, etiam in quo maxima pars Imperatoris erat, in vigilia assumptionis beatæ Mariæ decessit, omnibus Sacramentis Ecclesiasticis, scilicet confessione, communione, vnctione deuotissime susceptis, & testamento suo commendabiliter ordinato & conscripto. Circa idem tempus Fridericus illustris Dux Sueuiæ, filius Conradi Regis occubuit, & Welpho minor, & cum eo tanta Episcoporum, Abbatum, Principum, militum, & diuersæ conditionis virorum multitudo, vt numerum pene excederet. Pauciissimi enim de exercitu Imperatoris redierunt, & ad hoc ipsum quasi per fugam sibi quisq; subuenit.

* de Heinsberg.

Ecclesia Colonienſis Philippum * maioris Ecclesiæ Decanum, & sacri Imperii per Italiam Archicancellarium, cum adhuc in Italia teneretur, Pontificem sibi elegit. Quo electionem de se rite factam postea à Papa confirmari petente, ad instinctum Romanorum vltionem tam cruentæ ac recentis suę stragis per Reinoldum Archiepiscopum factæ saltem per retardationem confirmationis expetentium, siue ioco siue serio fertur Papa respondisse: Se quidem confirmationem non denegare, sed ipsum electum debere Idolum ad honorem Reinoldi hostis Ecclesiæ Romanæ sepultum, de basilica beati Petri in Colonia remouere. Siquidem Colonienses ob honorificentiam & recordationem tam præstantis viri sepulcro decenter extructo imaginem ipsius in lapide sculptam suppoſuerunt. Sed electus non inops consilii ingenioſe respondit, se id non segniter effecturum, si aliquis Apostolicæ auctoritatis nuncius secum procedens personaliter eundem lapidem remoueri demandaret. Vnde hoc non obstante confirmatur.

Per idem tempus bellum quod inter orientales Saxones gerebatur, Imperator vsq; ad suum aduentum differri præcepit.

Anno

Anno Domini MCLXVIII.

Paſcalis Papa moritur, cui Dominus Calixtus per eoſdem fautores Imperii ſucceſſit. XVII.

Imperator contra imperatoriam dignitatem de Italia occulte cum paucis rediit, omnibus ciuitatibus Italiæ contra eum iurantibus.

II. Kal. Iunii curiam Frankinfort habuit, vbi Ducem & principes Saxoniæ ad pacem reuocauit. Philippus Colonienſis electus non præualens per Italiam redire, & iuga montis Iouis cum maximo tam ſuo quam ſuorum periculo, nauigio per mare ad S. Egidium peruenit, vbi equis conſcenſis in aſſumptione beatæ Mariæ Coloniam ingreſſus eſt. In feſto vero S. Michaelis à Godefrido Traiectenſi Epiſcopo Coloniæ ordinatur in Archiepiſcopum præſentibus octo Epiſcopis. Nec multo poſt in legatione Imperatoris Rotomagum Regem Angliæ adiit, vbi Archiepiſcopus Moguntinus & Dux Saxoniæ ei occurrerunt. Sed qualis legatio fuerit, præter eos & Regem latuit.

Anno Domini MCLXIX. XVIII.

Imperator celeberrimam curiam VIII. Id. April. apud Bauinberg habuit. Vbi de Francia Abbas Ciſtercienſis & Claræuallenſis ipſius vocatione cum adierunt, quos cum Epiſcopo Bauinbergenſe in Italiam pro Eccleſiæ vnitate direxit.

Filius Imperatoris Henricus adhuc quinquennis vnctus eſt in Regem Aquisgrani à Philippo Colonienſi Archiepiſcopo, die aſſumptionis beatæ Mariæ.

Anno Domini MCLXX.

Imperator poſt Pentecoſte VI. Id. Iunii curiam apud Fuldam habuit pro legatione Epiſcopi Bauinbergenſis, qui cum ſupradictis Abbatibus in Italiam ierat, ſed ipſe nihil fructuoſum paci & concordiæ attulit: & ideo ſine diffinitione pacis & vnitatis illa curia terminata eſt. Imperator vero ibi, ſicut & ſuperius, aiebat nunquam ſe pro Apoſtolico Rulandum habiturum. XIX.

Mare vehementia ventorum limitibus ſuis excuſſum IIII. Non Nouenb. terram Freſonum circa Stauern magna ex parte ſubmerſit.

Anno Domini MCLXXI. XX.

Imperator Colonienſibus gratiam ſuam, accepto ab eis non modico argento reddidit, & cum magna gloria & pace ciuium Coloniam intrauit, vbi & nuncios regis Græcorum pro coniunctione filiæ eius filio ſuo accepit.

Aquisgrani diu manſit, & montem qui dicitur Berinſtein, intra oct. aſſumtionis beatæ Mariæ occupauit.

Ludouuicus Comes de Los obiit.

Imperator Chriſtianum Mogontinum Archiepiſcopum in Italiam miſit, qui per quinq; fere ibi degens annos multa ſtrenue operatus eſt. Nam Anconam ciuitatem maritimam, expulſis Græcis, Imperatori reſtituit.

Anno Domini MCLXXII. XXI.

Imperator in media quadrageſima apud Wormatiam curiam celebrem habuit: vbi conqueſtus de Italicis, & illis qui partibus fauebant Rulandi, quod coronam Romani Imperii Græco imponere vellent, iudicio cunctorum Principum expeditionem in Italiam iterum indixit, poſt circulum duorum annorum determinatam.

Per idem tempus Atrabatis contigit res digna memoria. Miles enim quidam admodum literatus de corpore Dominico bene ſenſit, ſcilicet quod nec per vomitum ſeu egeſtionem corrumpatur. A quo quidam clericus Rubertus nomine, ſubtiliter quidem ſed inutiliter litteratus, contraria huic & ideo hæretica ſentiens inter conferendum diſſenſit, & ita quæſtio ad Epiſcopum delata eſt. Qui Archiepiſcopum Remenſem cum multitudine Cleri aduocauit, & dum hæc quæſtio diſcuteretur, prædictus clericus, quod non ſolum foret hæreticus, ſed & alios foueret & defenderet hæreticos, à multis eſt accuſatus. Purgare ergo famam ſuam de obiecta hæreſi iudicio candentis ferri fruſtra proponens, tam manifeſte Deo operante cecidit, vt non ſolum in dextra, in qua ferrũ geſtabat, & in ſiniſtra manu,

& in vtriſq; pedibus, & in ambobus lateribus, in pectore ſimul & ventre, vſtura mirabiliter apparuit.

Eodem anno S. Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus ob inuictum æquitatis tenorem ab Heinrico Anglorum Rege martyriſatus eſt* 1111. Kalend. Ian. & multis miraculorum ſignis illuſtriſſime claruit. Quorum de numero primum referre vtile duximus, vt huius nouitate alia penſentur. Cœcus etenim quidam eadem die qua ſanctus Epiſcopus occidendus erat, ex voto & ſalutis deſiderio ad Eccleſiam beati Nicolai carpebat iter: cui quædam effigies in ſpecie viri occurrens, quo tenderet quæſiuit. Qui cum ſe ad beatum Nicolaum pro deſiderio viſus iturum reſponderet, ait: *Magis nunc ad nouum Chriſti martyrem proficiſci oportet, vt per eius merita viſum recipias.* Itaque eadem die hora circa veſperam, qua beatus martyr in Eccleſia coram altari à ſatellitibus Regis occidebatur, templum ingreſſus eſt: petiit ergo vt ad corpus beati viri duceretur. Quo ductus dum pretioſo ſanguine eius oculos ſibi liniuiſſet, ſtatim viſum recepit. Innumeris vſq; hodie talibus per Angliam fulget miraculis.

*Vide c. qua fronte 25. extr. De appellat. & c. 3. de inſtit. & c. ſicut. 6. de homicid. volunt.

Per idem tempus Heinricus Dux Saxonum filiam Regis Angliæ * duxit vxorem, repudiata priore ob famam conſanguinitatis. Filiam vero eius, quã ex ipſa genuerat, & quæ prius copulata fuerat Friderico Duci, qui in Italia obierat, duxit filius Regis Danorum.

* Richardi Mechtilden

Ipſo anno plures procerum obierunt, ſcilicet Ludeuuicus, Lantgrauius, Hugo Comes de Muſal, * Theodericus Comes de Cliua, Hermannus Comes de Zaffinberg.

* f. Comes Moſella.

Eodem anno apud Xanctum ferebatur mulier infantem peperiſſe cum duobus capitibus, & tribus brachiis, & tribus pedibus.

Item eodem anno quibuſdam viſa eſt forma ſerpentis in cælo, quæ paulatim creſcens ad extremum in duos rotundos circulos mutata eſt.

Item apud Regiomagum cuidam militi gladius ex aere pendere viſus eſt.

Anno Domini MCLXXIII.

Imperator Paſcha Domini apud Wormaciam agit, vbi & celebris conuentus Principum fuit.

Ipſo anno Heinricus Dux Saxonum Ieroſolymam cum D. fere militibus tetendit, felici prorſus vſus & honeſta per terram profectione & reditu. Nam in eũdo nullas Turcorum paſſus eſt inſidias, & à Rege Conſtantinopolitano honorifice ſuſceptus & magnifice dimiſſus eſt. In reditu vero quidam Rex paganus eũ honorifice ſuſcipiens plura & magnifica dona obtulit, omnesq; captiuos Chriſtianos, qui ſub regno eius exulabant, interuentu Ducis abſoluit.

Eodem anno Imperator cum maximo exercitu Bauarorum, Sueuorum, Francorum, Saxonum, in Poloniam proficiſcitur, pro reſtituendo nepote ſuo in Ducatũ. Tanta autem fuit multitudo exercitus, vt multi teſtentur nullũ vnquam Imperatorem tam honeſta expeditione Poloniam intraſſe. Primo itaq; ingreſſu eius Polonienſes exterriti quam citiſſime ad gratiam eius redierunt, ita quod octo millia marcarum Imperatori de ſuis contulerunt, & imperio eius & omni voluntati ſeſe deuote ſubdiderunt. Inde Imperator rediens Saxoniam ingreditur, cui omnes Principes eiuſdem prouinciæ deuote occurrerunt, præter filios Alberti Marchionis: qui ideo ſe ei oppoſuerunt, quod hæreditatem Comitis Bernardi & Domini Mattini Aluerſtadenſis Epiſcopi requirebat. Contra hos itaq; Imperator bellum mouere niſus, interuentu quorundam Principum hoc diſtulit, qui eos ad gratiam eius reducere promiſerunt.

Illis diebus legati Regis Babyloniæ ad Imperatorem venerunt, rara & precioſa munera deferentes. Legatio talis erat, quod idem Rex peteret, vt filio ſuo filia Imperatoris matrimonio iungeretur, ea conditione, vt ipſe Rex cum filio & omni regno ſuo Chriſtianitatem ſuſciperent, & omnes captiuos Chriſtianos relaxaret. Imperator vero eoſdem legatos honorifice ſecum per dimidium fere annum detinuit, & ſingulas ciuitates & ritus diligenter notare & inſpicere conceſſit.

Ipſo

Ipso anno in Kal. Decemb. tussis intolerabilis & inaudita omne Teutonicum regnum & præcipue Galliam comatam peruasit, senes cum iunioribus & infantibus debilitauit, plures morti addixit. Monasterienſis Episcopus Ludeuuicus eadem peste occubuit, cui Imperator Hermannum fratrem Comitis de Kazinelinboge substituit.

Anno Domini MCLXXIIII.

Imperator Natalem Domini in Saxonia apud Aldinburg celebrat. In Pascha vero Aquisgrani curiam celebrem habuit: deinde venit Nouiomagum, & per aliquot dies ibi moratus, expeditionem ante biennium indictam cunctos iurare fecit. Pentecoste vero apud castrum quod Cocme * dicitur egit. Circa festum Primi & Feliciani cis alpes apud Wiuelinburch colloquium habuit, vbi legati Transalpinorum Principum eum adierunt, promittentes obsequium & cõductum trans alpes. * Cocheim.

Post hoc in Natiuitate S. Iohannis Baptistæ apud Ratisponam venit, ibi nuncii Regis Græcorum eum iterum adierunt pro coniunctione filiæ eius filio Imperatoris. Imperator legatos Regis Babyloniæ cum magno honore & multis donis remittit.

Ipso anno Ludeuuicus Rex Franciæ & filius Regis Angliæ, & Comes Flandrensis, Heinricum seniorem Regem Angliæ petierũt bello. Sed Rex Anglorum primo pœnitẽtiam agens de occisione S. martyris Thomæ, victoriam adeptus est, plurimis de Flandria captis vel fugatis.

Totum æstiuum tempus in pluuias hyemales conuersum est, vnde segetes & vineæ sunt corruptæ.

Eodem anno apud Anturnacum quidam fodientes corpus Valentiniani Imperatoris inuenerũt, sicut in superscriptione denarii, qui vna secũ repertus est, continebatur. Ad caput quoq; eius corona, ad pedes vero vrna, ad latus autẽ gladius rubigine peresus, aureum habens capulum & lapidem victoriæ, est inuentus: qui gladius est Imperatori ad inspiciendum delatus.

Igitur Imperator validissimo adunato exercitu Italiam iterum ingreditur: cumq; ad alpium Apenninarum aditum venisset, legati Regis Iherosolymorum ei occurrerunt, dona plurima & poma aurea musco impleta afferentes, & litteras eiusdem Regis, in quibus gratias Imperatori retulit, dicens se iamdudum de regno expulsum, si non terrore Imperatoris Reges paganorum restringerentur. Transcensis alpibus quasdam ciuitates in deditionem accepit; Alexandriam nouam, quæ ex nomine Alexandri Papæ vocabulum sumpsit, obsidione cinxit.

Inundatio Rheni & fluuiorum insolita & diutina. Episcopus Cameracensis à vulgaribus occiditur.

Anno Domini MCLXXV.

Imperator Natalem Domini in castris circa Alexandriam celebrat. Hanc siquidem vrbem mirum in modum absque murorum ambitu, fossatum magnæ altitudinis muniebat: quam multitudo latrunculorum, raptorum, seruorum Dominos fugientium, additis Longobardorum iuribus incolebat: quam Cæsar rogatu Comitis de Monteferreo facile capturum se sperans obsederat, sed diutius quam optauerat ibi retinendus.

Magna constantia ibi ex vtraque parte militaris res feruebat: interdum ex his & illis quidam capti, nonnulli occisi & suspensi sunt. Imperator vero quiddam laude dignum gessit. Tres enim ex captis ante faciem eius cum essent ducti, mox oculos eorum erui præcepit. Duobus primum cæcatis, tertium iuniorem aliis, cur contra Imperium rebellis existeret, inquisiuit. At ille, Non (inquit) contra te ô Cęsar vel imperium tuum gessi: sed habens Dominum in ciuitate eius iussis parui, & ei fideliter seruiui: qui si tecum contra ciues suos pugnare voluerit, æqua vice ei fideliter seruiam: & si oculos erui mihi præceperis, iterum vt potero Domino meo seruiam. Quibus verbis illectus Imperator luminibus ei permissis, alios cæcatos in vrbem ab eo reduci præcepit.

Igitur ante Paschalem solemnitatem coniuratio grandis per omnem Longobardiam contra Imperatorem & suos facta est. Coadunatis itaq; viribus Mediolanenses, Veronenses, Nouarienses, Brixienses, aliarumq; Italię vrbium populi incredibilem conduxere exercitum, edicto bello publico Imperatori in campis Alexandriæ. Quo cognito Imperator in ipsa Paschali solemnitate primo diluculo ab obsidione Alexandriæ recedens, cum omnibus copiis eis obuiam cum ingẽti animositate processit, & intra vnius sagittæ iactum iuxta tentoria hostium castra posuit. Terruit hoc Longobardos, quibus semper suspecta erat virtus Teutonicorum. Nec mora, quarta feria Paschæ signifer illorum admonitus à filio, qui in parte Cæsaris militabat, colloquium expetens Colonienſis & quorundam Principum, huius consilio & persuasu suo effecit, quod omnes Longobardi magis pacem ac veniam quam bellum cupetent cum Imperatore iurare. Itaque omnis illa terribilis acies ad castra Cæsaris prostrata, pacem & misericordiam postulabat, nudos in ceruicibus gladios portantes. Certatim quoque ad Imperatorem currentes vexilla cunctarum vrbium ipsi resignauerunt, alii vero pallium, alii pedes, nonnulli tentorium Imperatoris exosculabantur, fidem Sacramento firmantes. Interuentu quoque eorum Alexandrinis vsque ad terminum Maii Mensis pacem indulsit.* Quibus gestis partem militum repatriare permisit, opulentioribus secum retentis. Nec multo post Longobardi pœnitentes Imperatori denunciauerunt, se omnino Sacramentum fidei violaturos, nisi Alexandrinos in conditione illius pacis consortes haberet. Sed Imperatore id recusante iterum more suo Longobardi fœdus periurio soluunt. Qua necessitate Cæsar impulsus per omne Teutonicum regnum directis nunciis nouum exercitum adunari præcepit.

*Vide Const. Frid. De pace Const. anno, post vsque Feudor.

XXV. Anno Domini MCLXXVI.

Philippus Colonienſis Archiepiscopus, cui Imperator id negocii iniunxerat, collecto nouo exercitu cum quibusdam Teutonicis Principibus mense Maio Italiam intrauit, & veniens Cumis ibi substitit, vt ibidem coadunaretur exercitus omnis. Cuius aduentu cognito Imperator, qui eo tempore Papię morabatur, cum paucis Cumis venit, ipsumq; Episcopum & qui simul venerunt, gratissime suscepit. Interea Mediolanenses, & Veronenses, cæteriq; Longobardi collecto immenso exercitu Cumis appropinquabant, vt nouum exercitum tamq; ex itinere fessum bello appeterent & opprimerent. Quod dum Imperatori per exploratores certius innotuisset, & à quibusdam suaderetur, vt tantæ multitudini ad tempus cederet & bello abstineret, indignum iudicans Imperatoriæ maiestati hostibus terga dare, assumptis hiis qui de ciuitate erant, & hiis qui cum Archiepiscopo venerant, hostibus viriliter occurrit. At Longobardi aut vincere aut mori parati grandi fossa suum exercitum circumdederunt, vt nemo cum bello vrgeretur, effugere posset. Pugnatum est igitur ab hora diei tertia vsq; ad nonam: Victoria tamẽ Longobardis cessit. Plures ex vtraq; parte occisi, nonnulli nobilium ex Cæsarianis capti: Somarii quoq; castra direpta sunt.

Hoc etiam anno habita sunt pleręq; concilia in Italia cum Imperatore & amicis eius pro diutino schismate sanctę Ecclesię, & admonitus per Dei misericordiam Dominus Imperator iustitiæ cedere, & totius orbis vnitatem non deserere. Sed tam repente ea res nequiuit finem habere.

XXVI. Anno Domini MCLXXVII.

Indictione x. Paschali die, VIII. Kal. Maii, occurrente anno Friderici Romanorum Augusti XXV. in vigilia beati Iacobi Apostoli, apud Venetiam informata est & confirmata pax & vnitas sanctæ matris Ecclesiæ, & Dominus Alexander Papa Catholicus & Romanæ Ecclesiæ pontifex summus est receptus, præsente & collaudante Imperatore, & de toto orbe Episcopis, Abbatibus & prælatis Ecclesiarum, cum iam schisma XVII. annis continuis perdurasset.

Textus est c. licet. Ex. de elation.

Victoria celebris Christianorum de paganis & Saracenis in finibus Iherusalem per virtutem S. Crucis, sicut à fidelibus peregrinis est relatum.

Rex

Rex Angliæ Heinricus terram Scotorum armata manu ingressus, Regem eorum & eiusdem gentis homines ad deditionem coegit.

Anno Domini MCLXXVIII. XXVII.

Imperator natalem Domini Papiæ celebrat.

Eclipsis Lunæ perspicua, quę cum XIIII. esset, per vnius horę spacium dimidio orbe obscurato altero fulgida remansit.

Godefridus Episcopus Traiectensis obiit : cui Baldevvinus frater Comitis de Hollant substitutus est.

Imperator de Italia rediit,& curiam in Assumtione S. Marię apud Bisuntium in Burgundia habuit.

Dissensio inter Episcopum Colonienſem & Ducem Saxoniæ. Siquidem Episcopus Colonienſis aggregata pręclarissima militia,terram Ducis trans fluuium Wisaram potenter ingressus, quædam castella eius cepit, nullo sibi resistente ex parte Ducis.

Anno Domini MCLXXIX.

Imperator Natalem Domini apud Wirzeburg celebrat, curiam vero in oct. Epiphaniæ Wormatiæ habuit pro prædicta dissensione Colonienſis Episcopi & Ducis & Principum Orientalium Saxonum, qui omnes iustitiam de duce à Cæsare implorabant, cum ille tamen absens esset.

Christianus Mogontinus Episcopus capitur à Maruio * Ferrei montis. * Marchione Montisferrati.

Curia apud Magedeburg satis celebris, vbi querimonia omnium pene Principum habita est de Duce Saxonum, * qui iam per annum ad audientiam vocatus venire,aut noluit,aut timuit, ibique fraus eius & perfidia primum Imperatori detecta est. Nec multo post expeditio in Saxoniam ab Imperatore & Principibus indicitur. Episcopus Colonienſis collecto forti milite terram Ducis iterum potenter ingressus,nullo sibi resistente,sine congressione pugnæ pacifice rediit. * Henrico Leone.

Æstas tempestuosa extitit, ita quod mense Iunio lapides grandinis insolitæ quantitatis ceciderunt.

Episcopus Traiectensis & Comes Hollandiæ contra Fresones arma mouerunt: sed sine honore victoriæ redierunt.

Kalend. Augusti terræmotus fuit, & eadem die circa horam sextam stella iuxta Solem visa est.

Eodem mense Eclipsis Lunæ in plenilunio à media nocte vsque ad mane extitit.

Ludouicus Rex Franciæ obiit,cui Philippus filius eius succedit.

Anno Domini MCLXXX. XXIX.

Imperator natalem Domini apud Herbipolin celebrat. In media Quadragesima curiam apud Geylinhusen habuit. Ibi sententia ipsius Cæsaris & iudicio cunctorũ Principum Dux Saxoniæ ducatu suo priuatur,& assensu cunctorum Episcopus Colonienſis in sua dioceſi & per omnem Westfaliam & Angriam eidem ducatui præficitur. Reliqua autem pars per omnem Saxoniam Comiti Bernardo de Hanahalt obuenit.

Nuncii Regis Franciæ Imperatorem Sinzege * adeunt, cum literis eiusdem Regis,in quibus se deuote excusauit nunquam sibi animo fuisse, vt causa Ducis Saxoniæ Imperatori rebellaret. Idipsum nuncii Comitis Flandrensis de Domino suo credi petebant. Vtrorumque nuncios Imperator cum honore & pace remisit. * Sinzich ad Rhenum fluuium.

Pugna inter Ducem Saxoniæ & Lantgrauium, nouumque Ducem Bernardum committitur : ibique Lantgrauius capitur cum pluribus, & custodiæ mancipatur.

Dux Poloniorum aduersus nepotem suum auxilium Imperatoris impetrans, decem millia marcarum Cæsari promittit.

Nuncius Soltani Regis Persarum illic aderat, sed cuius rei gratia venerit, latet.

Colonienſes circa muros elaborant fossatum.

XXX. Anno Domini MCLXXXI.

Imperator natalem Domini Wirzeburch celebrat.

Emanuel Rex Græciæ obiit. Ferunt huius germanum Andronicum nomine Turcis sociatum in paganismum lapsum, sed hortatu fratris ad Christianitatem rediisse, & per obitum præfati Regis regnum inuasisse, filium eius peremisse, vxorem eiusdem filii fratris sui filiam, scilicet Regis Franciæ sibi copulasse. Imperio itaque per fraudem adepto quosque nobiles, qui erant de semine regio, comprehendens, plurimos occidit, quosdam membris mutilauit, & sic multa mala in regno operando per aliquot annos crudeliter & tyrannice imperauit. Quadam die necromanticos & astrologos, quorum consilio semper vtebatur, ad se accersiens consuluit eosdem, volens per eos edisscere, quanto tempore regnare, vel quali fine deberet decedere. Qui per inuocationem Dæmonum edocti, tertia die reuersi sunt ad eum, dicentes: sic & sic illa die morieris, & à quodam Sach interficieris. Ex quorum mox verbis perterritus, quosdam fideles sibi inuitans, scisscitatur si aliquis in ciuitate de semine regio superstes nomine Sach moraretur. Illi autem causam diligentius inuestigantes neminem nomine Sach, sed quendam Tyrsac* virum probum & fortem in ciuitate regia habitare fatentur. Quod ille audiens precone accito eundem sibi præsentari præcepit. Qui mox ad eundem veniens, mandata Regis edicit. Ille autem nequitiam Tyranni intelligens, occulte in conclaui armis induitur, & sic equo ascenso cum eodem ad palatium ire festinat. Quem cum sæpius ad accelerandum iter virga, quam manu gestabat, subsannando compelleret, iratus ille euaginato gladio caput illi amputauit, & sic per totam ciuitatem discurrens extento gladio ad omnes vociferabatur, ita dicens: Venite omnes, ego occidi Diabolum. Accurrens autem vniuersus populus tam nobilium quam ignobilium, & putantes eum Tyrannum occidisse, cum eodem ad Ecclesiam S. Sophiæ processerunt, & statim totum senatum conuocantes coram Patriarcha & omni clero Imperatorem eundem pronunciauerunt. Audiens autem Tyrannus quæ facta erant, occulte de palatio exiens, galeidam intrauit, & sic per mare, quod dicitur Brachium S. Georgii, super quo palatium situm erat, fugere cœpit. Veniens autem nouus Imperator cum omni populo ad palatium, & eum fugisse comperiens continuo alias galeidas ad capiendum illum misit. Quem statim comprehendentes coram eo statuerunt. Qui conuocans omnes nobiles, quos ille mutilauerat, præcepit vt propriis manibus crines capitis eius & barbæ extraherent, & sic ad caudas equorum indomitorum eum ligari, & per totam ciuitatem trahi, paruis eum prosequentibus, & lapides & lutum super eum iacientibus. Sic Andronico extincto, & Tyrach* sublimato, secundum innatam Græcis malitiam Fridericum postmodum Imperatorem cum peregrinis Græciam transeuntem in multis offendunt.

* Isaac.

* Isacio.

Christianus Moguntinus Episcopus dato non modico argento captiuitate soluitur.

Expeditio Imperatoris in Saxoniam. Castella Ducis plurima deditionem Imperii faciunt: omnisque Saxonia à Duce deficiens, Imperatoris gratiam adire festinat. Quid plura? Ille quondam famosissimus & potentissimus in Romano imperio Dux Heinricus* Dei voluntate humiliatus & deiectus tandem ad deditionem venit, sententia cunctorum Principum nomine & officio Principis priuatur, quicquid ab Imperio & Episcopis habuit, ei aufertur, finibus Imperii tribus annis cedere cogitur.

* dictus Superbus.

XXXI. Anno Domini MCLXXXII.

Imperator natale Domini Merseburch celebrat.

Dux Saxoniæ exilium subiens in Angliam tendit, ibiq; triennio, vt Imperator & Principes decreuerunt, demoratur.

XXXII. Anno Domini MCLXXXIII.

* Episcopi Colonienſis, qui sixit circa an. 1170.

Corpus beatissimi confessoris Christi Annonis* de tumulo eleuatum est, per Iohannem Cardinalem S. Romanæ Ecclesiæ, & Petrum Lunensem Episcopum;

pum; cum iam centum & octo annis in sepulcro quieuisset, & Deo gloriam suam propalante innumeris claruit miraculis.

Christianus Moguntinus Episcopus in Italia moritur, cum iam ibi iussu Imperatoris per x i. fere annos armata manu Longobardos, Tuscanos, Græcos edomuisset. Cui Conradus quondam Mogontiensis Episcopus, sed ab Imperatore eiectus, gratiam Imperatoris adeptus, ab eo episcopatum recepit.

Anno Domini M C LXXXIIII. XXXIII.

Imperator curiam adeo celebrem & famosam omni Romano orbi in ciuitate Mogontiensi, vt nulla comparatione antecessorum eius curiæ huic comparari possint. Non solum enim ex Romano Imperio, verum & multis aliis regnis honorati illic adunati fuerant, liberalissime eis Imperatore per triduum copiam impartiente. Causa tantæ frequentiæ fuit, quod filius Imperatoris Rex Heinricus ense militiæ accingendus erat.

Res autem ibi accidit tam memorabilis, quam lugubris. Nam tentoriis per campestria fixis, propter nimiam frequentiam, quæ in ciuitate collecta erat, capella Imperatoria ex lignis constructa in campo erecta fuerat. Quæ diuino iudicio & infausto omine corruens plures qui in ea erant, oppressit. Simile huic præcedente anno apud Erpesfort contigit: vbi residentibus in solario cuiusdam domus nobilissimis viris, ex vehementi turbine solarium ruit, & ex eis quinque numero (quod dictu pudori est) in cloacam ceciderunt, suffocatique sunt, præter Lantgrauium, qui vix emersit.

Arnoldus Treuirorum Episcopus obiit, cui per schisma eligentium duo subrogati sunt, Rudolfus scilicet præpositus Ecclesię, & Volmarus maior decanus. Sed Imperator Rudolpho fauens regimen & iura Episcopii tradidit. Volmarus vero pecunia præditus in Italiam tendit, & gratiam Apostolici & Cardinalium sibi conciliat. Alter Imperatoris, alter Papæ solatio fouebatur. *Vide c. 4. dist. 63.*

Imperator post peractam glorioſissime curiam Italiam petit circa Augustum; & Mediolani, & interdum Papiæ moratur. Papa vero Lucius, qui ad colloquium Imperatoris venerat, Placentiæ hyemare disponit.

Anno Domini M C LXXXV. XXXIIII.

Imperator natale Domini Papiæ celebrat, crebriq; nuncii inter ipsum & Papam erant, antequam ad colloquium venirent. Filius Imperatoris insolenter agere, & res alienas diripere cœpit: vnde crebra querimonia ad patrem, & demum ad Apostolicum delata est. Vnde cum Imperator vellet, vt imperiali benedictione sublimaretur; fertur Papa respondisse ex consilio quorundam Principum & Cardinalium, Non esse conueniens duos Imperatores præesse Romano imperio. Deinde Imperator regno Græcorum infestus, filiam Rutgeri * Regis Siciliæ filio suo copulare procurat. ** Rogerii.*

In mense Octobri insolitus turbinis ventus adeo vehemens fuit, vt tecta lapidea arboresq; grandes deiiceret, & domos plures euerteret.

Dux Saxoniæ peractis exulationis suæ annis de Anglia rediit, proprio tantum contentus patrimonio.

Imperator Cremam Longobardiæ ciuitatem olim à se conuersam studiose reædificat, quæ restaurata ei rebellat.

Imperatrix obiit.

Anno Domini M C LXXXVI. XXXV.

Imperator natale Domini Mediolani celebrat. In octaua vero Epiphaniæ nuptias filii sui opulentissime cum magna pene cunctorum procerum frequentia apud Ticinum agit.

Rex Siciliæ Græco bellum inferre parans cunctas naues, per quas peregrini Ierosolymam ituri erant, vi occupauit, sicq; cum damno & luctu nimio singuli repatriauerunt.

Papa Volmarum contra voluntatem Imperatoris in Episcopum Treuirorum consecrauit. Et hoc quoddam discordiarum initium inter Apostolicum & Imperatorem fuit. *d. c. 4. d. 63.*

Treueris in die Pentecostes, qui obuenit Kalen. Iulii, quando festum S. Simeonis colitur, quidam clibanum panibus coquentes impleuerunt: qui omnes in sanguinem versi sunt.

XXXVI. Anno Domini MCLXXXVII.

Imperator Paschа Ratisponæ, Pentecoste Aldenburg celebrat.

Igitur prædictus Volmarus in regno Regis Franciæ se contuens, apud Remis suffraganeis, Episcopis, seu prioribus Treuirensis Ecclesiæ Synodum indicit. Imperator hoc audito, ne irent, interdicit. Episcopus Metensis Bertramus, quod eundem Volmarum hospitio suscepit, & quod Synodum eius dictus est adiisse, per Wernerum de Bolant nuncium Imperatoris eiicitur de episcopatu, bona eius confiscantur; ipse Coloniæ apud sanctum Gereonem, vbi etiam Canonicus ante fuit, priuatus vixit. Episcopus Virdunēsis ob eandem vverram episcopatum sponte resignauit. Episcopus Tollensis, & Priores Treuerenses, eadem occasione per Volkmarum excommunicantur, quam excommunicationem Papa confirmat.

Dominus Papa Colonienſi Archiepiscopo Philippo ius in appellatione, & vicem suam tam in episcopatu, quam supra omnes suffraganeos sedis Colonienſis indulget, & scripto confirmat,

Richardus filius Heinrici Regis Angliæ, mari transmisso terram Regis Francorum Philippi cum copiis suis inuadit. Vnde idem Rex Francorum opem Friderici Romanorum Augusti adsciscit: pro cuius metu Anglicus treugis datis ab inceptu desistit.

In Colonienſi episcopatu pauor ingens exoritur. Nam de Imperatore rumor celebrauit, quod exercitum per terram Colonienſium in auxilium Franci Regis ducere, reautē vera Coloniam in obsidione vallare intenderet: pontē etiam trans Mosellam latissimā de nauibus & trabibus transituris fieri iusserat. Pro quo moti Colonienses fossatum ciuitatis instaurant, & in ædificiis nouarum portarum insudant. Archiepiscopus castella custodiis & victualibus, oppida muris & fossis munit. Non enim in gratia Imperatoris admodum fuit, eo quod Papæ, qui Imperatori infestus erat, magis videretur fauere: & pro hac suspicione Imperatoriæ offensæ, fides de facili præstita fuit huic machinationi. Attamen constat, quod Imperator contra Colonienses tunc temporis nihil prauum moliebatur; & ideo dum ad eum delatio cucurrisset, de tumultuatione & apparatu ipsorum, grauiter tulit.

In Assumptione S. Mariæ curiam habuit Wormatiæ, vbi coram Principibus querimoniam fecit de Archiepiscopo & Colonienſibus, quod transitum ei per terram suam & Imperii vetare, & verbum tam probrosum per orbem Romanum de eo disseminare non timuissent. Itaq; à festo S. Iacobi Rhenum claudi iussit Colonienſibus, ne frumenta vel vina solito ad eos descenderent.

Tunc etiam inter Baldevvinum Traiectenſem Episcopum & Ottonem Comitem de Gellre bellum graue committitur pro terra Velevve, cædes & incendia grassantur: quod voluntate Imperatoris agitari ferebatur, quo minus auxilii partes illæ ferrent Colonienſibus, & ne naues in superiora ire potuissent.

DE INVASIONE SANCTAE TERRA, & S. Crucis perditione.

ANno eodem vox turturis, vox doloris & gemitus fines Christianorum vsque ad mundi vltima lamentabilis nouitate rumoris perculit; Terram sanctam Ierusalem, quam redemtioni nostrę ipsi dedicarunt pedes Domini, spurcitiis paganorum exponi, Crucem saluificam captam ab Ethnicis, stragem populi Christiani factam. Quod in hanc formam fertur accidisse: Rege Ierusalem mortuo, & filio paruo relicto, Regina filium Conradi Comitis de Monte ferreo duxit, qui posset tueri regnum quoadusque puer adoleuisset. Vnde Comes Tripolitanus patruus pueri grauiter motus, quod ei potissimum hæc cura deberi videretur, se ad Turcos siue Saracenos contulit, eorum opem quæsiuit. Qui congregati in multitudine graui, terram Ierosolymorum intrant, ciuitates & castella in virtute sua capiunt,

piunt, habitatoribus cæsis in ore gladii, prælium etiam cum Christianis committunt, in quo (proh dolor) ipsi victores existunt: sicut literæ Papæ Vrbano directæ testantur, quas huic paginę subiicere non putauimus otiosum ob notitiam rerum.

Sanctissimo patri suo Vrbano Dei gratia summo & vniuersali Pontifici, Tirritus pauperrimæ militiæ Templi dictus præceptor, cum vniuerso pauperrimo & fere annihilato fratrum conuentu, salutem & debitam in Domino obedientiam, cum omnimoda reuerentia. Quot quantisq; calamitatibus ira Dei peccatis nostris exigentibus perculsi præsentiarum opprimamur, nec literis, nec flebili voce, proh dolor, explicare valemus. Turci enim immensam gentium suarum multitudinem congregantes, Christianorũ fines acriter inuadere cœperunt. Contra quos gentium nostrarum phalanges coadunantes, peccatis exigentibus intra oct. Apostolorum Petri & Pauli in eos congredi, & versus Tiberiadem, quam violenter castro suo relicto ceperant, iter arripere præsumpsimus. Cumq; in scopulis pessimis nos induxissent, ita nos acriter expugnauerunt, vt sancta Cruce & Rege nostro capto, & omni nostra multitudine interfecta, vix Comes Tripolitanus, & Dominus Reinoldus Sydonius, & Dominus Balianus, de miserabili illo campo euadere potuerint. Deinde in nostrorum Christianorum sanguinem sunt debacchati, & versus ciuitatem Accaron cum omni sua multitudine venire non distulerunt: quam violenter capientes totam fere terram Ierusalem inuaserunt, Ascolo, Tyro, & etiam Beryto, nobis & Christianitati solum relictis. Istas etiam ciuitates omnibus fere habitatoribus in prælio interfectis, nisi diuinum & vestrum adsit auxilium, nullo modo retinere poterimus. Ciuitatem etiam Tyrum impræsentiarum acriter impugnãtes, die ac nocte violenter impugnare non cessant, & tanta est eorum copia, quod tantam terræ faciem à Tyro vsque Ierusalem & vsque Gazam, velut formicæ frequentes cooperuerunt. Nobis igitur & Christianitati Orientis ad præsens omnino fere perditæ quantocyus succurrere dignemini, vt per Deum & vestræ paternitatis auxilium istas residuas ciuitates vestro fulti adminiculo defendere possimus.

Similia demandata sunt illustri Domino Friderico Romanorum Imperatori. Ex occasione tam luctuosæ legationis & facti memorati, Papa Heinricum Albanensem Episcopum Cardinalem misit ad partes Galliarum, & in omnem transalpinam prouinciam, vna cum legato Ieroſolymitano, inuitare & exhortari omnẽ virum strenuum & electum ad subeundam peregrinationem pro amore Christi & ligni Dominici liberatione. Innumera ergo nobilium & vulgarium turba Crucem sibi affigunt.

Globi scintillarum magno agmine, & longo tractu se sequentes prope terram, visi sunt tempore messis: quos quidam interpretati sunt portendere expeditionem in Ierusalem. Eclipsis solis circa festum * ab hora sexta vsq; ad octauam. * *deest.*

Ante hyemem filius Imperatoris rebus in Italia compositis cisalpinat.

Anno Domini MCLXXXVIII.

Imperator natale Domini agit Treueris: vbi publice toti curiæ & senatui conquestus est, quod in prouecta ętate cogeretur à Colonienſi clero exercitum adunare, terram imperii sui vastare contra suam voluntatem.

Circa natalem Domini & Rex Galatiæ terræ sancti Iacobi cæditur à paganis, cum ipse tamen victor extitisset.

Quidam dicebant in plenilunio tres lunas se insimul vidisse vna nocte cum alba macula, & signo crucis transeunte per medium.

Imperator purificationem S. Mariæ apud Nurmberg * agit, vbi Archiepiscopo Colonienſi post plurimos dies ex sententia præfixos, quos ille supersedit, tandem peremtorium diem iudicialiter posuerat. Quo cum idem præsul occurrisset, inde vsq; Lætare Ierusalem ad curiam Mogontiæ causa inducta est. * *Vbi edidit, legem de incẽdiariis, lib. V. Feud. tit. X.*

Circa idem tempus filius Imperatoris Confluentiæ conuentum magnum habuit, citatis ad se Comitibus & nobilibus Lotharingiæ, & maxime de episcopatu Colonienſi. Cumq; perquireret, qui cum eo stare vellent contra præsulem & terram Colonienſem, & ei cuncti contradicerent, iratus recessit.

Lætare Ierusalem curia celeberrima apud Mogontiacum celebratur à totius Teutonici regni capitaneis, tam de clero quam de ordine laicali præsente

Heinrico Cardinale, quæ à sereniſſimo Imperatore & filio eius Rege curia Ieſu Chriſti ante fuit intitulata. Ad eandem curiam Imperator interrogauit in propria perſona, Quid potiſſimum iudicaretur? an in continenti crucem ſumeret, an differret, quod poſt annum iturus erat? Cumque omnes acclamarent, ne differret, crucem ab Herbipolenſi Epiſcopo Godefrido ſuſcepit, cum ſummo tripudio & laudibus, ac præ gaudio fletu cunctorum. Ante eum filius eius Dux Sueuiæ Fridericus hanc ſuſceperat.

Ibi quoque Archiepiſcopus Colonienſis & Colonienſes reconciliantur Imperatori, eodem tamen præſule triplex ſacramentum præſtante pro obiectis, duo pro duabus curiis non quæſitis, * vnum pro Iudæis, quos in contumeliam Imperatoris diffamatus erat pecunia multaſſe. Modus autem reconciliationis hic erat: Dabunt Imperatori duo millia marcarum, ducẽtas & ſexaginta in curiam. Vnam portarum deſtruent ad vnam teſtudinem, foſſatum reimplebunt quatuor locis ad quadringentos pedes. De quibus tamen conceſſum eſt, vt (ſi vellent) ea die ſubſequenti in priorem ſtatum repararent. Quod ſic factum eſt. 10

* id eſt, mora duorum terminorũ non affecta. Secund. Tit. 22. libr. 2. Feud. & leg. Lombardabi eleg.

Epiſcopus Traiectenſis & Comes de Gellre, & multi alii, quos diſcordes antea nemo in concordiam potuit reducere, nullo niſi Spiritu Dei mediante ibidem inter ſe reconciliantur, & plurimi læti ex eis crucem ſumunt.

Mogontinus mittitur ab Imperatore ad Vngarum pro Bulgaria exæquanda, & ſtratas & pro victualibus prouidendis exercitibus ſignatorũ. Qui remandat ita de his ordinaſſe, quod centum equorum pabula marca emantur, ſimiliter quatuor boues præſtantes marca vna, & cætera in hunc modum. 20

Imperator Paſcha apud Geilinhuſen agit.

Fridericus filius Imperatoris Dux Sueuiæ filiam Belæ Vngari Regis ducit vxorem.

* Dittz. In Aſcenſione Domini Comes de Deitce * Heinricus profectus eſt, quem miſit Imperator ad Saladinum Regem, vt fœderi quod mutuo nuper pepigerat, renunciaret: & quod amicus eius eſſe non poſſet, imo hoſtem; & totum Romanum imperium vel orbem contra eum moturum, niſi ſub celeritate ſanctam terram Ieruſalem deſerere, lignum Dominicum in id loci, quo id tulerat, referre, de occiſis Chriſtianis qui vtiq; homines ipſius eſſent, ſatisfacere feſtinaret. 30

In Aprili eruptiones fluuiorum factæ, quales ante nemo viderat. Sed & in ſiccis locis iuxta fluenta maximarum inundationum ebullitiones apparuerunt.

Æſtas ſicca & feruentiſſima fuit.

Imperator totam æſtatem circa Wiſaram exegit: caſtella & munitiones, de quibus rapinæ & telonea iniuſta fiebant, deſtruxit.

* Saxonia. Heinricus de Aldenburg, qui antea Dux fuerat, * Imperatori reconciliatur, & natale ſolum ad tres annos abiurat, & in Angliam ſecedit.

Philippus Rex Franciæ, & Richardus Rex Angliæ, abruptis crucibus bella renouant, terras mutuo deuaſtant, & nulli ætati parcunt. Poſtea confœderati contra patrem eiusdem Richardi prælia inſtaurant, donec eo defuncto ad rediuiua iterum bella relaxantur. 40

Deſtructio cœnobii apud Grandimont per Comitem Richardum, quod repletum ferebatur Ethnicis.

Hoc anno Archiepiſcopus Colonienſis præcauens in futurum, ad quadraginta millia marcarum, & ſeptingentas marcas ſummam argenti perduxit in coemptione vrbium & prædiorum terræ Colonienſi adiacentium circum circa.

Filius Imperatoris ante Auguſtum menſem de montanis Longobardiæ rediit, cum detrimento ſuorum, reſiſtente ſibi Wilhelmo Comite de Barba.

Interim naues fabricabantur per diuerſas regiones & ciuitates in expeditionem: è quibus quatuor de Colonia mouerunt, in quibus erant ad quindecim cẽtum homines. Tam hii quam cæteri omnes ad tres annos victualia copioſe habebant, armis præcipuis & omni genere reſiſtendi muniti. 50

Imperator militem probum Godefridum de Wiſenbach cum non multis xeniis mittit ad Soldanum de Iconio confœderatum ſuum ab antiquo pro negotio tanti

tio tanti itineris. Ille visis literis & nunciis Imperatoris, plus quam dici possit, gauisus est, dicens sibi nunquam rem iocundiorem obuenisse, quod Imperatorem Romanorum, quem semper optauerat videre, in proximo per terram suam transiturum audiret: se suaq; omnia illius voluntati & imperio fore exposita. Sed hoc eum in dolo egisse rei exitus comprobauit. Scripsit etiam Imperatori Græco, qui solito more veneni malitia repletus legatos nec bene tenuit, nec bene dimisit. Attamen cum nunciis Soltani suos responsales remisit ad Imperatorem: quos ille modice tractari fecit, nec eorum fictis legationibus fidem præbuit.

Anno Domini MCLXXXIX. XXXVIII.

Imperator natale Domini Egræ agit.

Cunradus de Sur * literas Imperatori misit, rogans vt festinet venire, dicens paganos eius aduentu terreri, conquerens etiam de Widone, qui Rex fuerat Ierusalem, sed captus à signatis quibusdam castellis in ius Soltani liberatus est: & de Philippo Flandrensi templario, quod hii inuidia ducti grauarent eum in multis etiam plusquam pagani. Vnde & argenti pondus, quod Rex Angliæ ad subsidium Christianorum miserat, diripuerunt. * Syria.

Ante natale Domini Imperator scripsit duobus Comitibus, vt cunctis Principibus per imperium, qui signati erant, vt se expectent in eundo, iuramento paratus confirmare, si non crederetur, se vltra diem S. Georgii non moraturum, imo ea die apud Ratisponam venturum: & quicunq; cruciati sint, ad hoc iter expediti eo occurrant, inde secum migraturi contra Saladinum. Ab hoc natali Domini vsque in mediam quadragesimam, vt arena maris atque cœli sidera, incomputabiles signatorũ caterux, euntium & equitantium, omnes stratas regias, & per ascensum Rheni loca omnia repleuerunt. De tot vero præmissis exercitibus ad mare minima pars transire potuit, quod ad nutum Imperatoris Siculus Rex inhibuerat transitum peregrinis, eo quod victus deforet in transmarinis, & quod manu parua nihil facere possent contra paganos ante aduentum Regum diuersorum & ipsius Imperatoris. Ierusalem muris & turribus obfirmabatur ab Ethnicis. Sepulchrum Dominicum clauditur. Acra quum post necem Christianorum per aliquot tempus deserta haberetur, vtpote fracta & diruta, iterum ab Ethnicis reædificatur & habitatur. Solam Sur, * & Tripolin, & Antiochiam, & castella in montanis posita Christiani obtinent. Marchio Cunradus quietus in Sur esse, nec confligere cum paganis statuit: ne si exercitus suus perimeretur, ciuitas a Christianis perditum iret. * Syriam.

In natale Domini legati Soltani de Leonio * cum quingentis equis Imperatorem adeunt mille numero: qui plures ideo missi sunt, vt eo magis crederetur hiis, quæ nunciarent. Soltanus ad subsidium itineris & ad opem indefessam Imperatori & exercitui eius se expositum mandauit, & xenia ei quoque transmisit. Aderant etiam legati Seruianensis Regis. Est enim Seuerian * terra inter Ruttenian & Vngariam posita. Isti in mandatis habebant, Regem ipsorum summo gaudio perfundi pro aduentu Imperatoris; & quod Romanorum Augustum in specie peregrini per terram suam transiturum se videre speraret, nihil in hac vita iucundius reputare. Ad hoc scripsit ei, nobilissimam vrbium suarum se ad hoc præparare, quatinus cum maxima solennitate eum ibi decenter exciperet: & de cætero caput regni sui eandem vrbem reputare, & hac libertate eam donare velle. Quibus glorioſe susceptis ac remuneratis, diuersa dona Regi eorum remisit, glorificans Deum, quod à Regibus, quos vix vnquam nominari audierat, tanti haberetur. * Leonio. * Seruia.

PRIMA EXPEDITIO SVB Friderico Imperatore.

IN quadragesima naues vndique aduentantes, & sibi inuicem copulatæ, velis oppansis iter æquoreum ingressæ sunt. Quæ post x. dies nauigationis suæ prosperante Deo terræ sancti Iacobi applicuerunt. Erant sexaginta naues ex eis, virorum vero pugnatorum ad decem millia & amplius. Egressi in arida ad sanctum

Iacobum adoratum pergunt. Sed quum fama nihilominus percurriſſet, eos caput ſancti Iacobi velle per vim auferre, timore acti prouinciales eos à Compoſtellæ vrbis, vbi Apoſtolus quieſcit, ingreſſu arcere tentabant. Sicque paucis inde cæſis, prudentibus viris obſtantibus, tumultus detumuit. Inde ad naues regreſſi, cum in Africæ partes veniſſent, vrbem Gentilium populoſam nomine Albur oppugnant & capiunt, atque aurum & argentum infinitum inde detrahunt, vrbicis in ore gladii cæſis.

Æſtas feruentiſſima vſque ad Auguſtum menſem fuit, in quo etiam mortalitas hominum & pecudum immenſa contigit.

Godefridus Dux Brabantiæ & Heinricus Comes de Lo propter iurisdictionem oppidi S. Trudonis in manu valida bella gerunt. E quibus Dux L X. millia hominum contraxiſſe fertur: Comes autem minus ad L X. in qua ſita eſt gens atrociſſima, hinc inde tale quid accidit. Tres vnius partis armigerum partis alterius comprehenſum compellere cœperunt, vt ſe ab eis redimeret. Cumq; ſe non habere diceret, vnde ab eis redimi poſſet, eum in tres partes inciderunt, & quisque partem ſuam tulit. Similiter autem partis alterius duo egerunt in captione partis vnius, & eum per medium diuidendo quisque ſuum tulit.

Heinricus Rex Angliæ obiit, pro quo filius eius coronatur, qui accepit vxorem Philippi Regis Franciæ, nam reconciliati prius erant.

Heinricus quondam Dux Saxonum cognita Imperatoris abſentia contra iuramentum de Anglia reuerſus natiuum ſuum expetit, aſtipulante ſibi Rege Richardo, cuius ſororem habuit, & Rege Dacio genero ſuo.

Gofredus Cardinalis à Papa Clemente miſſus eſt ad Regem Heinricum pro negotiis Eccleſiæ, quo mediante Iohannes Imperialis aulæ Cancellarius Treuirorum Archiepiſcopus inueſtitur à Rege. Rudolfus maior Eccleſiæ Præpoſitus, & Folmarus maior Decanus, vt ante, eſſe iubentur.

Eodem tempore Rex expeditionem Italicam iurare fecit nobiles, maxime eos, qui miniſteriales Imperii eſſent, à feſto S. Matthæi poſt annum explendam, quatenus in Auguſtum ipſe conſecrari debuiſſet Romæ.

Engilbertus Comes obiit menſe Nouembri, circa feſtum S. Martini.

Plurimi peregrinorum, qui nauigio ierant, redierunt Coloniam, adducentes ſecum veſtes, & pallia, & alia quædam pretioſa, quæ euerſa quadam vrbe paganis abſtulerant, circa feſtum purificationis S. Mariæ reuertuntur.

Imperator circa feſtum S. Georgii curiam celebrem Ratiſponæ habuit, occurrentibus illuc Comitibus omnibus ſignatis, qui cum eo per terras ire diſpoſuerant, ibiq; ad peregrinandum Deo lumbos ſuos ſuccinxit: relicta rerum ſumma filio ſuo Heinrico Regi. Erat autem exercitus eius x x x. millia hominum, inter quos erant x v. millia electorum militum. A prædicta ergo vrbe per decurſum Danubii iter mouentes, venerunt in ciuitatem, quæ dicitur Brisburc,* & eſt initium Vngariæ. Ibi in die Pentecoſtes Imperator conuentum habuit, & iurata eſt pax ab omnibus, & lex malefactorum lata eſt, & de proceſſu itineris actum eſt. Feria quarta inde mouerunt, & in octaua Pentecoſtes occurrit eis Rex Vngariæ cum Regina, obtulitq; Imperatori tentorium operoſum, quod portare vix poterant tria plauſtra, & alia inſignia. Filiam quoque ſuam filio Imperatoris Friderico deſponſauit, atque per totam Vngariam transeunti miſit plerunque victualia gratis & ſufficienter, prouidens etiam ne in comitatu eis mercatum abundans deeſſet. Venientibus namq; eis ad ciuitatem S. Georgii præparari iuſſerat domum plenam farina, & pabulum, ex quibus quisq; pro libitu accepit.

* Brisburg.

Emenſa Vngaria ventum eſt ad flumina Marovvam, Sovvam, & Drovvam: quibus nauigio tranſitis per deſcenſum Danubii Brunduſium peruenerunt, ibiq; per dies octo quieuerunt, proſpicientes ſibi in vehiculis & aliis viæ neceſſariis. Erat autem tempus æſtiuum circa feſtum Apoſtolorum ſcilicet Petri & Pauli, obitque ibidem Engilbertus Comes de Monte. Habita eſt etiam ibi ab Imperatore curia in villa, quæ Belgraue* dicitur, ad quam duo nobiles de Alſatia pro violata pace decollati ſunt.

* Belgradū.

Profecti

Profecti de Brundusio intrauerunt fines Bulgarorum, qui ingenita sibi fraude hostiliter eos supra opinionem exceperunt, telis & sagittis eos lacessentes, & inhumana crudelitate in eos debacchantes. Captum enim quendam ciuem Aquensem palo per intestina transfixèrunt. Vnde ex eis quinque capti probrose etiam suspensi sunt. Transierunt autem Bulgariam summo metu & periculo, eratq; semper in fronte exercitus Fridericus Dux Sueuiæ, currus vero & alia vehicula retro agebantur cum custodibus.

Intra Bulgariam venerunt ad ciuitatem nomine Myceam, vbi Princeps dictus Serf cum summo gaudio Imperatorem excepit, datis ei nonnullis donis. Ab hoc loco Imperator legatos ad Regem Græciæ misit, Rupertum Comitem de Nassovve, & Comitem Walramum cum D. equitibus & eorum apparatu, pro pace & conductu per terram suam & mercatu. Quos ille quidem benigne suscepit, septemque diebus pacifice in Constantinopoli tenuit, sed octauo die in carcerem mitti iussit, vbi & aspera multa contra ius legatorum passi sunt. Imperator autem cum suis progrediens venit in ciuitatem nomine Straleiz. Bulgari vero tribus muris singillatim ab inuicem positis iter eorum præstruxerunt, æstimantes se eos implicatos in illis absque discrimine occidere. Attamen hoc conamen eorum nostris non nocuit, eo quod staret omnipotens cum eis; ex parte vero illorum multi ceciderunt in gladio.

Emensa tandem Bulgaria, in qua circiter octo septimanis velut in camino tribulationis desudauerunt, intrauerunt Macedoniam, partem scilicet Græciæ opulentam, in qua maximam pomorum, vinearum, pabulique copiam inuenientes per aliquod tempus recreati sunt. Applicuerunt etiam ad ciuitatem Viuipopolin,* quæ & Philippis, cuius habitatores omnes ad solam venientium famam relicta vrbe aufugerant. Imperator autem vndique suspectus insidias sciens, quoniam docti semper est metuere, edicto vetauit, ne quis suorum ciuitatem intraret, sed omnes foris muros vrbis residerent. Ibi responsales Regis Græciæ ad eum venerũt, per quos ei demandauit, se saluum esse, & nihil aliud. Iterato per alios ei demandauit, se post Deum esse Dominum dominantium. Tertio ei demandauit, quod si regnum Romanorum dare vellet in manus eius, & ab eo loco hominii recipere, conductum ei daret per terram suam, & mercatum sufficiens. Ad hoc Imperator ita respondit: Eam ego in Christo & in fratribus meis, qui pro eius crucis liberatione mihi adhærent, habeo fiduciam, quod eiusmodi compositionem cum eo facere opus nobis non erit. His dictis legatos in pace dimisit.

* *Philippopolin.*

In eodem confinio collectores pabuli cœnobium quoddam expugnare aggressi sunt, quod summis copiis rerum necessariarum plenum inuenerunt. Hii vero qui intus erant, vim oppugnantium ferre non valentes, missis nunciis ad Imperatorem eius potestati se & sua tradiderunt. Quapropter iussu eius omnia ablata exceptis victualibus receperunt. Tanta autem inundatio imbrium exorta est in castris, quod in ciuitatem intrare compulsi sunt: nunciusq; Imperatoris transiens per plateas singulis secundum quod oportebat mansiones distribuit: Armenii etiã quaqua versum venientes mercatum eis abundantissimum in omnibus præbuerunt. Cumq; iuuenes quidam animosi de exercitu mercatum spoliarẽt, quotquot ex eis capi potuerant, iussu Imperatoris decollati sunt. Tanta vero eius erat in iudicando seueritas, quod nullius preces in iudicio admittebat, nec personam alicuius respiciebat, sciens quoniam bonis nocet, qui malis parcit, & quoniam facilitas veniæ incendium* tribuit delinquendi. Cuius rei gratia Armenii delectati magis ac magis necessaria aduehebant.

* *incentiuum.*

Imperator autem sua & legatorum suorum iniuria permotus, videns quod Rex Græcus nullam suis nisi coactus humanitatem exhiberet, statuit in regnum eius vehementius insurgere: assumensq; partem exercitus processit versus Andronopolim,* eam vacuam & ab incolis nuperrime desertam inuenit. Erat autem tempus hyemale circa festum scilicet S. Cæciliæ. Dux etiam Sueuiæ cum quibusdam egressus pro pabulo accessit Dimodicam, demandauitq; vrbicis, vt sibi suisq; mercatum præberet. Quod illi facere dissimularunt, accensis animis iussit suos ar-

* *Adrianopolim.*

mari, & hora diei nona repente aggressus ciuitatem ita felici potitus est victoria, quod ad vesperam capta ciuitate habitatores pene omnes occiderat. Erat infra ciuitatem turris quammaxima, quam tuebantur milites conducti, qui dicebantur Aleni,* missi illuc à Saladino. Hii strenuissime nostris resistebant, donec tres iuuenes robustissimi acclinata ad turrim arbore audacter per fenestram ad eos intrauerunt, & prosperata est salus in manibus eorum, omnesque illos occisos per fenestram, quam intrauerunt, eiecerunt. Tanta autem erat in hac ciuitate rerum omnium affluentia, quod decem septimanis continuis sufficit toti exercitui omnia victui necessaria copiose ministrare. Inter hæc & milites quidam per turmas egressi circumquaque vagabantur percutientes, quotquot inuenerunt, in gladio.

*f. Alani.

Eodem tempore Soldanus, cuius supra mentionem fecimus, legatos ad Imperatorem direxit: quos Rex Græciæ cepit.

XXXIX. Anno Domini M C XC.

Heinricus Rex natale Domini in Sueuia apud Egram agit.

Sicilienſis Rex obit: pro cuius regno sibi vindicando Rex expeditionem indicit, & iurare facit.

Hyems sicca & calida.

Mortalitas hominum immensa. Signatorum qui nauigio ierant, cũ in vnum trans mare conuenissent, erant centum millia & mille, qui partim bello, partim morbo ita sunt attenuati, quod in Ianuario XX. extincta esse passim nunciantur.

Eodem etiam tempore obiit illustris Ludewicus Lantgrauius. Vnde Apostolicus omnes signatos, qui domi remanserant, excommunicauit, si post octauam Paschæ ire dissimularent.

In Pentecoste rex curiam apud Nurinberc habuit, vbi Archiepiscopum Colonienſem curtes omnes ab eo quondam inuadiatas absoluit, telonia quædam & monetas concessit. Nitebatur enim eum modis omnibus sibi allicere, eo quod vir strenuus & victoriosus esset.

Post Pascha Rex Moguntinum Archiepiscopum, & Dietherium Cancellarium præmittit in Apuliam ad explorandum euentum rerum: sed ortis inter eos simultatibus Moguntinus statim reuertitur. Cancellarius in Nouembri redit, omnia captu facilia iudicans.

In Maio grando insolita circa Moguntiam ad C. villas & amplius omnia vastauit. Omnis hic annus pluuia & crebris inundationibus plenus fuit.

In Septembri filius Comes Flandriæ cum immenso apparatu & diuitiis incomparabilibus iter ad sepulcrum Domini arripuit.

Godefridus Dux Brabantiæ obiit.

In mense Nouembri Rex in Apuliam proficiscitur: sed audita morte patris & Ludewici Lantgrauii Colonienſem Archiepiscopum præmittens ipse in Thuringiam proficiscitur, eam sibi subiicere tentans. Postea tamen fratri ipsius omnia permittens in Apuliam tendit.

Signatorum plurimi de maritimis reuertuntur. Philippus Rex Franciæ & Richardus Rex Angliæ cum suis exercitibus in expeditionem accinguntur, & in maritimis hyemandi gratia demorantur.

Godefridus Wirceburgenſis Episcopus obiit.

Videns Rex Græciæ, quantum in terra & hominibus detrimentum per Imperatorem & Comites eius sustineret, multis missis nunciis vix tandem pacem ab eo impetrauit tali compositione, vt legatos eius honorifice remitteret, & nauigia ad transeundum brachium S. Georgii prouideret: huiusq; rei obsides XXIIII. ex optimis terræ cum donis regiis ei transmisit. Imperator autem compositioni assensum dare noluit, nisi & nuncii Soldani cum suis dimitterentur: quod & factum est. Quum ergo custodiis laxarentur, datæ sunt eis claues omnium custodiarum, permissumque omnibus Christianis libere exire. Venientibus ergo eis omnis exercitus, velut de resurrectione acceptis, summo gaudio obuiam processit. Quum autem ad brachium sancti Georgii transituri applicarent, Rex Græciæ

ccc. galeidas ſupra promiſſum eis exhibuit. In cœna Domini & per continuos ſeptem dies Dux Sueuię cum omni multitudine tranſiuit. Octauo demum die Imperator tranſiturus procedere noluit, niſi prius omnes pauperes peregrinos transuectos cognouiſſet: & tandem ipſe in naui regia transmeans, cum ad ſuos transpoſitus eſſet, gauiſus in Chriſto & confortans exercitum, ait: *Fratres confortamini & confidite, omnis terra in manu noſtra eſt.*

Hactenus vehiculis neceſſaria deportabant: ex hoc iam ſummariis vſi ſunt. Tranſito namque mari ſtatim in montana venerunt, atque in magna victus penuria Romaniam tranſierunt. Quumque appropinquarent Philadelphiæ, Princeps ciuitatis petiit ab Imperatore, ne cum exercitu ciuitatem ſuam intraret: ſe ei extra poſito neceſſaria omnia abundantiſſime prouiſurum: quod & fecit. Sed quum noſtri neceſſitate pabuli vagantes prope vrbem acceſſiſſent, motus ille ſuos armari, & eis obuiam procedi edixit. Quumque multi hinc inde occumberent, noſtri ex conſilio reuocati proceſſerunt in fines Turcorum verſus Laodiceam. Ibi Imperator à legatis Soldani gratantiſſime quaſi ad ducatum in dolo ſuſceptus eſt. Quumque Turci exercitum ſine intermiſſione nocte dieque impugnarent; piiſſimus Imperator in nullo eos lædi permiſit, ne fœdus læſiſſe videretur: donec eorum aſſultu motum contra ſe ſenſit exercitum, ſicque demum ad reſiſtendum eis ſe & ſuos animauit. Cæſa ſunt ibi Turcorum xvcccc. Occiditur & ibi Fridericus de Huſen vir probus & nobilis, qui egregiæ laudis & honeſtatis præ omnibus illo in tempore nomen acceperat. Qui quum in Turcos viriliter deſæuiret, vnumque ex eis acrius inſequeretur, equus eius foſſatum tranſiliens cecidit, ipſeque ſubſequens ruina expirauit. Super cuius morte tanta in caſtris orta eſt mœſtitia, quod omiſſa pugna omnes clamorem bellicum mutauerunt in vocem flentium. Quum autem inde progredi vellent, Turci iter eorum prope montana explorantes, currus plenos lapidibus extruxerant, quos aduexo tranſeuntibus deſuper immitterent. Verum nutu Dei, ſub cuius alarum tegmine ſperabant, duo Turci capti ſunt, quorum vno ſine deliberatione occiſo, alter ſub pactione vitæ promiſit, ſe ducem eorum fore: duxitque in fide per montem habentem tria millia in altum. Multi ibi non ſolum homines, ſed & equi fortes ſarcinis & æſtu defecerunt, quibus tamen ipſi ob penuriam victualium in cibum vſi ſunt. Tranſito monte venerunt in planiciem gramine & aqua fecundam, vbi admodum recreati ſunt. Accreſcente autem multitudine Turcorum incomparabili, noſtri in ſummo poſiti erant diſcrimine, eo quod tam calore quam labore defecerant, nec erat aliquod periculi effugium, quia iter eorum vt locuſtæ obſederant. Ibi legati Soltani perfidi ad Turcos refugerunt, abducto ſecum interprete Imperatoris nomine Godefrido. Noſtri vero deliberantes, quid in hoc periculoſo diſcrimine adgredi poſſent, eo quod nullum diffugium pateret, ſi etiam hoc ipſum animo inſediſſet, & conſiderantes, quod gladiis via paranda eſſet; animis accenſi pugnam conſeruerunt, & ſtragem multam hoſtium fecerunt, licet & plurimi ipſorum debilitarentur. Ibi etiam Imperatoris filius Fridericus Dux Sueuiæ à fundibulario duobus dentibus mutilatus eſt. Acta ſunt autem hæc quinta feria ante Pentecoſte.

Progreſſis inde Turci multa mala eisdem ingeſſerunt, iter eorum inſequentes, eosque & iumenta eorum ſagittis debilitantes. Secunda autem feria poſt Pentecoſte, quum iam fama percrebuiſſet in omnibus finibus Turcorum, quod exercitus Chriſtianorum multam ſtragem eis intuliſſent; mutuo ſe cohortantes in manu valida conuenerunt, vt auxilium Soltano ferrent, & vltionem ſuorum facerent. Ipſa autem die Chriſtiani ſpem ſuam in Deo figentes, & beatum Georgium inuocantes, ter congreſſi Turcis infinitam ſtragem fecerunt, absque vlla ſui deminutione. Quibus autem Deus reuelare voluit, ipſa die viderunt beatum Georgium cum multitudine Albatorum equis albis inſidentium, albos clypeos præferentes, inſignitos ſigno Domini rubei coloris. Qui etiam ſub iuramento aſſeuerabant, eundem beatum Georgium filium Soltani nomine Mylchin, qui præfuit Turcis, lancea quam ferebat, ab equo deieciſſe. Sic in perniciem Turco-

rum quum defæuiſſent fautore Deo noſtro, quarta feria venerunt ad hortum, qui ante ciuitatem Iconium ſitus erat, vbi agreſtia animalia Soltani incluſa paſcebantur. Proinde Imperator conſilio cum ſuis habito fere vſque ad noctis medium, quos ad ciuitatem obtinendam præmitteret: decreuit ducem Sueuiæ filium videlicet ſuum, & Comitem Hollandiæ Florentium nomine, ad expugnationem ciuitatis mittere : ipſe in caſtris inſidias Turcorum ſagaci animo operiens.

Dux autem Sueuiæ cum ſequacibus ſuis, vt ad ciuitatem venit, impertæſus laboris (quippe tota nocte pluerat, & equi ex congerie luti multum laborauerant) inuadens ciuitatem obtinuit, obuios quosque ſine miſeratione necans: quum pater eius Imperator Turcis retro molientibus inſidias efficaciter reſiſteret, & quamplures ex eis proſterneret. Videns autem Soltanus interitum & deſtitutionem ſuorum, necnon & ciuitatem captam, petiuit ab Imperatore dextras ſibi dari, ſpondens ſe ipſi ducatum præbiturum, & in neceſſariis quibusque rebus profuturum. Imperator autem habiti laboris ex itinere non immemor, nec tutum ſuis, nec ſibi reputans, ſi moras vllas necteret, & caſtrum, in quo Soltanus in medio ciuitatis tutabatur, obſideret, ſtatuit proficiſci.

Progreſſis inde Leo de Montanis cum victualibus copioſis occurrit, non quidem in bona fide, ſed vt hoc obtentu per terram ſuam minime tranſirent: eademque victualia à Turcis ablata ſunt. Vnde peregrini tam fame quam morbo laborantes pene defecerant.

Mouentes autem caſtra, quum ad ripam fluminis deueniſſent, Imperator autem die Dominica contra omnium voluntatem cum diutino labore æſtuaret, in fluuium * deſcendit refrigerandi gratia. Nec mora, iubente eo, qui aufert ſpiritum Principum, aquis præfocatus obiit. Quod eo magis eſt flebiliter mirandum, quod idem fluuius non admodum altus erat, ita vt plerique teſtati ſunt, quia vado tranſiri potuiſſet. Sed Deus, cuius potentiæ nemo reſiſtere poteſt, & ſub quo curuantur, qui portant orbem, fecit ſicut ei placuit, iuſte quidem ſecundum ſuæ diſpoſitionis incommutabilem & inflexibilem ſententiam: ſed non miſericorditer, ſi dici fas eſt, quantum ad Eccleſiæ ſanctæ ſtatum, & terræ repromiſſionis vaſtitatem diutinam. In hoc autem loco & relato triſti ſtylus noſter deficit, & ſermo mutus eſt, explicare non ſufficiens peregrini exercitus in ſummo periculo deprehenſi mœſtitudinem & anguſtiam. Hoc quoque ſententiandum, non legendum, iudicio vniuſcuiusque relinquimus, vt penſet, quæ vel fuit vel fuiſſe potuerit confuſæ & intra aliena deſolatæ multitudinis & capite diminutæ vox, mœſtitia & deſperatio. Sed hæc hactenus.

* *Cydnum. Paulo aliter Theodericus de Niehem. in libr. de priuileg. & turb. Imper. cap. de expedit. Hierosolymit. Frider. Imp. fol. 848.*

Mortuo igitur Imperatore, exercitus filium eius Fridericum Ducem Sueuiæ, virum miræ ſtrenuitatis & prudentiæ, ſibi præfecit, quo duce vſque Antiochiam proceſſum eſt, in qua per octo hebdomadas recreati vſque Tripolin, & inde vſque Sur, graſſante interea morte tam nobilium quam ignobilium, cum difficultate venerunt. A Sur proceſſerunt Acram, quę & Accaron vel Aſcalon. Quumque cum Aſcalonitis triduano bello conflixiſſent, prædictus Dux Fridericus diem clauſit extremum. Quanta fuerit in huius viri corde circa Deum deuotio, ex hoc conſtare poteſt omnibus, quod decumbenti, quum à phyſicis eſſet ſuggeſtum, poſſe curari eum, ſi rebus Veneris vti vellet, reſpondit, Malle ſe mori, quam in peregrinatione diuina corpus ſuum per libidinem maculare.

Poſt Heinricus quidam per quatuor ſeptimanas, ac deinde per VI. quidam Gerhardus exercitui præfuerunt. Volentes autem pauperes Chriſti honeſte magis mori quam ignominioſe viuere, cum in obſidione Acræ ſucceſſum non haberent, applicuerunt ad Cayphas, multisq; malis ibi afflicti reuerſi ſunt verſus Accaron. Deſolati itaq; ac vexati, & iacentes ſicut oues non habentes paſtorem, diuiſi ſunt & diſperſi ab inuicem, & vnusquisq; in viam ſuam ad patriam declinauit, incipientes à ſanioribus. Ita expeditio hæc nutu Dei, & incomprehenſibili iudicio eius, ſine quo nihil rectum incipitur, nihilque ſanctum perficitur, caſſata

& adni-

& adnihilata est: nisi quod pauci ex his, & nonnulli ex eis qui nauigio venerant, remanentes in expugnatione Acræ modicum sunt prosperati.

Clemens Papa obiit, cui Cœlestinus succedit.

PRIMVS ANNVS IMPERII HEINRICI VI.

ANno Dominicæ incarnationis MCXCI. ab vrbe aũt condita MDCCCCXLIII. Heinricus VI. filius Friderici vicesimo secundo loco ab Augusto Imp. cepit, & septimum annum post mortem patris imperauit. Hic in Apuliam ducens exercitum, Romæ in Imperatorem, & Constantia vxor eius in Imperatricem secunda feria Paschæ consecrantur. Quæ consecratio procedere non potuit, donec Imperator castrum Tusculanum in potestatem Papæ & Romanorum contradidit: quod illi statim expulsis & cæsis habitatoribus destruxerunt, erat enim inimicum eis eo quod omne munimen Imperatoris contra ipsos in illo constabat.

Eclipsis Solis in mense Iunio, Luna existente XXX. Philippus Rex Franciæ, & Richardus Rex Angliæ, & Philippus Comes Flandriæ, cum D. nauibus mare transeunt.

Imperator in Apulia primo prosperis vsus successibus, montem Cassinum cum ciuitate S. Germani & CLX. castella in deditionẽ accepit: donec in Augusto mense aeris inconsueti intemperie corrupto exercitu omnes pene Principes suos amisit. Indeq; tandem amissa vxore per dolum rediit. Obiit ibidem Philippus Colonien sis Archiepiscopus: cuius ossa Coloniam delata, & in domo S. Petri condita sunt. Successitq; in locum eius Bruno maior ibidem præpositus.

Rudolfus Leodiensis Episcopus obiit: cui ex discordia elegentium duo successores destinati, sanctus Albertus scilicet Archidiaconus frater Ducis Brabantiæ, itemque Albertus eiusdem Ecclesiæ maior præpositus. Sed prior suffragio cognatorum contra morem Ecclesiasticum armata manu intronizatur.

Philippus Comes Flandriæ in expeditione moritur. Cuius terra & comitatus postmodum Comiti de Hemelauu cessit dono Regis Franciæ, qui & eodem anno de Hierosolymis rediit.

In transmarinis partibus bene à Christianis contra Ethnicos pugnatur. Nam cum per biennium circa obsidionem exercitus Christianus & plurimi Principes cum machinis & omni armorum apparatu, quibus vrbs scindi & expugnari posset, multum insudassent, & parum profecissent: tandem Philippus Rex Franciæ & Richardus Rex Angliæ cum Philippo Comite Flandriæ aduenientes forti obsidione ciuitatem vallauerunt, plurimas machinas in circuitu statuentes, muros etiam subfodere cupientes, machinas & alia instrumenta iuxta fossatum & muros fieri fusserunt, sagittarios & fundibularios in eis statuentes, vt gentiles à mœnibus arcerent, & fossores capita sua tuta à iaculis eorum haberent. Rex & Richardus, vt quosque ad fodiendum robustiores redderent, spondent, vt quicunque lapidem de præsidio ciuitatis deferret suæ præsentiæ, solidum denariorum pro munere ab eo acciperet.

Certatim multi periculo se ingesserunt, & cauatione permaxima facta, igne suppositio, murus in conspectu totius populi corruens fragorem maximum reddidit. Turci vero defensores ciuitatis ad ruinã muri perterriti, & longa obsidione fatigati, considerantes se non posse euadere, nec ciuitatem diutius tueri, de vita & membrorum salute precantur, sibi parci ab exercitu Christiano deposcunt, claues vrbis reddere in manus Principum pollicentur. Igitur consilio inter Reges & Principes habito tali conditione consentiunt, vt incolumes ex ciuitate in deditionem Christianorum veniant, nuncios ad Saladinum mittant, vt crucem sanctam quam abstulerat, & ciuitatem Ierusalem restituat Christianis. Quod cum factum fuisset, & Saladinus pro redemptione suorum neque crucem reddere, neque ciuitatem restituere vellet, VIII. millia Turcorum ante muros ciuitatis à Christianis decollantur: duo vero millia qui pro salute sua Regibus pecuniam maximam promittebant, vinculis mancipantur.

Capti sunt & ibidem duo admirandi, Mustoch, & Caretis, homo miræ antiquitatis, ita vt tempore victorioſi Ducis Godefridi extitiſſe & CCLX. annorum eſſe diceretur. Hic erat conſiliarius Salatini, multumq; acceptus in eius curia, quoniam productior ætas multarum rerum & artium experientiam ei intriuerat.

Ibi etiam Regibus & Principibus ingreſſis ciuitatem, & Chriſtianis eam inundantibus, Richardus Rex ſuſpectam habens virtutem Alamannorum, ſignum ducis Auſtriæ Lupoldi in culmine cuiuſdam turris erectum in terram præcipitari præcepit. Quod ille indigne ferens, ſed tamen diſſimulans, vrbem cum ſuis egreſſus, tentoria ante mœnia ciuitatis poſuit.

Anno Dominicæ incarnat. MCXCII.

Imperator natalem Domini in Sueuia apud Hagenoue celebrat.

In octaua Epiphaniæ curiam Wormaciæ habuit, vbi electo Colonienſi iura Epiſcopatus ſui, duosq; Ducatus conceſſit. Wirziburgenſibus Epiſcopum præfecit. Alberto Leodienſe electo ibidem ex ſententia Epiſcoporum, & Principum amoto eo quod non canonice intraſſet, Lotharium Brunnenſem prępoſitum ſubſtituit, quem ad audientiam Apoſtolici Albertus ſtatim vocauit.

Epiſcopus Wormacienſis obiit, cui Henricus protonotarius Imperatoris ſucceſſit.

Ignis miræ magnitudinis verſus Saxoniam & occiduas partes palam in cælo viſus eſt.

In oct. Pentecoſtes Bruno in Archiepiſcopum Coloniæ conſecratur à Iohanne Treuirenſi Archiepiſcopo, vt Epiſcopo Virdunenſe. Cui conſecrationi Epiſcopus Traiectenſis, & Monaſterienſis, cum adeſſent, intereſſe nolebant, eo quod ſui iuris eſſe affirmabant, quod ipſi eum iure ſuffraganeorum ordinare deberent. Prædictus Albertus Romam veniens literas à Papa accepit ad Colonienſem Archiepiſcopum, quatenus eum in Epiſcopum conſecraret: vel ſi ipſe hoc exequi non poſſet vel timeret, Remenſis Archiepiſcopus hoc eius conſenſu impleret. Quod & factum eſt. Nam Colonienſe Epiſcopo infirmitate detento, Remenſis eum conſecrauit, ſecumq; detinuit.

Imperator ob huiuſmodi ſimultates Rhenum claudi iuſſit Colonienſibus à feſto S. Lamberti vſq; ad feſtum S. Nicolai. Tranſiens & in inferiores partes venit Leodium, ibiq; bona quorundam, qui cum Alberto contra Lotharium ſenſerant, publicari iuſſit.

Bellum graue in Weſtfalia inter Comites terræ illius. Æſtas feruentiſſima in Auguſto menſe ſubito tempore refriguit: vnde febres acutæ & quartanæ paſſim in hominibus dominantur.

Marchio Cunradus, qui in brachio virtutis ſuæ terram promiſſionis iamdiu ſolus defenderat, conſilio Richardi Regis Angliæ dolo interficitur.

Albertus quoq; Leodicenſis Epiſcopus apud Remis obtruncatur: quod voluntate Imperatoris eſſe actum ferebatur.

Anno Dominicæ incarnat. MCXCIII.

Imperator natalem Domini in Sueuia apud Egram agit.

Richardus Rex Anglię rediens de transmarinis, ob mortem Cunradi Marchionis, & multa apud Acram non bene geſta, captus à Duce Auſtraſię Lupoldo, & Imperatoris cuſtodiæ traditus.

Ignis in cœlo etiam hoc anno viſus eſt magnus & mirabilis, cum ſtellis intermicantibus.

Conſtantia Imperatrix de partibus Apuliæ rediens, per Ottonem illuſtriſſimum Romanorum præfectum Imperatori reducitur.

Dominus Papa Lotharium Leodienſem electum omnibus ſuis tam in ſpiritualibus quam in carnalibus priuari iubet pro obiectu mortis Domini Alberti. Imperator ergo Simonem filium Heinrici de Limburch Epiſcopum Leodienſibus præfecit, concilians ſibi per hoc fauorem omnium Comitum & nobilium Lotharingiæ, qui prædictam ob mortem Alberti omnes pene ab eius gratia defecerant.

Adolfus

Adolfus * maior in Colonia præpositus in Archiepiscopum eligitur, resignante curam eius Brunnone ob defectū ætatis & virium. Idemq; in monasterio quod Berge dicitur, in habitu monachico obiit, ibiq; defunctus est. Ordinatus est autem idem Adolfus sabbato Sitientes in presbyterum, & sequenti die Iudica me, in Archiepiscopum consecratus ab Herimanno Monasterienſi Episcopo, præsentibus Cunrado Moguntino Archiepiscopo, & Mundenſi Episcopo. * de Altenac frater Brunonis.

Anno Dominicæ incarnat. MCXCIIII.

Imperator secundam expeditionem facit in Apuliam. Richardus Rex Angliæ datis CLXX. millibus marcarum captiuitate soluitur & repatriat.

Dominus Papa promotionem Simonis Leodienſis electi improbans, Albertum eiusdem Ecclesiæ Archidiaconum ordinari præcipit in Episcopum.

Episcopus Traiectenſis terram Fresonum inuadens, cum multo suorum damno rediit.

Episcopus Mogontienſis cum Lantgrauio euentu vario confligit.

Rudolfus Dux Austrasiæ obiit.

Lotharius Leodienſis electus obiit.

Anno Dominicæ incarnat. MCXCV. V.

Heinricus Imp. vir expertæ felicitatis tam inopinata quam expectabili victoria potitus, totam Apuliam, Siciliam & Calabriam sibi subiugauit. Filiam quoque Regis Græciæ * quæ Taucredo nubere debuerat, fratri suo Philippo vxorem dedit, cum parte quadam Apuliæ. * Irenen.

Manoch Rex Africæ XXV. summarios auro & lapide pretioso multisq; donis oneratos Imperatori mittit.

Imperator vt vir Deo plenus recolens miserias & captiuitatem Christianorum in terra promissionis, ad liberationem eius animum intendit, scribens ab Apulia omnibus in Teutonica terra constitutis in hunc modum:

HEINRICVS *Dei gratia Romanorum Imperator, Rex Siciliæ & semper Augustus, dilectis ac fidelibus suis Archiepiscopis, abbatibus, Ecclesiarum prælatis, gratiam suã & omne bonum. Vniuersitati vestræ duximus significandum, quod per gratiam Dei regno Siciliæ nobis subiugato & in bonum statum redacto, ad honorem eius qui brachia sua extendit in crucem pro nobis immolatus, recolentes miseriam & angustias, quæ terra promissionis peccatis exigentibus feritate paganorum intolerabiliter oppressa sustinet, in solemni curia apud Barum in festo Resurrectionis Domini celebrata pro redemptione eiusdem terræ mille quingentos milites, & totidem sargantos, in expensis nostris à Martio vsque ad annum transmittere decreuimus, & hoc manifeste spopondimus, vnicuique militi XXX. vncias auri, & tantum annonæ quæ ei ad annum sufficiet daturi. Pecuniam vero vbicunque naues ascendent, eis dabimus: annonam autem traduci faciemus, & ex illa parte maris, vbi applicuerint, eis præsentabimus. Milites itaq; & sarganti iurabunt obedire illi quem magistrum eis ac Ducem constituemus, & per annum stare in seruitio Dei. Et si aliquem eorum ex hoc mundo migrare contigerit, quidquid de pecunia vel annona ei data reliquerit, nulli assignare poterit, sed pro consilio magistrorum ac ducum exercitus alii qui vicem eius compleat & pro ipso seruiat, assignabitur. Mandamus ergo vniuersitati vestræ rogantes, vt hanc voluntatem nostram militibus & bonis hominibus in diœcesi vestra constitutis insinuare curetis: vt si qui eorum ad propulsandas iniurias Christo & Christianitati illatas instincti studiuino ire voluerint, infra terminum prædictum ad iter se præparent. Datum apud Tranum II. Id. April.*

Tirsach Rex Græciæ à fratre suo cæcatur, & cum paruulo filio Alexio de regno eiicitur.

Imperator de Apulia reuertitur cum gloria & diuitiis incomparabilibus.

Cunradus Palatinus Comes de Rheno obiit: cuius dignitates & beneficia Heinrico filio Heinrici quondam Ducis Saxoniæ cesserunt. Is enim filiam eius vnicam duxerat.

Facta est hoc anno irruptio paganorum valida, & bellum ingens contra Christianos, in finibus Hispaniæ & Galatiæ, ita vt Rex Hispaniæ metu periculi cõ-

ditione cum eis facta in regnum Regis Franciæ demigraret, pacta pace cum ethnicis vsq; in Pentecoste sequentis anni.

Bellum antiquum recrudescit inter Philippum Regem Franciæ, & Richardum Angliæ. Rex autem Franciæ prævalet.

Dominus Papa Cardinales duos à latere suo mittit in Galliam & quaqua versum, conuenire & hortari omnem virum bonum & strenuum ad subeundam peregrinationem pro honore crucifixi & crucis eius. Innumera ergo multitudo hominum crucem sibi assumit in nomine Domini.

Anno Dominicæ incarnat. MCXCVI.

Imperator in Apuliam denuo proficiscitur, præmissis sargantis innumeris, quos duxit Marquardus * dapifer eius, cui & marchiam Anchoniæ & alia quædam beneficia contulerat. *de Annweil

Æstas frigida & humida.

Penuria frumenti & annonæ magna facta est, quæ & in sequentem annum vsque durauit. Eratque fames valida, & pene omnium victualium penuria inaudita.

In Saxonia mulier quædam quatuor infantes infra tres menses genuisse dicta est.

Bellum inter Christianos & ethnicos in terra S. Iacobi factum est.

Episcopus Baldeuuinus Traiectensis obiit.

Imperator ab omnibus imperii principibus summa precum instantia obtinet, vt filium suum Fridericum nomine vix triennem in Regem eligant: fidem & Sacramenta præstanti, præter Adolfum Colonien sem Archiepiscopum, qui tunc quidem in hoc minime consentit, sed postmodum apud Bopardiam consensit, iuramentum ibi præstans coram Philippo Duce Sueuiæ fratre Imperatoris.

Felicis memoriæ Heinricus Abbas obiit, cui Waldeuerus successit Abbas S. Pauli in Traiecto, antea monachus Ecclesiæ nostræ.

VII. Anno Dominicæ incarnat. MCXCVII.

Imperator in Apulia moratur, ibi quosdam Principes qui in necem eius cõspirasse dicebantur, diuersis pœnis occidit. Rumor etiam de eo ac Imperatrici Constantia varia seminat, scilicet quod ipse in variis euentibus præuentus, etiam in vitæ periculo sæpe constitutus sit, quod Imperatricis voluntate semper fieri vulgabatur.

Penuria annonæ & frumenti magna & fames valida, ita quod maldrum siliginis ad x v. solidos vendebatur. Plaga miserabilis grassatur. Nam lupi in partibus circa Mosellam plures homines deuorauerunt.

Eodem etiam anno quibusdam iuxta Mosellam ambulantibus apparuit phantasma miræ magnitudinis in humana forma, equo nigro insidens. Quibus timore perculsis, id quod videbatur, ad eosdem audacter accedens, ne pertimescãt hortatur. Theodoricum quondam Regem Veronæ se nominat, & diuersas calamitates & miserias superuenturas Romano Imperio denuntiat. Hæc & alia plura cum eisdem contulit, & ab eis recedens, equo quo sedebat Mosellam transiuit, & ab oculis eorum euanuit.

Igitur rumor de obitu Imperatoris emergens, homines prauos & pestilentes ad direptionem & prædam quaqua versum instigauit: qui tanquam lupi rapaces in destituta ouilia sæuientes, his quos opprimere poterant, nihil reliqui fecerunt: donec cognito quod adhuc viueret Imperator, à sequendi licentia repressi. Verumtamen quod rumor vulgauerat, in breui postea verum factum est. Nam Imperator non longo post tempore mortuus nunciatur. Obiit autem in festo S. Michaelis 11. Kal. Octobr. & honorifice cum multis insignibus apud Neapolin sepultus est. Ibi annullata est profectio quam ipse ad liberationem terræ repromissionis dudum disposuerat. Sed & omnis Apulia & Calabria, Sicilia, à suorũ dominatione se excutiens, tamen vxori eius & filio se subiecit, & eis fidem fecit. In Teutonica vero terra vverræ multæ & dissensiones eatenus inauditæ oriuntur super Imperio.

SECVNDA

SECVNDA EXPEDITIO A QVIbusdam Principibus Imperii.

EPiscopus Moguntinensis & Dux Lotharingiæ, & Lantgrauius, & Palatinus Comes: & alii multi Principes cum quibusdam signatis mare transeuntes, solo suo aduentu & nomine paganos terruerunt. Aggressi etiam pugnam contra inimicos Dei in nomine Domini bene prosperati sunt, sicut cognitum est ex literis quas prædictus Dux misit Colonienſi Archiepiscopo in hunc modum:

QVONIAM *de honoris nostri promotione ac totius Christianitatis prosperitate plurimum vos scimus lætari, discretionis vestræ prudentiæ significamus, quod cum à Principibus Romani Imperii, & Baronibus terræ Iherosolymitanæ, & communi populo in magistrum totius exercitus fuissem electus, cum consilio Principum & totius exercitus iter versus Beritum arripuimus: & cum in nocte B. Seuerini intra Tyrum & Sidonem ordinati decentissime incederemus, Saphatinus & omnes ammirati Babyloniæ atq; Damasci cum magna multitudine Saracenorum à latere montis se nobis ostendentes, & à tergo vsque ad mare exercitũ nostrum circumdantes in acies nostras graues & continuos fecerunt insultus, omnesq; vires suas ordinatis omnibus quos habere potuit exercuit contra nos gens iniqua. Propositum siquidem eorum fuit omnes vires suas contra nos effundere, omnes vires nostras attentare. Sed protector in se sperantium Deus, qui liberat pauperem à potente, non sine multa impiorum damnificatione, pauperes eripuit de manibus impiorum. Dominum quippe Sidonis & alios quamplures Sarracenos ibidem mortuos reliquerunt, & postmodum nusquam nobis occurrere ausi fuerunt. Sicque eodem die super flumen Sidonis cum gaudio tentoria fiximus. Cum autem naues nostræ exercitus præcederent, & Sarraceni existentes in castro Beriti naues venientes viderent, metu perterriti castrum Beriti munitissimum reliquerũt, & altera die exercitum subsequentes castrum ibidem quod erat munitissimum, absq; omni difficultate cepimus, & tot arma alabastrariorum & sagittariorum in illo castro inuenimus, quod vix XX. plaustra ferre possent, & tot victualia, quot quingentis hominibus vel VII. annis sufficerent. Cum autem ibi XX. diebus moram faceremus, alii Sarraceni aduentum nostrum metuentes, castrum quod dicitur Gibel, & aliud castrum firmissimum quod Lieche dicitur, reliquerunt. Hoc audito & cognito, quod omnia castra marina vsque in Antiochiã essent sub potestate Christianorum, versus Sidones reuertentes terram circumquaque quam tenuerunt Sarraceni, vastauimus: & sic per auxilium Regis superni fugatis Sarracenis, qui nusquam comparere audent, sanctam ciuitatem Iherusalem in breui capiendam esse speramus. Sarraceni enim exercitum nostrum vnanimem esse audiẽtes & fortem, nusquam audẽt apparere. Inde est quod vestram obnixe exoramus reuerentiam, quatenus pro nostra ac totius Christianitatis prosperitate per totum Archiepiscopatum vestrum memoriam nostri haberi faciatis, & vt signatos in vestro Archiepiscopatu ad persoluendum vota sua & succurrendum Christianitati compellatis. Si qui etiam in terra promissionis manere voluerint, reditus eis sufficientes in eadem terra assignari faciemus. Valet.*

Celestinus Papa obiit, cui Lotharius, qui & Innocentius, successit.

Cunrado Præposito Deuentre, * & Theoderico fratre Comitis de Hollant, electis Traiectensis Ecclesiæ mortuis, succedit Theodericus de Nurberg. * Dauentria.

PRIMVS ANNVS DISCORDIAE in regno inter duos Reges.

ANno Dominicæ incarnationis MCXCVIII. vverra magna & dissensio nimis timenda oritur inter Principes Teutonicos de imperio. Nam Colonienſis & Treuirensis Archiepiscopi electionem Regis sui iuris esse firmantes, habito cõsilio apud Andernacum cum Bernhardo Duce Saxoniæ, & aliis Episcopis, & Comitibus, & nobilibus plurimis, curiam omnibus Principibus in Colonia habendã præfigunt in Dominica Oculi mei, euocantes eodem & Ducem Zaringon * Bertolfum, quẽ ipsi etiam deliberauerant Regem creare. Ad quã curiam cũ pauci occurrerent, & ideo tale negocium ad effectum non possent perducere, nunciatur eis Orientales * Marchiones cũ Duce Saxoniæ Bernhardo, & Magaburg. Archie- * Zaringen. * Austrie.

piſcopo, & aliarum ſuperiorum partium principibus, ad electionem noui Regis Erpford conueniſſe. Qui mox Herimannum Monaſterienſem Epiſcopum, & alios honoratos viros, ad eoſdem qui conuenerant Principes miſerunt rogantes, ne abſentibus eis aliquam electionem celebrarent, ſed ad aliquem denominatum locum eis occurrerent, electuri cum eis idoneum & dignum Deo Imperatorem & aduocatum Eccleſiarum. Dum ergo iam dicti nuntii ad eandem curiam veniſſent, cognouerunt illos in Philippum Ducem Sueuiæ Imperatoris fratrem cõcordaſſe, & eum in Regem elegiſſe. Vnde moti redierunt, & prædictis Epiſcopis quæ facta fuerant retulerunt. Qui vehementer indignati, eo quod nunquam aliquis Rex in Saxonica terra electus ab his Principibus fuiſſet, mox Duci Bartolfo de Zarigon fidem fecerunt, quod ipſe repatrians exercitum ſecum duceret, & ſtatuto ſibi die Andernacum rediret, eum ibi remota omni dubitatione Regem crearent. Hoc & ipſe promiſit, & iurauit, & inſuper obſides dedit. Deſignato igitur die cum apud Andernacum ab Epiſcopis & omni multitudine cum apparatu & deſiderio maximo expectaretur, ecce rumor peſſimus, & eius ignauiæ dignus intonuit, Ipſum ſcilicet cum Duce Sueuiæ concordaſſe, & vt ipſe regno & electioni renuntiaret, x 1. millia marcarum & ducatum ab eo accepiſſe. Hic ergo rumor & inhoneſtus euentus primores inferiorum partium grauiter afflixit, eo quod indignum ſibi & intolerabile videretur, ſi contra ſuam voluntatem Philippus Dux regnaſſet. Conſtat tamen, quod ipſe nuncios ad Archiepiſcopum Colonienſem cum precibus transmiſit, multa offerens, ſed plura promittens, ſi ad ſuam electionem animum vellet inclinare. Sed Epiſcopus hoc ſibi tutum non credens vel honeſtum, hæc facere penitus recuſauit. Habitoq; conſilio Ottonem Comitem Pictauiæ filium Heinrici quondam Ducis Saxoniæ in Regem eligit.

Epiſcopus Argentinæ & Comes de Daſpurg Sueuo omnia ſua deuaſtant, eiq; in tota Sueuia cuncta diripiunt, vſque ad vrbem imperialem quæ Haginoue dicitur. Cauſa diſcordiæ inter eos fuit, quod Otto frater Ducis prædicti Epiſcopi fratrem captum ſuſpendio necauerat. Idem ergo Epiſcopus & ſui cum diutina diſſenſione Sueuo reſtitiſſent, data tandem ciuitate ſub conditione ſatisfecerunt.

*Philippus. Prædictus itaq; Dux * cauſam ſuam agens, & vt neceſſitas eum compulit, ab omnibus auxilium petens, omnes pene Principes muneribus ſibi conciliat, vrbes regias ſuſcipit, fidem ſibi fieri ab omnibus iubet, nomen Regium ſibi aſcribit, & apud ciuitatem Wangionum in albis Paſchalibus coronatus progreditur. Inferioribus vero partibus nobiles Lotharingiæ ad fauorem ſuum ſollicitat: ex quibus Walramus Heinrici Ducis de Limburg filius ad eum declinat, caſtrumq; regium

* Dakerdẽ. quod Berinſtein dicitur, ab ipſo ſuſcipit. Ducem quoq; Boemiæ * ſibi allicit, eiq;

* Pontifex cum Principem Bohemiæ appellat, c. Genuens. 15. extr. de accuſat. vt fauorem eius & opem propenſius habeat, nomen Regium * indulget: quem & in præſentia ſua conſecratum Bopardiæ coronari conſentit.

Circa idem tempus ſtella Coloniæ viſa eſt circa horam nonam, ſumentibus inde omnibus lætum auſpicium de Rege ſuo, qui tertio die poſt viſam ſtellam ibidem electus eſt.*

* *Numus Ottonis Regis Coloniæ V.*



Cum autem Aquisgrani ad Regiam ſedem conſecrandus properaret, inuenit ſibi eam oppoſitam, & militibus Philippi Ducis ſeptam cum prædicto Walramo. Expugnare ergo eam aggreſſus, multis expenſis & graui labore conſumpto, tandẽ eam in deditionem accepit: & ingreſſus, ab Adolfo Colonienſi Archiepiſcopo conſecratus inthroniſatur. Sæpe dictus etiam Walramus in gratiam eius venit, & caſtrum Berinſtein, quod à Duce Philippo acceperat, ab eo quoq; ſuſcipit in ſignum reconciliationis. Sed Epiſcopus hoc tutum terræ exiſtimans, idem caſtrum expugnatum deſtruxit, vnde & Walramus à Rege Ottone deficiens ad Philippum Ducem iterato ſe contulit. Et in omnibus malis quæ Germania poſtmodum paſſa eſt, ipſe Dux & auctor fuit.

Nam circa initium Octobris Philippus Rex collecto copioſiſſimo exercitu, cum rege Bohemiæ, & aliis ſuis auxiliariis, ripas Moſellę obſedit, volens tranſire in

partes

partes inferiores & vastare Episcopatum Colonienſem. Sed Otto Rex & Episcopus Colonienſis contractis ex aduerſo partibus in alia ripa castra metati sunt. Burgenſes quoq; Coloniæ cum apparatu & ornatu multo nauium illo aduenerant: stabatq; anceps prælium, nec superioribus ad inferiores, nec inferioribus ad superiores transire audentibus. Tandem Philippus Rex & sui concepta audacia transitum facere conati sunt: quibus Lotharingi in alueo flumine obstiterunt. Ibi ab vtraq; parte in ancipiti pugnatum, donec nocte prælium dirimente Lotharingi sequenti mane ad castra sua redierunt, tutum sibi non arbitrantes cum infinita illorum multitudine in sua paucitate congredi. Quo viso illi statim flumen transierunt, & Lotharingis apud Andernacum collectis & cum eis congredi volentibus copiam Martis non fecerunt, sed quaquauersum omnia vastantes incendia permiscebant.

Exustum est eodem tempore Regimagium, & Bunna, cum multis circaiacentibus villis: nec erat qui furentibus & vastantibus occurreret, aut resisteret ad loca munitima se conferentibus: ita quod illi iuxta Coloniam pene ad duo milliaria accesserant. Multa nefanda & misera relatu impurissima illa barbaries patrauit: quorum vnum ponam, ex quo plura coniici possunt. Sanctimonialem quandam omnibus indumentis spoliatam melle perungentes in plumis lectualibus volutabant, sicq; monstruose hirsutam caballo imposuerunt, versa eius facie ad caudam caballi. Cumq; ridiculosum hoc, imo miserabile spectaculum per aliquot dies circumduxissent, Regi Philippo tandem res innotuit: qui Zelo Dei tactus, omnes sceleris huius reos aquæ bullienti tradi iussit. Cum ergo satis in Episcopatu Colonienſi desæuissent, iubente Deo qui ponit terminum tenebris, & in se facit confringi fluctus maris, inopinate nulloq; fugante se ad sua retulerunt, in itinere exurentes Andernacum.

Interea Otto etiam Rex post discessum alterius in inferioribus partibus omnia sibi pro posse subiugans, Episcopos, Comites & nobiles Lotharingiæ sibi conciliabat, ac Sacramenta ac fidelitatem ab eis exigit & accipit: quæ tamen infirma erant & infidelia. Nam plures ex eis in exiguo ponentes mendacium aut periurium, contra conscientiam suam venire non timebant, ore quidem Sacramenta præstantes & fidem iurantes Regi Ottoni, cum cor eorum longe ab eo remotum, cum Philippo Rege magis rectum videretur quam secum.

Venit etiam prædictus Rex Otto versus Saxoniam, tendens Goslariam, eam & adiacentes ciuitates expugnare aggressus: superueniente Philippo Rege à proposito cessare coactus est.

Heinricus Palatinus Comes Rheni, frater Ottonis Regis, & Lantgrauius, ac Dux Brabantiæ, de Iherosolymis reuertuntur, infecto omni negocio apud Ethnicos. Mogontinus quoque Archiepiscopus inde rediens in Italia moram facit, audiens discordiam quæ in regno orta fuerat inter Philippum & Ottonem.

Richardus Rex Angliæ dum quoddam castrum, Limogiæ scilicet, obsideret, & circuiens quæreret, vbi assultus opportunos faceret, telo lethaliter percutitur. Quod nõ sine iudicio Dei factum, hoc modo probatur. Siquidem Episcopus quidam dum sine causa offensam eius incurrisset, in tantum eum persecutus est, vt à propria sede eum exturbaret, præcipiens ei ne deinceps eius se oculis offerret. Ille Romam progressus ad Apostolicum se contulit: qui dum quadam die astaret altari, ipso momento quo Richardus obiit telo, videt ipsum telum secus altaris crepidinem lapsum, cui Karta fuerat innixa * secundum vaticinium Merlini olim prædictum: *Telum Limogiæ occidit Leonem Angliæ.* Sic mortuo Rege Richardo frater eius Iohannes in Regem eligitur. * innixa.

Episcopus Remensis obiit.

In Gallia Fulco mirabilium operator valde clarus habetur.

Penuria annonæ magna.

Anno Dominicæ incarnat. MCXCVIIII.

Regum quisq; suis in partibus natalem Domini celebrat.

Constantia Imperatrix in Apulia moritur, relicto paruulo Friderico filio Imperatoris: cui in Regem electo, viuente adhuc patre, Principes Imperii fidem & Sacramenta fecerant. Marquardus * itaque Marchio Anconiæ ex consensu & iussione Philippi Regis, qui patruus erat pueri, regnum Apuliæ relinquit seruandum puero.

*de quo Vide c. Venerabilem. 34. extr. de elect.

Werræ plurimæ & graues inter Episcopum Wormaciæ & suos complices, & Wernerum de Bolant, & Comitem de Lininch * & eorum sequaces: Itemque inter Lantgrauium & Cunonem de Mincinberg, * omnes superiorum partium ciuitates & villas, cœnobias & Ecclesias pessundant, vt nihil vsquam reliqui sit, quod non fuerit in vrbibus aut in locis munitis absconsum.

*Luzingen, * Metzenberg.

Ottoni Regi desponsatur filia Ducis Brabantię.

In æstate etiam mouens in superiores partes exercitum auxilio Coloniensis Archiepiscopi & prædicti Ducis generi sui, exusta parte Confluentiæ villisque aliquibus, Bobardiam accessit. Ibi ergo cum Principes quidam & nobiles illarum partium, qui eum euocauerant, eiq; per scripta & nuncios opem spoponderant, ad eum & eius partes non accederent, victusq; exercitui deficeret, ad sua cum suis reuersus est.

Philippus autem Rex hoc cognito, collectis copiis cum militibus & eorũ sequela, itemq; cum curribus & apparatu nauium cum victualibus, transita Mosella denuo descendit, & Episcopatum Colonienſem pro libitu deuastat & exurit. Cõtra quem Dux Brabantiæ colligit exercitum magnum nimis, tã equestris quam pedestris ordinis, cum Comitibus terræ, paratis omnibus vel hostes finibus suis arcere, vel pro patria occumbere. At illi nescio nutu Dei, qui cum vult ponit frenum in maxillis populorum, siue terrore aut timore insequentium celerrime se ad sua contulerunt, nostrisq; congressionis facultatem non dederunt.

Inter hæc omnia fama Colonienſis Archiepiscopi non erat integra, & suspectus habebatur, quod negociis manum valentius non opponeret: cum tamen re uera grauissimum & impossibile ipsi fuisset cunctis Principibus contra ire, & contra eorum voluntatem & consensum pro suo velle Romanum Imperium disponere. Constabat enim, quia Otto Rex omni pene terreno auxilio & humano solatio destitutus, quantum ad respectum aduersæ partis, regnum aut imperium nunquam obtinere posset, nisi adiutorio solius Dei, qui dominatur in regno hominũ, & cuicunq; voluerit, dabit illud.

In Pannonia etiam super regno illo discordia sęuit inter duos fratres, quod in hoc modo accidisse ferebatur. Bela Rex Vngariæ vita decedens duos reliquit filios, Hemmeradum & Andream: quorum priori regnum dedit, & filiam Principis Antiochiæ, alteri quædam castella & prædia magna, atq; ad peregrinationem Iherosolimitanam, quam ipse vouerat, peragendam infinitam pecuniam. Adolescens autem post decessum patris cum libera vsus fuisset potestate, sicut ætas illa sæpius prodiga est & improuida, acceptam pecuniam cito dilapidauit. Quo facto cum ad consuetum luxum copia non affluaret, cœpit consilio suorum regnũ fratris sibi vsurpando inuadere. Cui cum Rex resisteret, orto inter eos bello victoria potitus est Andreas auxilio Ducis Austriæ Lupoldi. Quo successu elatus, sicut res est inquieta felicitas, secundo contractis copiis fratrem inuadit. Ille accitis Teutonicis, quorum ibi copia magna est, qui & Hospites ibi vocantur, fratrem deuicit, occisis ex eius parte multis & captis.

Vide c. licet. 6. extr. de Voto & Vot. redemt.

Eodem anno descendit Cunradus Mogontinus Archiepiscopus ab Italia, & cum eo Bonifacius Marchio de Monte ferreo, vt discordiam quæ in regno orta fuerat ex electione Ottonis & ducis Philippi sedarent: & si nequirent istud efficere, vt alteruter eorum cessaret, ex consilio Principum per quinquennium pax firmaretur, & hoc elaboraretur, vt alter cederet. Sed quid intenderint, vel quid cõtulerint cum Philippo, licet non innotuerit, Rex Otto inuitatus à Marchione, vt Bopardiam veniret, renuit, quoniam quidem dedecorosum arbitratus est, si vllo pacto regno cederet, cum legitime in Regem consecratus esset. Cunradus etiam

Episcopus

Episcopus Coloniam veniens cum Episcopo Colonienſi & Burgenſibus colloquium ſuper hoc habuit, ſed infecto negotio rediit.

Poſt hæc Cunradus Episcopus Vngariam intrauit, vt diſcordiam fratrum ſedaret, & ab vtroq; honorifice ſuſceptus eſt. Inito conſilio & habito conſenſu vtriusq; & Ducis Auſtriæ Lupoldi omniumq; Principum Vngariæ pacem tali modo ſtatuit, vt ſignati cruce mare tranſirent, & regnum Vngariæ prædicto Duci Auſtriæ commendarẽt: vt ſi quis illorum morte præuentus in transmarinis partibus debitum carnis exolueret, ſuperuiuens rediens ad patriam regnum poſſideret.

Anno Domin. incarnat. MCC.

Mogontinus pace reformata inter fratres, regreſſus ad partes Auſtriæ in territorio Patauienſi carnis debitum ſoluit, Episcopus autem Wolferus prædictæ ciuitatis iam defunctum ſuſcepit & exequias celebrauit, & corpus cum magno comitatu Mogontiam deuexit, ſepultoq; pro pace componenda inter Regem Ottonem & Philippum inter Andernacũ & Confluentiam venit. Ad quod colloquiũ ſe contulerunt Colonienſis Archiepiſcopus, & Herimannus Monaſterienſis, & Treuirenſis, & alii quamplures. Sed quod conſiliati ſunt, proceſſum non habuit.

Interea grauis tumultus oritur in Moguntia. Quidam enim ex fauore & voluntate Philippi Lupoldum Wormacienſem in Epiſcopum elegerunt, quidam in Sifridum præpoſitum conſenſerunt, vt eligeretur, & exeuntes ciuitatem venerũt Binge, & electionem quam ceperant de præpoſito Sifrido ibidem confirmauerunt. Quod audiens Lupoldus venit in manu valida ex præcepto & fauore Philippi,* & Sifridum & electores eius exturbauit de Binge. Cernens autem Sifridus & ſui quod minus proficerẽt, ad Ottonem Regem ſe cum ſuis contulit, à quo clementer ſuſceptus regalia ſuſcepit, & cum exercitu fretus eius auctoritate & copiis Binge regreditur, expugnato & fugato Lupoldo multos ſuorum cepit, vix ipſo elapſo.

Contra cap. 43. extr. de elect.

Eodem anno cum Waldẽuerus baculum paſtoralem coram prioribus reſignaſſet, & deſtituta eſſet Eccleſia S. Panteleonis abbate, fratribus diſcordantibus ex conſilio Domini Archiepiſcopi & priorum conuenerunt in præpoſitum Heinricum Eccleſiæ S. Luthgeri de Werdene.

Anno Dominicæ incarnat. MCCI.

Ad dilatandos terminos ſuos Rex Otto contracta manu valida ad ſuperiores partes ſe transtulit, & vſq; Wircinburg peruenit: Episcopo Colonienſe, & Palatino Comite, Sifridoq; cum ſuis complicibus auxilia præbentibus.

Venit etiam Coloniam circa feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli Guido Cardinalis Præneſtinus Episcopus à ſede miſſus Apoſtolica, Philippum & quoslibet eius fautores excommunicatos pronuncians, & ad determinatum diem ad colloquium omnes epiſcopos inuitans regni Teutonici, venientes vt obœdirent Ottoni, ex auctoritate præcipiens Apoſtolica, nolentes autem obœdire excommunicans. Cuius præſentiæ ſe Sifridus exhibens ab eo in ſacerdotem & Epiſcopum cõſecratur, & cum ipſius & Ottonis Regis commendatitiis literis Romam progreſſus ab Innocentio Papa accepto pallio confirmatur.

Vide cap. Venerabilem. 34. extr. de electione.

Videc. bonæ memoriæ. 23 extr. de electione.

Per idem tempus Alexio patre ſuo ejecto & incarcerato de Græcia fugiens * venit in Alemanniam ad Philippum Regem ſororium ſuum, & ibi per aliquod tempus demoratur & honorifice tractatur.

Eodem anno Baldeuuinus Comes Flandriæ cum multo apparatu Iheroſolimam tendit. Veniensq; ad mare cum Bonifacio Marchione de Monteferreo, qui ei in via ſociatus fuerat, maximam pecuniam in extructione nauium ibidem expendit. Cum autem ibi diu morarentur propter aduentantium peregrinorum expectationem, & propter datam pacem in transmarinis partibus inter Chriſtianos & ethnicos, cotidieq; pecunia deficiente egere inciperent, Dux Venetiarum eoſdem adiit, plurima munera obtulit, & ad expugnandam quandam ciuitatem Regis Vngariæ nomine Sadram, vbi idem cæcatus fuerat, inuitauit. Qui neceſſitate inopiæ compulſi mox cum illo profecti ciuitatem adgrediuntur & expugnant, ingentem prædam inibi repertam inter ſe diuidunt, & cum maximis ſpoliis nimium

locupletati redeunt. Quapropter à Papa excommunicantur: sed postea interuentu Alexii filii Tyrsacis Imperatoris Græcię soluuntur, & ad subdendam Ecclesiam orientalem Romanæ cum eo diriguntur.

Vide c. solita 6. ext. de maior. & obed.

Anno Domini MCII.

Otto Rex & Adolfus Colonienſis Archiepiſcopus cum aliis quibuſdã Principibus colloquium habuerunt, apud Traiectum quæ ſupra Moſam ſita eſt, de republica & de diuerſis negociis quæ ipſos tunc temporis vrgebant.

Vna tamen de præcipuis cauſis huius colloquii fuit de inimicitiis, quæ inter Ducem Brabantiæ & Comitem de Gelre pullulabant. Siquidem vterq; manum validam contraxerat, nec ſine detrimento pauperum vel oppidanorum conflictus eorum terminari poterat. Tandem pace inter vtrosq; reformata, & Rege cum Epiſcopo Colonienſe regreſſo, oritur inter eos grauiſſima contentio coram Cardinali & prioribus & burgenſibus, & vix per triduum ſedatur. Cauſa autem huius diſcordiæ fuit, ſcilicet de teloneis, & moneta, & de iniuſtis vectigalium exactionibus, & de violata pace negotiantibus. Auditis autem allegationibus vtrorumque, Regis ſcilicet & Epiſcopi, mediante legato, ſub cuius iudicio hęc agebantur, ipſorum vtriuſq; dirempta eſt diſſenſio tali conditione, vt omnis exactio violenta caſſaretur, & pax firmiſſima negociantibus ſtabiliretur.

Cunradus Epiſcopus Herbipolenſis in feſto S. Nicolai à quibuſdam prauis hominibus occiditur.

Anno Domini MCCIII.

Philippus Dux Sueuiæ exercitu valido congregato, intrauit Thuringiam, vt Herimannum Lantgrauium humiliaret, ea de cauſa quod ipſum reliquiſſet, & Sifrido contra voluntatem ſuam adhæreret & foueret, & quæ in partibus Thuringiæ reditus & iura Moguntinæ ſedi eſſent attinentia, in ſui hoſtis vſus redegiſſet. Perpendens autem Palatinum Comitem & Regem Bohemiæ cum copioſo exercitu illi in auxilium veniſſe, rura quæque proxima incendio conſumpſit, & ſic profugus cum ſuis Erpfort ſe contulit. Quo Lantgrauius compertо, cum Boemo & Palatino, omniq; quem contraxerant exercitu, ciuitatem vallauerunt ſperantes illum capere. Philippus autem nocte media cum pauois exiens ad Orientales Marchiones ſe contulit, vt auxiliis contractis quoquo pacto milites incluſos liberaret. Principes autem eius diſceſſum audientes ſoluta obſidione, cum nouem diebus ea obſidio viguiſſet, habito conſilio vt darent ipſi copiam exercitum congregandi, perſecuti ſunt eum vnanimi conſenſu, & inuadentes terram Marchionum, omnia rapinis, incendiis, & variis calamitatibus partes illas euerterunt.

Hiis ita patratis, Rex Otto ſuperueniens cum exercitu à cunctis fauorabiliter ſuſcipitur: & Boemus fidelitate promiſſa ab ipſo coronatur, & in feſto S. Bartolomei Apoſtoli à Guidone Eccleſiæ Romanæ legato apud Marſpurg in Regem ſolenniter conſecratur. Ibi etiam Lantgrauius Ottoni Regi fidelitatem quam pridem fecerat, iterauit & confirmauit, præſentibus omnibus qui tunc aderant Principibus.

Ipſo anno mortuus eſt Herimannus Monaſterienſis Epiſcopus, & facta eſt diſſenſio pro electione. Nam priores & miniſteriales elegerunt Ottonem maioris Eccleſiæ Bremenſis præpoſitum, Comites autem & liberi ipſisq; attinentes Abbatem de Claolt elegerunt. Vnde continuo Epiſcopatus diuerſis calamitatibus & miſeriis peſſundatur.

Vulgatus error ex cap. Conſtantinus. Diſt. 96 & c. 17. de elect. in 6

Eodem etiam anno Conſtantinopolis à Conſtantino Magno conſtructa inuaditur & capitur. Conſtantinus enim Imper. quondam à beato Syluestro baptiſatus, Romam cum tota Italia beato Petro & ſucceſſoribus eius tradidit, & in Græcia vrbem nominis ſui Conſtantinopolim conſtituit, quæ prius Bizantium dicebatur, quam ſedem Romani Imperii & caput totius Orientis eſſe voluit: hanc etiam diuitiis replens & ædificiis ornans, reliquias ſanctorum Apoſtolorum & aliorum Sanctorum ex diuerſis mundi partibus collectas illic repoſuit. Capta igitur Vrbe diuitiæ reperiuntur inæſtimabiles, lapides precioſiſſimi & incom-

incomparabiles, pars etiam ligni Dominici, quod per Helenam de Iherosolimis translatum auro & gemmis preciosis insignitum in maxima illic veneratione habebatur ab Episcopis, qui præsentes aderant, incisum cum aliis preciosissimis reliquiis per nobiles quosque partitur, & postea eis reuertẽtibus ad natale solum per Ecclesias & cœnobia distribuitur. Quomodo autẽm primo subacta sit, & Alexius cum patre suo, qui à fratre suo eiectus & incarceratus fuerat, sit reductus, per hanc epistolam, quam Comes de S. Paulo Duci Brabantiæ misit, agnoscitur.

EPISTOLA. *Præcordiali amico suo H. Duci de Lonanio, viro nobili H. Comes S. Pauli, statum pauperrimi exercitus Iheſu Christi nobilitati vestræ declarare desidero. Noverit igi-*
10 *tur serenitas vestra, quod Alexius filius Tirsaci* quondam Imperatoris Constantinopoli-* * Isacii.
tani, quem frater eius propter ambitionem imperii excæcauit, venit ad nos apud Corfant; ibique genibus flexis, profusis lacrymis, vniuersitatem nostram exorans, quatenus Constantinopolin venientes cum ipso ei in auxilium præstaremus, vt ipse auunculum suum, qui erga patrem suum tantum scelus perpetrauerat, à regno per auxilium nostrum expelleret, quod per ambitionem sibi vsurpauerat & iniuste possederat. Super hoc autem fuit inter nos maxima dissensio & ingens tumultus. Omnes enim clamabant ire Accaron: pauci fuerunt plusquã X X. qui Cõstantinopolin collaudassent, quorũ fuit vnus Marchio, Comes Flandrens. Comes Ludouicus, & alii quorũ nomina ad præsens reticentur. Qui oẽs toti exercitui ostendentes manifeste, quod via Iherosolimitana erat omnibus inutilis & damnosa, cum ipsi es-
20 *sent inopes & vidualibus imminuti, nec esset aliquis inter eos qui milites ad stipendia & sariantos ad solidum detineret, vel qui petrarios faceret protrahi, nec alia instrumenta bellica produci. Tandem vero vix nobis acquieuerunt, tali tamen conditione quod apud Constantinopolin moram nullatenus facerent vltra mensem, nisi voluntate sua propria morarentur. Responsum est eis, quod breuis mansio publicata non erat nobis necessaria, quia Græci nos minus formidarent, si breuis mora spacium præscirent: attamen impetrauerunt à nobis, vt de mora soluti mensis eis securitas præstaretur in palam, & ita factum est. Quo facto inuenis Imperator nobis promisit, quod toti exercitui nostro per annum victualia largiretur integrum, & quod X. millia militum ad annum S. terra succursum ad sumptus suos haberet. Promisit enim quamdiu viueret, ad stipendia sua se in terra sancta D. milites habiturum, & quod*
30 *Duci Veneti C. millia marcarum argenti & totidem exercitui nostro erogaret. Quibus compositis & communi vtilitate concessis, naues nostras conscendimus, dehinc ad portum Buccentauie octauo die applicantes: ab eo loco C. leuca Constantinopolin vsque numerantur, à porta vero isto vsque Constantinopolin per strictum mare & velociter currens transitur. Inde per illud fretum nauigantes transiuimus Brachium S. Georgii, & per portum cepimus ad firmam terram versus Iconium, qui portus distat à Constantinopoli vna leuca. Ibidem stupuimus valde admirantes super hoc, quod nemo amicorum, nemo parentum inuenis Imperatoris, qui nobiscum erat, seu aliquis nuncius eorum venit ad eum, qui ei statum Constantinopoli declararet. Non mora, Imperator imperium tenens Duci Veneti, Marchioni, Comiti Flandrensi, Comiti Ludouico, & nobis, nuncios suos destinauit. Nos vero secretum inter nos ineun-*
40 *tes consilium diximus, quod Imperatoris nuntios nullatenus audiremus, nisi prius se ab Imperialis cathedra deponeret maiestatis: aliter ipsum vel eius nuntios nequaquam auscultaremus, nolebamus enim quod Græci muneribus attentarent, vel mollirent. Interim Imperatoris exercitus in littore nobis oppositio paratus erat nobis transitum inhibere, ostendens animositatis imaginem nobiscum præliandi. Quod videntes, ad peccatorum nostrorum cucurrimus confessionem, in Dei solum misericordia confidentes: postea nostras ordinauimus pugnas, deinde nos omnes armati intrauimus naues vsarias & galeidas, quæ vasa nauigio apta C C. numero fuerunt, præter naviculas & bargas. Cum vero Deo ducente vltra fuimus applicati, omnes Græci qui conuenerant, vt transitum nobis impedirent, ita Dei gratia à nobis elongarunt, quod aliquem eorum etiam volatu sagittæ vix potuimus attingere. Inde perreximus*
50 *ad quandam turrim fortissimam, quæ Galatha nuncupabatur, in qua firmabatur catena ferrea grossa nimis, quæ posita super ligna transuersa mare transnatabat, attingens vsque ad muros ciuitatis. Catena illa portum seruabat, iuxta quam naues & galeidæ ciuitatis cum bargis erant, latere ad latus coniunctæ, nobis introitum prohibentes. In turri siquidem sapedicta erant sarianti Anglici, Pisani, Leueniani, Dachi, ad eam protegendam constituti, qui exibant turrim & introibant, sicut & quando volebant, ad sagittandum nostros. Super*

turri autem illa locuti fuimus cum Duce Veneti viro prudentissimo & discreto, dicentes ei quod nullo modo posset capi, nisi per minitores & petrarias caperetur. Respondit nobis, quod iuxta catenam antedictam faceret naues suas protrahi, suas erigens petrarias cum instrumentis variis super naues: nos quoque nostra faceremus ingenia erigi super terram: sic undique turris obsessa Dei nostroque auxilio de facili caperetur. Dum autem hæc proponerentur, sarianti in turri latitantes nostris gentibus sagittando importunos faciebant assultus. Verum nonnulla vice in nos fecerunt salinationes,* quasi forent acriter retromissi, & suorum damna multimode sustinerent. Tertia vero die post tentoria nostra ibidem confixa illi deinde exeuntes nostris quibusdam militibus & peditibus præter nos fecerunt insultus. Petrus vero de Braieleuel cum quibusdam militibus & sariantis armatus superueniens, hic eos cum festino impetu atrociter inuasit, quod ei non potuerunt resistere, nec ad turris refugium remeare: imo oportuit quosdam eorum nostris instantibus prosilire in mare, & ibi submersi fuerunt, quidam truncati, quidam vero retenti. Statim Deo mirabiliter operante turris absque bellico instrumento capta, & catena rupta fuit. Mox siquidem nauibus ciuitatis retro abeuntibus, naues nostræ liberum portum habuerunt, & quosdam eorum simul cum galeidis, nauiculis, & bargis ceperunt. Tunc vero nostris nauibus & nobis ordinatis ad pugnam, processimus iuxta litus ad quendam pontem lapideum distantem à turre prænominata vna leuca. Pons vero ille protensior erat paruo ponte Parisiensi, & erat adeo strictus, vt tres equites iunctis lateribus simul vix per illum possent transire, vadis profundis existentibus non poteramus alias transire, nisi multam faceremus torsuram. Si vero à nostro nauigio longe distaremus, fortasse periculum magnum incurrissemus & damnum. Cum peruenissemus ad pontem ipsum (Dei patientia) nullo obstante transiuimus, & procedentes tentoria nostra fiximus inter palatium Imperatoris & palatium Boimond, & sic propinquauimus palatium quod Blacherne dicitur, quod sagittæ nostræ cadebant super palatium & infra palatium per fenestras, & sagittæ Græcorum super tentoria nostra. Hoc facto exercitum nostrum concluſimus grossis palis, & circumcinximus litiis, deinde instrumenta nostra bellica & petrarias ereximus ante muros. Dux Veneti vero super quamlibet nauim construxit de antemnis pontem altissimum in altitudine C. pedes habentem, & super quemlibet pontem poterant ire quatuor milites de fronte. Præterea quilibet vsarius mogonellum suum habebat erectum. Dum autem hæc fierent, Græci nobis pede & equo plures instanter fecerunt insultus: verum super hoc, quam nos, deterius habuerunt. Quadam die maxima militum multitudo de quadam porta caterwatim egrediens, quæ porta patet à dextera parte palatii, superius exilis, & nos prouocauit ad arma: quos nostri cum ingenti impetu & forti audacter repulerunt, quod multi eorum altero alterum inculcante corruerunt in fossas. Inter quos filius Ducis de Ducato, qui inter Constantinopolitanes fortior & pulchrior dicebatur, cum aliis quibusdam peremptus est. Crastina quoque die quædam cohors militum ciuitatis per portam Blachernæ exiuit ex parte, qua ingenia nostra bellica erigi feceramus: sed Deo iuuante retromissi sunt turpiter & potenter. Tunc quidem retentus est vir nobilissimus, potentior & in militia melior omnibus Constantinopolitanis, qui consiliarius Imperatoris erat. Die Mercurii post ordinationem fuit propositum, quod in crastino fieret assultus ad ciuitatem, videlicet Dux Veneti per mare, Comes Flandrensis & Comes Ludouicus per terram assilirent, & Marchio cum illis: Ego siquidem & M. de Montmorensi, & Marscalcus Campanico de sancto Tyrone, dum assultus fieret, custodiremus exercitum forinsecus inter vallum & campum, & sic fecimus. Facta autem ordinatione & proposito terminato, Dux & Venetii cum quibusdam de nostris, qui nauigio potenter instabant, prope muros nauibus applicatis, scalas muris acclinantes, intrauerunt cum virtuoso impetu ciuitatem, XXX. turribus lucrifactis iuxta quantitatem atturbati, & de ciuitate non modicum combusserunt. Nostri quoque suos per terram facientes insultus, scalis similiter muro appositis suas super muro posuerunt baneras & vexilla. Minitores vero muros inferius subcauantes vnam turrim straauerunt. Tunc Imperator ciuitatis incendio & nostris insidiis vndique coartatus constituit ad portas singulas, quæ ad campos exitum faciebant, turmas militum non paucorum, vt nos circumquaque assilirent, & inuasos involuerent & truncarent. Econtra nos similiter nostras ordinauimus pugnas. Comes Flandrensis cum suis, ego quoque cum meis, vterque in suo cuneo consistens. Ferimus

* L. simulationes.

autem

autem custodiam, & equitanimus ordinate & coniuncti contra prælium nobis contrarium, eos adeo appropinquantes, quod eorum sagittarij & balistarij trahebant in nos, nostriq; in ipsos. Cum ipsi viderent nos magnanimos esse & constantes, ordinate procedere & seriatim, & nos non posse faciliter expugnari vel corrumpi, ipsi valde perterriti & confusi cedentes nobis non ausi fuerunt (Dei gratia) dimicare nobiscum. Et sciatis, quod non fuimus in toto exercitu plures quam quingenti milites, & totidem equites, sariantes non habuimus plures quam duo millia peditum: maior enim pars statuebatur ad ingenia nostra conseruanda. Videntes autem eos fugere & abire, nolumus insequi: ne forte per eorum dolos & insidias exercitui nostro, & bellicis machinis nostris, vel turribus, quas Veneti ceperant, damnum inferrent. Imperator vero nocte rediens ad palatium suum, asseruit se in crastinum pugnaturum nobiscum: eadem autem nocte media Imperator latenter aufugit. Die vero Ionis, sicut Imperator promiserat, debuimus pariter dimicare. In crastino (Deo cooperante) fuit ciuitas reddita nobis, & tunc fuerunt octo dies completi à ciuitatis obsidione. Tunc vero Tirsacus Imperator & Imperatrix uxor eius videlicet soror Regis Vngariæ, qui diu in horrore carceris tenti fuerant & inclusi, nobis gratias multimodas referentes mandauerunt, quod per Dei gratiam & nostrum auxilium fuerant à carcere liberati, & quod decus Imperij rehabebant, & nos in crastino veniremus in palatium tanquam in nostrum cum filio suo diu desiderato: & ita fecimus, & manducauimus cum eis cum magnis exultationibus & honore solemni. Hoc equidem vos scire volo, quod eo usque in negotium Saluatoris processimus, quod Orientalis Ecclesia, cuius olim metropolis erat Constantinopolis, cum Imperatore & vniuerso Imperio eius capiti suo Romano Pontifici, sicut fuit antiquitus, renodata Romanæ Ecclesiæ sese esse filiam recognoscit, & vult de cætero eidem more solito humiliato capite deuotius obœdire. Ipse etiam eiusdem Ecclesiæ Patriarcha huic aspirans operi & applaudens, suæ dignitatis pallium à summo Pontifice recepturus Romanam sedem vlterius adibit, & ipse super hoc cum Imperatore* iuramenti præstitit cautionem. His igitur tot & tantis vtilitatibus pronocati, & spe sanctæ bonorum futurorum detenti, apud ciuitatem præscriptam proposuimus hyemare: & hoc ideo fratribus nostris, qui in transmarinis partibus nostrum præstolantur aduentum, curauimus nunciare, vt ipsi auditis nostrorum rumoribus gaudiorum, quorum eos esse participes præoptamus, adminiculo sanctæ spei suffulti nos Constantinopolin expectent. Noueritis & quod accepimus tornamentum contra Soldanum Babyloniæ ante Alexandriam. Si quis ergo Deo vult seruire, cui seruire est regnare, & nomen habere militiæ conspicuum & clarum, tollat crucem, & sequatur Dominum, & veniat ad tornamentum Domini, ad quod ab ipso Domino inuitatur. Valete.

* c. solita. 6. Ext. De maior. & obed. c. 1. de sac. Vnct.

Qualiter autem Tirsachio* mortuo Alexius se ab eis alienauerit, & mala pro bonis reddiderit, & quomodo ab eis capta ciuitate Baldewinus Comes Flandriæ in Imperatorem sublimatus sit, per hanc epistolam, quam idem Comes Adolfo Colonienſi Archiepiscopo transmisit, cognosci potest. EPISTOLA. *Reuerendo patri suo & karissimo domino & consanguineo suo A. Dei gratia Colonienſi Archiepiscopo, Baldewinus eadem gratia fidelissimus in Christo Imperator, à Deo coronatus, Romaniæ moderator & semper Augustus, Flandriæ & Hinchau* Comes, consanguineus & fidelis suus, omnem beatitudinem vitæ, quæ nunc est & futuræ. Cum Christianæ religionis zelo, imo & nostræ specialis amore personæ, quæ circa nos aguntur, paternitas vestra scire desideret, serenitati vestræ declarandum esse decreuimus, quam mira circa nos vsa sit diuina clementia nouitate, quamque non nobis quidem, sed nomini suo gloriam dederit omnibus seculis admirandam. Mirabilibus eius circa nos semper mirabiliora succedunt, vt etiam infidelibus dubium esse non debeat, quin manus Domini operetur hæc omnia: cum nihil speratum à nobis aut promissum ante contigerit: sed tunc demum nona nobis Dominus procurauerit auxilia, cum nihil humani videretur supereſſe consilij. Et quidem, si bene meminimus, per litteras paternitati vestræ transmissas nostri progressus & status narrationem eo vsque deduximus, vt vrbe populosa capta violenter à paucis, tyranno fugato ac filio Tirsachij Alexio coronato, mora nostra promissa foret & ordinata per hyemem: vt potenter obtinerentur, si quæ resistere videbantur Alexio. Et nunc breuiter narranda suscipimus, quæ circa nos postea contigerunt, eo prænotato, quod sicut non opera hominum fuere, sed Dei, quæ Græcis intulimus: ita non opera hominum fuere, sed Dæmonum, quæ cum Imperatore nouo Græcoque per omnia Græcia nobis ex perfidia consueta

* Isaacio.

* Hannonia, Hennonia.

retribuit. Nos siquidem ne discordiæ fomitem inter nos & Græcos ministraret moribus nostris aduersa barbaries, de ciuitate exeuntes ex aduerso ciuitatis interiacente portu ad preces Imperatoris castra posuimus. Et ex insperato seu innata malitia, seu Græcorum seductus perfidia, animo recedit à nobis, cui tanta beneficia contulimus. Ipse enim in omnibus nobis promissis cum patre, patriarcha, & mole nobilium, periurus & mendax tot incurrit periuria, quot nobis præstitit iuramenta. Vnde nostro tandem destitutus auxilio prælia contra nos meditatur in cassum: & nauigij, quod eum adduxerat & sublimauerat ad coronam, procurat incendia. Sed voto tam crudeli Deo nos protegente fraudatus, fit pars sua per cuncta deterior, & hominum suorum cædes, incendia, & rapinæ proueniunt. Imminente foris pugna, intus timoribus coarctatur, Imperatorem ei æmulum parantibus Græcis, ea occasione captata, quod nullum ad auxilium nostrum deberet habere confugium. Quumque eidem euadendi spes vnica restaret in nobis: iuratum sibi quendam Morchuflum* nomine, sanguine sibi propinquum, de quo pro beneficiis sibi impensis super omnes alios confidebat, mittit ad exercitum nostrum, qui Blachernæ palatium nobis sub Imperatoris & suo iuramento promittit in obsidium, donec nobis cuncta reddantur. Accedit ad palatium recipiendum nobilis Marchio. Illudit Alexius Marchioni, & quod iam nobis dederat, spretis obsidibus consueta periuria non veretur. Nocte insequuta Morchuflus Domino suo periurus & nobis Græcis reddendi nobis palatij reuelat arcana, atque ex hoc in perpetuum eis eripi libertatem, & ad hoc modis omnibus veniendum esse declarat, nisi deiiciatur Alexius. Cuius proditionis merito tertius in vrbe Imperator attollitur. In dominum dormientem & rei nescium sacrilegas mittit manus, eumque carcere tetro includens, tertium Nicolaum quendam, qui apud S. Sophiam imperiales insulas nouiter vsurparat, traditum sibi à Græcis, qui eum creauerant, proditione rursus incarcerauit. Mortuoque post modicum Tirsachio, qui animum filij sui præ omnibus (vt dicebatur) à nobis auerterat, acclamante clero Græcorum & populo, vt de terra tolleremur, in breui tantum sanguinem nostrum sitientibus Græcis, prælia contra nos proditor indictus restaurat, vrbem machinis & propugnaculis muniunt, quorum numerum nemo viderat vnquam. Quumque murus mirælatitudinis, lapidibus minutis cæmentoque tenacitatis & firmitatis antiquæ constructus, in altum valde consurgens, turres haberet amplissimas pedibus circiter quinquagenis & paulo plus minusve distantes inter quaslibet duas à parte maris, quo noster timebatur assultus, turris lignea erigitur super murum stationibus tribus aut quatuor multitudinem continentibus armatorum, nihilominus etiam inter quaslibet duas turres seu petraria seu magonellus erigitur. Turribus autem supererigunturligneæ turres altissimæ stationum sex, super quam supremam stationem aduersum nos porriguntur scalæ, appodiationes ex vtraque parte & propugnacula continentes paulominus excelsis scalarum capitibus, quantum iacere in altum posset arcus à terra. Murum etiam ipsum murus circumcingit inferior, duplexq; fossatum, ne muris vlla applicare valerent ingenia, sub quibus possent latitare fossores. Interim mari terraq; nos attentat perfidus Imperator, nos semper Domino protegente & suos frustrante conatus. Nam præter ordinationem nostram ad prædam victualium procul exeuntibus vsque ad mille animas hominum pugnatorum, Imperator occurrit in multitudine graui. Primo congressu dissipatur omnino cæsis captisq; non paucis sine damno nostrorum, fuga ignominiosa consulens sibi clypeum abiicit, arma deponit, & nostris vexillum imperiale dimittit, nobilemq; quam sibi præferri fecerat iconam, quam ordini Cisterciensi nostri dedicauere victores. Iterato nauigium nostrum flammis adgreditur, intempestaq; noctis silentio sedecim suas naues incensas, velis in altum expansis & inferius colligatis ad proram, flante fortiter Austro, nostras mittit in naues: sed Domino faciente cum multo labore nostrorum custodimur indemnes, & ardentibus nauibus clauis infixis catenis hærentibus nostrorum remigio trahunt in pelagus, & ab imminenti mortis periculo à Domino liberamur. Nos igitur eum terrestrem prouocamus ad pugnam, & ponte atq; amne transmisso, qui exercitum nostrum separabat à Græcis cuneis ordinatis ante portam diu steti-mus, regiæ ciuitatis & palatij Imperialis quod Blankerna nuncupatur, in nomine Domini agminum Israel præcedente Cruce viuifica, parati ad prælium Græcos excipere, si eis placuisset exire. Et quidem pro militiæ exercitio exeuntem nobilem quendam nostri pedites trucidarunt. Sic in castra reuersi terra mariq; sæpius prouocamus, sed dante Domino semper ac triumphaliter obtinemus. Mittit ad nos pacis fictæ legatos perfidus incubator Imperij, postulat & obtinet cum Duce colloquium. Cumq; eidem Dux magnanimus obiecisset, quod nulla cum eo pacis

* Murzuflum.

eo pacis posset esse securitas, qui dominum suum carcere conclusisset, postposita iurisiurandi religione & fidei, & ipsi præripuisset imperium: eidemque bona fide consulerent, vt Dominum suum restitueret, & humiliter veniam postularet, nostras etiam pro se promitteret preces: & quod cum eodē Domino suo misericorditer si vellet agere deberemus: ac quidquid contra nos egerat venenose, si redisset ad animum, imputare vellemus ætati lapsuique consilij: & ille vana verba subintulit, quia qua responderet rationabiliter non habebat. Obœdientiam autem Romani Pontificis, & subuentionem sanctæ terræ, quam iuramento & scripto imperiali firmarat Alexius, adeo refutauit, vt vitam amittere præeligeret, Græciamque subuerti, quam quod Latinis Pontificibus Orientalis Ecclesia subderetur. Noctu igitur insequenti Dominum suum latenter laqueo suffocat in carcere, cum quo ipsa die prandium sumpserat (vide) & clauaferrea, quam tenebat in manu, latera morientis & costas inaudita crudelitate confringit: casuque vitam, quam laqueo extorserat, confringit ereptam. Hoc imperiali sepultura concessa propalatum omnibus scelus funeris honore dissimulat. Sic nobis hyems tota perficitur, donec nauibus nostris scalis aptatis, & instrumentis bellicis præparatis, nos & nostra recipientes in nauibus V. Id. April. hoc est, feria sexta ante passionem Domini vnanimiter pro honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & subuentione sanctæ terræ, nauali prælio inuadimus ciuitatem, & ea die non sine multo tamen sanguine fuimus tanta perpessi, vt inimicis nostris in opprobrium verteremur, quorum ea die pars fuit per cuncta superior: adeo vt tracta in terram Græcis compelleremur bellica nostra machinamenta relinquere, & infecto negotio ad ripam redire cogeremur aduersam ea die (vt videbatur) inutiliter fatigati. Conturbati vero plurimum & conterriti, sed demum in Domino roborati, definito consilio rursus instauramur ad pugnam quarta die, II. Id. April. hoc est, feria secunda post passionem Domini, flante Borea rursum applicamur ad muros scalis nauium scalis turrium applicatis cum multo labore nostrorum permultum resistentibus Græcis: sed ex quo comminus gladios sensere nostrorum, non diu belli anceps duranit euentus. Duæ siquidem naues pariter colligatæ, quæ Episcopos nostros Suessionis videlicet ac Trecenensis deferebant, quarum erant insignia Paradisus & Peregrina, primæ scalis suis scalas turrium attigerunt, & felici auspicio peregrinos pro Paradiso certantes hostibus admonuerunt. Prima muros obtinent vexilla Pontificum, ministrisque cœlestium secretorum prima conceditur de cœlo victoria. Irruentibus igitur nostris cedit (Domino iubente) infinita multitudo pro paucis, & propugnacula relinquentibus Græcis nostri audacter militibus portas aperiunt. Quorum cum Imperator, qui non procul à muris in tentoriis stabat armatus, conspicaretur ingressus: statim tentoria dereliquit & fugit: nostri cædibus occupantur, ciuitas capitur populosa: recipiuntur in palatiis, qui nostrorum enses effugiunt, multaq; cæde facta Græcorum nostri sese recolligunt, aduesperascente iam die arma deponunt, de assultu palatiorum in crastino tractaturi. Suos recolligit Imperator, & crastinam hortatur ad pugnam, asserens quod nostros in potestate nunc haberant inter murorum septa conclusos: sed nocte latenter dat terga deuictus. Quo comperto Græcorum plebs astonita de statuendo Imperatore pertractat, & dum mane facto ad nominationem cuiusdam Constantini procedunt, pedites nostri non expectata deliberatione maiorum ad arma prosiliunt, & terga dantibus Græcis munitissima & fortissima palatia relinquuntur, totaque in momento ciuitas obtinetur. Diripitur equorum innumera multitudo, auri & argenti, sericorum, pretiosarumque vestium atque gemmarum, & omnium eorum, quæ ab hominibus inter diuitias computantur, tam inæstimabilis abundantia reperitur, vt tantum tota non videretur possidere Latinitas: & qui antea pauca negauerant, cuncta nobis diuino iudicio relinquunt, vt secure dicamus, vt maiora his mirabilia circa bellorum casus nulla vnquam narret historia: vt impleta prophetia manifeste videatur in nobis, qua dicit: Persequitur vnus ex vobis centum alienos. Quia si inter singulos victoriam partiamur, quilibet ex nostris non pauciores aut vicit aut possedit. Nunc autem non nobis victoriam vsurpamus, quod saluauit sibi dextra Domini, & brachium virtutis eius reuelatum est nobis. A Domino tantum factum est istud, & super omnia mirabilia mirabile est in oculis nostris. Ordinatis igitur, quæ disponenda rerum poscebat euentus, ad electionem Imperatoris vnanimiter ac deuote procedimus: & omni ambitione secluſa cum sex Baronibus Venetorum, * venerabiles viros, Episcopos nostros, Suessionis, Haluerstadensi ac Trecensi & Dominum Bethlehemitanum, qui à partibus transmarinis Apostolica auctoritate sin. & alio

* Inter quos erat Thomas Maurocenus, eodem tempore designatus Patriarcha Cōstāt. ad quem est decretalis in c. 3. Ext. De maior. & obed. c. 5. Ext. de in-

nobis fuerat delegatus, Acconæ electum, Abbatemq; Lucedy, Imperatoris sub dominio nostro constituimus electores. Qui oratione præmissa (vt decuit) Dominica, misericordia Domini, personam nostram, quod à nostris meritis procul erat, vnanimiter ac solemniter elegerunt, diuinis laudibus clero ac populo acclamante: sequentiq; Dominica in qua Iubilate Deo cantatur, præcipiēte Petro Regem honorificari, eique obœditi quasi præcellenti, & *Euangelio annunciante*, Quod gaudium nostrum nemo tollet à nobis: *cum ingenti honore & tripudio, more etiam suo applaudentibus Græcis, ad honorem Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac subuentionem terræ sanctæ, glorioſe coronatum ad Imperij fastigia Deo & hominibus amabiles patres memorati Pontifices cum vniuersorum applausu & pijs lacrymis sublimarunt. Aderant incolæ terræ sanctæ, ecclesiasticæ militaresq; personæ, quorum præ omnibus inæstimabilis erat & gratulabunda lætitia, exhibitumq; Deo gratius obsequium asserebant, quam si ciuitas sancta Christianis esset cultibus restituta: cum ad confusionem perpetuam inimicorum Crucis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, terræ Ieroſolymitanæ, seſe regia ciuitas deuoueret:* * *quæ tam diu, tam potenter aduersaria stetit & contradixit virique. Denique diuina iustitia nostroq; ministerio digna vltione percussis & expulsis hostibus, Deus obœdientibus terram nobis dedit omnium bonorum copijs affluentem, frumento, vino & oleo stabilitam, fructibus opulentam, nemoribus, aquis & pascuis spatioſam, ad manendum spectoſam, & cui similem non continet orbis aere temperatam. Sed nec in his desidia nostra subsistunt, nec ab humeris nostris vexillum regale deponi: donec terra ipsa incolatu stabilita nostrorum partes debeamus inuisere transmarinas, & dante Deo propoſitum peregrinationis implere. Speramus enim in Domino Ieſu, quod qui cœpit in nobis opus bonum ad laudem & honorem nominis sui, inimicorum Crucis depressionem perpetuam perficiet, confirmabit solidabitque. Celsitudinem igitur vestram propensius exoramus in Domino, vt gloriæ huius atque victoriæ & spei præoptatæ, cuius ostium magnum nobis apertum est, velitis esse participes. Quod absque vlla nobis dubitatione continget, si terræ vestræ nobiles atque ignobiles, cuiuslibet conditionis aut sexus, eisdem desiderijs accensos, ad nostras immensasq; capeſſendas diuitias temporales pariter & æternas, non solum permissa licentia, sed salutaribus monitis accendatis. Vniuersis enim dante Deo sufficimus, quos nobis Christianæ religionis zelus adduxerit. Vniuersos volumus simul & possumus secundum status suos varietatemque natalium & augere diuitijs & honoribus ampliare*).

* *d.e. inter quatuor. S. Ex. De maior. & obed.*

Item ipso anno Theodericus Comes Hollandiæ moritur, & traditur Comiti de Los prouincia cum filia * sua. Quod grauiter ferens Wilhelmus * frater eius, congregatis militibus eundem Comitem de Hollandia expulit, & filiam fratris abstulit.*

* *Adam nomine.*
* *de Hollandia Comes Obfrisia.*

Circa Kal. April. visus est per tres noctes ignis discurrere per totum cœlum, ita vt tota regio ab eo illuminaretur.

* *Vide c. olim 7. Ex. de except. integrum.*

Anno Domini MCCIIII.

VII.

Philippus Rex cum exercitu Saxoniam intrauit, vt castrum quoddam nomine Harlinginberch à Rege Ottone constructum deiiceret, & ciues Goslariæ de oppressione eius & fratrum suorum liberaret. Sed vbi eundem in forti manu sibi occurrere cognouit, consilio cum suis habito recessit, satius ratus ad tempus cedere, quam cum hoste male pugnare.

Circa ipsum tempus Theodericus Episcopus Traiectensis cum exercitu & pluribus nobilibus Hollandiam intrauit, & prouinciam Comitis de Los rursus subiugauit. Sed Episcopo recedente, cum idem Comes cum suis in quodam oppido nomine Leidni degeret, præfatus Wilhelmus de maritimis partibus contracta multitudine tam pedestris quam naualis exercitus plurimos eorum captiuauit, cæteris in palude mersis, & vix paucis euadentibus cum ipso Comite.

Ipso anno circa Iulium mensem Philippus Rex contracto maximo exercitu Thuringiam intrat, quandam ciuitatem Lantgrauii Wizense nomine obsidione vallat, Regem etiam Boemię cum maxima multitudine in auxilium ei venientem fugat, omnia per circuitum oppida igne exurit & vastat. Lantgrauius vero videns euersionem terræ suæ, & animositatem Regis se ferre non posse, interuentu quorundam Principum supplex ad eum venit, & eius gratiam promeruit. Post hæc Colonienſem Archiepiscopum per Treuirenſem, Spirenſem, & Constantienſem

tiensem Episcopos apud Andernacum sibi conciliat, & vt Ducem Brabantiæ & reliquos Lotharingiæ nobiles fideles sibi efficiat, nouem millia marcarum ei donat. Saleuelt etiam, & alia quædam ab episcopio ablata redonat, plurima promittens rogat. Colonienſis vero Episcopus sacramentum, quod dudum Ottoni fecerat paruipendens, & periurium & excommunicationem Apostolici non metuēs, post festum S. Martini ad eundem Philippum cum Duce Brabantiæ Confluentiā venit, & ei iuramentum fidelitatis cum Duce ibidem fecit. Ibi etiam Rex Philippus celebrem curiam omnibus, qui aderant Principibus in Epiphania Domini Aquisgrani indicit, & Colonienſis eum ibidem in Regem consecrari & vngi promittit. Quod & factum est. Rex ergo vt proposuerat cum pluribus regni Principibus Aquisgrani venit: vbi eum maximo apparatu Colonienſis ei occurrit. Ibi Rex cōsilio cum suis habito, vt Principes suam liberam electionem sedis * antiquitatis institutū non perdant, regium nomen & coronā deponit, & vt concorditer ab omnibus eligatur, precatur. Quod & factū est, & à Colonienſi Archiepiscopo cum Maria * vxore sua vngitur & cōsecratur. Sifrido Mogūtino & Cameracēsi Episcopo eisdem diebus cum literis prope Coloniæ existentibus, & pro hac iniusta consecratione excommunicationem ei intentantibus: Ottone etiam Rege languore ibidem detento, & omnium auxilio destituto.

* Secundē.

* al. Irena.

Hoc anno fuit æstas calida & sicca: & hyems longissima & nimis asperrima.

Anno Domini MCCV. VIII.

Sifridus Moguntienſis Archiepiscopus & Cameracensis antistes à sede Apostolica iudices constituti Coloniā venerunt, & in Ecclesia B. Petri Apostoli coram clero & vniuerso populo Adolfum Episcopū excōmunicatum à Papa pronunciauerunt, & per omnes cōuentuales Ecclesias & parochias ciuitatis, vt per singulos dominicales & sacros dies excōmunicaretur, præceperunt: hoc etiā in mādato habētes, vt si infra mensem post denominationē sibi factā Romā ad satisfactionem se non conferret, officio & omni beneficio destitueretur. Castrum Hostade à Rege Ottone & Colonienſibus obsidetur, sed obsidibus datis intactum relinquitur.

Per idem tempus Philippus Rex circa Pentecosten celebrem curiam Spiræ habuit. Vbi Adolfus Episcopus de Colonienſibus querimoniā facit. Ibi Philippus Rex iudicio Principum, Adolfo etiam cum suis sequacibus eum rogante & instigante, expeditionē Coloniæ omnibus qui aderant Principibus indicit. Sed eodē in pertinacia sua perseuerante, neq; de excōmunicatione vel mandato Papæ curante, præfati iudices conuocato vniuerso clero & populo in die sanctorū martyrum Geruasii & Prothasii corā omnibus in maiori Ecclesia præsēnte Ottone Rege & aliis nobilibus viris ab officio & dignitate pōtificali deposuerunt, & vt alium Episcopum eligerent, Apostolica auctoritate præceperunt. Sic eo depositio secundum sententiam summi Pontificis Bruno * Bunnensis præpositus in Episcopum eligitur. Vnde mox per totum episcopatum werræ plurimæ & graues per Episcopos & eorum complices oriuntur, fiunt incendia vbique, prædones emergunt vndique, bona Ecclesiarum rapiuntur, turres earum & villæ comburuntur, fiunt deprædationes pauperum & oppidanorum, expoliationes viduarum & pupillorum. Ciuitas etiam ab inimicis vndique vallatur, nulli ingredi vel egredi libere conceditur. Tuitiense castrum stipatum sagittariis & militibus Comitis Adolfi de Monte ei opponitur & aduersatur. Rhenus superius & inferius, ne victualia vel mercimonia per naues inferantur, clauditur. Sic itaque ciues vndique arctati, & maxime per castrum ipsis oppositum: sagittarii enim in domo prædicti Comitis Adolfi constituti, cum sæpius sagittis suis eos impeterent, & maledicta & conuitia plurima proferrent, naues maximas cum propugnaculis in medio Rheno statuunt, & balistarios & sariantos, qui illis in faciem fortiter resistant, plurimos cōstituunt. Naues etiam alias instaurant, per quas sæpius transuecti eundem Comitem & suos impugnant. Villas quoque super littus Rheni sitas, ipsi subditas rapinis & incendio deuastant: & sic per annum & dimidium vario euentu simul confligunt & dimicant.

* de Sweinbach.

Post natiuitatem vero beatæ Mariæ Philippus Rex maximo exercitu con-

gregato Moſellam tranſiuit, & in feſto beati Michaelis Archangeli ante mœnia ciuitatis Coloniæ veniens eam impugnare cœpit. Sequenti vero die in ſuperiori parte ciuitatis tentoria ſua figit, & tota illa die eam impugnat & impetit. Hiis autem, qui intus erant fortiter repugnantibus, & aduerſariis viriliter reſiſtentibus, cum per quinque dies eam impeteret, & nihil proficeret, ſed maximum damnum ſuorum præcipue equorum ibidem acciperet, relicta obſidione recedit, & cum vniuerſo exercitu ad expugnandam Nuſſiam procedit. Quam cum acriter impugnaret, illi de viribus ſuis diffidentes in deditionem venerunt, ciuitatem eius præcepto Adolfo Epiſcopo tradiderunt, & obſidibus ei datis ſeruire promiſerunt. Hiis geſtis, totam terram concremando, deuaſtando, per tranſiens recedit.

Litteræ etiam Domni Papæ in hiis diebus Coloniæ præſentantur, in quibus inuaſores Eccleſiarum iubentur excommunicari, & tota terra eorum ſub interdicto poni. Vnde magis in inſaniam verſi iidem raptores omnem furorem ſuum in clerum exagitantes, curtes & prædia eorum ſibi vendicãt, reditus omnes per biennium diripiunt, & in tantam paupertatem Eccleſiæ deueniunt, vt quidquid ornatus in auro & argento & gemmis pretioſis in eis ab antiquitus ſeruatum fuerat, totum diſtractum & venditum ſit.

c. paternarum 13. XX. 94.....

IX. Anno Domini MCCVI.

Philippus Rex cum exercitu iterum ad inferiores partes deſcendens, occurrente ſibi Adolfo Epiſcopo cum Comitibus & cæteris nobilibus terræ, totum epiſcopatum ſecundum libitum omnia ſibi ſubiiciendo percurrit. Rex autem Otto & Bruno, qui ipſo menſe in Archiepiſcopum ordinatus fuerat à Syfrido Moguntino, præſentibus duobus Epiſcopis de Britannia à Rege Angliæ miſſis cum CCCC. militibus, & duobus millibus peditum de Colonia exeuntes cum eodem confligere ſtatuerunt. Sed traditione Heinrici de Lymburg ad caſtrum, quod dicitur Waſſinberch eum proſecuti, & in paluſtria loca deducti, & ab hoſtibus circumuenti, terga dantes fugere cœperunt. Quos mox aduerſarii inſequentes, & omnia, quæ ſecum detulerant, deprædantes, plures etiam ibi milites ceperunt. Rex vero cum Epiſcopo caſtrum ingreſſus, ſed ſtatim ab inimicis vndique vallatus occulte inde egrediens cum tribus ſociis euaſit. Epiſcopus autem ibidem capitur, & Philippo Regi offertur, quem manicis ferreis conſtrictum ſecum duci iubet. Multi etiam ibi de vita diffidentes paludes & aquoſa loca ad occultandos ſe ingrediuntur: cætera multitudo armis ſpoliati, & veſtibus nudati, turpiter reuertuntur.

Poſt hæc ambo Reges, mediante Heinrico de Kalinthin, familiare colloquiũ iuxta Coloniam habuerunt: ſed quid ſimul contulerint vel cõſiliati fuerint, * non omnibus illo in tempore innotuit.

** forte de filia Philippi ſungenda Ottoni, & poſtea ſacrum.*

Philippus igitur Rex reuertens quendam montem nomine Gymnich iuxta Regiomagum occupat, & ad detrimentum totius prouinciæ ibidem caſtrum * collocat. Colonienſes vero conſiderantes ſibi totum Imperium aduerſari, & vbique ſuos conatus fruſtrari; conſilio & auxilio Ducis Brabantiæ & cæterorum nobilium terræ, Philippum Regem Bobardiæ adierunt, & ibidem ei reconciliati gratiam eius meruerunt. Qui etiam poſtea miſſo Spirenſi Epiſcopo Coloniam fidelitatis ab eis iuramentum exigit.

** Lantzkron.*

Per idem tempus Otto Rex de Colonia exiens Bruneſvvich venit, ibique rebus ſuis ordinatis per mare nauigio Angliam intrauit. Vbi à Rege Angliæ auunculo ſcilicet ſuo & cunctis eius Baronibus cum magno honore ſuſcipitur, & per aliquod tempus detinetur, & poſtea dimiſſus ab eodem accepta magna pecunia reuertitur.

Eclipſis Solis facta eſt 11. Kal. Martii, hora diei X. Nam plurimi humanum caput in Sole ſe vidiſſe teſtantur.

X. Anno Domini MCCVII.

Philippus Rex Sinceche * colloquium cum quibusdam Principibus & primoriis terræ illius habuit. Vbi à Colonienſibus inuitatus in vigilia Paſchæ Coloniam venit, & cum maximo honore & fauore tam à clero, quam à cuncto populo ſuſcipitur. Qui etiam ibi per nouem dies demoratus, omnes iniuſtas exactiones vectiga-

** Sintzich ad Rhenum ſitum.*

vectigalium & iniustas monetas abiurare, & pacem firmam stabilire & iurare præcepit.

Eodem anno duo Cardinales Hugo scilicet Ostiensis Episcopus, & Leo S. Crucis presbyter ad Regem Philippum in Alemanniam à curia Romana missi venerunt, vt ipsum & Ottonem Regem ad pacem & concordiam reuocarent; inordinata in regno ordinarent; & pro Brunone Colonienſe Archiepiscopo, quem iam per annum captum tenebat, intercederent. Philippo ergo Rege circa festum S. Andreæ Apostoli apud Augustam ciuitatem Sueuiæ celebrem curiam habente, præfati Cardinales affuerunt, vbi plurima coram eis & Principibus de pace & compositione regni inter Reges tractata sunt. Ibi etiam Adolfus Colonienſis quondam Archiepiscopus eosdem Cardinales adiens, interuentu Regis à banno soluitur; & vt ad satisfactionem Romam procedat, ipsi indicitur. Rex autem consilio & petitionibus Cardinalium adquiescens, Brunonem vinculis absoluit, & ipsis reuertentibus ad gratiam summi Pontificis eum Romam transmisit.

Anno Domini MCCVIII. XI.

Philippus Rex Patriarcham Aquileienſem cum aliis honoratis viris ad sedem Apostolicam misit pro confirmatione fœderis & compositionis, quæ per Cardinales inchoata fuerat, pro consecratione imperiali, pro restitutione Domni Adolfi. Apostolicus autem ipsum Adolfum ad se cum legatis Regis supplicem venientem in osculo pacis suscepit, sed tamen quod circa Brunonem fecerat, ratum esse volens, cum per biduum coram eo ab vtrisque satis allegatum fuisset, ipsum Brunonem in episcopatu confirmauit, literas suas Coloniam ad clerum & populum, & ad quosq; nobiles terræ illius trãsmittens, omnes ad eius fauorem & obœdientiam sollicitauit. Formam etiam pacis & compositionis, pro qua præfati legati aduenerant, cum suis consecretalibus approbans rursum prædictos Cardinales remisit, vt ad vnguem ipsum negotium perducerent, imperauit. Quibus alpibus transcensis cum ad exequendum mandatum ipsius in Teutoniam peruenissent, rumor pessimus percrebuit, scilicet Philippum Regẽ à Palatino Comite de Wittilinsbach Ottone apud Bauinperg peremtum.

Nam cum idem Rex in festo S. Albani filiam fratris sui Ottonis de Burgundia nuptam tradidisset Duci Meraniæ, * & cum maxima gloria ad deducendam puellam processisset, & reuersus in ciuitatem meridiano tempore omnibus recedentibus solus in quodam lobio cum Episcopo Spirensi, & aliis duobus, scilicet Camerario & Dapifero suo remansisset; ille nefarius homo cum XVI. militibus armatis aduenies introitum petiit. Qui cum iussu Regis intromissus fuisset, aliis foris remanentibus, gladium latenter de manu cuiusdam armigeri tulit, & quasi Regem salutaturus accessit: quem cum audacter in caput eius vibrasset, vno ictu eum interfecit. Quo statim mortuo, Episcopo Spirensi se occultante, alios duos in eum irruere volentes fortiter vulnerauit; & mox egressus ascenso equo cum suis fugere cœpit. Sic Rex Philippus cum per x. annos circumquaque Principes & nobiles subdidisset, prouincias & ciuitates perdomuisset, Papam etiam sibi iam reconciliatum haberet; secundum dispositionem Dei, in cuius manu sunt omniũ potestates & iura regnorum, & qui transfert regna atque constituit, XI. anno vitam cum regno perdidit. Sepultus est ibidem sequenti die x. Kal. Iul. scilicet in festo S. Albini. * Meranie.

Sifridus igitur Mogontinus, capto apud Wassinberg Brunone Archiepiscopo, occulte de Colonia exiens Romam ad Apostolicum se transtulit, vbi per biennium in Ecclesia S. Sabinę, vbi Cardinalis erat, degens Philippo Rege occiso à Papa ad sedem propriam remittitur, & auctoritate ipsius electo Lupoldo à cunctis Moguntiæ cum gloria suscipitur. Cum quo etiam Bruno Archiepiscopus à Papa honorifice dimissus rediens, in festo sanctorum martyrum Proti & Hiacynthi, cum maximo tripudio & gaudio à cuncto clero & populo Coloniæ suscipitur. Sed (proh dolor) gaudium illud in breui mutatum est in mœrorem & luctum. Nam terrore aduentus eius cum tota prouincia à prædonibus purgata quiesceret, Adolfus etiam quondam Colonienſis Archiepiscopus gratia reconciliationis ad

eum Coloniam veniens secundum præceptum Papæ eius obœdientiæ se submisisset, cæteri quoque eius fautores, Comites, & nobiles certatim ad eum venientes fidelitatis iuramentum præstitissent, & obœdientiam promitterent: languore corripitur, & in castro, quod dicitur Blankinberg, per aliquot dies in lecto decubans, sequenti die post festum Omnium Sanctorum morte prœuenitur. Corpus eius Coloniam reportatum in maiori Ecclesia S. Petri Apostoli cum planctu & lacrymis plurimorum sepelitur.

Item anno Domini MCCVIII. ab vrbe autem cõdita MDCCCCLIX. completis ab origine mundi annis sex millibus quadringentis septem, in festo S. Martini apud Frankinuort celeberrimus conuentus Principum fuit, & vt plures testati sunt, qui præsentes aderant, non in pluribus annis tot nobiles, tot potentes insimul conuenisse. Vbi Otto Rex nonagesimo tertio loco ab Augusto ab omnibus in Regem eligitur, diademaque cum lancea Imperiali ei assignatur, filia Philippi Regis cum vniuersis quę possederat, in dotem ei datur. Qua etiam coram Rege & Principibus de morte patris conquesta, iudicio omnium prædictus Palatinus & eius fautores proscribuntur & damnantur. Ibi Rex primo, deinde cæteri Principes iurant firmam pacem terra marique seruandam, omnes iniustas exactiones vectigalium deponendas, omnia etiam iura à Karolo Magno instituta obseruanda & tenenda.

Generali ergo electione Coloniæ habita, prioribus non concordantibus Rex missis literis aduentum suum præstolari deposcit. Qui etiam ante natale Domini Coloniam veniens cum honore maximo suscipitur: vbi Theodericus * præpositus SS. Apostolorum eius consilio & auxilio ab omnibus in Episcopum eligitur, & à cunctis nobilibus terræ ipsâ electio approbatur: regalia quoque de manu eius suscipiens, Ducatum Angariæ Philippo felicis memoriæ Colonienſi Archiepiscopo à Friderico Imp. traditum, * expulso Heinrico Duce Saxoniæ patre ipsius Regis, cum Ducatu Lotharingiæ, coram Heinrico Palatino Comite Rheni fratre eius, & Principibus, qui præsentes aderant, ipsi assignauit.

* de Berge.

* Sup. anno MCLXXX.

Ipso etiam anno audiens Papa per totam prouinciam plurimas ciuitates, cum baronibus & nobilibus terræ, & clero, a fide catholica recessisse, & in hæresin decidisse; Cardinalem quendam virum sapientem & religiosum illuc transmisit, vt prædicatione & exhortatione sua illos ad fidem reuocaret. Qui mox vt fines eorum attigit, & eis euangelium pacis obtulit, illi infelices vt aspides obturantes aures, eundem virum sanctum apprehendentes crudeliter interemerunt. Cuius corpus a fidelibus collectum, & ad cœnobium Monachorum S. Ægidii translatum ibidem ab Abbate & fratribus sepultum est. Sed transacto anno cum ex iussione summi Pontificis sepulchrum aperiretur, vt corpus martyris in Ecclesiam translatum in loco decentiori iuxta tumbam S. Ægidii poneretur, ita recens carne & sanguine sine aliqua corruptione inuentum est, ac si eodem die ibi positum fuisset. Tanta etiam illic fragrantia suauissimi odoris emanauit, vt qui præsentes aderant, totam Ecclesiam plenam aromatibus esse putarent.

Otto Palatinus Comes interfector Philippi Regis iuxta Danubium in quadam curti Monachorum de Euera latens, Heinrico de Kalinthin proditus, & mox à militibus eius circumuentus crudeliter occiditur, & vt decuit digna morte vitam finiuit.

Item ipso anno III. Id. April. allatæ sunt nobis reliquiæ capitis S. Pantaleonis patroni nostri: quæ per Heinricum de Vlmene de Constantinopoli cum aliis innumeris reliquiis translatæ, & ab eo per Domnum Albertum Abbatem de Lacu nobis transmissæ, & cum maxima veneratione totius cleri & populi susceptæ, reconditæ sunt cum aliis pretiosissimis reliquiis in capite argenteo & deaurato.

Anno Domini MCCIX.

Innocentius Papa audiens Principes totius Imperii Ottonẽ in Regem elegisse, & eorum cõsilio Philippi Regis filiam quamuis consanguinitate ei iunctã propter bonum pacis & concordiæ illi in matrimonio sociasse, iterũ supradictos Cardinales,

dinales, scilicet Hugonem Ostiensem Episcopum, & Leonem in Alemanniam ad Regem & Principes misit, & quod factum fuerat, auctoritate sua confirmauit. Qui etiam singulas ciuitates tam Saxoniæ quam Alemanniæ visitantes, & iustitiam vndique Ecclesiis facientes, post Pascha Coloniam venerunt, vbi à Theoderico Colonien si Archiepiscopo electo, & vniuerso clero cum gloria susceptí, & magno honore per dies x v. sunt detenti.

Theodericus ergo Colonien sis electus sabbato post Pentecosten à Theoderico Traiectensi Episcopo in presbyterum ordinatur, & sequenti Dominica, id est, octaua Pentecostes à Goardo Leodicensi antistite præsentibus suffraganeis suis in Archiepiscopum consecratur.

Ipso siquidem anno Abbas Cistercien sis, & alii Abbates eiusdem ordinis, iterum à Papa in prouinciam conuertendi gratia Begginos ad fidem mittuntur: sed ab eis contemti, & cum ignominia repulsi sunt.

Eodem etiam anno Otto Rex Italiam cum magno apparatu intrauit, vbi Principes totius Longobardiæ ei occurrentes cum gloria susceperunt, ciuitates & castella eius dominio subdiderunt, infinitam pecuniam vectigalium & tributorũ à temporibus Heinrici Imp. reseruatam tradiderunt. Post hæc Romam progressus occurrente sibi Papa cum Cardinalibus & Senatu cum honore suscipitur, & sequenti Dominica post festum S. Michaelis Archangeli, id est, 111. non. Octobr. in Ecclesia maiori S. Petri Apostoli in Imperatorem consecratur. Quo consecrato oritur inter eos controuersia propter marchiam domnæ Methildis, quæ quondam fuit filia Rutgeri Principis Siciliæ viri famosissimi, & vxor Conradi Regis filii Heinrici Imp. IIII. viri catholici & Apostolicæ sedi subiectissimi: qui contra voluntatem patris per quasdam Italiæ partes & nomen & dignitatem Regis annis fere nouem obtinuit, & terram spatiosissimam possedit. Post cuius mortem illa turturina prædita fide secundos detestabatur amplexus, & in viduitate permanens Marchiam sibi à viro relictam vt vir sapientissimus gubernabat. Quæ ad senilem perueniens ætatem circumuenta à Papa, tunc temporis Marchiam * Imperium attinentem, quam regebat, magistratibus & potestatibus insciis & inconsultis, beato Petro tradidit. Quæ tamen post mortem eius ab Imperatoribus sedi Apostolicæ ablata, & Imperio restituta est. Hanc ergo terram Papa ante consecrationem sibi restitui postulans, Imperator vt nouus homo & rei nescius annuit & promisit: sed post consecrationem à potestatibus & magistratibus reuocatus & prohibitus, minime restituit.

* *Ancona nam. Vide Extrauag. XII. Ioannis XXII.*

Hoc anno erat æstas tonitruis, fulminibus, & imbribus valde tempestuosa, & hyems nimis asperrima.

Anno Domini M CC X.

Nouus Imperator in Italia commoratur, quæ ordinanda & disponenda per prouincias & ciuitates erant, ordinans & disponens: Apuliam etiam Imperio restituere volens, quam Siculus à Papa in feodo se tenere affirmabat, quam etiam quidam Rutgerus nomine quondam Imperio vi ablatam inuaserat. Exercitum satis copiosum per quosdam primores terræ illius in eam transmisit, quos postea subsecutus iuxta Capuam commoratur. Hinc grauissimæ discordiæ inter Papam & ipsum oriuntur. Imperator à Papa excommunicatur. Imperator per ciuitates & castella custodibus deputatis, ne cui adeundi Papam pro aliquo negotio liceat, interdicit.

c. ad apostolicæ. Ext. de sent. & re iudic. in 6.

Hoc anno in Aduentu Domini quidam hæresiarcha Bernhardus nomine cum aliis nouem, quorum quatuor sacerdotes erant, Parisios venientes, occulte peruertere populum nitebantur: qui Episcopo proditi comprehenduntur, & coram magistris & clero statuuntur. Sed cum satis cum eis de fide disputatum fuisset, de hæresi conuicti, & à Rege in vigilia Thomæ Apostoli incendio perire iussi sunt.

Ipsa etiam die tam vehementissimus ventus fuit, vt per prouincias plurima ædificia deiiceret, & arbores maximas funditus euelleret.

* *c. 13. Ext. de hæreticis. §. catholici.*

Eodem etiam anno hortatu Apostolici * plurima multitudo ex omni Francia,

Anglia & Lotharingia cruce signati ad eosdem Begginos profecti sunt. Qui ductoribus & rectoribus, Abbate scilicet Cistercienſi, & Simone Comite de Monte forti ad Toloſam ciuitatem munitiſſimam deducti eam obſidione cinxerunt. Sed ciues cum fideles & Chriſtianos ſe faterentur, & à catholica fide nunquam receſſiſſe, acceptis ab eis c c. obſidibus ex melioribus receſſerunt, & terram Remundi, qui erat caput & princeps totius peruerſitatis, & ab eis quaſi Deus colebatur, intrauerunt omnia depopulantes, quasdam etiam ciuitates cum caſtellis capientes, & quos ad fidem reducere non poterant, igne cremantes. Ipſum etiam in firmiſſimo & altiſſimo caſtro nomine Termis, cum Rutgero filio ſororis Comitis S. Ægidii, milite pulcherrimo & ditiſſimo obſederunt, vbi etiam idem Rutgerus ſagitta interiit. Ipſe autem Remundus cum per quinque dies ibidem obſideretur, & cotidie populo ſe monſtraret auream habens in capite caſſidem, tamen diffidens de firmitate caſtri nocte cum c. ſociis occulte deſcendens in manus x l. peregrinorum, qui ad quendam fontem potare de caſtris ierant, incidit, à quibus cum omnibus ſuis capitur. Sed cum infinitam pecuniam, ne in manus Teutonicorum traderetur, promitteret; non adquieuerunt, ſed capitaneis exercitus eum præſentauerunt. A quibus dum ad fidem rectam redire hortaretur, & non adquieſceret, incarcerauerunt eum, vbi & mortuus eſt. Caſtrum etiam capientes, & incendio deſtruentes, vxorem ſimul eius cum ſorore ipſius, & filia eius virgine, & aliis nobilibus ceperunt: quæ dum nec blanditiis, nec minis molliri poſſent, vt relicto errore ad veritatis tramitem redirent, inſtructo ingenti rogo omnes crematæ ſunt.

Anno Domini M C C X I.

Otto Imperator proſperis vtens ſucceſſibus totam ſibi Apuliam & Calabriam ſubiecit; ciuitates in deditionem accepit, caſtra militibus ſuis muniuit. Ibi etiam quidam Princeps Siciliæ cum Sarracenis, qui fortiſſima caſtra in montanis tenebant, eum inuitantes totam Siciliam eius ditioni ſubdendam promittebant.*

* deeſt aliquid.

Ipſo anno multitudo nobilium ex diuerſis partibus cum turba innumerabili, ad Begginos iterum profecta plurimas ciuitates & caſtra ceperunt, & magnam multitudinem eorum incendio & ſuſpendio necauerunt, terram quam ſubegerant Comiti Simoni de Monte forti tuendam commendantes.

Ipſo etiam anno Syfridus Mogontienſis Archiepiſcopus & legatus à Papa conſtitutus cum Herimanno Lantgrauio & Rege Boemiæ, & quibusdam Principibus & nobilibus terræ apud Bauinberg colloquiũ habuit, vbi Epiſcopum ipſius ciuitatis propter necem Philippi Regis expulſum reſtituerunt. Cauſa etiam huius negotii fuit, vt ſecundum præceptum Papæ Ottonem Imp. relinquerent, & Fridericum Regem Siciliæ filium Heinrici Imp. eligerent. Sed cum plures aſſenſum non præberent, infecto negotio receſſerunt. Ibi etiam Syfridus Epiſcopus Ottonem Imperatorem excommunicauit, & miſſis literis ſuis ad omnes Archiepiſcopos & Epiſcopos vt ipſum facerent, auctoritate Apoſtolica præcepit. Vnde commotus Palatinus Comes Rheni, frater Imperatoris Heinricus, cum Duce Brabantiæ, & cæteris nobilibus Lotharingiæ & ſuperiorum partium, totum epiſcopatum Moguntienſem circa feſtum S. Michaelis incendio & rapina vaſtauit, nihil præter ciuitates & caſtra intactum relinquens.

Tunc etiam circa quadrageſimam Imperator de Italia rediit.

Anno Domini M C C X I I.

Imperator apud Nurinberg celeberrimam curiam circa Pentecoſte habuit, vbi omnibus, qui præſentes erant Principibus cauſam werræ inter ipſum & Papam innoteſcit. Regnum etiam Boemiæ abiudicatum Odoacro Regi per ſententiam Principum filio ipſius præſentibus Supanis & pluribus nobilibus terræ cum VI. vexillis aſſignat. Nam matrem iuuenis ſororem ſcilicet Marchionis de Miſſene repudiauerat, & filiam Regis Vngari duxerat.

Leodium in die Aſcenſionis Domini à Duce Brabantiæ H. fugato Houardo Epiſcopo capitur, & maxima præda & plures diuitiæ à militibus & ſatiantis ibi diripiuntur.

In ipſa

In ipsa etiam vigilia Ascensionis Adolfus quondam Colonien sis Archiepiscopus Coloniam veniens prioribus & clero se à Papa inuestitum,& Theodoricũ officio & beneficio destitutum affirmabat, pro eo quod à Syfrido Mogontiense Archiepiscopo & legato sedis Apostolicæ propter Ottonem Imperatorẽ excommunicatus missas celebrasset,& chrisma confeciſſet. Clerum etiam sibi obœdire Apostolica auctoritate præcepit. Theodericus vero Archiepiscopus cernens se à clero derelictum,ad satisfactionem Romam progreditur, vbi per longum tempus demoratur.

Eodem anno multitudo populi ex omni Saxonia & Westfalia & Fresia & diuersis partibus cruce signati ad expugnandos Begginos proficiscuntur. Quorum multi terrore exercitus relictis ciuitatibus & castris fugerunt. Alii miseratione Dei per Cardinalem,qui à sede Romana illuc missus fuerat,relicto errore ad fidem catholicam reuocantur,Ecclesię aperiuntur & mundantur, officia diuina resumuntur,missæ publicæ coram peregrinis celebrantur. His ita patratis quidam ad natale solum reuertuntur, quidam cum Duce Austriæ Lutpoldo ad Hispanias contra Ethnicos pugnaturi progrediuntur. Ibi enim infinita multitudo Sarracenorũ & cæterorum gentilium,à Massamitho Rege Marroch missa, nauigio mare transierat, vt illi totam Hispaniam subiiceret, & omnes Christianos ex ea eliminaret. Commisso itaq; bello à Rege Hispaniæ & cæteris Christianis cum eo, Domino Deo populo suo victoriam conferente innumerabilis multitudo eorum prosternitur: cæteri autem ad naues fugientes in mare demerguntur.

Ipso etiam anno ex omni Francia & Teutonica pueri diuersæ ætatis & conditionis cruce signati,ad subuentionem sanctæ terræ,Iherosolymam proficiscidiuinitus sibi imperatum affirmabant. Quorum exemplo multitudo iuuenum & mulierum cruce se signantes cum eis ire disponunt. Quibus etiam quidam maligni homines admixti ea quæ extulerant & à fidelibus quotidie accipiebant, nequiter & furtiue subtrahentes occulte recesserunt: quorum vnus Coloniæ comprehensus suspendio vitam finiuit. Multi etiam illorum in syluis & desertis locis æstu, fame,& siti perierunt: alii alpes transgressi mox vt Italiam intrauerunt,à Longobardis spoliati & repulsi * cum ignominia redierunt.

* Videc. li bere. 34. Eg. de sent. excommun.

Circa idem tempus Otto Imp. Thuringiam cum exercitu intrat, & ad iniuriam Herimanni Lantgrauii totam terram illam igne& ferro vastat. Northusui etiam nuptias celebrauit, ducens filiam Philippi Regis,quæ sibi desponsata fuerat, quæ quarta die rebus excessit humanis.

Item ipso anno Fridericus Rex Siciliæ filius Heinrici Imperatoris Romam veniens à Papa cum honore suscipitur, & quorundam Principum auxilio Italiam transiens in Alemanniam venit: vbi à cunctis Principibus & nobilibus superiorũ partium lætus suscipitur. Otto vero Imp. cum exercitu illi occurrere statuit: sed videns infirmiorem partem suam, dimisso exercitu occulte ad inferiores partes se transtulit. Ipse autem Fridericus Mogontiam veniens,in festo S. Andreæ Apostoli celebrem curiam habuit: vbi plurimi Principes ab eo inbeneficiati fidelitatis iuramentum præstiterunt.

Theodericus Traiectensis Episcopus in die S. Nicolai obiit, pro quo Otto frater Comitis de Gebrin succedit.

Anno Domini MCCXIII. XVI.

Simon de Monte forti cum Christianis,qui ei in auxilium venerant, Tolosam ciuitatem contra Comitem S. Egidii & Begginos profectus bellum instituit. Vbi congressione facta Rex Arragoniæ, qui Begginis in auxilium venerat, occiditur, & Christiani victoriam consequuntur.

Eodem anno Philippus Rex Franciæ cum maximo exercitu Flandriam intrauit, vt Ferrandum Comitem expelleret,& terram suo dominio subiugaret. Sed non secundum voluntatem suam euenit. Nam plurimis suorum ibidem occisis cum magno detrimento & ignominia victus rediit.

Circa Autumnum etiam Dux Brabantię cum Episcopo Leodicense dimicans superatur: vbi omnes fere sui aut occiduntur,aut capiuntur.

Item ipso anno Otto Monasterienſis Epiſcopus Coloniam veniens, à quibusdam fautoribus Imperatoris capitur,& Werdene miſſus,iuſſu ipſius viuentis mancipatur. Quapropter ciuitas à Syfrido ſedis Romanæ legato excommunicatur,diuinaq; officia in Eccleſiis celebrari prohibentur.

XVII. Anno Domini MCCXIIII.

Domnus Papa dolens ſanctam terram tanto tempore ſub poteſtate & ludibrio paganorum conſtitutam: miſſis litteris ſuis per omnes fines Chriſtianorum, quoslibet idoneos magiſtros prædicare crucem præcipit, vnde per diuerſas prouincias innumerabilis multitudo, pro amore Chriſti & liberatione ſanctæ terræ cruce ſe ſignat.

Eodem anno Otto Imp. terram Comitis de Gelrin igne & ferro vaſtat.

Circa Iulium etiam menſem idem Imperator cum Comite Flandriæ Ferrando,& Duce Brabantiæ,& plurimo exercitu contra Regem Galliæ ad bellum proficiſcitur: vbi iuxta Tornacum prælio commiſſo Rex Galliæ victoriam obtinuit. Ferrandus cum pluribus nobilibus tam Flandriæ, quam Lotharingię ibidem capitur,& Pariſius miſſi vinculis mancipantur.

Ipſo etiam tempore Fridericus Rex Siciliæ cum validiſſimo exercitu Moſellam tranſiuit,& terrore ſuo quoslibet nobiles terræ illius ad fauorem ſuum inclinauit. Deinde Moſam tranſiens Ducem Brabantiæ petiit: qui celeri aduentu eius territus ſupplex ad eum venit, fidelitatem promiſit, inſuper filium ſuum & alios nobiles viros obſides dedit.

Item ipſo anno II. Non. Martii cometa ſtella apparuit,& XVI. Kalen. Aprilis eclipſis Lunæ fuit.

XVIII. Anno Domini MCCXV.

Fridericus Rex apud Andernacum colloquium Kalen. Maii cum nobilibus terræ illius habuit, vbi Dux Bavvariæ & plurimi nobiles cruce ſignantur.

Otto itaque Imperator Coloniæ diu cum vxore ſua commoratus, & ab omnibus derelictus, cum nullas preces pro abſolutione Epiſcopi, quem Werdene captum tenebat, admitteret, Adolfus Comes de Monte ipſum caſtrum, quo tenebatur, obſedit. Quod dum per plurimos dies impugnaret, & parum proficeret, tandem per foſſores maximas cauationes per fundamentum turris faciens ipſos defenſores caſtri in deſperationem induxit. Qui neceſſitate compulſi Epiſcopum cum ipſo caſtro tradiderunt, liberum receſſum cum ſuis omnibus ab eodem impetrantes. Quod factum eſt in vigilia beati Iacobi Apoſtoli.

In ipſa etiam vigilia Fridericus Rex Siciliæ cum quibusdam Principibus & nobilibus totius Lotharingiæ Aquiſgrani veniens, ſequenti die ſcilicet in feſto S. Iacobi à Syfrido legato Apoſtolicę ſedis, Coloniæ Archiepiſcopo non exiſtente, in Regem vngitur, & in regali ſede collocatur. Quo mox conſecrato, Iohanne Xantenſi ſcholaſtico crucem ibidem prædicante ad ſubuentionem ſanctæ terræ cruce ſignatur. Poſt quem Syfridus Mogontienſis Archiepiſcopus, Leodicenſis, Bauinbergenſis, Pactauienſis, Argentinenſis Epiſcopi, Dux Merauiæ, Dux Brabantiæ, H. Dux de Lynburg, Dux de Ancei, Palatinus Comes de Tuingin,* Marchio de Bade, S. Comes de Los, W. Comes de Iuliaco, H. Comes de Seine, H. Comes de Monte,& alii plurimi nobiles, & magna equeſtris ordinis multitudo cruce ſignantur.

*Tubingen.

Poſt hæc Trebirorum Archiepiſcopus Coloniam veniens ciues ad concordiam & ſubiectionem F. Regis hortabatur. Quod dum cum Duce Brabantiæ elaboraſſet, in octaua S. Pantaleonis miſſas in Eccleſia S. Petri celebrauit, clerum & populum à nodo excommunicationis abſoluit. Nam ciuitas per annum & v. menſes propter Imperatorem excommunicata & ſub interdicto poſita fuerat, & diuina in Eccleſiis officia omiſſa.

In ipſa etiam die F. Rex ciuitatem ingreſſus à ciuibus & clero ſuſcipitur, & per ſeptem dies ibidem demoratus, omnes præſentes nobiles tam ſuperiorum, quam inferiorum partium falſas monetas & iniuſtas exactiones vectigalium abiurare,& firmam pacem præcepit.

Ipſo

Ipso anno v. Kal. Septemb. circa horam primam diei terræ motus fuit.

Eodem etiam anno Papa Romę Concilium habuit: vbi tam de transmarinis partibus, quam de cunctis Christianorum finibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prælatis Ecclesiarum congregatis, in Ecclesia S. Iohannis Baptistæ consilium in festo S. Martini inchoatum, & vsq; ad festum S. Andreæ protractum, nihil dignum memoriæ quod commẽdari possit, ibi actum est, nisi quod Orientalis Ecclesia (quod antea inauditum fuit) se subditam Romanæ Ecclesiæ exhibuit. Nam Constantinopoli duo in patriarcham electi Romam venerunt: qui ambos consilio Cardinalium deposuit, & tertium substituit & inuestiuit, & ad sedem propriam remisit. *Vide ca. ferè primum. 40. ext. de elect.*

Theodoricus ergo Colonienſis Archiepiscopus diu ibidem demoratus cum officii sui restitutionem minime impetrare posset, priores Ecclesiæ acceptis à Papa literis alium eligere iussi sunt. Qui Coloniam redeuntes, & secunda feria post Dominicam Inuocauit in ecclesia beati Petri conuenientes, Engilbertum * maiorem præpositum in Episcopum elegerunt. **Com. de Berge.*

Anno Domini MCCXVI. *XVIIII.*

Fridericus Rex in festo Apostolorum Philippi & Iacobi curiam apud Nurinberch habuit: vbi Petrus Cardinalis S. Potentianæ à Domino Papa missus affuit. Huic curiæ Engelbertus Colonienſis electus se exhibuit, & à Domino Petro Cardinale confirmatus regalia à Friderico Rege suscepit.

Eodem anno à venerabili Tiderico Heistorum Episcopo consecrata est Ecclesia S. Pantaleonis v. Kal. Maii. Nam quondam scilicet anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXX. consecrata fuerat à Warino venerabili Colonienſi Archiepiscopo. Sed propter violata cornua altarium, principale altare cum aliis duobus ex vtraq; parte scilicet beatorum Petri & Pauli ibidem destructis, & nouis reparatis, consecrata sunt cum capellula sanctuario contigua, quę in honore S. Catharinæ virginis consecrata est.

Ipso etiam anno post octauam Apostolorum Innocentius Papa obiit, cui Cincius Cardinalis quatuor coronatorum succedit, & dictus est Honorius III.

Item ipso anno Iohannes Rex Angliæ diu dissidens cum Baronibus & nobilibus terræ suæ cum se ei opponerent, quosdam ex eis capiens crudeliter interemit, reliquos in Lunnense ciuitate, quæ est metropolis Anglię obsedit. Quos dum cottidie acrius impeteret, illi angustiati occulte nuncios mittentes, Ludeuuicum filium Regis Franciæ in auxilium accersierunt. Qui pluribus nauibus aduectus, eum ab obsidione recedere coegit, & ab ipsis susceptus Regem circumquaq; persecutus est, castella & ciuitates plurimas sibi subiiciens. Iohannes igitur Rex præ dolore languore correptus moritur, & succedit Heinricus filius eius. Qui reconciliatis sibi Baronibus terræ, Ludeuuico Regi Franciæ secundo cum copioso exercitu & pluribus nauibus Angliam reuertenti occurrit, & nauali prælio commisso magnam multitudinẽ exercitus captis & submersis nauibus occidit, ipsumque in quodam fortissimo castro obsidione cinxit, & in tantum artauit, vt totam terram quam pater suus patri eius abstulerat, datis obsidibus reddi promitteret. *c. monit. 13. extr. de iudic.*

Ann. Dñi MCCXVII.

SECVNDVS ANNVS FRIDERICI Regis.

ANno Dominicæ incarnationis MCCXVII. Andreas Rex Vngariæ, Lupoldus Dux Austriæ, cum Episcopis & Comitibus, & copiosa multitudine signatorũ mare transierunt. Itẽ Wilhelmus Comes Hollandiæ, & Georgius Comes de Wide, cum aliis cruce signatis Teutoniæ, ad terram sanctam nauigio proficiscí desiderantibus super vnum de nobilioribus terræ fluuiis fluuium Mosam congregati sunt apud Vlerdinge. Quarto igitur Kal. Iunii prædicti peregrini se & sua illi commendantes, cui est in vestimento & femore scriptum, *Rex Regum & Dominus Dominantium*, oppansis velis læti mare conscendunt. Sicq; in pulcro comitatu sulcantes æquora in Kal. Iulii applicant in Anglia apud Dertmudin.

TERTIA EXPEDITIO AB ANdrea Rege, & aliis Principibus Imperii.

TErtio Non. huius mensis hinc recedentes perueniunt ad mare Britannicum, vbi inter rupes in mari latentes confracta est nauis de Munheim. Inde applicant in Britannia apud S. Matthæum in finibus terrarum, quod vulgari nomine *Finc posterne* dicitur. Hinc perueniunt ad portum Phare, in regno Legionensi. Ibi naues in portu relinquentes, petunt limina glorioſi Apoſtoli Iacobi in Compoſtella. Item præfati cruce ſignati in martyrio beatorum Petri & Pauli, naues intrant, mare aſcendunt, vbi orta tempeſtate ſæuiſſima ſeparatæ ſunt naues VI. Non. Iulii & Comes Hollandiæ, portum petunt cum pluribus nauibus in regno Portugalenſe, in cuius introitu tres naues confractæ ſunt. Comes vero de Wide cum aliis nauibus reliquis intrauit portum in eodem regno. Inde recedentes VI. Id. Iulii proxima ſequenti feria portum intrant Vlixibonenſem. Eſt enim Vlixibona ciuitas optima, optime ſita, in eo ſcilicet loco vbi auriferus Tagus mari Oceano copulatur. Hanc enim ciuitatem quondam conſtruxit Vlisxes, cum à Troia poſt eius deſtructionem receſſit: prius enim ibidem inuenerat Achillem, inter filias Lycomedis in veſte muliebri latentem. Nunc autem ibi veneratur corpus beati Vincẽtii Leuitæ & martyris. Cum itaq; dicti cruce ſignati per aliquot dies in hoc loco morarentur, expectantes alias naues, cum quibus condixerant, acceſſerunt ad eos Seuerius Epiſcopus Vlixibonenſis, Epiſcopus Elborenſis, Martinus commendator militiæ de Palmela, Templarii, Hoſpitalarii cum aliis nobilibus Portugalliæ, ſuas eis continuas tribulationes & anguſtias ex nimia vicinia Sarracenorum querulose ac lamentabiliter exponebant, aſſerentes caſtrum quoddam eſſe in foribus ipſorum à Saracenis inhabitatum, nomine Alchaz, à quo olim fratres qui de Gladio appellantur, ſunt eiecti & captiuati, addentes etiam hoc caſtrum in penſione C. Chriſtianorum ſuo Regi de Marroch ſingulis annis fore obligatum. Sicq; petierunt, vt intuitu Chriſtianæ religionis ab incolis huius loci valida manu eos dignarentur liberare, cum hoc caſtrum eſſet clauis & antemurale totius erroris Hiſpaniæ. At dicti Comites conſilio cum diſcretis habito attendentes viam matis ex inæqualitate temporis eis eſſe præcluſam, & præſentiam ipſorum terræ ſanctæ minus fore vtilem, maxime cum Romanorum Rex & Romani cum multis Principibus Alemanniæ hoc tempore non tranſeant, elegerunt potius in obſequio diuino medio tempore inſudare, & inimicorum fidei fines inuadere, quam apud locũ aliquem quieſcendo tanquam ſerui inutiles ocio vacare. Sicq; ad obſidendum præfatum caſtrum conſpiratum eſt. Ab hoc itaq; facto plurimi diſcordabant, & maxime Freſones, qui proxima ſequenti feria poſt feſtum Iacobi ab Vlixibona cum LXXX. nauibus vel paulo plus receſſerunt. Tertio igitur Kal. Auguſti obſeſſum à dictis Comitibus eſt caſtrum, ſed III. non. huius menſis aduenerunt in pulcro comitatu præfati Epiſcopi & fratres militiæ S. Iacobi, qui & *de gladio* appellantur, cum aliis nobilibus de regno Portugalliæ. Statim poſt hoc impletum eſt foſſatum, & factus eſt inſultus, & inſtrumenta bellica ſunt contra murum, & interfecti ſunt tam Chriſtiani quam Sarraceni, iſti lapidibus, illi ſagittis. Poſtea acceſſerunt foſſores ſub terra fodientes, vt murum deiicerent. At Sarraceni è contrario fodientes noſtros impedierunt. Tamen tam illorum labore tam ex iſtorum circa feſtum S. Bartolomei cecidit vna turris, nec tamen patuit aditus: interior enim pars parietis manſit. Proxima itaq; ſequenti feria poſt feſtum natiuitatis S. Mariæ contra Chriſtianos congregati ſunt quatuor Reges Sarracenorum in multitudine graui, Rex ſcilicet Sicilię quæ alio nomine Hiſpal dicitur, in qua quondam beatus Iſidorus erat Archiepiſcopus, & Rex de Corduba, vnde Lucanus extitit oriundus, ſicut eius epitaphium teſtatur: *Corduba me genuit, rapuit Nero, prælia dixi: Quum geſſere pares, hinc ſocer, inde gener.* Tertius Rex de Iehen: quartus de Badalonz. Iſti Reges fixere tentoria prope Chriſtianos ad vnã leucam, volentes Chriſtianos de præfato caſtro effugare, & captiuatos ſecũ abducere. Sed omnipotens Deus, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus dans gratiam, dignatus eſt ſuos confortare tribus miraculis

Schuurt-bruder.

raculis præostensis. Ipsa enim die ad vesperas apparuit triumphale in aere vexillum sanctæ Crucis in signum victoriæ. Post noctis medium venit in adiutorium Christianorum Petrus magister militiæ Templi, & in ipso conflictu visa est candidatorum turba cœlitus missa. Mane autem facto in die videlicet Proti & Iacinthi in maxima elatione dicti Reges à parte Orientali ad pugnam sunt ordinati. At Christiani minores hiis numero, maiores autem merito suas acies debito ordine struxerunt à parte occidentali: vnde refulsit Sol in clypeos aureos, & resplenduerunt montes ab eis, & fortitudo gentium corde confusa est. Quid plura? Illi in viribus, isti in fide confidunt. At Martinus commendator Palmete, paruus corpore, corde leo, vexillum dextrum vibrans clypeumque sinistro lateri adaptans, galeato vertice parumper demisso, cornipedem acuto calcare pungens, ruituræ gentis medium prorumpit in agmen: cui non minor ipso iungitur in pugna Petrus magister militiæ Templi, quos audacter sequitur non segnis turba suorum. Hic equus opponitur equis, hic ensibus ensis, hic clypleus clypeis, hic obruta casside cassis. Quid plura? Qui est ante secula, humiliauit eos, quorum prius sublimes erant palpebræ, & supercilia erecta. Nam duo Reges ibi ceciderunt, ille scilicet de Corduba, & ille de Iehen: præterea plusquam XIIII. millia Sarracenorum, præter captiuos qui infiniti erant. Insuper etiam galeæ, quas per mare adduxerunt, fugatæ sunt. Reliquerunt etiam in campo omnia tentoria cum tota suppellectili sua.

Circa festum vero X I. millium Virginum per fossores cecidit altera turris. Tunc demum perterriti infelices castrũ reddiderunt, & se & sua in manus Christianorum dederunt, qui omnes venundati sunt. Inuentæ sunt enim in hoc castro, tam de viris quam de mulieribus, quam paruulis, personæ circa duo millia & quinquaginta. Et redditum est castrum ex parte peregrinorum fratribus de Gladio.

Post festum Omnium Sanctorum vniuersus exercitus cruce signatorum reuersus est Vlixibonam, tota hyeme ibidem bonam ducens vitam.

Item eodem anno VI. feria post festum Omnium Sanctorum, Patriarchà Iherosolomitanus cum magna deuotione tam Cleri quam populi tollens viuificæ Crucis lignum, profectus est ab Acaron in castra Domini, quæ iam processerant ad Recordanna. Hoc autem dulce lignum post terram sanctam perditam reuerenter repositum diligenter seruatum est vsque ad hæc tempora. Imminente siquidem conflictu Sarracenorum cum Christianis cogitauerunt prudenter Christiani diuidere lignum in partes duas, & partem vnam ad prælium deferre, quæ ibidem perdita fuit, & partem aliam reseruare quæ nunc exhibetur. Cui Rex Vngariæ & Dux Austriæ de loco castrorum progressi nudis pedibus occurrentes deosculati sunt eam, cum tali signo obuiam euntes Soldano Babilonis, cuius filius Coradinus iactauerat se pugnaturum cum Christianis qui Acaron fuerant congregati. Ideoque ordinatis aciebus obuiam illi processerunt per planum Fabæ vsque ad fontem Tubaniæ, multum eo die laborantes. Præmissis etiam exploratoribus, puluis ascendens à longe aduersariorum motum indicabat: Sed incerti fuerunt, vtrum contra eos an fugiendo properarent.

Sequenti vero die secus montes Gelboe, quos habuerunt ad dexteram & paludem ad sinistram incedentes, venerũt Bethsaidam vbi castra fixerat aduersarius. Sed trium Regum, Vngariæ scilicet, Iherosolimitani, & Cypri, non sustinens præsentiam fugiẽs terram vastandam Christianis reliquit. Vnde Iordanem transeuntes in vigilia S. Martini corpora sua pacificelauerunt, & requieuerunt per triduũ, deinde secus littus maris Galileę tres mansiones fecerunt peragrantes, in quibus Saluator conuersatus est: aspicientes Bethsaidã ciuitatem Andreæ & Petri nunc incasale modicum redactam. Demonstrata sunt loca vbi Christus discipulos vocauit, & supra mare siccis pedibus ambulauit, desertum transierunt & loca vbi Dominus turbas pauit, & vbi cum discipulis post resurrectionem

manducauit, & sic per Capharnaum in iumentis infirmos suos portantes reuersi sunt Acaron cum pręda ac multitudine captiuorum. Deinde ad montem Thabot peruenerunt: vbi Coradinus castrum fortissimum cum LXXVII. turribus construxerat, & duo millia conductorum militum ad resistendum Christianis locauerat. Vbi primo aquarum inopiam, postmodum per modicam fossionem inuenientes copiam pabuli & victualium habundantiam habuerunt. Sarracenum quoque impuberem ad eos descendentem baptizarunt.

Porro prima Dominica Aduentus Domini, Patriarcha cum vexillo crucis montem conscendit Episcopis & clero psallentibus & orantibus. Verũ licet mons ab omni parte præruptus sit & excelsus valde, & impossibilis ad adscendendũ extra semitam tritam, milites tamen satellites, equites & pedites viriliter ascendentes primo impetu strauerunt Castellanum & Admiraldum vnum, cum aliis interfectis, qui portas castri egressi fuerant ad defensionem montis. Cæteris autem in stuporem versis, & intra mœnia receptis, quo hominum consilio vel Dei iudicio, ab impugnatione castri recesserint, & inglorii descenderint, ignoratur. In tertio equitatu, cui Patriarcha cum ligno Crucis & sacri Episcopi non interfuerunt, multa damna & incommoda tam per latrunculos quam hyemis asperitatem perpessi sunt, & præsenti in vigilia natiuitatis Domini, & nocte sequenti: quæ nisi abbreuiata fuisset, propter inopiam lignorum, & vestimentorum penuriam, magna pars exercitus periisset in finibus Tyri iuxta Sareptam.

Post hæc militia Domini quadrifariam diuisa est.

Reges Vngariæ & Cypri cũ magna multitudine peregrinorum, & damno terræ promissionis, Tripolim profecti sunt, licet multa supplicatio Patriarchæ & aliorum frustra Regi Vngariæ facta præcesserit. Rex Cypri adolescentulus post modicũ tempus in Tripoli mortuus est. Rex Iherosolimitanus & Dux Austriæ, cũ Monaster. & Traiectẽsi castrũ Cæsariẽse Palestinæ semidirutũ breui tẽpore viriliter firmauerunt & vtiliter: per quod (Deo donante) eadem ciuitas cito recuperabitur. Templarii vero cum paucis auxiliatoribus peregrinis & hospitalariis de domo Teutonicorum castrum filii Dei, quod olim *Districtum*, nunc *castrum Peregrinorum* appellatur, à quibusdam ædificare cœperunt: quod positum est in Episcopatu Cæsarienſi inter Cayphas & Cæsaream, cuius situs talis est. Promontorium altum & magnum mari imminet, munitum naturaliter scopulis versus occidentem & Austrum & Septentrionem. Modico terræ spacio dudũ turris ad Orientem posita est, à Templariis ædificata & possessa tam vverræ quam treugarum tempore. Fuit autem fundata propter latrunculos, qui in via stricta peregrinis ascendẽtib. in Iherusalẽ insidiabantur: propter hanc causam *Districtum* fuit appellatũ. Porro toto fere tẽpore quo castrũ Cęsariẽse firmauerũt & cõsummauerũt Templarii, ex aduerso montis fodiẽtes & magnis sumptibus laborantes, tandẽ ad fundamentum primum peruenerunt, vbi murus antiquus apparuit, argenti quoq; moneta modernis ignota in vase fictili non modica. Deinde in anteriori parte fodientes alium murum priori breuiorem inuenere. Postmodum fontes nouem largas aquas effundentes aperti sunt. Ibidem & lapidum & cæmenti copiam Dominus ministrauit. Ante fontem castri duæ turres ædificantur de lapidibus quadris, tantæ quantitatis vt lapis vnus vix à duobus bubalis in curru trahatur. Longitudo turris centum pedes habet & amplius: latitudo turris LXXIIII. vtraq; turris duas habet testudines, secundum quas altitudo disponitur. Inter vtramq; turrim murus nouus cõsummatus est, & miro ædificio equites armati ascendere possunt & descendere per gradus intrinsecus.

Soldanus cum multitudine Sarracenorum hoc castrum aggrediens, vt initia munitionis destrueret vel occuparet, virtute altissimi repulsus recessit. Castrũ hoc bonum habet portum, piscariis, salinis, pascuis, agris fertilibus abundat, nec est multum remotum à monte Tabor. Vnde creditur quædam causa destructionis castri Tabor ab ipsis Sarracenis facta: quia nec seminare nec metere secure poterant, propter habitatores castri filii Dei.

Anno

Anno Domini MCCXVIII.

Naualis exercitus qui apud Vlixibonam hyemauerat, pridie Kalend. Aprilis mare ascendit, contigit autem quod Comes de Wede cum paucis nauibus de nocte intraret portum quendam Sarracenorum in Kaclie, vbi duæ naues in ficco manserunt, saluis tamen personis & rebus in eis existentibus.

Non. Martii transierunt mare strictum, quod diuidit Europam ab Africa, & est latum tria fere milliaria. Quod cum transissent, occurrerunt eis duæ naues Sarracenorum, quarum spolia ablata sunt, nautæ interfecti, naues exustæ.

Pridie Idus Aprilis, scilicet in Cœna Domini orta est maxima tempestas, & naues separatæ sunt ab inuicem, & quædam ex eis batellos suos vi tempestatis amiserunt. Nocte vero Paschæ sæuior erat tempestas & maximum passi sunt periculum. Vnde quædam naues applicuerunt apud Barcinonam in regno Arragonensi, quædam apud Marsiliam, quædam transeuntes inter duas insulas, Sardiniam scilicet & Corsicam, peruenerunt ad Ianuam, siue Pisam, siue Messanam. Messana nobilissima metropolis est in Sicilia, abundat enim frumento, oleo, & vino. Et sic successiue transfretabant, & peruenerunt vsque Acon. Ibi placuit Patriarchæ, Regi, Episcopis, Ducibus, Hospitulariis, Templariis cæterisque Cruce signatis nauigio in Ægyptum descendere, & inimicorum sanctæ Crucis potentiam auxiliante Deo conterere. Vnde accidit, vt in Ascensione Domini cum classis congregatio apud prædictum castrum indicta fuisset, & maiores diem & locum obseruarent, classis ipsa (Christo Duce) prosperis ventis vsa Damiatam infra triduum applicuit, & absque Christianorum sanguinis impensa terram hostilem viriliter occupauit, sine capitaneis qui paulisper morati propter prædictam causam nondum venerunt. Est autem Damiata sita inter littus maris & ripas Nili, in eo scilicet loco vbi Geon (qui & Nilus) mari mediterraneo recipitur, ciuitas pulcherrima & firmissima, infinitis turribus interius & exterius decorata, habens versus fluuium duplicem murum, versus siccum itidem duplicem.

Et nota quod ante Damiatã in medio Nili erecta est turris fortissima: à cuius pede maximæ catenæ protenduntur vsque ad murum ciuitatis, ne pateat aditus nauigio intrantibus vel egredientibus Ægyptum nisi de licentia Soldani. Hac enim via exeunt naues cum speciebus oneratæ, venientes ab India, & tendentes versus Syriam, Antiochiam, Armeniam, Græciam & Cyprum: & ab hoc transitu Rex Babyloniæ maximos recipit reditus. Hæc ciuitas quasi caput & clauis est totius Ægypti: præcellit enim in munitione Babyloniam, Alexandriam, Tantam, & cunctas ciuitates Ægypti.

Erecta sunt postmodum instrumenta bellica contra turrim Damiatæ famosam, quæ caput vnum catenæ continebat, reliquum turris vna ciuitatis ad claudendum fluuium, ne nautæ ascenderent Christianorum. Sed præter spem nostram & aduersariorum timorem, per partem aluei quæ est inter turrim & terram, versus castra militiæ Christianæ, galeidæ sursum ductæ sunt: licet turris defensores iaculis & lapidibus transitum impedire niterentur. Constructæ sunt postmodum duæ scalæ super coggones, quæ dum traherentur ad turrim, & (vt putabatur) turris per eas capi posset, cum dolore nostro magno & stultorum blasphemia, malus in quo suspensa fuit scala Hospitalariorum confractus decidit cum suo ponte. Et paulo post scalæ Ducis Austriæ similiter decidit, fortes agonistas Christi deorsum præcipitans & per martyrii palmam ad cœlestia eternans.

Tandem magister Oliuerius Scholasticus Colonien sis ex puris eleemosynis pauperum ædificium constructit, in quo erant propugnacula & pons. Hoc opus in die S. Bartolomei turri appositum est Sarracenis viriliter in eadem turri se defendentibus, modo sagittis, modo lapidibus, modo lanceis, & maxime per ignem. Attamen diuina clementia orationibus & lacrymis pauperum placata, extinctus est ignis in ponte, & turrim Christiani audacter intrant & capiunt, & sic qui-

dam ex Sarracenis sunt interfecti, quidam in Nilo submersi, quidam in aquam se proiicientes euaserunt, & plusquam centum capti sunt.

Eodem anno Otto Imperator iam per annos octo vinculo excommunicationis à duobus Apostolicis innodatus, cum septem honoratos viros pro impetrãda venia Romam mitteret, sed tamen stare mandato eorum non admitteret, post Pascha febre corripitur. Deinde ingraueſcente morbo, vbi sibi diem mortis imminere cognouit, Episcopum de Hildensheim & alios religiosos & sapiẽtes viros, scilicet Abbates & sacerdotes conuocat, & cum gemitu & lachrymis quid sibi agendum foret, vel qualiter à nodo excommunicationis absolui posset, consulit. Ad quorum consilium cum mandato Apostolici stare iurasset,* ab Episcopo absoluitur. Deinde ordinato testamento suo, factaq; confessione, cum perceptione sanctæ communionis & sacræ vnctionis, cum magna contritione cordis, in castro quod dicitur Hartzberg, Idibus Maii moritur, Corpus Brunsvvich translatum, & imperialibus indumentis iuxta patrem suum & matrem in Ecclesia S. Blasii sepelitur.

*Vide c. à nobis. ext. de sent. excommunic. & segq.

Post captam siquidem turrim in profundo Nili fluminis sitam, Saphadinus inueteratus dierum malorum dolore (sicut asseritur) nimio tactus, exheredator fratruelium suorum, & vsurpator regnorum Asiæ, mortuus est & sepultus in inferno.

Postmodum in festo S. Dionysii Sarraceni cum galeidis armatis improuisi venientes, & principia castrorum vbi Romani tentoria fixerant, inuadẽtes modica Christianorum manu repulsi sunt, recurrentes celeriter ad galeidas: & qui gladios persequentium effugere poterant, in Nilo submersi sunt circiter ad M D. numerum. Sane in festo S. Demetrii (qui vterinus frater eiusdem Dionysii fuisse dicitur) summo diluculo Templariorum castra inuaserunt, hostes, & modicũ damnum eis inferẽtes per expeditos equites fugati sunt ad pontem, & ad numerum quingentorum ibidem interempti.

Postea in vigilia S. Andreæ multa incommoda & aduersa perpessi sunt fideles. Nam media nocte intumuerunt fluctus maris crescentes & excursum terribilem facientes vsque ad castra eorum. Ab alia parte fluuius inundans occupauit incautos: natabant tentoria, perierunt cibaria, & nisi foſſatum quod ad muniendum se fecerant homines cum iumentis, naues cum armis & victualibus detraxisset ad hostes. Nec tamen hoc periculum euaserunt quatuor coccones per quos ædificata fuerant propugnacula ad capiendum ciuitatem, qui vno impetu cum quinta naui quæ inter eos hærebat ad oppositam ripam vi ventorum præcipitati ante oculos eorum sunt Græco igne combusti. Post dictam tempestatem naues parabãtur ad transitum fluminis, quæ cum magno periculo sursum ascendentes inter ciuitatem turrim captam machinis & igne Græco & iaculis plurimum sunt impeditæ. Vnde accidit, vt vna nauis Templariorum in torrentes rapta prope Ripam ciuitatem præcipitaretur ad hostes: qui cum barbolis & vncis ferreis impugnauerunt eam diutius ignem Græcum cum lapidibus desuper proiicientes de turribus. Et cum sic præualere nõ possent propter defensorum audaciam, certatim nauem ascendentes præcipites in eam descendentes ad Templarios. Vnde cum diutius pugnaretur, tandem nauis perforata, siue ab hostibus siue à fidelibus incertum est, profundum petiit submergens Ægyptios cum Christianis, adeo vt vix summitas mali appareret super aquas. Exinde pontem hostes reparantes aperturam adeo reliquerunt angustam, vt naues fidelium sine periculo transire non possent. Vnde Teutonici & Fresones indignati auxiliante Deo pontem viriliter inuaserunt. Pauciores autem viri quam decem de gente prædicta contra omnem fortitudinem Babiloniorum pontem ascendentes fregerunt eundem, & sic cum quatuor nauibus super quas pons erat fundatus, reuersi sunt cum triumpho, liberam viam & apertam sursum velificantibus relinquentes. Hiis ita gestis Sarraceni periculum quod eis imminebat attendentes, ripam eis oppositam foſſatis & argilloſa materia cum propugnaculis ligneis altis munierunt, machinas & petrarias locantes ibidem. Per fluuium autem nauium emersiones fecerunt cum palis infixis gurgiti

transſ-

transeundi eis spem aufferentes. Nihilominus Apostolicæ sedis legatus desiderium bonum habens obsidendi ciuitatem naues superius congregatas vrgebat ad transitum. Vnde coccones propugnaculis & castellulis, viris etiam armatis muniti (Christo duce) prædictas nauium emersiones euaserunt. Hostes vero dissimulato metu tres ordines armatorum stationi contra posuerunt, ictibus lapidum & telorum plurimis eos vexantes. Sane nocte S. Agathæ virginis Deus innouans virtutis suæ miracula, tantum pauorem Soldano Babylonis & satrapis eius incussit, vt relictis castris ignorantibus etiam Ægyptiis, quos ad resistendum ordinauerat, in sola fuga spem poneret. Quidam apostata, qui multo tempore legem Christianorum transgressus cum Soldano militauerat, stans in ripa clamabat gallice legato, Regi, & aliis fugam eorum nuncians. Itaque fugientibus Ægyptiis Christiani certatim & alacriter absq; omni impedimento hostium & sanguinis impensa transierunt: & sic per gyrum ac firmiter obsessa est ciuitas. Direpta sunt etiam fugientium tentoria & vniuersæ naues cum plurimis spoliis.

Post hæc adueniente Coradino Rege cum Alapinis & magna multitudine, hostis resumptis viribus & animis locum illum occupat, à quo Christiani transitum miraculosum fecerant: & sic eos obsidentes ciuitatem ipsius periculosius obsederunt, & nisi per diuinum consilium prima castra quæ erant inter mare & fluuium retenta fuissent, maxime per Teutonicos & Fresones, portus ab eis ablatus fuisset, & negocium plurimum periclitatum vacillasset. Ad tantam etiam Sarraceni peruenerunt temeritatem, vt diluculo Sabbati ante Dominicam Oculi mei, cum graui multitudine propius accederent, & vsque in fossatum se præcipitarent: sed diuino auxilio cum graui damno equitum & equorum repulsi sunt.

Anno Domini MCCXIX.

Regina ciuitatum Iherosolima, quæ videbatur inexpugnabiliter munita, destructa est à Coradino filio Saphadini foris & intus, muri eius cum turribus redacti sunt in aceruos lapidum, præter templum Domini & turrim Dauid. De glorioso sepulchro destruendo consilium habuerunt Sarraceni, & per literas comminati sunt, quas ciuibus Damiatæ miserunt ad ipsorum solatium: sed nemo huic temeritati præsumpsit manus opponere propter loci reuerentiam.

In die Palmarum anni præscripti inimici cum innumerabili exercitu equitum & peditum irruerunt super fideles, vndique fossatum eorum inuadentes, & non est illis ea die datum gestandi alias palmas præter balliſtas & arcus cum sagittis, lanceas & gladios cum clypeis. Adeo instabant & vexabant audacter, qui conuenerant ad perdendum eos, studio liberandæ ciuitatis ab ortu Solis vsque ad horam fere decimam. Tandem fatigati retraxerunt se cum damno maximo.

Item in festo Ascensionis Domini per terram & aquam irruerunt perfidi super fideles, sed nihil aduersus vim eorum prævalere poterant.

Pridie vero Kalend. August. omnem pene quam habere poterant adducentes copiam post diutinos assultus tandem fossatum contra militiam templi transeuntes pedites verterunt in fugam adeo vt totus exercitus Christianorum periclitaretur. Sed cum per milites extra fossatum non possent repelli, magister Templi cum marescalco cæterisq; fratribus suis qui tunc aderant per exitum angustum impetu facto viriliter incredulos vertit in fugam. Commissumque est prælium ab vtrisque donec crepusculum vespertinum prælium diremit. Sarraceni priores abierunt, occisorum corpora perfidorum strata iacebant iuxta fossatum plurima, præter eos qui sauciati grauiter vel leuiter reducti sunt ad castra. Pauci de fidelibus interfecti sunt vel capti. Instrumenta contra ciuitatem præparata combusta sunt à defensoribus eius fere omnia præter scalas. Ienuenses, Pisani, Venetiani firmiter asserebant, se ciuitatem expugnaturos per quatuor naues supra quas scalæ pendebant. Quibus legatus Apostolicæ sedis sumptus præ-

buit copioſos de communi. Aggredientes itaque ciuitatem primo die multos interfecerunt & vulnerauerunt, & quanto ſæpius poſtmodum aſſultum fecerunt, tanto magis muri firmati ſunt ligneis caſtellulis ac liciis : Defenſores etiam robuſtius & efficacius ſe venientibus oppoſuerunt, & ſic ſcalæ mutilatæ per ignē tandem infecto negocio reductæ ſunt ad ripam. Et ſic veraciter deprehenſum eſt, Damiatam ſola virtute diuina in manus Chriſtianorum fore tradendam. Denique Chriſtiani immemores beneficiorum Dei & mirabilium quæ oſtendit eis, prouocauerunt oculos Diuinæ maieſtatis contra ſe per deſidiam maiorum, & murmurationes minorum. Vnde factum eſt, vt communibus exigentibus culpis, in Decollatione S. Iohannis Baptiſtæ, licet pauci inuenirentur, qui in cuſtodia caſtrorum remanerent, naualem & terreſtrem exercitum peditum & equitum educentes ad caſtra Babiloniorum, tenderent inter mare & fluuium, vbi dulcis aqua reperiri non poterat ad potandum : Hoſpitalariis S. Iohannis, & legato ſedis Romanæ, & Patriarcha qui Crucem baiulabat, multum & fruſtra ſupplicantibus vt ſubſiſterent. Nam cum æſtus Solis eſſet nimius, & pedites armorum pondere premerentur, propter nimium laborem & ſitim terga dantes, cum equitibus extincti ſunt, ſine vulneribus corruentes. At Sarraceni, qui ſublatis tentoriis fugam ſimulauerant, videntes defectum Chriſtianorum reuerſi plurimam multitudinem interficiebant & captiuabant. Capti ſunt ibi electus Beluacenſis, & frater eius Camerarius Regis Franciæ, & filius eius frater Andegauenſis Epiſcopi, cum Iohanne de Arcis viro nobili & valde ſtrenuo, & Heinrico de Vlme, & alii multi qui trucidati ſunt, & in captiuitatem ducti, Templarii XXXIII. capti vel occiſi ſunt, cum Marſchalco hoſpitalis S. Iohannis cum aliis fratribus eiuſdem domus. Perſentores ad deducendos captiuos & ſpolia colligenda tandem redierunt, quingenta capita Chriſtianorum Soldano præſentantes. Mœror & & triſtitia fideles occupauit, ſed Deus in breui luctum eorum in gaudium, mœrorem in lætitiam conuertit. Nam Soldanus vnum de captiuis mittens, de pace vel treuga cum eis tractare cœpit, in quo tractatu foſſatum ſuum & munitiones alias reparauerunt alacriter. Interea ciuitas obſidione longa, ferro fame, & peſtilentia grauiter afflicta, in ſola pace quam Soldanus ciuibus promiſit, ſpem poſuit. Adeo enim in ea fames inualuit, vt cibi deſiderabiles deeſſent. Nam ex anguſtia famis diuerſa membrorum vel morborum genera vexabant eos : & inter cætera incommoda quæ ſuſtinuerunt noctibus, velut acriſia percuſſi, apertis oculis nihil videre dicebantur. Illis etiam qui foris in exercitu Sarracenorum nos obſederunt, copia panis & pabuli cœpit decreſcere.

Nilus ſiquidem qui poſt feſtum S. Iohannis Baptiſtæ vſque ad exaltationem S. Crucis ſolet excreſcere & Ægypti planiciem irrigare, ipſo anno more ſuo non aſcendit ad ſignum quod ponere conſueuerunt Ægyptii, & magnam partem terræ ſiccam reliquit, quæ nec arari nec ſeminari poterat ſuo tempore.

Vnde Soldanus chariſtiam timens & famem, etiam amore retinendæ Damiatæ talem pacem cum fratre ſuo Coradino Chriſtianis obtulit, vt Crucem ſanctam quæ capta fuit in victoria Saladini cum ciuitate ſancta, & omnibus captiuis, qui per regnum Babilonis & Damaſci viui reperiri poſſent, ſumptus etiam ad reparandos muros Iheruſalem redderet, inſuper regnum Iheroſolimitanum totaliter reſtitueret, præter Craccum & Montem Regalem, pro quibus retinendis tributum obtulit quamdiu treuga duraret. Sunt autem hæc duo loca in Arabia ſita, ſeptem munitiones firmiſſimas habentia, per quæ negociatores Sarracenorum & peregrini ipſorum Mecham tendentes vel ab ea reuertentes tranſire ſolent, & qui hæc potenter tenuerit, Iheruſalem (cum voluerit) grauiter nimis cum agris & vineis lædere poterit. In hoc tandem conuenerunt fideles, vt primum ciuitas expugnaretur, licet opus cauſa liberationis ſanctę terræ fuerit inchoatum, & omnium Cruce ſignatorum talis fuit intentio. Interea Soldanus magna multitudine peditum clanculo per loca paluſtria miſit ad ciuitatem, quorum CCXL. Chriſtianis dormientibus fuerunt ingreſſi

Domini-

Dominica post festum omnium Sanctorum: tandem per clamorem vigilum occiti sunt vel capti.

Igitur nonis Nouembr. capta est Damiata absq; deditione sine defensione, sine violenta deprædatione cum tumultu, vt soli filio Dei ascribatur euidenter victoria. Itaque cum primo ciuitatem intrassent, plusquam tria millia mortuorum inuenerunt in ea more canum in plateis insepultos iacere. Reliqui omnes in ea debiles fuerunt. Quidam siquidem Christiani circa mediæ noctis silentium consilio (vt credimus) quorundam de ciuitate intromissi fuerunt, & legatus intromissis nunciis turres & homines perfidæ gentis quamplurimos captiuant. Alii multi ascendentes turres fortiores auroræ lucem in eis præstolabantur: exortaq; luce nonarum Nouembrium omnes se captiuos Sarraceni Damiatæ dederunt, & ciuitatem totaliter in potestatem Christianorum, quamuis inuiti tradiderũt. Et cum caperetur ciuitas in oculis Regis Babilonis, more solito non fuit ausus Christi milites ad defensionem paratos per fossatum eorum adgredi.

Eodem etiam tempore fluuius excreuit vberrimis aquis fossatum implens. Ipse vero confusus propria castra combussit & fugit. Inuenerunt etiam in ea aurum & argentum multum nimis, pannos sericos negociatorum in abundantia, vestes pretiosas & ornatum seculi cum varia supellectili in superabundantia. Nam præter eos, qui viui comprehensi sunt in ea, mortui promiscui sexus, à tempore obsidionis in circuitu computantur ad x x x. millia & amplius, quos sine ferro & igne Dominus percussit.

An. Dñi MCCXX.

PRIMVS ANNVS IMPERII FRIDERICI.

ANno Dominicæ incarnationis MCCXX. ab Vrbe aũt condita MDCCCCLXXI. completis ab origine Mundi annis sex millibus quadringentis decem & nouem. Eodem anno mortuus est Heinricus II. istius loci Abbas,* successit tertius Heinricus frater eiusdem loci.

*scilicet ad S. Pantaleon.

Mortuo Ottone Imperatore, Fridericus Rex nonagesimo quinto loco ab Augusto in regno confirmatus, Frankinfort curiam habuit, vbi commendato filio suo Heinrico Principibus, & ab eis licentia accepta Romam proficiscitur, ibiq; à Romano Pontifice Honorio & omni Senatu honorifice susceptus, in festo S. Ceciliæ in Imperatorem consecratur.*

*Vide Constitutiones Frid. II. Imper. in Vsib. feudor. in fine. & c. non erit. 49. ext. de sent. excomm.

Anno Domini MCCXXI.

Lamentabilis rumor & tristis turba omni orbe Christiano insonuit, Damiatam scilicet quam Christiani summo labore & multorum sanguinum effusione ceperant & possederant, Soldano Babiloniæ redditam fuisse: Quod tali modo euenit. Ad instantiam & hortatum legati sedis Apostolicæ, cæterorumque primorum, Christiani ad c c. millia Damiatam sunt egressi, copiosas naues cum victualibus secum ducentes, Kaer quæ & Babilonia dicitur regiam ciuitatem expugnaturi. Quatuordecim fere millia processerant ad locum vbi Nilus in duo brachia diuiditur, quorum vnus versus Alexandriam, ibique pontem extruere anticipabant. At Soldanus hoc comperto cum valida manu Ægyptiorum & aliorum gentilium eis occurrens, opus inceptum impediuit, & sagittis eos lacessiuit. Cumq; quotidiano insultu multi ex parte vtraq; necarentur, & quadam die plurimi gentilium cecidissent, irati gentiles septingentas & quinquaginta Christianorum naues cum hominibus & victualibus græco igne combusserunt: præterea fluuius eo tempore excrescens scissuras terræ impleuit, homines & iumenta operuit & deleuit. Duplici articulo tam fluuii inundantis, quam gentilium continua impugnatione primates Christianorum artati in hoc consenserunt, vt Damiatam Soldano resignarent, omnes Christianos per regnum ipsius siue fratris sui Coradini vinctos recepturi. Annuit Soldanus, redditisque Christianis Damiatam recepit. Ex hoc liquet certissime, peccata in hanc miseriam Christianos traxisse: quod prius Soldanus eis obtulerat sese regnum Iherusalem eis redditurum,

vrbem reædificaturum: Damiatam quiete cum adiacente regione ad xx. milliaria possidendam, ne vlterius in terram suam procederent.

PRIMVS ANNVS REGNI HEINRICI.

Anno Domini MCCXXII.

*ex Maria Arragonia.

HEinricus septimus filius Friderici Imperatoris,* adhuc puer, consecratus est in Regem Aquisgrani ab Engilberto Colonienſi Archiepiscopo, Dominica ante ascensionem Domini, scilicet VIII. Id. Maii.

Eodē anno III. Id. Ianuarii terræmotus magnus fuit Coloniæ, hora prima diei. In Longobardia etiam talis terræ motus fuit ipso die natalis Domini per duas hebdomadas quotidie bis perdurans, vt in pluribus locis ædificia & Ecclesias euerteret, homines cum sacerdotibus opprimeret, Brixiam quoq; ciuitatem fere totam cum populo obrueret, rupes de montibus euelleret, castra deiiceret, & sic inauditas calamitates & miserias perpetraret.

Romæ etiam terra mixta sanguine visa est de nubibus pluere.

*Dania. *Suerin.

Ipso etiā anno Waldimarus Rex Daciæ* à Comite Heinrico de Scuirinh,* cum filio suo mirabiliter capitur, & in quodam fortissimo castro ab eodem custodiæ mancipatur.

II.

Anno Domini MCCXXIII.

Honorius Papa missis prædicatoribus circumquaq; Crucem prædicare fidelibus iterum iubet, denuntians omnibus, vt post biennium in Natiuitate S. Iohannis Baptistæ cum glorioso Imperatore Friderico parati sint mare transire.

*secunda Vxor.

Imperatori Friderico desponsatur* filia Iohannis Regis Iherosolimitani.

Eodem anno mortuus est Philippus Rex Franciæ, ad liberationem terræ sanctæ C L. millia marcarum legans.

Item ipso anno Heinricus iunior Rex Northusin curiam habuit, vbi ab Engilberto Colonienſi Archiepiscopo pro absolutione Regis Daniæ multum laboratum fuit.

III.

Anno Domini MCCXXIIII.

Heinricus iunior Rex circa Maium Frankinfort curiam habuit: vbi nuncii Imperatoris cum literis ipsius affuerunt, intimantes Regi & Principibus Hermannum magistrum hospitalis S. Mariæ Teutonicorum in Epiphania Domini in Sicilia ad Imperatorem venisse, & de succursu terræ sanctæ ad hoc eum induxisse, vt continuo Pharum disponeret transire, & versus Teutoniam venire, & cum Principibus de processu suo & terræ sanctæ negotio ordinare. Verum audiens Imperator Sarracenos qui in monte Platano habitabant, velle se suæ gratiæ subiugare, misit pro Mareschalco suo in obsidione constituto, volens ab eo inuestigare de statu Sarracenorum diligentius: ob quam causam Pharum transire distulit, ipsum Herimannum prædictum pro sanctæ terræ principali tuitione, ac Imperii negociis in Alemanniam præmittens. Hoc etiam inter cætera intimantes, quod Dominus Imperator ad succursum terræ sanctæ quinquaginta naues fecerit præparari, quæ Vsleriæ nuncupantur, quarum magnitudo tantæ capacitatis erit, vt duo millia militum cum dextrariis suis & omnium armorum suorum pertinentiis, & præterea decem millia aliorum hominum valentium ad pugnam & ad bella cum armis suis, in eisdem vsleriis valeant transferri. Ad vnum quodq; vsserium fiet pons, vt milites si necesse fuerit armati & ascensis dextrarius suis in nauibus commode absq; læsionis discrimine per ipsos pontes valeant exire, quasi iam ordinatis aciebus in prælium processuri, & (si opus fuerit) erectis velis intrare possint flumen Damiatæ vel aliud aliquod flumen.

Eodem anno Cunradus Portuensis Episcopus & S. Rufinæ Cardinalis à sede Apostolica pro vtilitate sanctæ terræ in Teutoniam mittitur, & sexta feria post Pentecosten Coloniæ cum honore suscipitur.

Item

Item ipso anno Iohannes Rex Iherosolimitanus causa peregrinationis limina S.Iacobi visitat: cui in reditu filia Regis Hispaniæ desponsatur. Inde diuertens versus Teutoniam ad Heinricum Regem filium Imperatoris, & cum eodem Coloniam profectus, ab Engilberto Archiepiscopo & tota ciuitate in vigilia Assumptionis beatæ Mariæ cum magno honore & gaudio suscipitur.

Per idem tempus Heinricus Rex cum Engilberto Colonienſi Archiepiscopo,& Cunrado legato sedis Apostolicæ, & quibusdam Principibus,pro liberatione Regis Daciæ* & restitutione terræ Imperii ab eodem iniuste possessæ Saxoniam intrauit: Vbi per biennium à Comite Heinrico de Sciurinh in firmissimo & inaccessibili castro nomine Dannenberch idem Rex cum filio suo captus tenebatur. Venientes itaq; ad Aluiam* fluuium prædicti Principes,Herimannum magistrum hospitalis Teutonicorum,qui ab Imperatore missus fuerat in Teutoniam causa reconciliationis & compositionis faciendę ad vtrosq; scilicet Regem & Comitem,præmittunt.Quo mediante ad hoc inductus est idem Rex,vt totam terram quam Imperio abstulerat,reddere & coronam de manu Imperatoris suscipere,insuper centum millia marcarum pro absolutione sua dare promitteret. Quod cum acceptarent Principes qui cũ Rege præsentes aderant, Albertus Comes de Vorlemunde filius sororis ipsius Regis & Barones Daciæ hanc compositionem reprobantes,& ea quæ promissa erant cassantes,ascensis nauibus cum indignatione recesserunt,infinitam pecuniam quam ad redimendum Regem attulerant,secum deferentes.Vnde prædicti Principes infecto negocio confusi discessserunt. Albertus ergo de Vorlemunde post natale Domini congregato exercitu Heinricum Comitẽ adgredi statuit.Quod vt cognouit Heinricus Comes in obsidione cuiusdam castri positus relicta obsidione illi occurrit: vbi pugna commissa cum magna animositate & multorum sanguinis effusione,ab hora diei prima vsq; ad vesperam dimicatũ est, multis ibi corruentibus. Ipse etiam Albertus cum pluribus nobilibus captus & in castrũ Danninberch ad auunculum suum perductus ibidem custodiæ mancipatur.

*Dania.

*Albin.

Hoc anno erat hyems longissima,& valde asperrima:Fames etiam magna & inaudita,per biennium perdurans.

Anno Domini MCCXXV.

Heinricus Rex curiam habuit Frankinuort, vbi quidam Episcopus missus à Rege Angliæ cum cæteris ipsius legatis affuit,laborans vt ipse Rex matrimonium contraheret cum sorore Regis Angliæ.Sed cum talis contractus displicuisset Principibus,nec potuisset habere processum,nuntii inacte reuertuntur.

Eodem anno quidam heremitico habitu indutus à Flandrensibus & Hanaugiensibus propter similitudinem vultus putatus est fuisse Comes ipsorum Balduinus,qui ante multos annos Cõstantinopolitanum adeptus imperium in Græcia perierat (sicut docet historia) & ab ipsis in honorem Comitiæ rapitur. Qui per duos menses magnam partem terræ occupans,ornatu imperiali purpuratus, præcedente se cruce (sicut mos est Imperatoribus Constantinopolim) à Rege Franciæ Ludouuico apud Peronam castellum Viromandiæ examinatur: vbi detecta eius fallacia à Rege, parte tamen suorum sibi adhærente proficiscitur versus Coloniam dicens se auxilium quærere ab Engilberto Archiepiscopo,qui tunc regni Teutonici gubernacula tenebat. Vbi se furtim subtrahens à suorum consortio soliuagus affugit, Archiepiscopo nunquam viso. Post modicum in Burgundi agnitus & detentus,in Flandriam reductus, apud Kisle castellum Flandriæ patibulo eleuatus laqueo vitam finit,* magna parte plebis etiam post mortem ipsum fuisse verum Comitem contendente.

*Vt cap. 23. extr. de sent. excom.

Item ipso anno VII. Id. Nouemb. Engilbertus venerabilis Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopus, pater nostræ patriæ & decus Teutoniæ heu à Comite de Isenberg cognato ipsius miserabiliter trucidatur.Siquidem iam dictus Comes regalem Ecclesiam in Esende, cuius idem aduocatus erat, violenta oppressione lacerabat,homines dictæ Ecclesię durissimis angariis & parangariis affligendo.Quẽ

cum ab hac iniuria prohiberet Archiepiſcopus, qui tunc Teutonici regni tutelam gerebat, Comes non ferens frenum ſuæ tyrannidis, mortem Archiepiſcopi machinatur, ad hoc etiam à multis (vt dicitur) nobilibus, quorum ſuperbiam fortiſſimus præſul contriuerat, animatus. Denique Domnum Archiepiſcopum redeuntem verſus Coloniam à Soſatia oppido Weſtfaliæ comitatus infelici graſſatione habens ſecum xxv. ſcutarios ad tantum ſcelus expeditos, nil tale ſuſpicantem, quia huiuſmodi ſuſpicionem & ingenita audacia & naturale fœdus conſanguinitatis ab Archiepiſcopo remouebat, licet ante paucos dies per quaſdam litteras ſibi tranſmiſſas fuerit præmonitus. Itaq; arrepto loco & tempore opportuno non longe à villa quæ Sueline nominatur, Præſulem idem Comes cum quibuſdam ſuis conſiliariis cruentis carnificibus, latere eius perfoſſo ſceleratos ſicarios in mortem ipſius exhortatur. Qui in eum irruẽtes gladiis & pugionibus xxxviii. plagis ipſum confodiunt. Hoc facto recipit ſe Comes cum ſuis in caſtrum Iſenberg. Iacet nobile corpus deſertum ab omnibus: nam tota familia conterrita tam inopinato ſcelere auffugerat, excepto paruo ſeruulo qui ſolus cadauer Domini cuſtodiuit. Nocte adueniente duo indigenæ in biga corpus deferunt, reponendo in Eccleſia Sueline, quam ipſe ſequenti Dominica erat conſecraturus: quam ob rem & ea die qua occiſus eſt, confeſſionem de peccatis ſuis fecerat. Poſtera die ducitur ad cœnobium Bergenſe, vbi à fratribus loci corpus cum ingenti fletu receptum, aromatibus conditum, & lucernoſis vigiliis addita Pſalmorum melodia eſt cuſtoditum: vbi quidam fratrum teſtantur ſe angelicas voces audiſſe. Quidam etiam frater eundem eadem hora ſibi in ſomnis apparentem vidit, & dicentem, ſe pro iuſtitia triumphalem martyrii lauream meruiſſe. Inteſtina eius ibidem ſubleuata ſunt. In vigilia S. Martini precioſum corpus Coloniam adducitur: vbi cum inenarrabili fletu & eiulatu à Clero & à populo eſt receptũ, & in Eccleſia beati Petri depoſitum: vbi eidem glorioſa tumba eſt erecta, crebreſcentibus ad tumbam eius cotidie miraculis & virtutibus, nonnullis ægris ibi optatam recipientibus ſanitatem. Conſtanter enim ſperatur ipſum martyrii præmia meruiſſe: quia æquiſſimus iudex & ſtrenuus patriæ & Eccleſiarum Dei defenſor fuit, & pro earum occubuit defenſione. Inter cætera etiam eius laudabilia geſta, & pacem firmiſſimam elaborauit: caſtrum Turinh ſuper Moſellam ſitum, latibulum prædonum, ad maximum commodum Eccleſiarum & patriæ comparauit, & Eccleſiæ Colonienſi reliquit poſſidendum.

* Sutrin. Cuius morte audita Heinricus Comes de Scinrinh * promiſſum in reſignatione Regis Daciæ caſſat, & mediante compoſitione & acceptis obſidibus & copioſa pecunia Regem abſoluit, & abſolutum permittit ad propria remeare.

* al. Molenarck. Poſtea xvii. Kal. Decembr. Heinricus præpoſitus Brunnenſis, natione de Mulnarken, * præficitur ſedi viduatæ: qui ſtatim poſt electionem in vindictam necis ſui piiſſimi prædeceſſoris coram prioribus præſtitit iuſiurandum. Nec longa mora interuenit, cum ad mandatum eiuſdem electi à vaſallis Colonienſis Eccleſiæ caſtrum Iſenberg obſeſſum, in deditionem acceptum eſt, & ſolo coæquatũ. Idem

* al. Nuenburch. accidit de alio caſtro eiuſdem Comitis, quod dicitur Nouus pons. *

In natali Domini ſequenti Cunradus Portuenſis Epiſcopus Apoſtolicæ ſedis legatus aduenit Coloniã, qui terribili anathemate nefandos illos Fridericum & ſuos complices profanauit.

Anno Domini MCCXXVI.

* Iacobum de Vitriaco, Cardinalem. Honorius Papa de conſilio fratrum legatum * in Franciam mittit, dans illi in mandato, vt verbum crucis prædicet contra hæreticos Auionenſes & Tholoſanos. Ad hortationem igitur legati nomine Romani in Franciam miſſi Ludevvicus Rex Francorum cũ Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, nobilibus, Baronibus, cæterisq; magiſtratibus Franciæ, Normanniæ, Flandriæ, Burgundiæ, Britanniæ, Campaniæ, Hannoniæ, Aluerniæ, de Pontino, de Bituria contra Auionenſes & Tholoſanos hæreticos cruce ſignantur. Quorum aduentum cum inaudito apparatu ciues de Carcaſone, de burgo S. Egidii, de

Nauanſo,

Nauanſo,& de Maſſilia ſentientes Regi Francorum occurrunt,ſe cum ſuis omnibus ipſius dominio ſubiugantes, & Eccleſiæ catholicæ parere iuramento confirmantes. Verum Auionenſes proditionem molientes, cum Regem infra muros ſuos recepiſſe putaſſent, portas recluſerunt: ſed incluſi viriliter ſe defendentes per aliam portam irrumpentes euaſerunt. Quorum proditione Rex concitatus, innumerabilem pecuniam expendit in inſtrumentis mirabilibus & hactenus incognitis,quibus dictę ciuitatis murum & domos ſubuertit. Cumq; tota terra vſq; ad Tholoſam eſſet ei fideliter ſubiugata, in reuerſione Rex peſtilentia obiit, & duo Epiſcopi,& tres Comites,& tam nobiles quam ignobiles infiniti. Cui ſuccedit filius ſuus Ludewicus adhuc puer in regnum.

Eodem anno Imperator Fredericus ſolemnem curiam Cremonæ indicit, pro ſtatu Imperii reformando,& negotiis ſanctæ terræ; ad quem cum multi Principes Teutonici properarẽt,vna cum filio Imperatoris Rege Heinrico, apud Tridentum per VI. hebdomadas commorantur, non valentes progredi propter rebellionem Veronenſium, qui cluſas Veronenſium tunc obtinuerunt. Quidam autem Principes de Saxonia alia via per Auſtriam ſunt ad Imp.ingreſſi.Rex autẽ à Tridento non viſo Imp.cum Principibus in Alemanniam inacte reuertitur: in quorũ diſceſſu Tridentum ciuitas caſuali incendio concrematur.Imperatore autem à Cremona vſque ad burgum ſancti Domnini declinante, Cunradus Epiſcopus Hildenſemenſis, qui tunc verbi crucis miniſterio fungebatur, excommunicationis ſententiam in Longobardos Imperatori cruce ſignato rebelles tulit, annuentibus & approbantibus vniuerſis Longobardiæ prælatis. Sed eandem ſententiam poſtea Papa Honorius reuocauit,mittens Alatrinum Capellanum ſuum, cuius ſuggeſtione Mediolanum & multæ ciuitates complices contra Imperatorem coniurauerunt , facientes collegium quod Longobardorum ſocietas per multa tempora eſt vocatum.

Ipſo anno Heinricus Colonienſis electus * in Archiepiſcopum à Treuerenſi Archiepiſcopo Coloniæ in vigilia Matthæi Apoſtoli cum magna ſolennitate conſecratur,præſentibus omnibus ſuffraganeis ſuis, nec non & Iacobo Aconenſi & Herimanno Leatenſi Epiſcopis.

* *ad quem eſſ. c. ex parte. 10. Ext. de arbitr.*

Item ipſo anno Fridericus Comes, impii auctor homicidii, per totum annum profugus & occultatus , à quodam milite nomine Balſchun capitur, & pro duobus millibus marcarum & centum marcis venundatus Colonienſi Archiepiſcopo aſſignatur. Qui in feſto Martini, ſequenti ſcilicet die anno ſequenti, qua corpus lacerum glorioſi Archiepiſcopi Colonienſis eſt receptum, quamq; idem Epiſcopus adhuc viuens pro forma cõpoſitionis agenda ipſi præfixerat, Coloniæ præſentatus eſt,& tertia die facta confeſſione, & proditis complicibus huius facti, extra muros ciuitatis in rota poſitus ſuper modicam piramidem eſt eleuatus. Poſtea conuenientibus Epiſcopis & nobilibus terræ vaſallis S. Petri, nobiles quidam, qui pro huiusmodi interfectione ſuſpecti habebantur, licet difficulter ab Archiepiſcopo & prioribus Coloniẽſibus ad expurgationẽ obiecti criminis ſunt admiſſi.

Anno Domini MCCXXVII.

Heinricus Rex filius Friderici Imp. Aquiſgrani veniens, celeberrimam curiam cum nobilibus totius Teutoniæ habuit Dominica Iudica me. Inter quos præcipui erant Saltzburgenſis,Mogontienſis,Treuerenſis, Colonienſis Archiepiſcopi, Auſtriæ, Bauariæ, Karinthiæ, Brabantiæ, Lotharingiæ Duces, Lantgrauius,Ferrandus Comes Flandriæ, qui per duodecim annos Pariſius in captiuitate à Rege Franciæ detentus fuerat,& priori anno abſolutus. Ibi etiam conuenerunt alii quidam plures Epiſcopi,& Comites , & totius Teutoniæ nobiles, vbi à Colonienſi Archiepiſcopo Heinrico vxor ipſius Regis,filia Ducis Auſtriç, regali benedictione conſecrata & coronata in ſede regia collocatur.

Eodem anno Honorius Papa,cum X I. annis præfuiſſet, moritur. Cui Hugo Hoſtienſis Epiſcopus ſuccedit,& Gregorius nominatur.

Ipſo anno in die Mariæ Magdalenæ Rex Danorum , præuaricator fidei & iuramenti pro abſolutione ſua præſtiti, vindicare ſe parat : & contracta infinita

* Zutrin. multitudine Comitem de Zuirin * bello lacessit. A quo adiutorio Archiepiscopi Bremensis & Ducis Alberti de Saxonia idem Rex superatus per fugam vix euadit, ex parte sua quatuor millibus virorum interemtis.

Ipso etiam anno Otto Episcopus Traiectensis electam militiam congregat castrum Kuvorde expugnaturus propter rebellionem eiusdem castri possessoris, qui ei iure homagii tenebatur. Cumque in die beati Pantaleonis idem Episcopus & Comes Gebrensis cum electis & famosis militibus minus caute (locus enim totus paludosus est) castrum impetissent, in talem difficultatem deuenerunt, vnde non possent procedere nec reuerti. Quo viso, castri defensores subito descendentes vniuersos comprehendunt, Episcopum cum fratre præposito nefandissime decapitant, inclitos milites illos se defendere non valentes (vtpote tuto super genua detentos) partim submergunt, partim transfixos crudeliter occidunt.

Eodem anno electa expeditio cruce signatorum ab omnibus mundi partibus mota cassatur & dissipatur, Friderico Imperatore, sicut dudum promiserat, non transfretante. Ob quam causam à Gregorio Papa excommunicatur.

Hoc anno in Decembri ventus validus partes ædificiorum strauit, arbores radicitus eruit. Hyems nimis erat pluuiosa.

Ipso anno Dominus Heinricus tertius Abbas obiit, cui Dominus Simon successit.

Anno Domini MCCXXVIII.

Fridericus Imperator tandem mare transit, & recuperata Ierusalem & parte terræ sanctæ cum Sarracenis vsque ad certum terminum treugas facit. Sed quod quasi inobœdiens & excommunicatus transiuit, factum suum Gregorius Papa non approbat, nec ipsum absoluit. Sed reditum eius metuens terram suam & castra per Iohannem socerum Imperatoris impugnat & occupat, pluribus ciuitatibus Longobardiæ & aliis locis sibi contra Imperatorem confœderatis, & auxilium ferentibus militare. Romanis autem Imperatori adhærentibus, Papa Romam egreditur, & cautelam sui habens Perusii moratur, & per omnes prouincias publice mandat, Imperatorem excommunicatum denunciari, missis nunciis & maxime prædicatoribus ad id exequendum. Quorum vnus dictus Otto Cardinalis de Carcere Tulliano legatione accepta in Teutoniam & Daciam mittitur, cuius intentio erat Imperatoris grauamen procurare, & super hoc consilium expetere Ottonis dicti Ducis de Luniburg: sed idem Otto contra Imperatorem renuit aliquid attentare. Qui legatus Leodium ciuitatem Hazbauiæ veniens, ab aduocato Aquensi, & Arnoldo de Gimmenich, & aliis fautoribus Imperatoris fugatur, & vix euadens in castro Hoyo recipitur. Pro qua iniuria sibi illata excommunicationis sententiam in Leodiensem ciuitatem promulgat, exire præcipiens totum clerum. Eandem etiam excommunicationem postea Aquenses ligat, pro eo quod Episcopum Mutinensem de Prutia * post legationem suam redeuntem dicti fautores Imperatoris Aquisgrani ceperant, & captum detinuerant, magna quantitate auri ablata. Qui malefactores pro huiusmodi excessu Coloniæ satisfactione peracta veniam meruerunt,

Eodem anno Episcopus Traiectensis castrum Kuvorde iterum impugnat: sed defensoribus sibi diffidentibus castrum in deditionem recipit, & nefarium Rodolfum Dominum castri eiicit & exulare præcipit. Qui exilium simulans occulte reuertitur, & castrum dolo captum possidet, eiectis illis, quos Episcopus ibi posuerat.

Anno Domini MCCXXIX.

Fridericus Imperator de transmarinis partibus reuertitur, & reputans Papam tempore suæ peregrinationis sibi grauiter iniuriatum, quædam castra & terram suam ab exercitu Papæ captam manu Teutonica recuperat, fugato Rege Iohanne socero suo. Inter quæ ciuitatem Soram appellatam vno die impugnans capit, & funditus incendio euertit.

Ipso anno ciues Colonienses infamibus mulierculis per quendam Rudolphum falsum fratrem (vt postea patuit) quia culpis suis exigentibus post modum

à Domno

o fundamẽta 17 de elect. in 6. c. ad Apostolicæ. Desent. & re iud. in 6.

* Prussia sine Lituania, Greci in c. petitio. 9. Ext. de procuratorib. & c. Gle. de purg. Vulg.

à Domno Papa missus est in caueam) conuersis & congregatis, domum in fundo Ecclesiæ S. Pantaleonis prope vineam eiusdem Ecclesiæ construunt; & fratribus dictæ Ecclesiæ contradicentibus, & nouum opus nunciantibus, graue damnum inferunt, domos eorum infra Coloniam sitas infringentes. Super quo errore, domibus reparatis, dictæ Ecclesiæ postmodum satisfecerunt.

Hoc anno erat hyems longa & aspera.

Anno Domini MCCXXX.

mentio in c. quanto. 18. Ext. de iureiur.

In Hispania Rex Legionensis & filius suus Rex Castellæ arma contra Sarracenos sumunt, & magnam partem terræ occupant, capta ciuitate, quæ Emerita dicebatur.

Ipso anno Rex Arragonæ insulam, quæ Maiorica dicitur, multis annis à Sarracenis occupatam capit, expugnando ibidem quandam ciuitatem famosam, capto eius Rege, & tota domo regia.

Eodem anno Dominus Simon Abbas obiit, & ei Dominus Heinricus quartus succedit.

Eodem quoque anno oritur dissensio inter Archiepiscopum & Ducem de Limburg, super Aduocatia cœnobii Sibergensis. Vnde castellum Tuitiense dicti Ducis ab Archiepiscopo diruitur, & castrum Ducis dictum Bensburga longa obsidione vallatur à copioso exercitu Archiepiscopi & Comitis Senensis. Sed licet acriter impugnaretur, non capitur. Hiis qui intus erant se viriliter defendentibus & ingeniose. Ex altera parte castrum Archiepiscopi dictum Tulpetum casuali incendio concrematur, & propter hoc à complicibus Ducis capitur, vbi multi homines igni perierunt. Multo etiam exercitu hinc inde congregato ad pugnam non est progressum, sed incendia villarum, & deprædationes, & vastationes ciuitatum & castrorum fiunt. Iussu Regio bello treugæ succedunt.

Otto Cardinalis à Daciæ partibus Coloniam veniens, ibidem natalem Domini celebrat, solenniter susceptus & honoratus. Inde recedens apud Herbipolin concilium prouinciale indicit; sed renitentibus Principibus laicis, & paucis Ecclesiarum prælatis venientibus iratus recessit.

Eodem anno Imperator à Papa absoluitur, mediante Duce Austriæ Lupoldo: qui tractatu pacis peracto inter Papam & Imperatorem apud S. Germanum in Campania moritur: cuius viscera & carnes * in capitulo S. Benedicti montis Cassinensis tumulantur: ossibus in Austriam reportatis.

** Debecimo vide Extrauag. Comm. libr. III. Tit. VI. cap. I.*

Anno Domini MCCXXXI.

Imperator facta pace cum Papa ad eandem mensam conuiuatur in ciuitate Papæ, quæ Anagnia dicitur in cœnaculo Papæ super paternum fundum constituto. Inde Imperator in Apuliam reuertitur.

Padus fluuius in Italia mirabiliter exundat.

Eclipsis Solis particularis facta est circa ortum Solis 11. Id. Iunii.

Eodem anno Imperator Rauennæ curiam celebrat die Natalis Domini, ibidem imperiali diademate insignitus. Ante hanc curiam circiter tres menses Ludevvicus Dux Bauariæ * à quodam Sarraceno nuncio Vetuli de Montanis in medio suorum est occisus. Nam idem Vetulus de Montanis Imperatori confœderatus multas iniurias, quas idem Dux Imperatori intulerat, intendit vindicare. Hoc autem conscientia Imperatoris creditur gestum esse, quod Imperator ipsum Ducem paullo ante diffidauerat in rebus & in persona, misso ad hoc nuncio speciali.

** Gener Heinrici Palatini.*

Archiepiscopus Colonienses cum capitulo S. Petri dissentit: quæ dissensio multorum malorum seminium fuit.

Rudolphus de Kuvorde & sui complices à Traiectensibus in rotis confringuntur.

Anno Domini MCCXXXII.

Imperator Rauennam manens bellum molitur contra Longobardos viâ præ-

cludentibus filio ſuo Regi & militiæ Germanorum. Circa mediam Quadrageſimam Imperator Rauenna relicta nauali curſu tendit ad Legiam. Inde itinere tranſiens per Venetias ibidem honorifice ſuſcipitur: & ingreſſus Eccleſiam ſancti Marci, ſuper altare eiusdem dona offert regalia, auro & gemmis decorata.

Apud Aquilegiam Paſcha celebrat, filio ſuo Rege ad ipſum veniente, & quibusdam Principibus Alemanniæ. Circa Aſcenſionem Imperator in Apuliam regreditur nauali itinere: in via plurimos piratas capit, quos vinculis mancipat.

Soldanus Babyloniæ Imperatori mittit tentorium mirifica arte conſtructũ: in quo imagines Solis & Lunæ artificialiter motę curſum ſuum certis & debitis ſpaciis peragrant, & horas diei & noctis infallibiliter indicant. Cuius tentorii valor xx. millium marcarum pretium dicitur tranſcendiſſe. Hoc inter theſauros regios apud Venuſium eſt repoſitum. Accedẽte Paſcha Sarracenorum in die Mariæ Magdalenæ Imperator nuncios Soldani & Vetuli de Montanis ad conuiuium vocat, & eis multis Epiſcopis aſſidentibus & multis nobilibus Teutonicis, feſtiuas epulas parat.

Meſſanenſes contra Imperatorem rebellionem excitant. Iohannes de Berito Imperatori in terra transmarina repugnat: qui dum incaute ſe gerit, noctu ſuperueniente manu militari ſpoliatis omnibus cum paucis vix euadit. Non multo poſt Iohannes recuperata manu valida Cyprum occupat, & Regem Cypri filium ſororis ſuæ ſibi aſſociat. Mittitur contra illum Richardus Marcſchalcus Imperialis, qui congreſſus cum ipſo vincitur, multis militibus de exercitu imperiali captis.

In Teutonia multę hæreſes deteguntur, & hæretici flammis puniuntur.

Ipſo anno bellum oritur inter Archiepiſcopum Mogontinum, & Lantgrauium Thuringiæ. Oppidum dictum Vritſclare* à Lantgrauio concrematur: vbi Epiſcopus Wormacienſis, & omnes Canonici illius oppidi, cum multis aliis nobilibus capiuntur.

* Frilaria.

Eclipſis Solis particularis poſt meridiem viſa eſt eodem anno, non tamen multum notabilis.

Colonienſis Archiepiſcopus in Weſtfaliam cum militia tranſit, & hoſtibus in deditionem receptis proſpere reuertitur. Quibus hoſtibus cum Waleramus de Limburg cum ſuis fautoribus in ſuccurſum veniſſet, ab Epiſcopo Monaſterienſi, per cuius dioceſin tranſire intenderat, retruditur & redire compellitur.

Anno Domini MCCXXXIII.

Imperator Meſſanam ciuitatem Siciliæ ingreditur, & captis ſuis rebellibus, eos igni cremat.*

* Vide c. Generabili. 37. Ext. de offic. & poteſt. deleg.

Miranda res & nimium ſtupenda, quod hiis temporibus ignis contra genus mortalium ſic inualuit. Nam eodem fere tempore & rebelles Imperatori in Sicilia, & in Germania infinitus numerus hominum, & multa vicina incendio perierunt. Nam & propter veras hæreſes, & propter fictas, multi nobiles & ignobiles, clerici, Monachi, incluſæ, burgenſes, ruſtici, à quodam fratre Conrado ignis ſupplicio per diuerſa Teutoniæ loca (ſi fas eſt dici) nimis præcipiti ſentẽtia ſunt addicti. Nã eodẽ die, quo quis accuſatus eſt, ſeu iuſte ſeu iniuſte, nullius appellationis, nullius defenſionis refugio proficiẽte eſt damnatus, & flãmis crudeliter iniectus. Ob quam cauſam frater Cunradus huius perſecutionis hęreticorum miniſter à quibusdam nobilibus nullum locum veniæ vel gratiæ apud ipſum inuenientibus iuxta Marburg eſt occiſus. Ante cuius mortem modico tempore Comes Sueuiẽſis ſuper hæreſi falſo fuit infamatus: pro cuius expurgatione ſeu defenſione Rex Heinricus conuentum multorum Principum apud Moguntiam habuit. Vbi etiam collecta militia idem Rex contra Ducem Bavvariæ proficiſcitur. In campis itaque Lyci ſecus Auguſtam fere ſex millia militum in exercitu regio ſunt inuenta. Inde profectus breui tempore Bavvariam ſubiugat, & Ducem in deditionem recipit.

Anno Domini MCCXXXIIII.

Verbum crucis prædicatur contra Stagingos* per inferiores partes Teutoniæ & Flandriæ. Collecto itaque vniuerſo exercitu cruce ſignatorum in craſtino

* Stadingos.

Aſcenſio-

Aſcenſionis iidem Stagingi ſuperantur, & à terra ſua funditus extirpantur. Fuerunt autem Stadingi populi in confinio Friſiæ & Saxoniæ ſiti, paludibus inuiis & fluminibus circumcincti, qui pro ſuis exceſſibus & ſubtractionibus decimarum multis annis excommunicati, contemtores clauium Eccleſiæ ſunt inuenti. Qui quum eſſent viri ſtrenui, vicinos populos immo & Comites & Epiſcopos bello pluries ſunt aggreſſi, ſæpe victores, raro victi. Ob quam cauſam auctoritate populi verbum crucis contra eos fuit per multas dioceſes prædicatum. Quorum in prædicto bello circiter ad duo millia perierunt, paucis ſuperſtitibus ad vicinos Friſones confugientibus.

Imperator vocatur à Papa in auxilium contra Romanos, & ſecum aliquandiu Reate moratur: milites in ciuitate Viterbio collocauit. Quorum cotidianis inſultibus & deprædationibus Romani adeo ſunt vexati, vt non multo poſt cum Papa pacem ſubirent. In hoc tamen conflictu periit quidam nobilis Comes Sueuiæ dictus de Veingin: * ſed plurimi capti fuerunt nobilium Romanorum.

* *f. Vabingen.*

Ipſo anno Comes Hollandiæ in torneamento ſuffocatur apud Corbiam in Ambianenſi dioceſi. Caſtrum de Molinnackin obſidetur, in odium Archiepiſcopi Colonienſis, à Comite Iuliacenſe & ſuis complicibus. Comes Seinenſis collecta manu valida, vna cum Archiepiſcopo Colonienſi obſeſſores caſtri impetit: qui relicto caſtro ordinant acies contra ipſum. Qui cum vtrinque inſtructis aciebus iuxta villam Noruenich diu morarentur, poſt longum tractatum pax interuenit, caſtrum liberatur ab obſidione.

Rex Heinricus Bobardiæ conuentum quorundam Principum habuit, vbi à quibusdam nefariis conſilium accepit, vt ſe opponeret Imperatori patri ſuo: quod & fecit. Nam ex tunc cœpit ſollicitare quoscunque potuit, minis, prece & pretio, vt ſibi aſſiſterent contra patrem, & non paucos inuenit.

Anno Domini MCCXXXV.

Imperator ab Apulia Aquilegiam peruenit. Inde cum multa turba & multis theſauris verſus Auſtriam intrat in Germaniam: filium etiam ſuum Regem rebellem inuenit, ſed impotentem. Nam conſilio habito v I. Non. Iulii apud Wormaciam, in gratiam patris recipitur: ſed non perſoluens quæ promiſerat, nec reſignans caſtrum Driuels, quod habuit in ſua poteſtate, iuſſu patris Imperatoris eſt cuſtodiæ mancipatus.

Eodem tempore ſoror Regis Angliæ rogatu Imperatoris ab Archiepiſcopo Colonienſe & Duce Brabantiæ ab Anglia adducitur, ipſi Imperatori nuptura. Quæ ab omnibus ciuitatibus & oppidis, per quæ eam tranſire contigit, honorifice; ſed à ciuibus Colonienſibus maiore præ aliis tripudio quinta feria proxima ante Pentecoſte ſuſcipitur. Apud quos in domo Præpoſiti S. Gereonis per menſem in magna honorificentia continue moratur. Inde progrediens apud Wormaciam Imperatori aſſignatur: ibi imperiales nuptiæ debito cum honore celebrantur. Imperator ſuadet Principibus, ne hiſtrionibus dona ſolito more prodigaliter effundant, iudicans maximam dementiam, ſi quis bona ſua mimis vel hiſtrionibus fatue largiatur.

Curia celeberrima in aſſumtione beatæ Mariæ apud Maguntiam indicitur, vbi fere omnibus Principibus regni Teutonici conuenientibus pax iuratur, vetera iura ſtabiliuntur, noua ſtatuuntur, * & Teutonico ſermone in membrana ſcripta omnibus publicantur; exceſſus Regis contra Imperatorē cunctis aperiuntur.

* *Extat Reformatio Imperii, edita hac comitiis. Excuſa Baſileæ & Teutonice.*

Otto de Luninburg nepos magni Ducis Heinrici, nouus Dux & Princeps efficitur: quem diem rogauit Imperator omnibus annalibus aſcribi, eo quod tūc Romanum auxiſſet Imperium nouum Principem creando, conſenſu omnium Principum accedente. Fuit autem dies illa vigilia Timothei.

In die Timothei ſcilicet in octaua Aſſumtionis, Imperator diademate imperiali inſignitus in Eccleſia Moguntienſi, fere omnibus Principibus aſtantibus debito honore refulſit; poſt miſſarum ſolemnia inuitās Principes omnes, & omnem comitatum eorum ad feſtiuas epulas, quæ in loco campeſtri magnis ſumptibus fuerant præparatæ.

Non multo post Archiepiscopus Bisentinus apud Mogontiam diem clausit extremum.

Hiisdem temporibus Rex Vngariæ Austriam ingreditur, & vastata terra multa millia marcarum à Duce pro pace recepit. Nam idem Dux ante hoc tempus fines vastauerat Vngariorum, nulli parcens sexui, nulli parcens ætati.

In festo Omnium Sanctorum Imperator conuentum Principum habuit apud Augustam, vbi Rex Boemiæ affuit, recipiens ab Imperatore decem millia marcarum pro parte Sueuiæ, quæ iure hæreditario suam vxorem contigit.

Inde Imperator se contulit ad oppidum Haginhovve, in quo hyemauit. Ibi affuerunt Comes Tolosanus & Comes Prouinciæ. Recepit autem Comes Tolosanus Marchiam Prouinciæ ab Imperatore, homagium sibi præstans. Comes autem Prouinciæ quinquagenarius ideo tunc primum ab Imperatore ad gradum militiæ est prouectus, quod Comites suæ parentelæ se non credunt diu posse viuere, postquam gradum militiæ sunt adepti. Nec adhuc miles factus esset, nisi Rex Franciæ & Rex Angliæ, quorum vterque suam duxerat filiam in vxorem, ipsum ad hoc prece multimoda compulissent, indignum reputantes suum socerum militem non esse.

Ibidem nuncii Reginæ Hispaniæ affuerunt, qui pulcherrimos dextrarios & magnifica munera Cæsari attulerunt. Nec multo post eiusdem Reginæ mors est nunciata Imperatori: vnde plurimum doluit, quod patruelis eius fuit.

Ipso anno post Pascha Domini tres circuli argentei circa Solem immensæ quantitatis apparuerunt, quorum primus alium includebat contingentem. Tertius autem duos intersecabat, transiens per corpus solare. Qui circuli licet à populo putentur esse prodigium, tamen eorum causa ab Aristotele & Seneca in Meteoris est expressa.

Eodem quoque anno Constantinopolis à Græcis est obsessa.

Anno Domini MCCXXXVI.

Imperator motus bellum Longobardis sibi rebellibus, præmittit quingentos milites mensurnis stipendiis conductos: quibus præficit nobilem virum & rebus bellicis expertum Geueardum de Harueстein, vt apud Veronam expectet Imperatoris exercitum subsequentem.

Imperator interea descendit vsque in castrum dictum Marburch, vbi in Kalendis Maii innumerabilis populi affuit multitudo. Nam à multis prudentibus duodecies centum millia hominum promiscui sexus æstimata sunt conuenisse, ad memoriam sanctæ viduæ Elizabeth, cuius glorificum corpus ad capsam auream est translatum auctoritate summi Pontificis, qui hoc negotium tribus Episcopis commisit, videlicet Maguntino, Treuerensi, & Hildesemensi, quanquam ibi multi alii Episcopi & Principes affuissent. Ipse etiam Imperator primus lapidem de sarcophago leuauit, & coronam auream de suo thesauro sacro capiti sanctissimæ viduæ imposuit. Ibi præter multa miracula oleum de sacro corpore efluxit, quod religiosis viris basilicas & altaria in honorem beatæ viduæ Elizabeth cõstructuris per fratres hospitalis Teutonicorum est pie & sagaciter distributum. Super cuius vita laudabili & virtutibus specialis historia est contexta.

Inde Imperator veniens Confluentiam inferiorum partium militiam inuocat contra Longobardos: sed paucis sibi annuentibus milites de Sueuia & Alsatia sibi assumit. Itaque ducens exercitum contra Longobardos commisit Regi Boemiorum & Duci Bavvariæ & quibusdam Episcopis terram Ducis Austriç expugnandam, propter multiplices excessus & facinora, quibus idem Dux fama publica laborabat. Qui Austriam ingressi adiunctis sibi nobilibus terræ, quos ipse Dux antea iniuste oppressérat, & de terra sua eiecerat, totam Austriam deuastauerunt, & Imperatori subiugauerunt, præter pauca castra munitissima, in quibus ipse Dux profugus se recepit.

Interim Imperator Augustam veniens, manum militarem in campis Lyci colligit, & inde profectus in vigilia S. Iacobi mille milites in Italiam secum ducit. Transactis itaque Alpibus militiam suam apud Veronam colligit, quæ ibidem

extra

extra muros plusquam per mensem perendinauit. Dehinc Cremonensibus, qui sui fautores erant, coniunctus, licet Mediolanenses & sui complices frustra resisterent, & imperiali agmini terga darent, Imperator cum Cremonensibus Mantuam sibi rebellem inuadit, & quæcunque extra muros erant, deuastat. Duos etiam suorum burgos super fluuium, qui dicitur Oyus * sitos potenter capit. Quorum vnus Macharia, alter Mosa nominatur. Imperatore autem apud Cremonam manente, Paduani, Teruisini, Vincentini, nec non Mantuani in odium Imperatoris fines inuadunt Veronensium, obsidentes castrum, quod dicitur Ripa alta. Igitur Ezelinus vir militaris inter Veronenses maior nunciis missis auxilium implorat Imperatoris: qui respondit, se ipsi personaliter succursurum. Vnde incredibili celeritate à Cremona ad Veronam vnius diei & noctis spatio suam militiam adduxit. Mane facto castra mouit Imperator aduersum hostes. Apparentibus autem signis Imperialibus tam inopinato tempore attoniti sunt hostes, & relictis tentoriis ad propria cursu præcipiti remearunt. Verum Imperator nil credens actum, quum quid restaret agendum, præueniens cursum hostium ad ciuitatem Vincentiam peruenit, & primo incautam & tanquam ciues proprios milites recipientem, licet postea frustra resistentem, cepit & igne incendit, vulgo ad maiorem Ecclesiam confugiente, vt se ibidem saluarent. Tandem incendiis quiescentibus Imperator quiete ciuitatem occupauit, & in domo episcopali pernoctauit.

* *f.* Oeum.

Rebus itaque suis ibidem in Longobardia dispositis, & parte exercitus sui relicta, Imperator regrediens ad Austriam declinat, & apud Viennam nobilem Austriæ ciuitatem hyemando, de statu eiusdem terræ sibi nuper subiugatæ sagaciter ordinat, & suis munit.

Anno Domini MCCXXXVII.

Patriarcha Iacobitarum Orientalium, vir venerabilis scientia, & moribus & ætate, cum maximo comitatu Archiepiscoporum, Episcoporum, nec non & Monachorum suæ gentis venit in Ierusalem. Cui verbum catholicæ fidei fratres ordinis prædicatorum in tantum exposuerunt, vt in processione solenni, quæ in die Palmarum in descensu montis Oliueti fieri consueuit, obœdientiam sanctæ Romanæ Ecclesię iurarent, omnem hæresin pariter abdicantes, & confessionem suam eisdem fratribus tradentes in litteris Chaldæis & Arabicis in testimonium sempiternum. In recessu etiam recepit habitum fratrum prædicatorum. Idem autem Patriarcha præest Chaldęis, Medis, Persis, & Armeniis, quas terras Tartari pro magna parte vastauerunt, & in aliis regnis tantum dilatatur eius prælatio, quod septuaginta prouinciæ ei obœdiunt, in quibus habitant innumerabiles Christiani, serui tamen & tributarii Sarracenis, exceptis Monachis, quos liberos dimittunt à tributo. Secundum eandem formam fecerunt duo Archiepiscopi, vnus Iacobinus de Ægypto, & alius Nestorianus de Oriente: qui tamen suas prælationes & subditos habent manentes in Syria & Phœnice. Idem promisit facere Iafelinus, qui præest omnibus, quos Nestoriana hæresis ab Ecclesia separauit, cuius prælatio per Indiam & per regnum sacerdotis Iohannis & per regna Orienti magis proxima dilatatur. Patriarcha etiam Iacobitarum Ægyptiorum, qui multo amplius errare solent, quam Orientales, quia circumcisionem addunt, prohibita circumcisione & multis erroribus elisis idem facere promiserunt. Huic subditi est maior India, Æthiopia, & Lybia cum Ægypto. Sed & Æthiopes & Lybii non sunt subditi Sarracenis. Marmoritæ qui habitant in Libano, iamdiu ad vnitatem fidei redierunt. Soli autem Greci * nostra sacramenta blasphemantes in malitia perseuerant.

* *c.* 1. *Extrauag. com. De maior. & obed.*

Ante hoc tempus frater Iordanus magister ordinis Prædicatorum rediens à partibus transmarinis naufragio mortem incurrit cum duobus fratribus, & aliis fere x c. & in littore Barbariæ corpus eius est inuentum: vbi Dominus per ipsum glorioſa miracula operatur.

c. 3. *Extrauag. de sent. excom.*

Eodem anno Fridericus Imp. ab Austria ascendit vsque Ratisponam, Principibus apud Spiream ad colloquium euocatis. Vbi cum quidam Principes con-

uenisient,ab eo ad conuiuium inuitantur. Filium etiam suum Cunradum adhuc puerum prius in Austria Regem Teutoniæ designatum, denuo ab ipsis obtinet approbari. Ducatum etiam Austriæ & Stiriæ apud Wiennam Romano Imperio adiecerat,quorum valentia transcendit L x. marcarum millia annuatim. Sed postmodum eundem ducatum Duci Austriæ remisit, cum ipsum in gratiam recepisset.

Eodem anno Templarii transmarini quoddam castrum à Sarracenis obsessum iuxta terram Halapie volentes redimere, quod ad eos pertinebat, voluntate sua completa Halapie terram vastant. Quos Sarraceni in multitudine graui impugnantes, & cum eis congredientes occidunt vel capiunt ex eis circiter centum. Vnde iidem pro redemtione fratrum suorum supplices mittunt literas Imperatori: qui ad eorum petitionem parum dicitur esse motus.

Imperator itaque transiens Alpes statim sibi subiugat Mantuanos, & Comitem de S. Bonefacio. Postea collecto exercitu copioso de Tuscia, de Romaniola, de Longobardia, & pluribus Sarracenis, inuadit fines Brixianorum; & castrum quoddam,quod dicitur Mons clarus iuxta Brixiam obsidet, & captis mille quingentis personis castrum solo coæquat. Inde se mouens plurima castra capit. Tandem eo obsidente castrum, quod dicitur Pons Vici, Mediolanenses cum suis complicibus in manu valida & carrocio suo strenue inuito Imperatori audacter occurrunt & ei resistunt. Sed quum ibi tractaretur de pace, & labor frustraretur, Imperator voluit cum eis dimicare, sed accessum ad eos non habuit propter loca inuia,quæ fuerant interposita & aquosa. Vnde ponte subtiliter facto super Oyum fluuium Imperator transmeat,simulans se recedere,& Mediolanensibus domum redire volentibus occurrit, & eos incautos in castris prosternit. Qui quum acriter resisterent, durauit clades vsque crepusculum. Nox bellum diremit, Armatorum autem circiter quinque millia se circa carrocium coadunant: qui omnes noctu metu Imperatoris fugiunt, carrocio & multis curribus derelictis. Similiter oppidani de oppido,quod dicitur Curtis noua vna,cum eis noctu fugiunt,oppidum relinquentes. Mane facto Imperator castra vacua & carrocium simul cum potestate capit,& ipsum Potestatum Mediolanensium filium Ducis Venetiorum in eodem curru captiuum propter spectaculum cum triumpho Cremonam adducit. Capta sunt autem in hoc conflictu, occisa vel submersa in fluuio Oyo hostium decem millia: Ex parte Imperatoris pauciſſimi perierunt. Imperator carrocium Romam mittit in signum & memoriam huius triumphi.

Natalem Domini agit apud Papiam, & quædam ciuitates in suam veniunt deditionem, Lauda scilicet & Vercellis.

Ipso anno in die beati Albini, grando in quantitate ouorum columbarum, vites,herbas,& segetes plerisque in locis, & præcipue prope Coloniam prosternit. Quidam etiam affirmabant, se vidisse lapidem grandinis in longitudine dimidii cubiti,& spissitudine quatuor digitorum. Vnde etiam grandinem subsecutus in multis locis maxime in Westfalia arbores radicitus eruit, domos destruit, quosdam suffocans homines & iumenta.

Turris, quam venerabilis Archiepiscopus Engelbertus ante castrum Tuorum extruxerat, dolo capitur à fautoribus Palatini.

Hyems remissa ventis,niue,pluuia distemperata.

In eadem hyeme circa purificationem beatę virginis Comes Cliuensis Comite Hollandiæ sibi nauali exercitu sucoursum ferente inuadit fines archiepiscopatus Colonienſis, & castrum Archiepiscopi Haspele prope Ressitum per traditionem Castellani eiusdem castri capit & confringit. Archiepiscopus autem electa manu militari celeriter congregata inopinatus aduolat, hostes propulsurus. Sed mediante Comite Gelrense & instanter supplicante, eundem Comitem Cliuensem in deditionem recipit, abundanti cautione accepta de castri sui longe meliori reparatione & iniuriæ satisfactione.

Per idem tempus infra Quadragesimam in Colonienſi, Treuirenſi, & Moguntina

guntina prouinciis, & maxime in dioceſi Leodienſi plurimæ guerræ emergunt, propter quas incurſus bellorum, deprædationes & incendia multa fiunt.

In fine eiusdem Quadrageſimæ obiit Domnus Henricus Colonienſis Archiepiſcopus.

FINIS ANNALIVM GODEFRIDI MONACHI.

FRIDERICI II. IMP. ROM. ET SICILIÆ REGIS EPISTOLÆ QVÆDAM TEMPORE ſchiſmatis ſcriptæ, necdum editæ:

IN QVEIS ET ALIORVM NONnullæ, ad eadem tempora pertinentes.

I.

FRIDERICVS Dei gratia Rom. Imp. & ſemper Auguſtus dilecto amico ſuo, venerabili Epiſcopo Sueſſionenſi, & Regis Francorum Cancellario ſalutem, cum intima & ſincera dilectione. In veritate audiuimus, quod Rollandus quondam Cancellarius, qui propter fideles noſtros circa Romam non habet nec inuenit, vbi caput ſuum reclinet, periculo maris ſeipſum cum ſuis pſeudoſequacibus commiſerit, vt terram Francigenarum intret, eamq; ſchiſmaticæ prauitatis errore, vtpote manifeſtus Dei & Eccleſiæ ac Imperii inimicus, commaculet & ſpoliet; vt etiam quomodocunque corrodat viginti mille libras, & amplius, vnde creditoribus ſuis debita perſoluat; quia ſub alieno ære valde grauiter ipſe laborat. Rogantes itaque tuam dilectionem intimo & pleno affectu monemus, quatinus prædictum ſchiſmaticum, noſtrum & totius Imperii atrocem inimicum, nullo modo recipias, nec recipi ab alio permittas, Regique Francorum bona fide conſulas, ne ipſum, vel aliquem de ſuis pſeudocardinalibus vel nunciis recipiat. Tantum enim ac tale odium inter noſtrum Imperium & ſuum regnum exinde poſſet oriri, quod non de facili compeſcere poſſemus aut ſedare.

II.

MANVEL in Chriſto Deo fidelis Imperator Porphyro genitus, regnator fortis, excelſus, ſemper Auguſtus, & Autocrator Romæon, Comminos, dilectiſſimo conſanguineo & amico Imperii ſui Ludovvico nobiliſſimo Regi Francorum ſalutem & conſanguineæ dilectionis indiſſolubile vinculum. Ex quo iter, quod propter ſeruitium Domini noſtri Ieſu Chriſti, à vobis peractum fuit, noſtræ vnanimitatis & vnionis cauſa extitit, ex tunc dilectionem veſtram in animo noſtro conſeruatam eſſe non hæſitatis. Quamobrem ſolliciti ſumus addiſcere de nobilitatis veſtræ proſperitatibus. Quoniam autem diuinæ prouidentiæ placuit, tam longinquam ac vetuſtam effectam parentelam noſtram & amicitiam, per aliam propinquiorem conſanguinitatem renouare, & veluti quodammodo repubeſcentem reddere, in eo quod de nobiliſſima prole veſtra Imperium

Paſſagium in Paleſtinam.

noſtrum conſortem ducere decreuit filiam videlicet R. nobiliſſimi Principis Antiocheni, vnius quippe ex honoratiſſimis Imperii noſtri Principibus, quam Imperiali diademate magnifice inſigniuimus; iuſtum eſt deinceps nos & ſcriptis, & internunciis inuicem frequentius viſitari. Quamobrem literas nobilitatis veſtræ ſuſcipientes, in quibus continebatur, quoniam coadunatione Eccleſiarum cæterarumque nobilium perſonarum à vobis tractatum confirmatumque eſt, quaſi iuſtum Papam ſanctiſs. Alexandrum ſuſcipiendum eſſe, quem vos vtique quaſi patrem ſummumque Pontificem ſuſcepiſtis: & ideo noſtro Imperio ſcripſiſtis, quatenus ei condecentem honorem & amorem, vtpote tali tantoque viro exhiberet. Hoc noſtrum vobis imperium reſcribit. Antea quidem addicebat *Imperium noſtrum de ſtatu ſapientiæ ſobrietatisque ipſius; nunc vero tale de ſanctitate eiusdem teſtimonium ſuſcipiens ſcripto tanti viri, qualis vos eſtis, tum præclarę coronæ honore inſigniti, tum fide & veritate decorati, & conſanguinitatis propinquitate & amicitia Imperio noſtro obligati, credibile & receptibile teſtimonium veſtrum decernimus, & condignam reuerentiam ipſius ſanctitati exhibemus, & orationum eius participes fieri optamus. Si autem vobis placet, diligentius de veſtræ nobilitatis, & de ſanctitatis eius voluntatibus per internuncios veſtros iniunctum habentes de omnibus huiuscemodi negotio pertinentibus loqui, & audire, & operam dare his, quæ loquuta fuerint & confirmata, noſtro Imperio inſinuare, paratam inuenient noſtram tranquillitatem ad hoc peragendum. Quoniam vero non per nuncios noſtros apicem iſtum veſtræ nobilitati porreximus, non ob aliud hoc factum fuit, niſi quia nobiliorum hominum immiſſio propter itineris difficultatem in præſenti tempore non facilis, & minorum veſtræ nobilitati & huiuscemodi negotii diſpenſationi indigna videbatur. Etenim non multo ánte nuncius Imperii noſtri ad veſtram nobilitatem miſſus fuit, poſt alios quos præmiſerat. Verum quia per Siciliam tranſire permiſſum ei non fuit, reuerſus eſt. Quapropter venerabili Archiepiſcopo Beneuentino hunc apicem & diſpenſationis in eo contentorum ſollicitudinem committere noſtrum Imperium decreuit, quatenus aut per ſe ipſum, aut per nuncios Imperii mei illuc miſſos, ſi tamen adhuc in partibus illis habentur, aut aliter ipſum veſtræ nobilitati oſtendat. Reſcribere autem & renunciando mittere noſtro Imperio ea, quæ veſtræ ſublimitati placent, ſi volueritis, non pigritemini.

III.

FRIDERICVS Dei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus, dilecto ſuo** Archiepiſcopo, gratiam ſuam & omne bonum. Inter innumeras & tumeſcentes tempeſtatum procellas, quibus iam diu nauicula beati Petri quaſſata, & inter preſſuras diuerſas, quibus ſancta Dei Eccleſia frequenter afflicta & tribulata eſt, tandem verus ille Mediator Dei & hominum IESVS CHRISTVS, qui Eccleſiam ſuam velut vnicã ſponſam proprio charactere ſui pretioſi ſanguinis inſigniuit & redemit, cõſolationis gratiam quã aſcendens in cœlum, fidelibus ſuis repromiſit, inquiens: *Non relinquam vos orphanos, ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi*; euidentibus & manifeſtis declarat indiciis. Ipſe enim ſicut ſtella matutina in medio nebulæ oriens, ſolita pietate Eccleſiam ſuam in tribulatione reſpexit, & ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Pro illa ſiquidem controuerſia, quæ inter nos & Regem Francorum pro ſchiſmate Romanæ Eccleſiæ iam diu agitabatur, aſpirante Spiritus ſancti gratia, quæ facit habitare vnanimes in domo Domini, mediantibus hinc inde legatis tandem pari voluntate, & vnanimi conſenſu inter nos conuenit, quod nos videlicet vna cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Patribus, orthodoxis ac viris religioſis, Baronibus & vniuerſis vtriusque regni Principibus IIII. Kal. Septemb. in die videlicet decollationis Ioannis Baptiſtæ, ſuper fluuium Saonam in epiſcopatu Bizantino conſilium generale pariter celebraturi ſumus, in quo Rex Francorum dilectus conſanguineus noſter cum vniuerſis Archiepiſcopis ſuis, Epiſcopis, & cum omnibus regni ſui Principibus, &

tota

tota Gallicana Ecclesia reuerendum patrem nostrum Dominum Papam Victo- *Victor PP.*
rem, sicut per sacramenta & firmissimas securitates præordinatum est, in Apostolicum & vniuersalem sanctæ Dei Ecclesiæ Pontificem recipiet, & debitam ei exhibebit reuerentiam. Verum quia hoc negotium tam arduum tamq; salubre, & tam necessarium, vbi de reconciliatione sanctæ Dei Ecclesię, & totius Christianitatis in commune agitur, sine tuæ discretionis cęterorumq; Principum ac Christi fidelium præsentia consummari nec debet, nec potest; exoramus te & monemus in ea fide, quam debes imperio & sanctæ Dei Ecclesiæ, & animæ tuæ, quatenus omni occasione summota cum sapientioribus, & magis idoneis & literatis personis tui Episcopatus apud Bisantium IIII. die ante prædictum terminum familiariter, more curiæ, nobis occurras, ad consilium nobiscum processurus. Et quia abundans cautela non nocet, milites tui quos tecum adduces, in armis & clypeis sint muniti. Insuper tentoria deferas, quæ propter domorum raritatem necessaria erunt. Ibi enim per gratiam Dei totum negotium Domini Papę Victoris ad gloriam Dei, & ad pacem, & vnitatem sanctæ Ecclesiæ, & omnimodum honorem Imperii honesto fine terminabitur.

IIII.

FRIDERICVS Dei gratia Rom. Imp. præpotentissimus, à Deo coronatus, magnus & pacificus, inclytus, victor ac triumphator, semper Augustus. Dilecto consanguineo suo Ludovvico eadem gratia Francorum Regi glorioso, salutem & intimæ dilectionis sinceritatem. Postquam diuina clementia, per quam Reges regnant, & Legum conditores iusta decernunt, ad Romani Imperii nos sublimauit gloriam, & ex pacis abundantia (quam mundus dare non potest) feliciter regnandi felicia nobis concessit tempora, desiderio desiderauimus faciem tuam videre, & familiaritatis tuæ perfrui dulcissima alloquutione, sed præpedientibus magnis ac multimodis valde dilacerati Imperii nostri negotiis, quod pia mente concepimus, effectui mancipare non potuimus. Quia vero per legatos tuos, & per epistolam tuam hoc ipsum æque tę optare cognouimus & credimus, non modice gaudemus; sperantes in eo, qui dat salutem Regibus, quod ex nostra salutifera colloquutione, vniuerso orbi pacis & tranquillitatis non modicum, & Ecclesiis Dei emergendi, respirandi, multiplicandi præbeatur incrementum. Sed quod voluntatis bonæ benignum desiderium hinc inde nondum compleri potuit, nec tuæ tarditati, nec nostræ videtur imputandum recessioni. Nunc autem, quia in præcinctu Italicæ expeditionis iam sumus, & Principes Imperii nostri ad eandem vnanimiter intendunt, quo in loco, quo tempore conuenire & colloqui possimus, incertum habemus, nisi forte si completa expeditione vita comes fuerit, super hoc cum Principibus nostris diligentissime ordinabimus. Volumus etiam, vt quod tu de nobis, nos de te sperare semper possimus. Vera enim amicitia nunquam fallit.

V.

FRIDERICVS Dei gratia Rom. Imp. & semper Augustus, dilecto consanguineo suo Ludovvico, Illustri Francorum Regi, salutem, & sinceræ dilectionis affectum. Literas & legatum nobilitatis tuæ, qua debuimus alacritate suscepimus, benigne Imperiales aures accommodantes his, quæ à sinceritate tua nobis nunciata sunt. Placet igitur & sublimitati nostræ, vt inter nos tanquam consanguineos, & inter cognata regna nostra, detersa totius rancoris nebula, sinceræ dilectionis splendor refulgeat; & fœdus amicitiæ (quod facit vtraque vnum) indissolubilem semper conseruet amorem. Sane quæcunque necessaria sunt ad conseruandam inter nos mutuę dilectionis integritatem, cum dilecto consanguineo nostro, fidele tuo H. Comite Trecarum amice & plenarie ordinauimus, & sicut conditum est, inuiolabiliter obseruare curabimus. Datum Papię post destructionem Mediolani, II. Kal. Iunii.

VI.

FRIDERICVS Dei gratia Rom. Imp. & semper Augustus, dilecto suo E.

venerabili Lugdunensi Archiepiscopo & primati Galliarum, gratiam suam & omne bonum. Imperialis nostræ sollicitudinis propositum, quod Lugdunensem Ecclesiã ac ciuitatẽ à diutinis laboribus suis exuere, & in antiquę dignitatis suę statum reformare decreuimus, pro tua fideli erga nos deuotione in pectore nostro incessanter vigilat, quoadusque (Deo opitulante) debitum sortiatur effectum. Vnde & propitia diuinitas, quæ piis omnium consiliis interesse, & ea promouere consueuit, congruam nobis hoc tempore opportunitatem obtulit, vt partes Burgundiæ, immo ipsam ciuitatem Lugdunensem in propria Maiestatis nostræ persona quantocyus adeamus, ac ruinas eius in status sui decorem cooperante Deo erigamus. Comes siquidem Henricus Trecensis quum ad curiam nostram in legatione Domini sui Regis Francorum venisset, & reuerendum patrem nostrum Papam Victorem humili veneratione honorasset, studiose à nobis postulauit, quatenus ad colloquium inter nos & eum Regem habendum accederemus; tantumque huic verbo institit, quoadusque vniuersorum nostrorum Principum consilio, colloquium indiximus IIII. Kalend. Septembris, ad pontem Laone, inter Diuionem & Dolum, quum Archiepiscopis, Abbatibus, aliisque Cleri nostri Prioribus illo venturi. Quia ergo tua diligens prudentia in eodem colloquio nobis plurimum necessaria est, venerabilitati tuæ studiose mandando iniungimus, quatenus ad idem colloquium omnes suffraganeos tuos euoces, & cum vniuersis Prioribus, Abbatibus, & Cleri celebritati omni remota occasione venias, quia nos ibidem diuina gratia promouente, super Ecclesiæ Dei restituenda vnitate, & super Domini Papæ Victoris confirmatione finem imponemus. Interea vero consilium non fuit, vt militiam (prout dictum erat) transmitteremus, quia quæcunque sunt in bellicis rebus agenda seu disponenda, per præsentiam nostram conuenienter adimplere curabimus. Dominus quidem Papa nobiscum aderit, & oportebit propter defectum domorum in tentoriis habitare.

VII.

FRIDERICVS Dei gratia Rom. Imp. & semper Augustus fideli suo M. Duci Lotharingiæ gratiam suam & omne bonum. Quoniam in schismate, quod est in Romana Ecclesia, vniuersus orbis in se ipsum diuisus est, & tota Christianitas non modica turbatione concutitur, nos tota animi compassione sanctæ Dei Ecclesiæ doloribus condolemus, totius consilii & auxilii propensiorem curam & sollicitudinem adhibere cupientes, vt totius dissensionis discrimine sublato, Ecclesia Dei, sicut in vnitate fidei, ita sub vnius pastoris regimine in vnum ouile congregetur. Inde est, quod ex consilio Principum cum dilecto consanguineo nostro Ludovvico Illustri Rege Francorum IIII. Kalend. Septembris, in die videlicet decollationis sancti Iohannis Baptistæ, super fluuium Saonam consilium celebrare statuimus: in quo (aspirante Spiritu sancto, qui facit vnanimes habitare in domo Domini) speramus, vt Ecclesiasticæ pacis & vnitatis status reformetur, & Dominus Papa Victor Apostolicæ sedis gubernacula debeat obtinere. Verum quia hoc negotium tam arduum, tamque salubre, & tam necessarium, vbi de reconciliatione sanctæ Ecclesiæ, & salute totius Christianitatis in commune agitur, sine tuæ discretionis præsentia consummari nec debet, nec potest; exorantes commonemus te in ea fide, quam debes Imperio & sanctæ Dei Ecclesiæ, & animæ tuę, quatinus omni occasione summota apud Bisantium quarto die ante prædictum terminum familiariter, more curiæ, nobis occurras, ad consilium nobiscum processurus.

VIII.

FRIDERICVS Dei gratia Romanus Imperator & semper Augustus, dilecto fideli & consanguineo suo Henrico Comiti Trecarum gratiam suam, & omne bonum. Cunctis populis quos clementiæ nostræ regit Imperium, iam dudum innotuisse credimus, qualiter exorta quondam inter Ecclesiæ Romanæ Cardina-

Cardinales de Apostolatu discordia, in Reges & regna impetu pestifero est diffusa, pro qua ad optabile pacis bonum reuocanda, quantos post beatæ memoriæ Papæ Victoris electionem ac confirmationem catholicam, Papiæ, Laudæ, Mediolani, Laone, atq; in diuersis Imperii finibus, in corpore nostro labores tam nos quam inuicti Principes nostri pertulerimus, quantas rerum copias zelo iustitiæ impendimus, in extremis quoque mundi partibus iam auditum non dubitamus. Denique beatissimo Papa Victore ad Paradisi gaudia assumpto, & in eius locum ab Episcopis Cardinalibus almæ sedis Apostolicæ, Domino Paschali viro Christianissimo in præsentia Episcoporum & religiosorum Lombardiæ ac Tusciæ, illustris quoque Præfecti Vrbis Romæ ac multorum nobilium Romanorum Catholicè substituto, ipsum etiam Dominum Paschalem, ex Ecclesiæ ac Principum imperii iudicio, atque consilio in Papam & patrem Catholicum solenniter recepimus, debitoq; honore venerari semper intendimus. Proinde obstinata schismaticorum perfidia, mortem viri iusti suis successibus aperta fronte adscribens, Syreneis suis blanditiis fidelium quorundam nostrorum animos adeo molita est de nouo immutare, vt nisi morbis nouis noua maturius remedia obiicerentur, pars nostrorum non modica videretur ex fiducia nostræ lenitatis seducenda. Igitur zelo reformandi decoris domus Dei ardentius accensi, eum Regem Francorum (qui nulla nostra culpa præeunte, vna cum Rulando Imperii nostri hoste publico eiusque sequacibus Imperialem nostrum honorem manifeste molitur auferre) post multos nostros ammonitus irreuocabilem persensissemus, vniuersis Imperii nostri Principibus in sancto Pentecostes curiam generalem Wirzeburc indiximus, quorum cœtu celeberrimo ibidem solenniter præsidente, Ecclesiæ Dei statum ac Domini Paschalis Papæ negotium serio ac magnifice duximus roborandum. Inuocata igitur deuotissime Spiritus sancti gratia, & vniuersorum qui aderant consilio communicato, ad remouendam pro parte nostra omnem ambiguitatem ipsi nos manu propria super sanctorum reliquias iuramentum publice præstitimus, quod Rollandum schismaticum, vel eius successorem, quem pars ipsius elegerit, in Papam nunquam recipiemus, nec ad eum recipiendum assensum vnquam alicui præbebimus.

Paschalis pp.

Nulli etiam fautorum eius gratiam nostram vnquam rescindemus, nisi ab errore viæ suæ ad vnitatem Ecclesiæ suæ fuerit conuersus. Dominum vero Paschalem Papam manu tenebimus semper atque promouebimus, eique tanquam patri Catholico & vniuersali Pontifici, obedientiam, honorem, ac reuerentiam exhibebimus, & ab ipso eiusque parte (vita comite) nunquam recedemus, Electos quoque qui sub eo aut eius successore, quem pars ipsius elegerit, consecrationem receperint, honore aut ordinibus suis pro eius obedientia priuari nunquam permittemus, & huius absolutionem Sacramenti nunquam requiremus, nec oblatam recipiemus. Præterea noster in Imperio successor, quem Principes vniuersi elegerint, hunc honorem Ecclesiæ Dei & Imperio, & hanc partem nostram sub eodem iuramento tuebitur semper atque tenebit. Idem quoque iuramentum Archiepiscopi omnes & Episcopi, atque Electi, qui interfuerunt numero XL. super sancta Dei Euangelia manu propria, vnusquisque sub stola sua præstiterunt, & publice firmauerunt. Nihilominus Principes seculares vniuersi, Dux videlicet Saxoniæ, ac Bauarus, Marchio Albertus senior, Conradus Palatinus Comes de Rheno, & Ludouicus Landgrauius, & reliqui omnes super Sanctorum reliquias publice ad ipsum iurauerunt. Repente autem spiritus sanctus mentes omnium adeo fecit vnius voluntatis, qui electi omnes qui præsentes aderant. Primo Reinoldus Colonienſis electus, & Italiæ Archicancellarius, deinde cæteri omnes in Sabbatho quatuor Temporum, ad laudem Dei & honorem Imperii sacros ordines deuotissime susceperunt.

Firmiter quoq; à nobis, & ab vniuersis decretum est, vt quicunq; supersunt ordinandi in proximis quatuor temporibus similiter exequantur: alioquin dignitatis ad quam electi sunt, honore omni remota dilatione priuentur. Ad hoc

honorabiles legati illustris amici nostri H. glorioſi Anglorũ Regis, ad nos ab ipſo transmiſſi, in totius curiæ noſtrę præſentia, ſuper ſanctorum reliquias ex parte Regis Angliæ publice nobis iurauerunt, quod Rex ipſe cum toto regno ſuo in parte noſtra fideliter ſtabit, Dominum Papam Paſchalem, quem nos tenemus, tenebit: De Rollando autem ſchiſmatico manutenendo nullatenus de cætero ſe intromittet.

Quia vero iuſtitiæ quam hoſtes Eccleſiæ ac noſtri, ſiue ſuperbia, ſiue ex cauſæ ſuæ diffidentia deuitauerunt, nos ſemper hactenus ſtare parati, nunc tandẽ ad inſolita Sacramenta, ex eorum manifeſta obſtinatione ſimus impulſi, à ſchiſmaticorum communione omnis homo, omnis ordo caueat. Fauor enim illorum etſi aliquomodo viſus eſt venialis, in poſterum prorſus erit irremiſſibilis. Ad perfectum vero huius negotii firmamentum ex totius Herbipolenſis concilii decreto firmiſſime præcipimus, vt ſi quis ad ſui mandatum antiſtitis, aut præſidis Prouinciæ, vel Domini ſui, Sacramentum ſupra dictum non præſtiterit, ſi Clericus ſit aut Monachus, Eccleſiaſtico priuetur honore, ſi Laicus, allodia & beneficia quæcunque poſſidet, noſtra ipſi auctoritate à ſuo iudice vel Domino prorſus adimantur.

IX.

Reinoldus Colon.

DILECTO Domino & amico venerabili Sueſſionenſi Epiſcopo, & regni Francorum Cancellario R. Dei gratia Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ electus, & Italici regni Archicancellarius, ſalutem & intimæ dilectionis deuotũ obſequium. Toto mentis veſtræ deſiderio ad Domini veſtri, Regis Francorum honorem promouendum vos anhelare cognoſcimus. Quia vero nihil eſt, ex quo regalis eius dignitatis gloria magis quam ex Imperatoriç maieſtatis amicitia proficere valeat, diſcretionem veſtram attentius rogamus, & omnia dilectioni veſtræ conſulimus: quatenus ad hoc toto anniſu totisq; viribus intendatis atque cooperemini, vt ad catholicæ fidei vnitatem Chriſti fidelium reſipiſcere queat vniuerſitas, & in colloquio inter Dominum meum ſerenum Auguſtum, atque Dominum veſtrum illuſtrem Francorum Regem habendo, ea quæ pacis ſunt & concordiæ feliciter pertractentur.

X.

PRÆNOBILI Domino Ludouico glorioſo Regi Francorum R. Dei gratia ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ electus, & Italiæ Archicancellarius, ſalutem & affectum cum ſincera dilectione obſequium. Acceperamus in mandatis à Domino noſtro inuictiſſimo Romanorum Imperatore, vt vobis & Regi Anglorum cõmuniter & ſimul loqueremur, & ſuper negotio Eccleſiæ vniuerſalis, & pro ſuccurſu periclitantis Eccleſiæ orientalis. Sed quoniam peccatis exigentibus, tum Rege Anglorum difficultatem temporum prætendente, tum ẽt anguſtia temporis nos artante, ad vos ad præſens non valemus accedere, obnixe vos rogamus, ne ſiniſtre verbum hoc accipiatis, & nec pro contemptu nec pro ſuperbia ſeu negligentia aliqua, ſed pro mera neceſſitate nos hoc tempore à deſiderato diu veſtro colloquio noueritis abſtinere. Tantam enim moram penes Regem Anglorum pro negotio eodem fecimus, quod ad præfixum nobis terminum vix ad Dominum meum poterimus peruenire. Sed nec imperatum nobis fuerat, ad vos ſine rege Anglorum accedere. Proinde quam ad ſeruitium veſtrum quantum ſalua Domini mei & Imperii Romani fidelitate poterimus, corde, rebus & corpore parati ſumus, nobilitatem veſtram inſtanter exoramus, & artiſſime commonemus, quatenus memor eius, quæ inter Dominum meum Principem ſereniſſimum & vos eſt conſanguinitatis, ipſum & Imperium Romanum taliter tractare curetis, ne coronam & omnem honorem eius violenter demoliri velle videamini, nominatim, Rollandum hæreticum & ſchiſmaticum, publicum videlicet hoſtem Imperii Romani fouendo ac manu tenendo. Cæterum noueritis, quod Dominus Imperator, peracta imminenti eius curia, ſtatim aut per nos, aut per alios magnos legatos vos viſitabit, per quos & de negotiis propriis, & de neceſſitatibus Eccleſiæ Orientalis altius vobiſcum deliberet atq; pertractet.

FRIDE-

XI.

FRIDERICVS Dei gratia Rom. Imperator, ſemper Auguſtus, dilecto & fideli ſuo Henrico Comiti Trecarum, gratiam ſuam & omne bonum. Audiuimus,(vnde plurimum grauamur & dolemus) quod Rex videlicet Franciæ in proximo feſto S. Iohannis terram Ducis Diuionenſis noſtri dilecti, & noſtri obligati,hoſtiliter intrare atque deſtruere proponit. Quod nos nulla ratione poſſumus aut debemus ſuſtinere. Vnde tuam dilectionem,cui plenarie confidimus,toto affectu ſollicitamus, & ſummopere poſtulamus,quatenus pro noſtro amore ipſum Regem ab hoc propoſito modis omnibus retrahas &impedias,& ne per te vel per tuos ipſi Duci aliquod damnũ vel grauamen proueniat, te ipſum à conſilio & auxilio Regis ſubtrahas,nec Duci noceas. Quod ſi Rex ipſe ab hac intentione deſiſtere vel ſuperſedere noluerit, ſcias pro certo quod non patiamur nec ſuſtinebimus,immo ei reſiſtendo amicum noſtrum Ducem cum toto robore Imperii noſtri iuuare curabimus & defenſare. Veruntamen ſi inter Ducem & matrem eius aliqua quæſtio, quæ tendit ad diſcordiam, orta eſt vel fuerit,nos vna tecum ad eandem quæſtionem componendam ſatis ex abundanti ſufficere poſſumus.

XII.

GLORIOSO & magnifico Ludouico Regi Francorum,Chriſti Dei gratia Imperialis Curiæ Cancellarius, & legatus Italiæ ſalutem & ſeruitium ſuum. Ratio ſuggerit & Principum conſuetudo depoſcit, vt quemadmodum regni veſtri negotiatores per Romanum Imperium pace & ſecuritate fruuntur, ita verſa vice noſtri nullatenus ſub veſtra iurisdictione lædantur. Quia igitur Maſconenſis ViceComes quoſdam noſtros mercatores iniuſte exſpoliauit,& vnum ex eis in captiuitate retinet compeditum,petimus & ex parte Auguſti ſereniſſimi veſtrã excellentiam commonemus, vt hominem & res detentas reddi faciatis. Alioquin *Repreſalia.* ſi damna illiusmodi per veſtros negotiatores fuerint reſarcita, aut ſi nouum teloneum ad damnum reſarciendum ſuper veſtros mercatores fuerit conſtitutũ, veſtra diſcretio non grauetur.

XIII.

REGI Franciæ,Ludouicus Dei gratia Landgrauius deuotum ſeruitium cum ſincera dilectione. Quod hactenus nullam veſtri notitiam habuimus ſatis moleſte ferimus, ſuper quod Maieſtati veſtræ deinceps ſeruitiis noſtris tam iocoſis quam ſeriis notificari volumus,& veſtræ voluntati ſuper omnia reſpondere cupimus. Filios enim meos omnes literas diſcere propoſui, vt qui maioris ingenii, nec non maioris inter eos notaretur diſcretionis,in ſtudio perſeueraret. Ex his vero duos ad præſens nobilitati veſtræ mittere propoſui, vt veſtro iuuamine nec non veſtra defenſione Pariſiis ſtabilius poſſent locari. Ita tamen vt ſalua pace veſtra,pro diſcordia quæ eſt inter vos & Imperatorem,hoc ſecure peragere poſſim. Sicut enim abſque medio hamus & capit & capitur, tali modo ſcimus quod quicquid ſuper hoc nobis mandaueritis, illud omni dubio remoto aggredi audemus, quia non hoc immutabitis.

XIIII.

EXCELLENTISSIMO Regi Francorum Ludouico, H. Dei gratia Dux Bauariæ atq; Saxoniæ,intimum ſeruitium cum ſinceriſſima dilectione, Domine & vos & omnia quæ penes vos ſunt penitus ad velle Dei ſtare,& omni proſperitate & virtute florere intimo corde adoptamus,&nos ad omne præceptum veſtrum ſemper paratos eſſe certum habetote,idque rogo de nobis exiſtimate,quod de intimo & fideliſſimo amico veſtro. Excellentiæ veſtræ ingentes gratiarum actiones referimus quod fideliſſimi veſtri filium, quem per præſentem portitorem literatum dilecti Maieſtati veſtræ transmiſimus, vti decuit virtutem veſtram, & clementes accepiſtis, & clementius hactenus tenuiſtis. Vnde(vt verum fatear) perennem in corde meo pepigiſtis manſionem. Rogo igitur excellentiam veſtram, ſub reſpectu totius ſeruitii noſtri, & bona memoria intimæ amicitię, vt ſi quid in omni ditione mea eſt, quod excell. veſtræ placeat, ipſe imperetis,& ſi quos habetis pueros, quos vel terram noſtram, vel linguam addiſcere vultis, nobis trans- *Heinricus Dux.*

mittatis, in quibus hilare & abunde vobis ostendemus, quam gratam acceperimus virtutis vestræ beneuolentiam. Igitur quæ bono iam celebrata sunt studio, optimo rogo peragantur exitu, & iam præfatum puerum, & præsentem nunciũ nostrum omni occasione posthabita per regnum vestrum auctoritate vestra conduci præcipientes, eos nobis transmittatis.

XV.

SANCTISSIMO patri & Domino Alexandro Dei gratia summo Pontifici, Ludouicus eadem gratia Francorum Rex salutem & debitam reuerentiã. Archiepiscopus Remensis H. frater meus nuper in Flandriarum terram profectus ibi inuenit homines deprauatos, erroris pessimi sectatores, in Manichæorum lapsos hæresin, qui vulgo populicani vocantur, & per quasdam obseruantias, quas habent, meliores apparent quam sint. Et si forte prosperati fuerint, dispendium magnum erit nostræ fidei, præsertim in partibus illis vbi iniquitas pullulauit, & radices altius fixit. Si voluisset Archiepiscopus solummodo vt parceret iniquis istis, & toleraret prauitatem hanc, pro huiusmodi redemptione habuisset pecuniam magnam nominatam, videlicet sexcentas argenti marchas. Quia apud eum non patebat illud refugium, proclamauerunt ad audientiam nostram, sed rem tam venenosam, tam pernicioſam attendat diligentius vestra sapientia, & velitis vt tanta pestis potius euellatur quam pullulet. Precamur itaq; attentius pro honore fidei Christianæ, vt ex consilio Archiepiscopi carissimi filii vestri rem prouenire sinatis, vt illi scilicet destruantur qui contra Deum eriguntur: & seueritas in tales cõmendabilis erit, apud omnes qui in patria illa pietatis amatores sunt. Et si aliter egeritis, non expedit fidelium mentibus, quorum murmur non sedabitur facile, & in blasphemiam vestram & sanctæ Romanæ Ecclesiæ ora quamplurimorum aperietis. Valete.

Populicani hæretici.

XVI.

GLORIOSISSIMO & victoriosissimo Dei Gratia Francorum Regi Ludouico, B. Dux Burgundiæ, cum deuotissimo seruitio fidelissimã delectionem. Probatissimæ & indefessæ fidei vestrę, & benignitatis quam omnibus tam alienis quam consanguineis secundum regalem munificentiam vestram exhibere consueuistis, nos quoque immunes nequaquam existere, eo quod de eodem sanguine (si vestra excellentia non dedignatur) descendimus, plurimum cõfidimus: nos quoque per omnia prout volũtas vestra nobis iniunxerit, seruire vobis & obsequi absque omni exceptione parati sumus. Proinde super hoc quod Imperator noster secundus, potius vero Ecclesiarum legumque destructor, vobis regnoque vestro ex fastu suæ animaduersionis tam minaces terrores incutere molitur, si quandoque (quod absit) minas suas ad effectum perducere voluerit, vestra nouerit serenitas & certissime sciat, nos cum omnibus amicis & fidelibus nostris necnon cum aliquibus etiam maioribus Teutonicis Principibus, quorum plures pro nostro amore, vel ex consanguinitatis debito, plures etiam ex Imperatoris odio, fautores habebimus, vestræ parti consilio & auxilio, prout discretio vestra dictauerit, deuotissimos esse & paratissimos. Nacta igitur opportunitate dilectissimum fratrem nostrum Radulfum non qualitercunque, sed canonica electione (quod vos latere non credimus) in Archiepiscopatu Moguntino inuestitum, sed à præfato Imperatore nostro (qui ob nostri generis odium alium superintrusit) valde aggrauatum gratiæ vestræ manu tenendum transmittimus & committimus, plurimũ deprecantes, vt in omnibus negotiis ipsius, & apud Dominum Papam Alexandrum & vbiq; prodesse velitis, vt quandoq; per vestram & Apostolicam auctoritatem restitutus & stabilitus, nos & ipse cum omni parentela nostra & amicis tantis beneficiis vestris condigne respondere possimus, & eo deuotius, quanto vos in ipsius auxilio benigniorem exhibueritis. De cætero vero quicquid idem frater noster vobis viua voce ex persona nostra retulerit, nobiscum ratum & firmum absque omni ambiguitate noueritis.

CHRONICÆ

CHRONICÆ AVSTRALIS ANTIQVAE EXCERPTVM PER MATTHEVM MARESCHALCVM DE BAPPENHEIM, I. V. D. ET CANON. AVG. AB ANNO DOMINI DCCCLII. vsq; ad annum MCCCXXVI.

DCCCLII.

CORPVS S. Martini de tumulo leuatur.

DCCCLV.

Hiltigard regina obiit. Lotharius Imperator obit. Pro quo filius eius Ludouicus Imperator cum fratre Lothario ann. XIX. *LVDOVI. cus II. Imp.*

DCCCLX.

Maginhardus eremita martyrizatur.

DCCCLXII.

Hunni Christianitatis nomen aggressi sunt.

DCCCLXIII.

Translatio S. Othmarii in basilica S. Galli.

DCCCLXVIII.

Lotharius Rex Ludouici frater obit, & Carolus Rex Galliarum regnum eius inuadit.

DCCCLXIX.

Ludouicus Imperator de solario cecidit.

DCCCLXX.

Ludouicus & Carolus pacificantur.

DCCCLXXI.

Wormatium fulminis ictu crematur.

DCCCLXXIV.

Ludouicus Imp. obiit, & Carolus Rex Galliarum Romam peruenit.

DCCCLXXV.

Ludouicus Rex Germaniæ obiit. Bellum in Triburia inter Ludouicum & Carolum committitur.

DCCCLXXVI.

Carolus iunior filius Ludouici cum fratribus Carolomanno & Ludouico ann. XII. *CAROlus Caluus Imp.*

DCCCLXXVII.

Papa Iohannes in Franciam venit. Galliarum Rex obiit.

DCCCLXXIX.

Ludouicus Balbus filius Caroli obiit. Ludouicus viuente fratre suo Carolomanno Bauariam ingreditur. Carolomannus moritur.

DCCCLXXX.

Carolus iunior cum vxore sua Richarda Imperiali benedictione sublimatur. *CAROlus Crassus Imper.*

DCCCLXXXI.

Ludouicus Rex Francorum Caroli frater obiit.

Carolus

DCCCLXXXVII.

ARNOL fus Imp. Carolus Imperator regno priuatur.

DCCCLXXXVIII.

Arnolphus filius Carolomanni, ann. XI. Carolus iunior Imperator obiit.

DCCCXC.

Arnolphus Rex exercitum Nordmannorum prorsus deleuit.

DCCCXCI.

Ratispona Bauariæ vrbs incendio flagrat.

DCCCXCII.

Cœnobium S. Emerani Ratisponæ ab Arnolpho Cæsare fundatur.

DCCCXCIV.

Arnolphus Italiam Burgundiamq; suo regno subiicit.

DCCCXCVI.

Arnolphus Rex Romam veniens Imperator efficitur.

DCCCXCVII.

Magna fames homines se inuicem comedere persuasit.

DCCCXCIX.

Arnolphus Imp. obiit. Gentes Pannonicæ Italiam depopulantur.

DCCCC.

LVDOVI- cus III. Imp. Ludouicus filius Arnolphi admodum puer XII. annor. Vngari Bauariam intrant, plusquam mille ex eis occiduntur, & Gunebaldus filius Arnolphi occiditur.

DCCCCI.

Vngari Carinthiam inuadunt, & in sabbato pugna commissa occiduntur.

DCCCCIII.

Vngari amarius occiduntur: Beriger, Reinolt, Gerat occiduntur.

DCCCCVI.

Pugna inter Adelbertum & Conradū committitur, in qua Conradus * germani fratres occiduntur.

DCCCCVII.

Adelbertus perfidia Hattonis Archiepiscopi & cuiusdam Leupoldi deceptus, Ludouico iubente decollatur. Bauari ab Vngaris occiduntur.

DCCCCVIII.

Vngari Saxoniam & Thuringiam vastant. Leupoldus occiditur.

DCCCCIX.

Vngari Saxoniam, & Thuringiam & Alemaniam petunt. Bellum Francorum cum Vngaris.

DCCCCXI.

Ludouicus Rex obiit. Burcardus Dux occiditur.

DCCCCXII.

CONRA- dus Imp. Conradus filius Conradi in regnum eleuatus est, regnans annis VII.

DCCCCXIII.

Vngari à Bauaris & Alemannis iuxta fluuium Einum * occiduntur. Come- * al. Oenū. tæ videntur. Vngari Alemaniam depopulantur.

DCCCCXVII.

Basilea ab Vngaris destruitur. Vngari Alemanniam, Alsatiam, & regnū Lotharii inuadunt. Burcardus Dux Alemanniæ constituitur.

DCCCCXVIII.

Conradus Rex obiit.

DCCCCXIX.

HENRI- cus Aucup. Imper. Heinricus Comes Dux effectus regit annis XIX. Burcardus Dux Alemaniæ Rodolphum regem pugna vicit.

DCCCCXX.

Carolus Rex Galliæ in Franciam venit.

Sanguis

DCCCCXXIII.

Sanguis Domini in Augiam insulam defertur.

DCCCCXXIV.

Wilberada ab Vngaris martyrizata est. S. Vdalricus Augustæ Episcopus ordinatur.

DCCCCXXVII.

Vngari totam Franciam, Alemanniam, Alsatiam, Galliam gladio & igne vastant. Burcardus Dux occiditur, Heremanno Alemannia committitur. *Hic orditur Austriamar chionatum Cuspinia-num.*

DCCCCXXXI.

Hainricus Rex Boemiam petit.

DCCCCXXXII.

Hainricus Regem Abotridorum & Nordmannorum Christianos facit.

DCCCCXXXIV.

Hainricus Vngaros in Sirbia interfecit.

DCCCCXXXVII.

Hainricus Rex obiit.

DCCCCXXXVIII.

Otto magnus Hainrici filius ann. XXXVII. Vngari Franciam, Alemanniam, Galliam vsq; Oceanum & Burgundiam vastantes, per Italiam redeunt. *OTTHO M. Imp.*

DCCCCXXXIX.

Hainricus frater Ottonis ab Eberardo Alsatiæ Comite comprehensus est.

DCCCCXL.

Giselbertus & Adalbertus occisi sunt, & Episcopi in fugam lapsi sunt.

DCCCCXLI.

Otto Rex Gallias petit.

DCCCCXLIII.

Otto Rex & Ludouicus pacificantur.

DCCCCXLIV.

Vngari cum Bauaris pugnant, & vincuntur.

DCCCCXLVI.

Otto Rex Gallias ingreditur.

DCCCCXLVIII.

Bertolfus Bauarorum Dux obiit. Cui Heinricus frater Ottonis successit.

DCCCCXLIX.

Synodus XXX. Episcoporum apud Ingelenhaim coram Ottone & Ludouico regibus congregatur. Herimannus Alemannorum Dux obiit. Pro quo Luitolphus Ottonis filius.

DCCCCLI.

Otto Rex Italiam petit, eamque sibi subiicit, & Beringerum Regem expulit.

DCCCCLII.

Synodus XXV. Episcoporum coram Ottone Rege colligitur.

DCCCCLIII.

Berengerus apud Augustam Ottoni ad benedictionem venit. Et Otto vna cum filio Italiam intrat, ac regales nuptiæ Papiæ factæ sunt.

DCCCCLIV.

Luitoldus Dux Ottoni patri suo rebellat, Adalbertus Comes occiditur. Vngari Noricam, Franciam, Italiamq; petunt.

DCCCCLV.

Vngari totam Bauariam depopulantes, iuxta Augustam vrbem (Deo iuuante) ab Ottone rege magna cæde necantur. IV. Idus Augusti Hainricus Dux obiit.

DCCCCLVI.

Leutoldus Dux hostiliter Italiam inuasit.

DCCCCLVII.

Leutolfus Dux Adalbertum bello vicit, & ipſe eodem anno obiit. Pro quo Burcardus Dux conſtituitur: Is Comes de Heluanſtain natus.

DCCCCLXII.

Otto Rex Romam veniens Imperator efficitur.

DCCCCLXIV.

Otto Rex natalem Domini Romæ celebrat.

DCCCCLXV.

Otto Imperator Italia rediit. Burcardus Dux in Italia rebelles Cæſari vicit. Hic Burcardus primo in vxorem habuit Leutgardam ſororem S. Vdalrici Epiſcopi Auguſtenſis, Comitis de Kiburg, deinde duxit filiam fratris Ottonis in vxorem.

DCCCCLXXII.

Synodus apud Ingelenhaim propter Adalberonem S. Vdalrici nepotẽ colligitur.

DCCCCLXXIII.

Hic incipit Chronica Auguſten. S. Vdalricus Auguſtenſis Epiſcopus anno ætatis ſuæ LXXXI. in Epiſcopio vero LIV. non. Iulii feria ſexta migrauit ad Dominum. Eodem anno pius Imperator Otto Non. Maii obiit. Burcardus Dux obiit. Leutolfi filius Otto regnauit in Sueuia.

DCCCCLXXIV.

OTTHO II. Imp. Otto ſecundus Ottonis Magni filius, regnat annos decem.

DCCCCLXXVI.

Diſſenſio inter Ottonem Imp. & Hainricum Ducem Bauariæ, oritur, filium fratris ſui.

DCCCCLXXVIII.

Otto Imperator contra Lotharium Regem Gallias inuadit. Hainricus & æquiuocus eius Duces, & Hainricus Auguſtæ Epiſcopus capti ſunt, in exilium miſſi.

DCCCCLXXXI.

Otto Imperator Neapolin venit.

DCCCCLXXXII.

Otto Imper. apud Calabriam occiſo exercitu ſuo à Græcis & à Sarracenis, de naui exiliens aufugit, & Otto Dux obiit. Conradus ſucceſſit.

DCCCCLXXXIII.

Otto Imp. Romæ obiit VI. Idus Decemb. & ibi ſepelitur.

DCCCCLXXXIV.

OTTHO III. Imp. Otto tertius Ottonis ſecundi filius, admodum puer, annis XVIII.

DCCCCXCI.

Theophania Græca Imperatrix, mater Ottonis regis, anno viduitatis IX. obiit.

DCCCCXCIV.

Conrado Rege Burgundiæ mortuo, Rudolf filius eius ignauus ſucceſſit.

DCCCCXCV.

S. Wolfgangus Epiſcopus Ratiſponenſis, natione Sueuus, Comes de Phullingen natus.

DCCCCXCVII.

Hainricus Dux Bauariæ filius Hainrici obiit. Conradus Dux obiit. Pro quo Hermannus ſucceſſit in Sueuia.

MI.

Otto Imperator in Italia X. Kal. Feb. obiit, & inteſtina eius Auguſtæ, & reliquum corpus Aquis ſepelitur Grani.

Hainricus

MII.

Hainricus Dux Bauariæ, Rex effectus, regnauit annis XXII. *HEINRICVS II. Pius Imp.*

MIII.

Hainricus Rex Hainricum Marchionem & alios sibi resistentes cum exercitu petiit.

MIV.

Hainricus Rex Italiam, Boemiam, & Bolizlaum Ducem Sclauorum, cum tota gente sua subiugauit. Herimannus Dux obiit, pro quo filius eius puer Hermannus successit in Sueuia.

MVII.

Episcopium Babenberg ab Hainrico Rege constituitur, & Eberhardus ibi Episcopus ordinatur.

MVIII.

Leutolfus Treuerensis Archiepiscopus obiit, & Episcopatum eius Adelbero frater reginæ sibi vsurpare quibusdam contra Regem fauentibus molitur, sed à Rege conuicti Megingando Episcopium reliquerunt.

MX.

Wolfradus Comes de Voringen IV. Non. Martii obiit. Willigisus Moguntinensis Archiepiscopus obiit: pro quo Erkinbaldus. Theodericus Dux a Lotharijs captus est.

MXII.

B. Colomannus martorizatus est, & suspensus est apud Stocheravve, Herimannus Dux iunior obiit. Conradus Dux obiit Franconiæ.

MXIII.

B. Colomannus sepultus est in eodem loco.

MXIV.

B. Colomannus à Megingando Hebenstatensi Episcopo in Medelicha sepultus est. Hainricus Romę imperiali benedictione coronatur à Bonifacio * Papa. ** al. Benedict.*

MXV.

Ernest Dux in venatu ab Adelberone Comite sagitta occiditur.

MXVII.

Godefridus Dux Gerhardum vicit Comitem, fratrem Adelheidis comitissę Alsatiæ.

MXIX.

Conradus puer auxiliante patruele suo Rex fit Romanorum. Conradus postea Imp. Adelberonem Ducem pugna vincens fugauit.

MXX.

Benedictus Papa Babenberg veniens, Ecclesiam S. Stephani dedicauit. Werinharius Argentinæ Archiepiscopus cum Alamanis contra Burgundios pugnauit ac vicit.

MXXII.

Hainricus nouam Troiam cepit, & magna in exercitu mortalitas facta est. Hochegertus magister obiit.

MXXV.

Hainricus Imper. III. Id. Iulii obiit, in Babenbergensi Episcopio à se facto: in monasterio S. Petri sepelitur. Conradus Rex filium suum Hainricum Regē fecit, & ipse Romam veniens Imperator efficitur. Bruno Augustensis Episcopus, & Welph Comes, prædas & incendia inter se faciunt. *CONRADVS II. Imp.*

MXXVI.

Conradus Imp. pene ann. XV. regnat. Magna dissensio in regno contra Conradum efficitur.

MXXVIII.

Ernest Dux, & Welpho Comes, Conrado Imperatori ad deditionē veniunt.

MXXIX.

Conradus Imp. perrexit in Poloniam.

MXXX.

Conradus Imper. Stephanum Pannoniæ Regem cum exercitu petit. Interea Ernest Dux, & Werenharius Comes in Alemania occiduntur, XVI. Kal. Septemb.

MXXXI.

Stephanus missis legatis cum Imperatore Conrado pacificatus est.

MXXXII.

Rudolfus Rex Burgundiæ moriens, diadema suum Conrado Imperatori commisit.

MXXXIII.

Conradus hyeme Burgundiam petit, & occidentalem Franciam contra Ottonem petit.

MXXXV.

Conradus iterum Burgundiam vastat. Pagani Saxoniæ confinia petunt. Pagani (qui Leutici dicuntur) in confinio Saxoniæ multis Christianis occisis & captis obtinent. Quos Conradus Imperator cum exercitu petit.

MXXXVI.

Italia ciuium discordia laborat. Nuptiæ Hainrici regis. Pagani supra dicti Conrado Imperatori vectigales facti.

MXXXVII.

Conradus Cæsar Italiam cum exercitu petit, & Mediolanensem Archiepiscopum misit in custodiam, qui fuga lapsus cum aliis quam plurimis eidem Imperatori rebellat.

MXXXVIII.

Elisdrud (quæ & Hiltimilda) regina vxor Hainrici regis XV. Kal. Augusti, & Hermannus Dux V. Kal. Augusti in Italia cum multis aliis obiit. Stephanus Rex Vngarorum bonæ memoriæ obiit. Cui Petrus succedit.

MXXXIX.

Conradus Imper. II. Non. Iunii obiit, & apud Spiram sepelitur. Conradus & Albero Dux obiit.

MXL.

HENRICVS III. Imp. Conradi filius Heinricus, regnat annis XVIII. Hainricus Rex Boemiam bello petit, sed multis proceribus & militibus in præstructione syluæ citra & vltra occisis vel captis, nihil dignum efficere potuit.

MXLI.

Vngari quendam Ouonem sibi eligentes Regem, Petrum Regem suum expellunt. Hainricus Rex Vngariam ingressus cum exercitu, igne prædatur & cuncta vastat.

MXLII.

Adalbertus Marchio & filius eius Leupoldus maximam partem exercitus Ouonis deleuit. Hainricus Rex iterum Vngariam sibi subiecit.

MXLIII.

Gisela Imperatrix, mater Hainrici regis, XVI. Kal. Martii obiit. Hainricus rex tertio Pannoniam petens, Vngaros per iusiurandum subiugauit. Leutpoldus filius Marchionis Adalberti obiit.

MXLIV.

Hainricus quarto Ottonē Regē rebellantē vicit, & Petrū regno suo restituit.

MXLV.

Petrus Rex excæcatus est ab Vngaris, & Andreas Rex efficitur.

MXLVII.

Suidegerus Babenbergensis Episcopus, in natiuitate Domini Papa consecratur, & Hainricus Rex & vxor eius Agnes ipsa die Imperiali benedictione sublimantur.

MXLIX.

Andreas Rex Vngarorum per legatos Imperatori Hainrico subiectionem, & annuum censum iureiurando promisit.

ML.

Agnes Imperatrix Imperatori filium peperit nomine Hainricum.

Bardo

MLI.

Bardo Archiepiſcopus obiit. Adalbertus marchio & Andreas Rex pacificantur.

MLIII.

Hainricus Imperator Pannoniam cum exercitu petit,& glorioſiſſime redit.

MLVI.

Adalbertus marchio obiit. Erneſtus filius eius ſucceſſit. Chuno Dux Bauariæ ab Imperatore expulſus in Pannonia exul obiit.

MLVII.

Hainricus Imp. obiit IV. non. Octob. filius eius Hainricus ſucceſſit. *HENRICVS IIII. Imper.*

MLVIII.

Hainricus IV. regnat annis XLIX. Agnes Imperatrix ſuſcepit ducatum Bauariæ.

MLXII.

Hainricus Rex ſeparatus eſt à matre ſua, anno VI. regni ſui, ætatis vero XI. Agnes Imperatrix & Guntharius Epiſc. prædas & incendia inuicem exagitant.

MLXIII.

Hainricus Rex exercitum mouit in Pannoniam, & Salomonem Regē conſtituit, fœderatisq; omnibus cum ſummo honore reuertitur.

MLXIV.

Cædes magna facta eſt in Goslarenſi monaſterio, præſente Rege & Principibus eius: multa mala tunc temporis facta ſunt in terra.

MLXV.

Hainricus Rex accinctus eſt gladio anno IX. regni ſui in Paſca. Sigefridus Moguntinenſis Epiſcopus, & Guntharius Babenbergenſis Epiſcopus Hieroſolymam tendunt.

MLXVI.

Meginhardus Comes de Sulgen occiditur.

MLXVII.

Heinricus Imperator duxit Bertam filiam Ottonis Comitis.

MLXVIII.

Multa & diuerſa mala his temporibus in toto regno facta ſunt.

MLXX.

Otto Dux Bauariæ Regi rebellauit. Adelheidis marchioniſſa obiit.

MLXXI.

Welpho Dux Bauariæ factus, expulſo Ottone.

MLXXIII.

Rudolphus Dux Alemaniæ, & Welffo Dux Bauariæ, nec non Bertolfus dux Carinthiæ, in vnum coniurant aduerſus Regem Hainricum.

MLXXIV.

Hainricus Rex in Vngariam aduerſus Toitſconem patruelem Solomonis profectus, incaſſum rediit.

MLXXV.

Erneſtus marchio occiſus eſt in Saxonia in bello: Leupoldus filius eius. Primum bellum Hainrici regis cum Saxonibus iuxta fluuiū qui vocatur Imſtrit, fuit V. Id. Iun.

MLXXVI.

Colonienſis Epiſcopus obiit.

MLXXVII.

Magna diſcordia inter Papam & Regem oritur. Hainricus Rex Italiam proficiſcitur. Rudolphus Dux de Reinfelden in Regem eligitur apud Vorcham.

MLXXVIII.

Bellum Hainrici regis inter duos Reges in Saxonia cōmittitur, in quo Diepaldus Comes occiditur, feria IV. VII. Idus Auguſti, iuxta fluuium Streua.

MLXXX.

Welfo Dux Bauariæ hoſtiliter ciuitatem inuaſit, & deprædauit atq; incēdit.

Tertium bellum Hainrici Regis cum Saxonibus, iuxta villam quæ dicitur Durloch, feria v. v. Kal. Feb.

MLXXXI.

Bauari & Boemi cum marchione Leupoldo ad Mauripergum dimicauerunt, & vicerunt. Bellum quod pugnauerunt fideles Hainrici Regis contra perfidos Suedos, iuxta Danubium apud villam quæ dicitur Hochstain, feria I v. III. Id. Augusti.

MLXXXII.

In monte Gotvvigensi monasterium S. Mariæ ab Altmanno Patauiensis Ecclesiæ Episcopo consecratur.

MLXXXIII.

Dux Boemiæ Radizlaus dimicauit Maurenberg cũ Marchione Leupoldo.

MLXXXIX.

Constitutio monachorum in loco Mellicensi sub abbate Sigeboldo in festo S. Benedicti.

MXCI.

Altmannus Episcopus obiit: Vdalricus successit.

MXCVI.

Leupoldus Marchio obiit, & filius eius Leutpoldus ei successit, dictus Pius.

MC.

Marchionissa relicta Leupoldi Ierosolimã petit, & Welpho Dux profectus est.

MCIV.

Sighardus Comes occiditur Ratisponæ. Leupoldus Marchio Austriæ accinctus gladio.

MCVI.

Hainricus IIII. Imp. obiit. Marchio Leupoldus Agnetem filiam Cæsaris duxit.

MCVII.

HENRI. V. Imp. Hainricus V. regnat. Anno sequenti Hainricus Rex obsedit castrum Presburg.

MCX.

Hainricus Rex mouit expetidionem in Italiam, & Pascalem Papam cepit.

MCXIV.

Incepta est fundatio in Neuburgensi basilica à Marchione Leupoldo & vxore Agnete. fundauit S. Crucem. Prædicta Agnes March. decem & octo liberos genuit: quorum multi in infanti ætate extincti sunt.

MCXV.

Vid. Crantz. Saxon. l. 6. c. 36. Hainricus Cæsar Saxones hostiliter inuasit, à quibus victus vix euasit.

MCXXI.

Vlricus Patauiensis obiit: Reutmarus Comes successit.

MCXXV.

LOTHAR. Saxo Imper. Lotharius Dux Saxonum in Regem eligitur. Adalbertus filius marchionis Leupoldi cum aliis accingitur gladio.

MCXXVIII.

Leupoldus marchio Carinthiorum obiit.

MCXXXI.

Stephanus Rex Vngarorum obiit, Bela cæcus successit.

MCXXXII.

Lotharius Rex profectus in Italiam.

MCXXXIII.

Canonici seculares à loco Nurenberg auersi sunt, & regulares B. Augustini substituti.

MCXXXIV.

Bela cæcus Rex Vngarorum triumphat de Polonis, sed dolo.

MCXXXV.

X. Kal. Aprilis Lotharius Imperator, & Fridericus Dux Sueuiæ pacificantur. Domus S. Crucis fundatur.

Dedi-

MCXXXVI.

Dedicatum est monasterium Neuburgense. Eodem anno Leutpoldus Marchio Austriæ, eiusdem monasterii fundator, ex hoc mundo migrauit. Cui filius Leupoldus Marchio successit: Et Lotharius Imperator obiit.

MCXXXVIII.

Conradus III. nepos Imperatoris Hainrici V. frater Ducis Friderici Sueuiæ, Rex efficitur. Eodem anno filia Belæ Regis Vngariæ desponsata est filio Conradi Regis Romanorum. Et Leupoldus Marchio duxit vxorem. *CONRADUS III. Imperator.*

MCXLII.

Leupoldus Marchio & Dux Bauariæ obiit: & Hainricus frater eius successit. Hainricus Dux Bauariæ & Marchio duxit vxorem Gertrudem filiam Lotharii.

MCXLV.

Ministeriales Hainrici Ducis Bauariæ & Marchionis, & milites Marchionis Stiriæ & Odocari totam pene Austriam pręda & incendiis vastant.

MCXLVII.

Reimpertus Episcopus dedicauit Ecclesiam Viennensem. Deinde eo anno obiit Episcopus Rempertus, cui successit Conradus frater Hainrici Ducis.

MCLV.

Dux Hainricus dictus Iosammergot, fundat clausstrum Scottorum.

MCLVII.

Hainrico Duci nascitur filius Leupold nomine. Et Fridericus Romanorum Cæsar secundo Italiam intrat: & clausstrum Neuburg combustum est. *FRIDERICUS Imp.*

MCLX.

Arnoldus Moguntinus Episcopus in templo D. Iacobi ab incendiariis peremptus est.

MCLXII.

Fredericus Cæsar habuit glorioſam victoriam de Mediolanensibus: Et Geiso Rex Vngariæ obiit, cui successit filius eius Stephanus.

MCLXIV.

Odoccar Marchio Styriæ obiit. Anno sequenti F. Cæsar Romam hostiliter inuasit.

MCLXV.

Stephanus Rex Vngariæ duxit vxorē Agnetam filiā Heinrici Ducis Austriæ, & Marquard Neuburgensis Episcopus obiit; & Rudigerus frater eius successit.

MCLXVIII.

Rudigerus Neuburgensis præpositus obiit: Werenherus successit.

MCLXIX.

Odaccarus Marchio Styriæ filius Odaccari Marchionis, factus primus Dux.

MCLXXIV.

Leupoldus & Hainricus frater eius Duces accincti sunt gladio. Eodem die Leupoldo copulatur vxor filia Regis Vngariæ.

MCLXXVI.

Filii Ducis Austriæ Morauiam ingressi omnia vastantes.

MCLXXVII.

Hainricus Dux Austriæ in Austria obiit: & in monasterio Scottorum, quod ipse fundarat, sepultus, & filius eius Leupoldus successit.

MCLXXVIII.

Leupoldus Dux Austriæ cum exercitu terminos Boemorum ingreditur. Neuburgensis præpositus à Domino Dietpoldo Patauiensi consecratur, sub Werenhero præposito.

MCLXXX.

Hainricus Dux Bauariæ contra Cæsarem machinatur defectionem.

MCLXXXI.

Hermannus Dux Carinthiæ obiit.

MCLXXXII.

Leupoldus Dux Auſtriæ iuit Hieruſalem. Inde reuertitur afferens portionem S. Crucis ad menſuram manus.

MCLXXXIII.

Conradus Salzburgenſis Epiſcopus ad Moguntinenſem Eccleſiam reuertitur, à qua tempore ſchiſmatis diſceſſerat. Adalbertus etiam à Salzburgenſi Eccleſia per violentiam Cæſaris depulſus, eandem ſedem recepit. Eodem anno Otto Palatinus Comes obiit.

MCLXXXVI.

Werenherus Præpoſitus Neuburgenſis reſignauit. Gotteſcalcus in locum eius ſucceſſit.

MCLXXXVII.

Dedicatum eſt monaſterium S. Crucis à venerabili Cardinali Theobaldo Hoſtienſi & Feltrenſi Epiſcopo, ſedis legato. Eodem anno clauſtrum Scottorum Viennæ à Domino Wolchero Patauienſi Epiſcopo conſecratur.

MCLXXXIX.

Cæſar cum exercitu trans mare fretat.

MCXC.

HENRICUS VI. Imp. Fridericus Cæſar Romanus obiit: & Hainricus VI. filius eius ſucceſſit: & Leupold Dux Auſtriæ iterato Ieroſolymam tendit.

MCXCI.

Dux Sueuiæ filius Frederici Cæſaris in peregrinatione moritur, & Dux Auſtriæ Leupoldus redit à Ieroſolymis, & Epiſcopus Colonienſis, atque Dux Auſtriæ, & Otto Cancellarius Imperatoris, & alii Principes ibi mortui ſunt. *Facta eſt eodem anno expeditio Chriſtianorum Ieruſalem ſub Cæſare Friderico, qui diuerſis laboribus victor tranſiuit Iconium. Inde veniens ad fluuium Celeph ſe refrigerare volens cum LXV. ſubmerſus eſt.

** Tranſpoſita.*

MCXCII.

Odauarus obiit, cuius hæreditatem Dux Auſtriæ Leupoldus de manu Imperatoris ſuſcepit. Eodem anno Rex Angliæ rediens à Ieroſolymis, à Duce Leupoldo capitur Viennæ. Wolfgerus patriarcha eligitur Aquilegienſis. Hainricus Rex cum exercitu in Italiam veniens, conſecratur. Idem H. Rex ſecundo in Apuliam profectus, proſpere egit. Werenherus Neuburgenſis præpoſitus electus Gurrenſis: & Otto ſucceſſit in præpoſitura. Quo in breui mortuo Rudolphus decanus ſucceſſit. Eodem anno Vienna incendio flagrat. Eodem anno Leupoldus Dux Auſtriæ & Stiriæ circa caſtrum Græz equo lapſus moritur, & in domo S. Crucis ſepelitur, cui filii ſui Fridericus & Leupoldus ſucceſſerunt.

MCXCVI.

Conradus Moguntinenſis Archiepiſcopus, & multi Principes cruce ſignati. Bela Rex obiit. Emericus filius eius ſucceſſit.

MCXCVII.

Hainricus Cæſar in Apulia obiit. Eodem anno Wolfgerus Aquilegienſis, & Dux Auſtriæ Fridericus & alii Ieroſolymam profecti ſunt.

MCXCVIII.

Fridericus Dux Auſtriæ peregre moritur. Leupoldus IV. Dux Auſtriæ frater ſucceſſit.

MCXCIX.

Emericus Rex Vngariæ expulſum fratrem perſequens. Wolgerus Patauienſis Epiſcopus rediens Ieroſolymis hoſtes epiſcopatus fortiter compeſcuit. Conſtantia Imperatrix obiit, & paruum Fridericum hæredem reliquit. Helena Duciſſa Auſtriæ obiit.

MCC.

Leupoldus Dux Auſtriæ & Stiriæ gladio accingitur, præſente Conrado Moguntinenſi, Eberhardo Salzpurgenſi. Eodem anno pax inter Regem Vngariæ & Ducem Auſtriæ componitur.

Leupol-

MCCII.

Leupoldus Dux nuptias Viennæ, multis Principibus ibidē præsentibus, solenniter celebrauit cum nepte Regis Græcorum Theodora nomine. Odaccar Rex Boemiæ terminos Teutonicorum potenter inuasit; sed inde in pace rediit. Conradus Ratisponensis Episcopus, & Ludouicus Dux Bauariæ mutuis cladibus terrā vastant. Emericus Rex Vngariæ data fide fratrem suum dolo captum, & catenis strictum incarcerauit. Sed eodē anno diuina vltione in fata concessit. Quo defuncto frater eius eripitur & sublimatur regno Vngarię. Patriarcha Aquilegiensis obiit; cui Wolfgerus Patauiensis successit: cui Poppo Patauii successit.

MCCV.

Philippus Rex Romanorum post bellicos labores tandem regno potitur. Emericus Rex Vngariæ (mirum) qua die fratrem cepit, reuoluto tempore & ipse captus, quem consortem habere noluit, hæredem reliquit. Eodem anno portio S. Crucis nō parua cum sacris reliquiis Duci Austriæ Leupoldo perfertur. Andreas Rex Reginam vxorem fratris & filium eius persequens, terminos Austriæ vsque Viennam intrare coegit. Ibi puer moritur, & Regina marito orbato auxilio Ducis ad terram suam Arragoniam profecta est. Poppo Patauiensis Episcopus obiit: Manigoldus abbas de Chremesmunster successit. Leupoldo Duci Austrię nascitur filius Leupoldus nomine. *PHILIPPVS Rex.*

MCCXII.

Otto Imperator ab Apulia prospere regreditur, regalibusq; nuptiis Brunsvvick magnifice celebratis filiam Regis Philippi duxit vxorem. Sed celebres nuptiæ (proh dolor) in lugubres exequias Reginæ in breui conuertuntur. Fredericus Rex Ratisponæ celebrem curiam habuit. *OTTHO IV. Rex.*

MCCXIII.

Leupold Dux Austriæ & Stiriæ cum magno comitatu ad terram S. Iacobi ad bellandum paganos transierat.

MCCXIIII.

Manegoldus Patauiensis Episcopus obiit: cui Vlricus successit. Sequenti anno obiit Leupoldus iuuenis Dux.

MCCXVII.

Rex Vngariæ Andreas, & Leupoldus Dux Austriæ & Stiriæ, cum aliis plurimis ad terram promissionis tendunt. Philippus quondam Romanorum Rex habuit IIII. filias, quarum vnam duxit Rex Castiliæ & Hispaniæ; alteram Rex Boemiæ, tertiam Otto Romanorum Rex, quartam Dux Brabantiæ.

MCCXIX.

Leupoldus Dux Austriæ & Stiriæ glorioſe ad propriam terram reuertitur.

MCCXX.

Fridericus II. Rex Siciliæ & Apuliæ, Romæ consecratur. *FREDERICVS II. Imp.*

MCCXXI.

Dux Ludouicus Bauariæ, Patauiensis Episcopus Vdalricus, terram sanctam tendunt. Deinde prædictus Dux confuse reuertitur.

MCCXXII.

Magna solennitas Viennę auctore Duce Leupoldo, cuius filia Duci Saxonum nuptiali thalamo copulatur. Eberhardus Comes de Plein consecratus est in Episcopum Patauiensem. Engelbert Archiepiscopus Colonienſis à quodam Comite cognato suo interfectus est. Rex Heinricus iuuenis filius Friderici Imp. filiam Ducis Austriæ duxit vxorem.

MCCXXVI.

Hainricus filius Ducis Austriæ duxit vxorem sororem Landgrauii apud Nurenberg. Hainricus filius Ducis Austriæ consilio & auxilio quorundam iniquorum opposuit se patri suo, atque castrum Haimburch præoccupauit, matremque suam inde satis contumelioſe eiiciens: quod tamen pater castrum in breui recepit. Deinde idem filius vitæ patris sui multimodis insidiatus est, sed tamen Deo se prote-

protegente euasit manus eius. Fridericus Romanorum Cæsar prælatis Ecclesiæ & Principibus regni pro negotio S. Crucis curiam apud Cremonam indixit. Longobardi vero timentes insidias Cæsaris, maria vbique intermontana venientibus obstruxerunt viam. Vnde valde commotus Imperator cum aliis Principibus, tamen sine læsione ipsorum in regnum Siciliæ se contulit, cæteri etiam ad propria sunt reuersi. Fridericus filius Ducis Austrię in Brunswick nuptias celebrauit. Conradus Ratisponensis Episcopus obiit.

MCCXXVII.

Andreas Rex Vngariæ Ruscіam cum exercitu veniens, ab ipsis statim fugatus recessit, interfectis nonnullis de exercitu suo. Gens quæ dicitur Valwin, fidem Christi suscepit, ex quibus baptisati sunt fere x. millia. Hainricus iuuenis Dux filius Ducis Leupoldi obiit: & Ludouicus Landgrauius de Thuringia in transmarinis partibus obiit.

MCCXXVIII.

Dux Bauariæ atque alii multi ex nobilibus per Bauariam Leupoldo Duci Austriæ & Stiriæ insidias mortis parabant, quas tamen per Dei gratiam sine læsione euasit. Imperator defuncta Imperatrice in puerperio transfretauit, & ad Cyprum vsque Accharon peruenit, ibi magna gloria susceptus, & post paucos dies legatus Soldani honorifice eum excepit.

MCCXXIX.

Terram repromissionis Christiani possederunt per Imp. Fridericum. Idem Imperator rediit de transmarinis partibus in regnum suum Sicilię, auxilio & consilio Regis paganorum Soldani. Fridericus filius Ducis Austriæ neptem Reginæ Vngarię repudiauit, quæ copulata erat ei in coniugio: & filiam Ducis Morauiæ sibi illicite copulauit, patre suo in omnibus his auctore. Idem Imp. in partibus existens transmarinis ciuitatem S. Ierusalem, & maiorem partem terræ sanctæ à Soldano Babylonico recepit: & treugis per decennium inter eos firmatis. Imperator reuertitur in Apuliam, & fines regni Apuliæ ab exercitu Papæ occupatos recepit.

MCCXXX.

Boemi Austriam rapina & incendio nullo resistente vastarunt. Piæ memoriæ Dux Leupoldus apud S. Germanum obiit, mioxque ministeriales eius fere omnes contra filium coniurarunt, primo dolo priuantes eum thesauro patris, ac postmodum totam fere Austriam incendio & rapina vastarunt. Odoccarus Rex Boemiæ obiit. Ipse Leupoldus Dux sepultus est in monte Cassino in monasterio S. Benedicti à Cardinalibus: & ossa ipsius delata in claustrum, quod ipse construxit Lyrevelde, ibidem sepulta sunt in die S. Andreæ ab Archiepiscopo Salzburgense, & eodem die dictum monasterium ab eodem Archiepiscopo consecratur. Cui filius eius Fridericus vltimus Dux Austriæ successit. Rex Boemiæ manu valida Austriam intrans, magnam partem terræ vastauit incendiis & rapinis. Sigefridus Moguntinensis Archiepiscopus obiit.

MCCXXXI.

Ludouicus Dux Bauariæ manifeste cultello perforatus est. Facta est dissensio inter Fridericum Ducem Austriæ adhuc puerum & ministeriales eius, tandem humiliati deferunt obsides. Episcopus Patauiensis & Canonici sui cum præposito sunt reconciliati.

MCCXXXII.

Fridericus Dux Austriæ & Stiriæ apud Viennam militauit, & accinctus est gladio in monasterio Scottorum in Vienna à Gebhardo Patauiensi Episcopo. Wichardus de Zebinge Viennæ decollatur ab orphano nocte in domo Smelzarii.

MCCXXXIII.

Vngari intrauerunt fines Stiriæ, & vastarunt eos rapina & incendio. Stirienses vero congregati sine rectore persecuti sunt eos. Tandem Vngari victoria potiti, nobiliores ex eis captarunt. Episcopus Babenbergensis & Dux Carinthiæ rapina & incendio se vicissim lacerarunt. At Episcopus superior euasit, & castella & oppida

oppida deſtruxit. Poſt Gebhardum Patauienſem Epiſcopum ſucceſſit Rudigerus pridem Primus Chiemenſis. Eckardus Epiſcopus Babenbergenſis poſtquam bellando vaſtauit Carinthiam, ab Hainrico nobili de Vinkenſtain in dolo capitur, deinde per Ducem Auſtriæ F. liberatur.

Rex Vngariæ circa feſtum omnium SS. Auſtriam cum exercitu magno intrauit, & partem terræ incendio & rapinis deuaſtauit. Tandem concordati ſunt, & mutuo ſibi amicitiam exhibuerunt.

MCCXXXIV.

Rudigerus Patauienſis ordinatus eſt. Rex Vngariæ cum filio ſuo Bela partem terræ Auſtriæ incendio & rapinis deuaſtauit. Fridericus Dux Auſtriæ & Stiriæ, ac Domina Theodora mater ſua Ducisſa nuptias ſolennes celebrarunt, vbi Marcgrauius de Meichſen ſororem dicti Ducis Friderici, Conſtantiam nomine, duxit vxorem, præſentibus Regibus Vngariæ & Boemiæ, & Archiepiſcopo Salzburgenſe, & aliis Epiſcopis ac Ducibus Saxoniæ & Carinthiæ.

MCCXXXVI.

Andreas Rex Vngariæ cum duobus filiis, Bela & Colomanno, congregato exercitu magno intrat fines Auſtriç. Dux vero è contra cum multis millibus. Eodem anno F. Imp. per Lombardiam intrauit regnum Teutonicorum, & filium ſuum Hainricum Regem à regno depoſuit.

MCCXXXVII.

Fridericus Dux Auſtriæ & Stiriæ ſæpe vocatus ad curiam ab Imperatore, ſed venire contemnens, tandem ſententiam proſcriptionis coram multis Principibus incurrit.

MCCXXXVIII.

Imperator cum magno exercitu intrauit Lombardiam: vbi quaſi per duos annos ciuitates ſibi rebelles impugnans.

MCCXLI.

Inter Regem Boemiæ & Ducem Auſtriæ diſcordia ſatis obſcura exorta eſt, & ſic Rex manu valida intrauit fines Auſtriæ, ad depopulandam terram, ſed propter frigus & alia reuerſus eſt ad propria. Tandem controuerſia terminata eſt, vt traderetur filia Hainrici Ducis Auſtriæ filio Regis Boemiæ in coniugio.

MCCXLIII.

Fridericus Dux Auſtriæ & Stiriæ cum magno exercitu occurrit Regi Vngariæ apud Littam, ibi pacificati ſunt.

MCCXLIV.

Hainricus Rex Romanorum iunior in captiuitate patris ſui obiit, relictis duobus filiis. Eodem anno Duci Auſtriæ erant duo adoleſcẽtes, quos à iuuentute nutriuerat in curia ſua: quos etiam tenero amore amauit, ſcilicet Albertũ de Zelting, & Hermannum de Wolckenſtorff, contigit vt in quodam conflictu ambo eſſent vulnerati vſq; ad mortem, vnde ipſe Dux nimis turbatus, cõpatiens miſeriæ eorũ, quia deſperati à medicis, ipſe Dux ſupplicabat viris ſpiritualibus & deuotis, vt Deũ exorarent. Promiſit etiam carnarium * in S. Cruce perficere, & cum manu potenti ire contra Brutenos, & iuſtitiam facere omnibus, & quæ iniuſte poſſederat à morte patris, reſtituere dominis ſuis promiſit. Quem omnipotens Deus exaudiuit propter affectum & deuotionem, & reſtituti ſtatim ſunt adoleſcẽtes ſanitati, quod pro magno habuit, & inde valde largam eleemoſynam largitus eſt.

MCCXLV.

Fridericus Dux Auſtriæ accepit victoriam à Rege Boemiæ, captiuauit Vlricum Ducem Carinthiæ, & multos nobiles.

MCCXLVI.

Fridericus Dux Auſtriæ interfectus eſt in prælio, & octauo die mater ſua Theodora Ducisſa obiit. Rex Boemiæ miſit filium ſuum in Auſtriam, & duxit Gertrudem filiam Hainrici Ducis vxorem.

MCCXLVIII.

Hermannus Marchio Badenſis intrauit Auſtriam auxilio Ducis Bauariç, & duxit vxorem filiam Hainrici Ducis, qui fuit filius Leupoldi.

MCCL.

Bertholdus Comes de Sigmaringen Episcopi Ratisponensis frater, ordinatur in Episcopum Patauiæ.

MCCLI.

Odaccarus filius Regis Boemiæ & Dux Sueuiæ, duxit vxorem Margaritam relictam quondam Regis Romanorum.

MCCLII.

Odaccarus prædictus subiugauit sibi totam Austriam auxilio patris sui.

MCCLIII.

Berchtoldus Episcopus Patauiensis obiit, & Otto de Lonstorff eligitur.

MCCLIV.

Bela Rex Vngariæ & Odaccarus Dux Austriæ reconciliantur. Eodem anno Odaccarus Dux Austriæ assignauit Belæ Regi Vngarorum totam Stiriam.

MCCLVII.

Canonici Salzburgenses repudiarunt Philippum electum, & postularunt Vdalricum Secouiensem.

MCCLVIII.

Magna pars ciuitatis Viennæ exusta est, & parochialis Ecclesia cum campanis.

MCCLIX.

Stephanus iuuenis Rex Vngariæ armata manu intrauit Carinthiam, & eam incendiis vastauit.

MCCLX.

Commissum est prælium cum Tartaris, vbi occubuerunt duo fratres, Otto Comes de Hardegk, & frater eius Conrad Comes de Pleigen.

MCCLXI.

Odoccarus Rex Boemiæ & Dux Austriæ repudiauit vxorem suam Dominam Margaritam. Post hæc præfatus Rex duxit aliam vxorem, neptem Belæ Regis Vngariç.

MCCLXIII.

Odacarus Rex Boemiæ assignat conuentui S. Crucis quendam locum in Boemia ad construendam abbatiam, quæ dicitur ad S. Spineam coronam. Quo missus est conuentus ad prædictum locum cum venerabili viro abbate Heinrico, qui pridem fuit abbas S. Crucis. Dux Carinthiæ Vlricus Dominam Agnetem filiam Hermanni Ducis Badensis vxorem duxit.

MCCLXIV.

Iuuenis Rex Vngariæ Bela contraxit cum Domina N. filia Marchionis Brandenburgensis, ob cuius honorem Rex Boemiæ Odoccarus auunculis suis maximum festum celebrauit. Bela autem confirmato matrimonio vxorem secum duxit.

MCCLXVI.

Hic incipiũt Annales Henrici Stirensis.

Obiit Dominus Otto Patauiensis, pro quo electus concorditer filius Ducis Poloniæ, Paduæ tunc existens.

MCCLXVII.

Odoccarus Rex Boemiæ manu valida intrauit Bauariam cum magna potentia. Gebhardus plebanus construxit clausstrum monialium Viennç: & eodem anno domum leprosorum ibidem facultatibus suis construxit.

MCCLXIX.

Conradus filius Conradi Regis, & nepos Friderici Imperatoris, & Fridericus Marchio Badensis occubuerunt Neapolis. Eodem anno filius Marchionis de Brandenburg in hastiludio obiit. Clemens Papa obiit, cuius lingua in agone ex ore cremando fumigauit, sic prophetizauit.

MCCLXX.

Dux Vlricus Carinthiæ obiit. Rex Odoccarus de terra Carinthiæ se intromisit. Domina Agnes proneptis inclyti Leupoldi Ducis Austriæ, relicta Vlrici

Ducis

Ducis ab Odoccaro Rege tradita Vlrico Comiti dicto de Hunburg in depreſſionem generis.

MCCLXXII.

Stephanus Rex Vngariæ obiit, qui relinquens duos filios, ſenior Claudus nomine*. Frater & Rex de Maſchoue, frater Reginæ Boemiæ ab Vngaris eſt occiſus.

MCCLXXIII.

Comes Rudolphus de Habiſpurg electus eſt in Regem Romanorum apud Franckfurt, auxilio Ludouici Comitis Palatini. Odoccarus Rex Boemiæ dum adhuc contrarius eſſet Rudolpho electo Regi, conſiderans futura, obſides terrarum exegit. Philippus hæres Carinthiæ, poſtea in Patriarcham poſtulatus, ſed propter inconſtantiam priuatus. Innocentius Papa V. conſtituit Carolum ſenatorem Siciliæ, qui Carolus perfidiſſime in inciſione venæ toxicatus VII. Calend. Iunii obiit. MCCLXXVII. *RVDOLFVS Rex.*

Rex Boemiæ Odocarus fregit pacem cum Rudolfo Rege.

MCCLXXX. *Hic incipit deſſuſior hiſtoria, quæ ſubſequitur de Rudolpho Rege.*

Dominus Petrus Patauienſis obiit, Richardus ſubſtituitur.

MCCLXXXI.

Filia Regis Rudolphi ducitur verſus Apuliam, quæ nepoti Regis Caroli copulatur.

MCCLXXXIII.

Rudolphus Rex Auguſtę celebrauit curiam, vbi Albertum filium ſuum Ducem Auſtriæ & Stiriæ conſtituit, & Rudolphum filium Ducem Sueuiæ creauit.

MCCLXXXIV.

Albertus nouus Dux Auſtriæ tria caſtra Conradi Suomarii * infra paucos dies expugnauit.

MCCLXXXV.

Rex Arragonum bellum commiſit cum Carolo Rege Apuliæ, tandem Rex Arragonum potenter victoriam obtinuit, fugato turpiter Carolo. Quamuis Papa tota virtute cum ſuis & pecunia Eccleſiæ aſſiſteret. Qui Papa extremo odio habebat Teutonicos. Filius Caroli collecto magno exercitu contra Regem Arragonię bellum committit, in quo Caroli filius vincitur, capitur & vinculatur. Deinde in breui Carolus Rex Neapolitanus moritur. Obiit & Martinus Papa inuidioſus ac minax vir. Obiit Gotfridus Patauienſis, cui ſucceſſit Werenhardus Braunbeche.

MCCLXXXVI.

Dietricus Landgrauius Thuringiæ duxit vxorem Viennæ cum magna ſolennitate Dominam N. filiam Menhardi Comitis Tirolenſis, & ſororem Duciſſæ Auſtriæ. Rudolphus Romanorum Rex in Ægra ciuitate ſolenniter celebrauit nuptias filiæ ſuæ, quam tradidit filio Domini Odocari quondam Regis, quem etiam ibidem in Regem coronauit.

MCCLXXXVII.

Albertus Dux Auſtriæ collecto exercitu cum Stirenſi intrauit Vngariam.

MCCLXXXIX.

Dux Albertus Auſtriæ cum exercitu contra quoddam caſtrum Falkenſtain in Bauaria ſitum obſedit, tandem obtinuit forti manu. Inclytus Dux Bauarię Heinricus mortuus eſt, cui Otto filius ſucceſſit. Rudolf Dux, filius Rudolphi Regis, cum Pragæ viſitaret ſororem ſuam Reginam, mortuus eſt. Rudolphus Salzburgenſis obiit, cui ſucceſſit Stephanus filius Hainrici Ducis Bauariæ. Ladislaus Rex Vngariæ à quodam cum manu interfectus eſt. Andreas Marchio Æſtenſis, qui fuit ab Vngaris repulſus, tunc intrauit Vngariam, & benigne ab eis ſuſceptus fuit, nepos Belæ Regis. Ludouicus filius Ludouici Palatini iuuenis bonæ indolis, in haſtiludio lancea transfixus & mortuus eſt.

MCCXCI.

Rex Vngariæ collecto exercitu maximo Auſtriam potenter intrauit, petens terras.

MCCXCV.

Albertus Dux Auſtriæ & Stiriæ filiam ſuam ſeniorem dedit Marchioni de Brandenburg in Gortz. Obiit Merhardus Dux Carinthiæ, ſocer Alberti Ducis.

ADOLfus Rex. Adolfus Rex Romanorum Miſniam cum exercitu intrauit, & eam ſubiugauit.

MCCXCVI.

Andreas Rex Vngariæ magna cum ſolennitate duxit filiam Alberti Ducis Auſtriæ.

MCCXCVII.

Dux Auſtriæ expulit Probum ſolemnem virum miniſterialem, Dominum de Suinawe. Rex Wenzeslaus Boemiæ Pragæ in Regem Boemorum ſublimatur; ſimiliter dilecta vxor eius, Rudolfi quondam Regis filia, & ſoror Alberti Ducis Auſtriæ; ſed heu proh dolor, paulo poſt vertitur in luctum.

MCCXCVIII.

Wenceslaus Rex & multi Principes venerunt Viennam cum magna pompa. Rex Vngariæ copulauit filiam ſuam filio Regis Boemiæ cum ingenti tripudio.

MCCXCIX.

ALBERtus Rex. Albertus Rex Romanorum, & Philippus Rex Franciæ conuenerunt; vbi Rex Franciæ ſororem ſuam Dominam Blancam filio Regis Romani adiunxit. Rudolphus item filius factus Rex Boemiæ.

MCCC.

Albertus Rex Romanorum collecto exercitu Archiepiſcopum Mogunti-nenſem hoſtiliter inuaſit.

MCCCI.

Andreas Rex Vngarorum obiit: poſt cuius mortem Hermannus de Landenberch Marſchalcus Auſtriæ collecto exercitu caſtrum in monte S. Martini obſedit & cepit, & Dominam Reginam relictam Regis (quæ fuit filia Alberti Romanorum Regis) in Viennam honorifice reduxit.

MCCCVII.

Nobilis de Ortenburg, dictus Dapifer, victus & captus per Marchionem Miſnenſem.

MCCCXV.

Fridericus Dux Auſtriæ filius Alberti Regis duxit vxorem quondam filiam Regis Arragoniæ.

MCCCXXVI.

Apud Strausburg obiit ſtrenuus Leupoldus frater Friderici.

MCCCXXVII.

Apud Bruckhaim obiit Dux Hainricus frater prædicti Leupoldi, & Fridericus volens ire Grætz * fratrem ſuum Fridericum Regem. Eodem anno ciuitas Viennenſis quaſi totaliter exuſta fuit. Eo in anno ciuitas Vienna circa feſtum annunciationis Mariæ igne exorto ſecundarie exuſta eſt.

FINIS CHRONICAE AVSTRALIS.

AVSTRA-

AVSTRALIS HISTORIÆ PARS PLENIOR, DE GESTIS SVB RVDOLPHO, ADOLPHO, & ALBERTO CÆSS. AB ANNO MCCLXXVI. VSQUE AD ANNUM MCCCIII.

AD honorem & gloriam Domini noſtri Iheſu Chriſti, Amen. Nouerint vniuerſi & ſinguli, quod Anno Domini MCCLXXVI. Rodulphus Romanorum Rex Marchionem de Baden, qui contra eum rebellabat, auxilio Ludwici Palatini Rheni, & aliorum multorum Epiſcoporum, Marchionum, Comitum, & Baronum, diuerſarum prouinciarum collecto exercitu grandi ipſum, & alios quam plures nobiles in Sueuia, Franconia, & Alſatia, nec non aliarum prouinciarum, qui poſſeſſiones regni violenter ſibi vſurpauerant, ac poſt excluſionem quondam Friderici Imperatoris felicis recordationis ciuitates diuerſarum regionum ſibi ſubiugauerant titulo cenſuali, humiliauit & deuicit, ac ad priſtinam iurisdictionem in quantum valuit, cum multis laboribus reduxit. Quum autem illuſtrem Regem Boemię Ottacarum, qui tunc temporis principatum Auſtriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchiæ, ac portus Naonis potenter gubernabat, & plus quam XXVI. annis in eis regnauerat, ſibi adhuc reſiſtentem, per plures literas & nuncios vocaſſet iterum atque iterum ad ſuam curiam (more ſolito aliorum Principum) & ille venire contumaciter recuſaret, nec non quosdam breuigerulos ſuos (quod dictu nephas eſt) ad portas ciuitatis ſuſpenderet, demum ad Styriam pro quibusdam fortilegis mulieribus Pythoniſſis ad eum occidendum ſuis veneficiis miſit, quæ multa contra eum ſuis magicis artibus attentantes nullatenus eum lædere potuerunt, Domini fretum auxilio. Itaque præfatus Rex Rudolphus contra eum collecto ingenti exercitu multorum nobilium diuerſarum prouinciarum, Ratiſponam vſque peruenit, Ducemque Henricum Bauariæ (qui tunc temporis prædicto Regi Boemiæ per ſuas pecunias aſtabat) potenti manu deuicit; filiam quoque ſuam Ottoni filio præfati Ducis matrimonio legitime copulauit, & ab ipſo Rege Rudolpho ſæpe dictus Dux terram ſuam recepit titulo feudali. Igitur Rudolphus Rex Bauariam potenter pertranſiens, Patauiam peruenit: ſed quum per arctas vias & aquas diuerſas cum ſuo exercitu tranſire nequiret, ſupradictus Dux iterum muneribus Regis Boemiæ corruptus conabatur eum inter deuia & abrupta relinquere, ne terram ſuperiorem vltra Anaſum ſibi pro dote filii ſui pro quadam ſumma pecuniæ obligaret. Sicque factum eſt. Rex vero Rudolphus Enum, Anaſum, Trunam, & omnes fluuios Bauariæ tranſiens ad Auſtriam peruenit. Quem miniſteriales honorifice ac ſolenniter recipientes, relicto & abiecto prædicto Rege Boemiæ, Rudolpho Regi adhæſerunt, oblitique ſunt pacti & iuramenti, quod pepigerant cum eo, poſtpoſitis hæredibus eorum, quos eis in obſides tradiderant, ac per conſilium & informationem Prædicatorum, & Minorum fratrum, & totius cleri, qui auctoritate Papæ tollentes iuramentorum ſcelera, omnes Regem Rudolphum in Dominum receperunt. Itaque ciuitas Anaſus per C. de Sumreawe*, A quoque & Tulna, & aliæ ciuitates minores per alios miniſteriales, vna cum ſuis munitionibus Regi Rudolpho traditę ſunt. Neupurgam vero ex parte clauſtri præcurſores ſui veſpertino tempore manu valida & forti, occiſis cuſtodibus inermibus ſub portis, ciuitatem obtinuerunt. Interim vero dum hæc & alia ſic

Ottakari R. rebellio.

Brief-trager.

Neupurg.

aguntur, Rex Boemiæ collecto magno & forti exercitu egressus de Bohemia contra eum veniens, Austriamque defendere cupiens, à Libera ciuitate vsque Neupurgum in campis, qui vulgariter dicũtur Hanselvelt, castra cum suis metatus est. Rex autem Romanorum Dominica proxima post Collomanni cum suis ciuitatem Viennam potenter obsedit v. septimanis. Cum autem Rex Boemiæ terram prædictam defendere non posset, exercitus autem Regis Romanorum cottidie adcresceret, per Stirienses & Karintianos, ipse & Ladislaus Vngarorum vsque ad metas Austriæ in subsidium Regis Romanorum cum ingenti exercitu Romanorum & Vngarorum venisset; demum per arbitros, videlicet Dominum Berchtoldum Herbipolensem Episcopum, & illustrem Ludovvicum Palatinum Rheni ex parte Regis Romanorum, & Dominum Brunonem Episcopum Olmucensem, & virum strenuum Ottonem Marchionem de Brandenburg ex parte Regis Boemiæ, arbitrando hac forma est definitum, quod Rex Romanorum Regem Ottakarum terris suis, videlicet Boemia & Morauia tantummodo resignatis, residuis aliis septem terris infeudaret, quod ita factum est. Nam Rex Boemiæ in castris Regis Romanorum cum xxxvi. vexillis ante Viennam circa Danubium, flexis coram eo genibus, in præsentia multorum Principum spiritualium ac secularium, terras suscipiens supra dictas, Regiq; Rom. deinceps obedire & astare fideliter iuratus compromisit: Ministerialibus quoque & ciuibus Austriæ & Stiriæ obsides & captiuos quosque firmiter spopondit restituere. Tunc primo Viennæ & aliæ ciuitates ad resignationem ipsius Regis Ottacari, Regi Rom. sunt apertæ. Sane inter cætera ad confirmationem inter eos veræ ac perpetuæ amicitiæ à supradictis Principibus extitit arbitratum sub hac conditionis forma, quod supradicti duo Reges quatuor pueros suos legitimali toro ad inuicem copularent. Quibus Rom. Rex xx. millia marcarum in dote promisit. Pro quibus titulo obligationis Austriam fere mediam à parte Morauiæ vsque ad Danubium (exceptis Crems & Steirn oppidis) quæ legatione * est Regi Boemię commissa. Rex etiam Vngariæ Ladislaus Regi Boemiæ est reconciliatus, & Rex Romanorum prædicto Regi Vngariæ omnes ciuitates, quas ei Rex Boemiæ violenter abstulerat, restituit; nihilominus tamen promittens Rex Boemiæ memorato Regi Vngariæ omnes thesauros reddere, quos alii amita ipsius Regis Ladislai Anna Regina de Marovve asportauerat, eique tradiderat, videlicet duas coronas aureas, & sceptra regalia, ac pretiosissimam amphoram auream nobilissimis gemmis vndique adornatam miræ pulchritudinis, & alia quam plura elenodia aurea, quæ à tempore Regis Vngariæ Attilæ, & ab aliis successoribus suis vsque nunc in Vngaria fuerant conseruata. Sicq; Rex Boemiæ reuersus est ad propria.

Neuſtat.

Compoſitio inter Reges Rom. & Bohem.

* deeſt Verbum.

MCCLXXVII.

Rex Boemiæ Ottacarus ductus pœnitentia, grauiterque ferens in corde suo, Regina quoq; Boemiæ coniux sua frequenter eum increpabat, quod terras prędictas resignauerat, obsides ministerialium Australium & ciuium, diademata quoque Regis Vngariæ, & alias compromissiones factas, sicut anno priori per arbitros diffinitum extiterat, resignare recusauit. Tunc Rex Rom. partem Austriæ, quam Regi Boemiæ sub obligatione pro xx. millibus marcis (videlicet copulatis hæredibus) pro dote assignauerat, resumpsit. Itaque Rex Boemiæ iterato collecto exercitu grandi Austriam intrauit, & omnes munitiones nouis instrumentis & machinis, qui cum * vocantur, potenter expugnauit, & sic dissensio & guerra grauis orta inter eos. Nam tota hyeme Australes Morauiam, & contra Boemi Austriam diuersis rapinis, prædis & incendiis vastauerunt.

Eodem anno circa festum Omnium Sanctorum Rex Romanorum & Rex Vngarorum in confinio circa Haimburgam colloquium habuerunt, vbi Rex Romanorum eundem Regem Vngarię in filium adoptauit, & omnes Regi Rom. seruire promiserunt. Eodem tempore Rex Rom. eundem Regem Vngariæ apud Brucam ad prandium inuitauit.

MCCLXXVIII.

Inclytus Comes Iuliacensis, dum ad expeditionem Regis Romanorum se

præpara-

præparatet,& ad ciuitatem Aquisgranum vsq; peruenisset, & exactionem,quam ei Rex Rom.ordinauerat,à ciuibus exigeret,subito lite exorta,suadente pestifero consilio,cum duobus liberis suis ac ducentis militibus, & fere mille aliis hominibus suis (proh dolor) in Quadragesima ante Ecclesiam B. virginis à prædictis ciuibus & vulgo est miserabiliter occisus. Reuertamur ergo ad propositum. Et quia natura humana semper prona est ad litigium, videns Rex Boemiæ, quod nihil proficeret,restituit Australibus obsides & captiuos, diademata vero Regis Vngarię reddere noluit, asserens quod hæc & alia iuueni Regi Vngariæ adhuc puerulo,vsque dum veniret ad annos discretionis, dignius quam alius,& fidelius teneretur propter lineam consanguinitatis conseruare. Frequenter vero prædicto Romanorum Regi scribebat verba pacifica in hunc modum,sed in dolo: *Serenissimo Domino suo R. Dei gratia, Romanorum Regi semper Augusto, Ottacarus Dei & sui gratia Boemie Rex, &c.* Iterum Haintricum illustrem Ducem Bauariæ, ac alios Principes circa Rhenum, tam seculares quam spirituales, sua corrupit pecunia, qui omnes obliti iuramenti & fidei suæ sereniſſimum Regem Romanorum Rudolphum penitus solum dereliquerunt. Porro Rex Boemiæ iterato collecto exercitu forti magno cum machinis & diuersis instrumentis & armis bellicis, manu valida Austriam ingreditur,prius Pragæ à suis licentiatus, & ab omni clero & populo vniuerso cum multis gemitibus processionaliter de ciuitate eductus, quamuis (quod dictu nefas est) nunquam literas diffidentiæ Regi Romanorum præmisisset. Et quia fraus & dolus non debet alicui patrocinium impertiri *. Rudolphus vero Romanorum Rex, qui sic ab eo fraudulenter circumuentus fuerat, cum Australibus & Stirienſibus peroptime expeditis, & paucis Sueuis præsente Rege Vngariæ cum suis, quum tamen vix vnum pugnantem adhuc contra duos aduersarios,& non nisi CCL. dextrarios faleratos contra MC. parte ex aduersa haberet, sæpe dicto Regi Boemiæ viriliter cum suis paucis in Deo ponens spem suam,quia Domini est salus. VII. autem Kalend. Septembris, quæ fuit feria sexta proxima post Bartholomæi, in campo qui vulgariter dicitur Idunspengensis, circa Marchiam, & vtraque parte ad prælium conuenerunt, ordinatisque hinc inde agminibus, Rex Romanorum tam Comanis, quam Christianis pro signo nomen Christi præcepit inuocare, vt vbicunque essent die illa in bello pariter vel dispersi,hoc nomen Christi à quolibet clamaretur. Itaque nomen Dei gloriosum & benedictum Christi, quod exercitui Regis Romanorum in signum datum fuerat,quod semper antea ab incredulis Comanis, & à Semichristianis Vngaris blasphematum & pro nihilo fuerat reputatum, hac die communiter tam à Comanis,quam à Christianis inuocando sæpissime repetitis vicibus, *Christus, Christus*,alta voce ab omnibus proclamatur. Rex vero Boemiæ suis exercitibus pro signo dederat clamare, *Praga, Praga*,cuilibet album peplum circa collum ante & retro vsque ad cingulum in modum stolæ diaconi. Sicque bellum commissum est ab vtrisque; in quo primo conflictu Romanorum Rex, occiso à quodam sub eo dextrario prostratus in terram prosiliit, & cito à suis fidelibus subleuatus iterum ad pugnam progreditur; & ecce mirum in modum totus exercitus Boemorum superatus, terga in fugam verterunt, relicto Rege suo solo; pars autem aduersa eos insequentes sine defensione eos trucidabant; alia vero pars in fuga flumen transire cupiens submergebatur,descenderuntque in profundum gurgitem quasi lapis in modum quondam Ægyptiorum in mari rubro. Iam enim equorum spuma elemento mixta colorem suum mutauerat eo loco, & sanguis occisorum & vulneratorum ac submersorum super nudos gurgites fluebat. Plures etiam ex eis à Comanis capti, vinculati, vulnerati miserabiliter deducebantur, raptis & spoliatis thesauris Regis Boemiæ, in curribus & in tentoriis suis & suorum inuentis. Quidam etiam alii venientes Regi Boemiæ in adiutorium cum copiosa multitudine,antequam peruenirent ad exercitum, videntes & audientes fugam Boemorum, reuertentes fugiebant, & ipsi absque persequutore. Miserum vidisses spectaculum in campo iacentium, inæstimabilia corpora hominum occisorum, cadauera equorum innumerabilium in suo cruore volutantium, viscera heroum

Vrkdbrieff.

Losung: Christus.

Boemorũ fuga.

à canibus & auibus circa trahentium: & non erat qui sepeliret. Ipse autem Rex Boemiæ inclytus ab hostibus capitur, trahitur, percutitur, ab equo eiicitur, à Berchtoldo dapifero de Emretvverch ac aliis multis nobilibus nimium fessus ad terram deiicitur, & per ceruical lancea perforatur, ac aliis plagis affectus, vltimo gladio transfixus in eodem loco mortuus est. In illa die cessauit iugum Boemorum super Australes, Stirienses, Carintianos, quos indebite per longa tempora afflixerant. Quosdam etenim nobiles idem Rex ad caudas equorum per ciuitatem suam traxerat, vltimo catenis ferreis ad commune patibulum suspenderat, quosdam etiam in turribus suis Viennæ combusserat: alios vero decollauerat, taliaque & similia multa ipse & sui homines perpetrauerunt. Vidisses cateruatim decem millia & sæpe plures Comanorum, qui odio eius Morauiam, Austriam, Stiriam intrabant, & flammis, rapinis virorum ac mulierum, puerorumque vltra * millia deducentes ad paganistium * exulabant. Ipse etiam in quantum potuit, eis vicem reddidit. Et sic in eo repletum est verbum Prophetæ dicentis: *Sicuti feciſti aliis, fiet tibi: Retributio tua retribuet tibi.*

Ottacari casus.

Nunc igitur, quod incepimus, perficiamus. Rex igitur Vngarię (vt prætactum est) cum suis sumptis spoliis & captiuis per Boemiam remeare proponebat, sed Romanorum Rex nullatenus permisit, tanquam homo pacis amator, ne Christiani per Boemiam degentes, Comanorum rabie prorsus inficerentur, ac destruerentur, & sic ad propria sunt reuersi.

Rudolphus vero Romanorum Rex Morauiam intrat cum suo exercitu, quam per omnia sibi subiugat. Quum autem versus Pragam iter vellet arripere, illustris Otto Marchio de Brandenburg, qui post obitum auunculi sui Regis Boemiæ, ciuitates & castra in regno Boemiæ, thesauros quoque ipsius Regis arripuerat, ei resistere nitebatur. Venientes ergo ambo cum suis exercitibus fortissimis & ingenti apparatu armorum vsque ad Coloniam iuxta Albiam, mediantibus Principibus, & aliis nobilibus multis, inter eos pace reformata sub hac conditionis forma amicabiliter inter se conuenerunt; Quod relictus iuuenis filius Regis Boemiæ piæ recordationis filiam Regis Romanorum (sicut olim adhuc patre viuente ordinatum fuerat) legitime duceret in vxorem: fratri vero Marchionis prædicti etiam filia Regis Romani ibidem desponsatur. Sicque regnum Boemiæ & puer iuuenis Regulus super fidem suam Marchioni est commissus. Regi vero Romanorum Morauia ad quinque annos est commissa, & sic ad Austriam rediit cum triumpho, totus etiam clerus & congregationes religiosorum virorum cum crucibus & vexillis & reliquiis ei occurrentes cum gaudio eum receperunt, cantantes R. in hymnis, & confessionibus, &c.

Rex autem Vngariæ (vt supra dictum est) cum suis reuersus ad propria per totum regnum suum mandauit diem occisionis Regis Boemiæ solenniter celebrari, nec quippiam operis illa die faciendi, nisi choreas ducere. Exasperatio enim longissima vigebat inter eos, & hæc eis odii fomentum ministrabat. Ipse enim Rex Boemiæ cum antiquo Rege Vngariæ Bella quondam cum innumerabili exercitu pugnauerat, & quamuis Rex Bela inęstimabilem exercitum haberet, tamen Rex Boemiæ in publico deuicit eum: post mortem vero eius successit Stephanus filius eius, qui regnauit pro eo, cum quo similiter Rex prædictus Boemiæ diuersa bella exercuit. Iacuit etiam in Vngaria potenter cum ingenti exercitu & copioso nimis, diebus multis & ab antiquis temporibus vsque in hodiernum diem; neque in Chronicis, nec in gestis Regum vel Imperatorum legitur hoc factum fuisse. Postmodum castra Regis Vngariæ in confinio sita Austriæ destruxit, & funditus subuertit, ita quod non remansit lapis super lapidem. Item sui homines nocturno tempore Bosonium castrum violenter obtinuerunt, ciuitatem flammis succenderunt, ita quod ciues & vxores ac filiæ eorum, & aliæ mulieres vix arreptis palliis, quædam camisiis, aliæ vero peplis, vel

Bohemorũ in Vngaria acta.

quicquid

quicquid præ manibus inuenire poterant, quidam vero nihil, omnes sic ad domum fratrum Minorum confugerunt, & quam plures nude super stramẽ tota die ibi sederunt, Episcopum etiam Georinum in proprio castro ceperunt, & ciuitatem potenti manu obtinuerunt, ipsum quoque Episcopum in vinculis suis diu captiuum detinuerunt: non multo post Meterensem * Episcoparum destruxerunt, & combusserunt, viros etiam & mulieres qui ad Ecclesiam confugerant, trucidabant, pueros autem in cunis iacentes Boemi per pedes arripiebant, & eos ad columnas lapideas Ecclesiæ collidebant.

Pro talibus & his similibus & ipsi Vngari & Comani (vt supra dictum est) Austriam & alias terras Regis Boemiæ incendio & rapinis deuastabant, viros quoque, mulieres & paruulos velut pecora per turmas secum deducebant, raroque fuit pax inter eos. Mortuo Stephano Rege Vngariæ Ladislaus filius suus regnauit pro eo, cum quo etiam Rex Boemiæ multa bella exercuit, vsque ad aduentum Regis Romanorum, tunc excussum fuit iugum Boemorum à cerui-cibus Vngarorum, à quibus grauiter opprimebantur. Reuertamur ergo ad materiam.

Rex autem Boemiæ illa die qua occisus est nudus, vt egressus de vtero matris suæ fuerat, per prædictum Bertholdum dapiferum plaustro supponitur, & in Marchekam ducitur. *Ottakari sepultura.*

O mira Dei dispositio, & tremendum eius iudicium, quod tantus Rex & Princeps sublimis diuersarum prouinciarum, mundanarum diuitiarum opulentissimus, qui dominabatur à mari vsque ad mare, qui aliis magnifice dona donauerat, non habet vbi caput suum reclinet, vel vnde sua tegat verenda. Heri multis nobilibus imperabat, hodie vnus imperat ei: Heri cũ suo exercitu terram tegebat, hodie tegitur à terra, heri aliis purpuram dabat, hodie non habet vnum linteamen. De Marcheka vero ducitur in Viennam, ibique lamentabiliter suscipitur, & ad Scotos ponitur, mane de domo Scotorum cum toto Clero & religiosis sub silentio, nullo cantu præmisso, nullis campanis pulsatis ad domum fratrum Minorum deportatur, ibique nuda facie omnibus ostenditur, postea exectis interioribus corpus speciebus conditur, lineis mundis & purpura à Regina Rom. datis inuoluitur, & in capitulo fratrum Minorum intumulatus, nullis infidelium pro eo exequiis celebratis, nec campanis pulsatis, nec missis dictis, fere xxx. hebdomadibus in pheretro cõseruatur, deinde venientes sui Boemi receperũt eum, & assignauerunt eum fratribus Minoribus in Zueyma, ibique iacet intumulatus vsq; in hodiernum diem, & merito, Domini operante iudicio, vt qui alios occidit, Ecclesiasticamq; sepulturam negauit, ipse puniatur in eadem.

Dux Brabantiæ, & socer suus Comes Flandriæ, & alii xx. denominati & magni Comites, magnum & innumerabilem ac nostris temporibus inauditum colligentes exercitum (sicut Regi Romanorum in literis, quas vidimus & alii plures, demandatum fuit) duodecies centum millia vsque ad ciuitatem Aquisgrani, & ad partes Coloniæ peruenerunt. Sed nullus inter eos nisi vix quatuor viri processum eorum agnoscere potuerunt, nihil etiam egerunt, & sic sine aliquo fine certo determinato ad propria sunt reuersi.

Notandum etiam inter cætera, quod curialis & mirabilis casus Wiennæ accidit, & quamuis sit sine vtilitate, tamen pro curialitate, quia inconsuetum est, ponimus. Dominus enim Otto de Haslovve ministerialis Austriæ iam centenarius & vltra, cum filio pronepotis sui Hugone tantũ tures, * qui eodem die à rege Rom. accinctus est gladio, hastiludium honorifice exercuit. *.

MCCLXXIX.

Dominus Philippus Apostolicæ sedis legatus Vngariam venit, Vngaros Christianos, qui Christianam vitam fere obliti fuerant, & Comanos ad fidem Catholicam studuit reuocare; sed Ladislaus Rex eorũm vna cum ipsis paganis & Vngaris suis sanis monitis legati noluerunt obedire.

MCCLXXX.

Saturnus planeta apparuit IV. Kal. Februarii, ab hora IX. vsq; ad XI. horam dici artificialis. Dominus Petrus Patauiensis Episcopus obiit Kal. Maii, Dominus Wichardus substituitur, & Dominus Chun Hinpergarinus in Episcopum Kiemensem eligitur, qui simul ab Episcopo Tripolitano Apostolicæ sedis legato Wiennæ consecratur III. Non. Maii. *Chiemsee.*

Mense Iulio inundatio maxima fit, Danubius multa ædificia circumquaq; destruxit.

Mense Augusto IV. Non. tonitrua, grando, coruscationes & impetus pluuiarum fit in Austria ita, quod minimæ ripæ ex insperata velocitate accrescendo homines extinxerunt. Venti quoq; nimium validi circa Lilemvelt supellectilia veluti sunt dolia & scrinia * vltra montes ad quatuor stadia detulerunt. Dominus Rudolphus Rom. Rex contra Ottonem Marchionem de Brandenburg versus Boemiam mouens in autumno, sed per copulationem puerorum videlicet Ludouici Comitis palatini & ipsius Marchionis, bellum est sopitum.

MCCLXXXI.

Filia Regis Rudolphi ducitur versus Apuliam, quæ nepoti Regis & senatoris Karoli copulatur. Anna vero mater eius, dum ipsam transmissam nimium lugeret, moritur præ dolore XIV. Kal. Maii: cui celebratis solenniter Wiennæ obsequiis versus Basilicam ducitur ad sepulturam. Hiems multum aspera fuit in fine Februarii, nix in multis terminis coaceruatur, quod multæ villæ vix apparuerunt. Dominus Rudolphus Rom. Rex Austriam egreditur versus Franconiam, & ad partes Rheni procedens filium suum Albertum Austriæ & Stiriæ constituit prouisorem.

MCCLXXXII.

Rudolphus Rex Augustæ curiam celebrat, ibiq; de consilio & voluntate nobilium qui aderant, Albertum filium suum Ducem Austriæ & Stiriæ constituit, & Rudolphum Ducem Sueuiæ creauit. Terræmotus factus circa Nouam ciuitatem XV. Kal. Iunii. Et ecce mirum in modum ibidem quædam puella octo annorum concepit per seruum decem annorum, & peperit, & partu moritur.

Mortalitas maxima animalium fit in Austria. Comes Hinrannus filius Regis Rom. Rhenum nauigio descendere cupiens, cum aliis XVI. nobilibus submergitur, XIII. Kal. Ian.

Maxima mortalitas hominum fit per Boemiam & Morauiam, nam Pratenæ, Brunnæ, & alibi defuncti innumerabiles velut fœnum, in curribus ad agros ducebantur, ibi in fossis profundis cateruatim obstruuntur tempore hyemali & veris.

Dominus Rudolphus Rom. Rex apud Augustam filiis suis Alberto & Rudolpho terras Sueuiam, Austriam, Styriam, Carinthiam, Marchiam Portus Naonum contulit mense Decembri.

MCCLXXXIII.

Karolus Rex Siciliæ, Senator Vrbis, à quodam Rege Nauarræ vincitur in magna parte terrarum suarum. Dux Albertus primam expeditionem suam contra Hainricum Ducem Bauariæ mouit propter Austriæ superioris, quam pater suus genero suo Ottoni filio Diniſch * obligauerat, filia prædicta à filio priori iã defuncta, sed in confinio Nerisned per Comitẽ Michel de Goritia, illa guerra est sopita.

MCCLXXXIV.

Post natiuitatem Domini Ladislaus Rex Vngariæ prope terminos Austriæ cum multis millibus Vngarorum & Comanorum castrum Perusca cuiusdam Comitis sui expugnare conabatur, sed propter improbitatem suorum nil profecit, & sic reuersus est ad propria.

Dux Austriæ Albertus filius Rudolphi Rom. Regis tria castra Conradi Simrovvarii infra paucos dies post Pentecosten expugnauit.

Pseudo-Fridericus II. Eodem tempore maximi insonuerunt rumores fere per totam Alemanniam de aduentu quondam Friderici Imperatoris, & cum fere omnes Renenses ad se

retra-

retraxiſſet, ita quod pro vero habebatur, tandem à Rudolpho Rege combuſtus eſt.

Rex Arragonum bellum commiſit cum Carolo Rege Apuliæ, Siciliæ & Calabriæ, fratre claræ memoriæ Domini Ludovvici quondam Regis Franciæ, occiſaque ex vtraque parte innumerabili multitudine tandem Rex Arragonum potenter victoriam obtinuit, fugato turpiter Karolo de bello, quamuis Papa tota virtute ſua, cum ſuis hominibus & pecunia totius Eccleſiæ ei aſſiſteret. *Martinus II.* Qui Papa in tantum odio habebat Teutonicos, quod ipſe frequenter optabat effici ciconia ſub hac forma, quod Teutonici in paludibus eſſent ranæ, vt ſaltem ſic eos poſſet deuorare, aut in lacu eſſet lucius, & ipſi piſces, quod ſic eos poſſet deglutire. *Papa odiuit in Germanos.*

Filius vero Karoli maior natu collecto exercitu magno valde & forti, cupiens patris iniuriam vindicare, proceſſit contra Regem Arragoniæ, ordinatisque hinc inde agminibus bellum committitur, proſtrataque ex vtraq; parte maxima multitudine filius Caroli vincitur, capitur, vinculatur, reliqui homines ſui in villis, in ciuitatibus occiduntur, quidam manibus & pedibus mutilantur, & ſic omnes penitus extirpati ſunt de illa terra.

In æſtate in partibus Auſtriæ circa Spangenberch, in meridie facta ſunt fulgura ac tonitrua horribilia, & coruſcationes, & nubium diſruptiones, ac pluuiæ ingentes, in tantum quod aquæ de vicinis montibus defluentes in villis circa adiacentibus cooperiebant domos, & horrea, ſubmerſaque eſt ibi in quibuſdam villis multitudo hominum cum paruulis & mulieribus, pecoribus & iumentis; quidam qui euaſerunt, fugerunt ad montes, & turres, & Eccleſias. Poſtmodum vero multa corpora hominum in campis & abruptis montium & petrarum ſub ſabulo & arena mortua ſunt inuenta. Miſerum erat videre ſpectaculum pueros ad mamillas matrum pendentes, paruulos in cunis ſuper vndas fluentes, & non erat qui adiuuaret. *Spanneberg.*

MCCLXXXV.

Comani & Tartari cum innumerabili multitudine intrauerunt Vngariam, & vaſtauerunt eam, & occiderunt, & deduxerunt ex ea innumerabiles viros & mulieres, & paruulos eorum; tandem vero ab incolis terræ circa ſeptem caſtra turpiter ſunt de terra fugati, occiſa ex eis innumerabili multitudine, reliqui vero qui euaſerunt, quamuis pauci fugientes, latitantes inter montes & valles nemoroſas, diuino iudicio ibidem fere omnes perierunt. Nam Dominus, qui vbique eſt protector in ſe ſpectantium, miſit ſuper eos niues & pluuias ingentes, confractiſque nubibus ſuper eos tanta inundatio aquarum irrupit, quod fere omnibus ſubmerſis pauci ex eis euaſerint. Poſt Paſcha mortuus eſt Papa, Teutonicorum inimicus Martinus, cui ſucceſſit Honorius IIII. In octaua Paſchæ obiit magiſter Godfridus Patauienſis epiſcopus, quondam notarius domini Rudolphi Romanorum Regis; cui ſucceſſit dominus Wernhardus Prampeth plebanus Wiennenſis. *Siluenſes.* *Honorius IIII. pp.*

Poſt feſtum Trinitatis Zabiſch quidam Supanus Boemiæ ſolenniter Pragæ celebrauit nuptias ſuas cum domina Chunigunde relicta domini Ottacari, quondam Regis Boemiæ.

Otthus * Landgrauius Thuringiæ Wiennæ cum magna ſolennitate duxit in vxorem dominam, filiam Mainhardi comitis Tirolenſis Elizabeth, ſororem Ducisſæ Auſtriæ, præſentibus epiſcopis Friſingenſi & Seccouienſi, ac nobilibus & miniſterialibus fere cunctis Auſtriæ & Carintiæ.

Dominus Rudolphus Rom. Rex in Egra ſolenniter celebrauit nuptias filiæ ſuæ, quam tradidit filio domini Ottakari piæ recordationis quondam Regis Boemiæ, quem etiam ibidem in Regem Boemiæ coronauit. Frater Eberhardus ordinis fratrum Auguſtinenſium floruit generalis, & ſolennis prædicator, ad cuius ſermonem plus quam C. millia hominum cateruatim confluebant; poſtmodum à quadam ſorore toxicatus fuit veneno & mortuus, ſepultus in eccleſia S. Stephani circa altare S. Iohannis Euangeliſtæ.

Bellum Regum Arragonie & Francie.

Post festum S. Iohannis Baptistæ Rex Arragoniæ, postquam Karolum Regem auunculum Philippi inclyti Regis Franciæ potenter expulit de regno Apuliæ & Siciliæ, suosq; homines radicitus exterminauit de terris illis, decollauit * filium Caroli Regis, quem tenebat in vinculis, qui post eum regnaturus erat, Rex autem Franciæ ægre ferens hæc, & alia complura Carolo auunculo suo à Rege Arragonum facta, cum dissimulare nequiret, vindicare cupiebat, collecto exercitu grandi ac inæstimabili cum forti robore intrauit prouinciam S. Ægydii, fultus auxilio Ducis Brabantiæ, comitissæ Flandriæ, Hollandiæ, & Picardiæ, Ducum Lotharingiæ ac Burgundiæ, ac aliorum multorum nobilium & Episcoporum ac Archiepiscoporum diuersarum prouinciarum, Rex quoque Angliæ miserat ei in adiutorium VII. millia militum ad pugnam electorum, sed cum per mare Anglicũ vellent transfretare, flante contrario vento Aquilonari (à quo panditur omen malũ) omnes submersi sunt in aquis vehementibus, nec vnus quidem euasit ex eis, Rex autem Arragonum cum Rege Hispaniæ, ac Rege Sarracenorum, Granati, & aliis nobilibus, Baronibus, Ducibus & comitibus, cum innumerabili exercitu manu valida & forti nimis ei occurrit, & cum intrasset prouinciam terram quondam Caroli cum exercitu suo, omnium obtinuit mũnitiones, omnes ciuitates & villæ subdiderunt se sibi, omnes honorifice & solenniter susceperunt eum in Dominũ: quia formido & pauor irruerat super eos propter fortitudinem sui exercitus, qui cooperuerat vniuersam superficiem illius terræ. commissumq; est bellum, & cecidit totum onus prælii in die illa super Regem Franciæ, & aggrauatum est bellum nimis super exercitum eius, & corruerunt in ore gladii ad æstimationem XI. milliũ militum, inter quos occisus est illustris Dux Brabantiæ cũ aliis nobilibus multis præcone Regis Arragonum per exercitum valenter clamante & ex parte ipsius districte imperante, quod neminem occidant nisi milites galeatos, Knapones vero & scutiferos illæsos permittant abire. O Deus omnipotens qui facis mirabilia magna solus, quam incomprehensibilia sunt iudicia tua, & inuestigabiles viæ tuæ, quia te sustinẽte tantus sanguis Christianorum effusus est, ibi abiectus est clypeus fortium, & hasta eorum confracta. Ibi Dux Lotharingiæ, cum fratre suo Episcopo Metense, cum paucis fugam arripiens vix euasit. Ibi ipse illustris Rex Franciæ à sagittariis insecutus comprehensus est, quasi non esset vnctus oleo, & præsentatus Regi Arragonum: sed propter excellentiam & dignitatem tanti Regis noluit eum Rex Arragonum captiuum secum ducere ad alienam prouinciam, sed commisit eum diligenter ac honorifice custodiendum Comitissæ Campaniæ, quousq; Dominus Papa & alii Principes Ecclesiæ deliberauerunt de concordia & de pace reformanda inter eos, & sic ad propria cum triumpho reuersus est cum gaudio, attamen vulnus accepit in prælio, de quo postea mortem incidit.

Pribislaus R. Bohemie.

Post occisionem incliti Regis Boemiæ Domini Ottaeari felicis recordationis, Primizlaus filius eius adhuc puer sub tutoribus & actoribus vsque ad præfinitum tempus nutriebatur, & cum iam adoleuisset, cœpit regere Anno Domini MCCLXXXVI. Sed sui eum pro nihilo reputantes, bellis, rapinis ac incendiis cõtra eum rebellantes, destruebant terram suam. At ipse contra eos collecto exercitu, viriliter more patris sui obsedit castra eorum, & ciuitates eorum destruxit, munitiones confregit, & quos cepit diuersis mortibus crudeliter affecit: nam quosdam eorum decollauit, alios vero in patibulis suspendit, reliquos autem in rotis confregit, ita quod in quodam campo videbantur plusquam D. corpora hominum in rotis, in patibulis, canibus & auibus laceranda exposita: sicque reddita est pax terris suis. Eodem anno per totam Austriam & in quibusdam aliis prouinciis contigit res prius inaudita, & à nostris prædecessoribus inuisa, nam gallinæ præcipue & in syluis innumerabiles auiculæ sanæ iam exeuntes subito moriebantur, iamq; aer & cœlum spoliabatur suis auiculis, in tantum quod picæ, & corui, ac aliæ aues raro videbantur.

MCCLXXXVII.

In quadragesima, Dominica qua cantatur lætare Ierusalem, Legatus quidam missus à Papa in Herbipoli conuocauit omnes Archiepiscopos, Episcopos, ac alios

alios Prælatos totius Alemanniæ,& exigebat ab eis omnem decimationem ecclesiarum suarum quinque annorum futurorum. Qui omnes vno animo contradixerunt ei,rebellantes contra eum, occiso ibi in quodam tumultu filio sororis suæ, ac alio quodam nobili Romano, qui & ipse vix euasit protectus à Domino & Rege Rom. & sic imperfecto negotio rediit ad propria,& in proxima cœna Domini mortuus est Papa qui eum miserat. *Exactio Papæ a Clero.*

Albertus Dux Austriæ collecto exercitu cum Stirienſibus & Australibus intrauit Vngariam, & obsedit Bosonium: ciues autem cum communi consilio tradiderunt ei ciuitatem, castrum vero expugnauit, & posuit homines suos in eo.

MCCLXXXVIII.

Dominica proxima post festum Omnium Sanctorum translatus est S. Virgilius,Salzpurgensis Eccleſię quondam Archiepiscopus,à venerabili patre & Domino Rudolpho tunc temporis eiusdem ciuitatis Archiepiscopo ac sedis Romanæ legato, præsentibus octo Episcopis suffraganeis suis in maxima solemnitate, cum innumerabili multitudine nobilium & aliorum hominum vtriusque sexus, & religiosarum personarum, qui omnes cum magna deuotione ad gratiam copiosæ indulgentiæ de diuersis prouinciis ibi conuenerant. Cateruatim quippe cum incredibili multitudine ruebant populi, in tantum quod ibi equi & homines in pressura moriebantur.

MCCLXXXIX.

Exorta est quædam controuersia,inter prædictum Salzpurgensem Archiepiscopum, & Dominum Albertum illustrem Ducem Austriæ, pro quodam castro quod ei prædictus Episcopus destruxerat. Pro qua indignatione Dux commotus collecto exercitu potenter contra Episcopum properauit, pulchrum castrum Episcopi cum quatuor turribus Phandorf dictum, circa Iudenpurg situm, vallauit,breui expugnauit & destruxit,pergens vltra ciuitatem Frisanensem,dicti Episcopi obsedit & obtinuit & succendit, muros quoque confregit,multisq; malis ibi prædis & rapinis perpetratis cum suis reuersus est ad propria. Eodemque anno Dux prædictus inuictissimus missis exercitibus suis cõtra quoddam castrum fortissimum & quasi inexpugnabile Falcstain dictum in Bauaria situm,per quod apud domibus * castri illius homines sui & mercatores diuersarum prouinciarum tam in aquis quam in terris, magnum patiebantur detrimentum per prædas & rapinas & hominum captiuitates,cum castrum diu fuisset obsessum, homines qui erant in eo fame & siti diu cruciati cum diutius durare non possent, castrum tradiderunt,sicq; abire permissi. Dux in eo posuit homines suos,& quod sui prædecessores nunquam expugnare potuerunt,hodie cum triumpho obtinet & possidet. *Fandorff. Iudenburg.* *Falckestein.* *.

Comes quidam Vngarus Ivvanus nomine, siue Iohannes (quod idem est) filius Comitis Hainrici, homo malignus & totus tyrannus, cum multis annis rebellasset contra Regem Vngariæ Dominum suum, nec eum idem Rex sibi subiugare nec vincere posset, obstinatus in sua malitia etiam fines Vngariæ transgressus Austriam prædis & rapinis deuastabat, Stiriam quoque, & vndique circa metas Vngariæ velut lupus rapax deprædatus est. Inuictissimus autem Dux Austriæ Albertus, cum diutius dissimulare non posset, collecto exercitu magno & forti contra eum, volens ipsum velut malum vicinum eliminare à finibus suis, potenter Vngariam intrauit, & viriliter expugnauit, ac deuicit ciuitates, castra, munitiones & oppida armis diuersis & machinis, & victoriam obtinuit contra fautores & complices Comitis prædicti, primo videlicet Mertinstorff, Cheruellenpurch, Rorpach, Paumgarten, Walbramstorf, Innerpudemstorff, Chreinstorff, Sanct Margrethen, Odenburg, Nekendorff, Chobelstorff, Landeser, Traizendorff, Rekinez, Stainperge, Pilgreimstorff, Wilamstorff, Pinkeuelde, Reterstachen, Alberndorff, Stegraifepach, Oreiueste, das drin vvarten, Nicolasturn, Sleunz, Percholstorff, *Ivvanus Vngar.*

Rumpolstorff, Neubaden, Wergestorf, Brandorff, Wardeſcricken, Ludenshuſen, Zuchanochſen, Avvet, Iſenenburg. Interim quod hæc fiebant, Epiſcopus Vezprimenſis, frater comitis prædicti, homo malignus, plus diligens iniquitatem quam benignitatem, multa mala excogitauerat, contra Auſtriam, & plura prius ſpoliis & rapinis vna cum fratre ſuo perpetrauerat, proponens fratri ſuo venire in adiutorium conuocatis quibuſdam comitibus Vngaris, dum ſuper hoc deliberarent, quidam eorum ab eo verbis & factis exacerbatus gladio exempto eum transfixit, & ſic diuina vltione qui male vixerat turpiter periit, & Epiſcopatum eius accepit alter. Dux igitur Auſtriæ omnibus ſupradictis feliciter cum triumpho expugnatis ac deuictis, quia inſtabat meſſis, & homines ſui clandeſtine, ab eo recedebant, reuerſus eſt ad propria. Completa meſſe Dux iterum collecto exercitu cum Auſtralibus, Stiriẽſibus, Carinthianis, quibus maxime præ ceteris ibi in ſtrage male ſucceſſit, Sueuis quoque ac Bauaris & Boemis, ſecundo intrauit Vngariam, portionem ciuitatis Comitis Yvvani ſupra dicti Gunſam nomine potenter obſedit. Homines autem illius ciuitatis ad arma currentes, ſuper muros ciuitatis & in propugnaculis vndique ſe viriliter defendebant, nam machinarum lapides, baliſtarum & arcuum ſagittas velut imber ſuper eos volantes pro nihilo reputabant, inſultus hoſtium minime curabant, muro ciuitatis interius vulneratorum vndique ſanguine reſperſo, & quia Comes prædictus filios eorũ obſides receperat, fortius dimicabant. Tandem machina quadam, Priapus dicta, muro ciuitatis magna parte interrupto cum exercitus Ducis per foramen violenter intraret, adhuc Vngari interius lanceis & ſagittis, gladiis & ſecuribus, lapidibus quoque & luto locum fortiter defendebant. Miſerum vidiſſes ſpectaculum, nam illic viri de muro ſuper homines intrantes ligna & lapides, illic mulieres aquam calidam & ſæpes ardentes, iſthic aluearia apum cum ipſis apibus proiiciebant. Sed cum non poſſent præualere, ignem mittentes totam penitus ſuccenderunt ciuitatem, & fugierunt ad caſtrum. Caſa autem fratrum Minorum penitus combuſta, arreptis calicibus & libris ac ornamentis Eccleſiæ receſſerunt, paucis vero diebus tranſactis caſtro machinis expugnato, muro funditus ſuffoſſo in magna parte corruit. Caſtellanus autem cum ſuis abire permiſſus, Dux ſuis hominibus & expenſis caſtrum munit, & ſic feliciter cum victoria reuerſus eſt ad propria.

MCCXC.

Circa natiuitatem Domini Dux Auſtriæ iterum collecto exercitu intrauit Vngariam, & caſtrum quod Mons S. Viti dicitur, potenter expugnauit & obtinuit, prædam magnam duxit & receſſit.

Inclitus Dux Bauariæ Hainricus mortuus eſt, cui ſucceſſit Otto filius ſuus.

Rudolphus Romanorum Regis filius cum Pragæ vellet viſitare ſororem ſuam Boemiæ Reginam, mortuus eſt. Venerabilis pater Dominus Rudolphus Salzpurgenſis Archiepiſcopus obiit, cui ſucceſſit Stephanus filius Hainrici Ducis Bauariæ. Eodem anno inueniebantur violæ in Natiuitate Domini, & in circumciſione, & Epiphania, & deinceps per totam Auſtriam arbores produxerunt flores in hortis & pomariis, ſicut in Maio, & qui vidimus teſtamur, quia inſolitum prius fuerat.

Ladislaus Rex Vngariæ à quodam Comano occiſus eſt, & quidam qui dicebat ſe fratrem ſuum eſſe, & potenter volebat regnare, ſubmerſus eſt.

Andreas Eſtenſis. Andreas Marchio de Æſte, Longobardus quidam, prius ab Vngaris repulſus & fugatus, iterum intrauit Vngariam, & benigne ab eis receptus, & in Regem coronatus. Nobilis Dux Henricus Prezlauienſis mortuus eſt.

Ludvvicus filius Ludovvici Palatini iuuenis bonæ indolis, diſciplina & virtute compoſitus, in haſtiludio lancea per collum transfixus mortuus eſt. Zabiſius Sopanus quidam nobilis & potens Bohemus, qui relictam Domini Ottacari Boemorum Regis Reginam duxit in vxorem, & poſt mortem eius cognatam ipſius Regis Vngariæ ſororem de ordine prædicatorum receptam duxit in coniugem, Aſticolao Duce Oppanienſi pro ſuis maleficiis decollatur.

Andreas

MCCXCI.

Andreas Rex Vngariæ, de quo prius mentio facta est, collecto exercitu maximo & forti pugnatorum & sagittariorum ad æstimationem LXXX. millium Cozionum, Walachonum, Ruthenorum, Comanorum, Vngarorum, septem castrorum, Austriam nemine sibi resistente potenter intrauit, per internũtios Comites & Episcopos castra sua & ciuitates, quas Dux Austriæ Albertus possidebat, humiliter & benigne repetens, & tanquã homo pacis nec ipsum Ducem, nec terrã suam volũtatie offendens, si Dux admissis & suis petitionibus acquieuisset, vtpote qui ab ipso Duce cum tota familia, antequam Vngariam intraret, & regnum esset adeptus, Wiennæ degens victualia sua longo satis tempore ab ipso Duce receperat. Duce vero in sua pertinacia permanente, dum nil ei reddere vellet, Rex ad instantiam suorum à flumine dicto Leicha, qui diuidit vtramque prouinciam vsque ad ciuitatem Wiennam, & etiam ante ipsam ciuitatem, & à Wienna vsque ad Nouam ciuitatem prædis, incendiis & rapinis terram deuastauit. Insuper quasdam munitiones potenter expugnauit, obtinuit, & confregit, Ecclesias cremat, viros & mulieres & paruulos quos reperit captiuos duxit, segetes tempore messis tam per pabulum quam per incendium & conculcationem pedum equorum ac hominum penitus deuastauit: & talis pestilentia sex septimanis in terra ista durauit, & multo deterius huic terræ fecit, quam bella quondam potentissimus Vngarorum Rex olim cum maiori exercitu in terra ista iacens vnquam fecerit. Tandem mediantibus Episcopis & Archiepiscopis ac Comitibus Vngariæ, qui destructioni terræ compatiebantur, videntes hominum miseriam, matronarum ac virginum defloration em, virorum ex vtraque parte stragem, totius terræ cottidie inflammationem, secundum verbum Psaltæ dicentis, *Dum superbit impius, incenditur pauper*, pace inter Regem Vngariæ & Ducem Austriæ reformata sub hac forma; Quod ciuitates & castra quæ ad regnum pertinent Vngariæ, Regi restituerentur: quæ vero ad Comitem pertinerent Comitis Ivvani, confringerentur. ratum & firmum ab omnibus acclamatur, captiui redire permittuntur; sicque ex vtraque parte amici effecti cum multis lacrymis præ gaudio ab Episcopis & clericis solenniter, Spiritus S. auxilio deuote inuocato, & *Te Deum laudamus*, alta voce cantato, epulati sunt pariter principes, atque super sanctas reliquias ex vtraque parte firma pace & concordia iuncta lætanter reuersi sunt ad propria.

Austriæ iterum inuadatur.

Eodem tempore mortuus est Rex Romanorum piæ recordationis dominus Rudolphus, pater Ducis Austriæ, regni eius XIX. anno.

A Paganis & Soldano Babilonensi obsessa est Accoron in transmarinis partibus, ciuitas magna & fortis, & valida innumerabili exercitu paganorum, suffossisq; muris XVIII. die mensis Maii feria VI. in illa parte ciuitatis, in qua erat defensio Regis Cyprii die oriente pugna receperunt, ciuitatem obtinuerunt, omnes viros & mulieres & paruulos occiderunt, tantaq; strages ex vtraque parte ibi fuit facta, quod corpora occisorum in fossatum ciuitatis proiecta replerent.

MCCXCII.

Ministeriales quidam Stiriæ potiores oppositerunt se & rebellauerunt, & conspirauerunt contra Ducem Austriæ Albertum, inuocato aduersus eum aduersario suo Ottone Duce Bauariæ, cui etiam promiserant tradere terram illam, & recipere eum in Dominum. Qui collecto exercitu copioso, vna cum Domino C. Salzpurgensi Archiepiscopo, Stiriam intrauerunt, & multa mala fecerunt in terra. Quibus occurrens Dux Austriæ manu valida, cum magnis laboribus per vias grauissimas niuium, quæ eadem hyeme superabundabant, vix cum suis transiens, excepto quod plusquam DC. rustici exercitum præcedentes cum variis instrumentis per niues & loca deuia parabant ei viã. Qui cũ venisset, turpiter & confuse fugauit & expulit Ducem Bauariæ cũ suo Episcopo & suis fautoribus de terra.

Albertus Dux Austriæ.

Eodem anno prædictus Dux Austriæ seductus à Sueuis, per literas & nuncios solennes vocatus & rogatus est ascendere ad Rhenum, spondentes ei coronam regni, ac eligere eum in Regem Rom. Qui cum solenniter ascendisset, & Electores Principes regni die statuta conuenissent, vniformi consilio & consensu Adolphũ

ADOLFus Rex. filium ſororis Comitis Eberhardi de Cazenellebogen elegerunt in Regem Romanorum, ſicq; Dux Auſtriæ fruſtratus ſpe ſua, tamen exceptis ſex ſeptimanis anno vno manſit ibi, cum diuerſis diuerſa exercens prælia, in quibus omnibus feliciter ac proſpere ſuccedens, receptis a Rege Romanorum feudis ſuis reuerſus eſt cũ triumpho ad Auſtriam. Procedente vero tempore ſupra dicti Stirienſes humiliati, recommiſerunt ſe gratiæ ſuæ, dantes ei munitiones ſuas & recepit eos ad ſatisfactionem condignam. Iudæi in Crems occiderunt Chriſtianum.

NB.

MCCXCIII.

Rex Vngariæ, & Rex Boemiæ, Dux Auſtriæ, & Dux Bauariæ, ac Archiepiſcopus Salzpurgẽſis, quia eorum quidam diu diſcordes fuerant, de gratia Dei ad firmam concordiam reuerſi ſunt, & gauiſa eſt terra de pace inter Principes. Dux Auſtriæ a Rege Boemiæ rogatus ac inuitatus viſitare Reginam ſororem ſuam, Boemiam intrauit, ſolenniterq; a Rege conſobrino ſuo ac omnibus receptus nobilibus, excellentiſſimisq; xeniis & clenodiis à Rege excellẽter honoratus, amicabiliter ſeparati, reuerſus eſt ad terrã ſuã. Simili modo Rex Boemorũ à Duce Auſtriæ inuitatus Viennam intrauit cũ Regina vxore ſua, & copioſa turba nobiliũ, honeſtiſſime receptus eſt à Duce, duodecim diebus ibi moram faciens in maxima iocunditate nobilium, & Epiſcoporum qui ibi aderant, atq; à Duce glorioſiſſimis clenodiis honoratus reuerſus eſt ad terram ſuam, homines de pacis tranquillitate ſaluatoris laudantes clementiam.

MCCXCIV.

Celeſtinus V. pp. Petrus quidam Eremita Papa creatus, qui & Celeſtinus, hic cum à Carolo Rege Siciliæ Romam ductus eſt, ſignis diuerſis claruit, inter quæ hoc vnum, quod vinum dum à Cardinalibus bibere cogebatur (quia in ſpelunca ſua aquam tantum biberat) vinum cõuertit in aquam. Hic Gloniacenſem, Cyſterciẽſem Decanum, cancellarium Pariſienſem Cardinales conſtituit. Sed cum eſſet vir nimiæ ſimplicitatis, per Benedictum Caietanum Cardinalem, & per alios Cardinales potiores includitur, & præfatus Benedictus, qui & Bonifacius ſubrogatur, & Celeſtinus ab eodem magna cuſtodia propter ſignorum miracula, quibus claruit, & propter tumultuantem populum ad eum confluentem murabilibus obſtruxit, tantum ſola feneſtra admiſſa, qua alimenta modica poterant miniſtrari.

Bonifacius VIII. pp.

MCCXCV.

Secunda Dominica poſt Paſcha conſecratus eſt chorus in S. Cruce, cum altariis circumſtantibus, & capella infirmorum à venerabilibus Bernhardo Patauienſi, Seccouienſi Epiſcopis, ad quam conſecrationem tantus conuenit populus, vt non ſolum totũ clauſtrum, ſed & nemus circumquaque per dimidium milliare occuparet, patuit etiam introitus omnibus ſuperuenientibus tam viris quam mulieribus, per omnes officinas clauſtri, per totam octauam dedicationis. Tanta fuit auſteritas frigoris vt nix & pluuia plurimos facerent deficere inibi venientes.

Eodem anno mortuus eſt magiſter Gotfridus protonotarius Alberti Ducis Auſtrię, feria ſecunda in Pentecoſtes, Patauienſis, Wormatienſis Canonicus Wiennę, in Miſtelbach Harrantſtain, ad S. Vdalricum in noua ciuitate pluribus ordinis acolitatus, & ſepultus eſt in capitulo ad S. Crucem. Magiſter Penzo ſecretarius Alberti Ducis Auſtriæ, conſecratus eſt in abbatem S. Crucis.

Tanta peſtilentia in Apulia & per totam Lombardiam facta eſt, vt in curia Romana multi Epiſcopi & prælati mortui iacerent, & Carolus Marcellus Rex Siciliæ, & Vngariæ vna cum vxore ſua ſorore Alberti Ducis Auſtriæ infra XIV. dies mortuus eſſet. Tanta inundatio aquarum facta eſt, vt aqua Wiennæ hoſpitale ciuium, & fontem ante hoſpitale ſitum tranſcenderet, ita vt infirmi in lectulis natare, & vix aufugere viderentur. Et Ruintz qui à Satelpach dicitur, ad ſanctam Crucem per totum clauſtrum & ante liberiam * vſque ad quædam Eccleſiæ intrauit.

Circa natiuitatem B. Virginis tantus fuit ventus in Auſtria, vt crucem de ſiniſtra turri ad S. Stephanum Eccleſię parochialis in Wienna deiiceret. Terræ motus factus eſt tribus vicibus in die S. Cyriaci martyris.

Albertus Dux Austriæ & Stiriæ filiam suam seniorem dedit Marchioni de Prauburg in Gretz. Mortuus est Meinhardus Dux Carinthiæ, socer Alberti Ducis Austrię. Albertus Dux Austriæ & Stirię dolore oculorum nimiũ aquariis, imo vno oculo excæcatus, tandem morbis aliis accedentibus, in die S. Martini Wiennæ mortuus esse dicebatur, sed per Dei gratiam precibus adiutus pauperum in breui restitutus est pristinæ sanitati, cui ministeriales tam Austriæ quam Stiriæ resistentes contra eum in Stocharan, & in Crebenso simul conuenerunt, vt nisi consilio eorum annueret, & Sueuos, quousq; nimium dilexit, de terra eiiceret, cum pro Domino habere nollent. Per totam hyemem aura adeo lenis fuit, quod stupis bene caruissent homines si voluissent.

Adolphus Rex Rom. Misniam cum exercitu intrauit, ibiq; per totam hyemem commorans, terrã Misnensem potenter subiugauit, Chrentzpurg castrum & ciuitatem valde munitam destruxit. *Crentzpurg.*

Perierunt poma, ita quod in foro Wiennensi pro infirmis vix parua & corrupta inueniebantur, duodecim pro octo denariis. Ante carnis priuium Andreas Rex Vngariæ cum magna solennitate duxit in vxorem filiam Domini Alberti Ducis Austriæ. Eodem anno cum per totam terram Austriæ Dux Albertus Austriæ & Stiriæ crederetur esse mortuus (sicut superius in sexto capitulo scriptũ est) Archiepiscopus Saltzpurgensis putans esse verum, per suum Vicedominum misit armigeros suos, centum equites & duo millia peditum, qui reptabant in montanis & conuallibus sicut vulpes, qui combusserunt, & destruxerunt Duci Austriæ duas patellas salis, & quandam paruam sed curialem ciuitatem Trohneavve nomine, quam ibidem construxerat Dux prædictus, & damnificauit eum ad æstimationem fere singulis annis trium millium talentorum. Sed Domino cooperante, qui summus est medicus, cum conualuisset Dux à sua graui ægritudine, & à toxico quod sumserat, à quo etiam fere periclitatus fuerat, non præsumens de fidelitate Australium suorum, vtpote qui sæpe offensus fuerat ab eis (impingentes ei quod nihil daret eis nisi Sueuis suis, & quod omnes prouentus terrarum suarum transmitteret [illegible]ueuiam, & inde compararet sibi ciuitates & castra, & possessiones diuersas, & quod nobiles Dominas viduas & diuites relictas de terra, cõiugio quandoq; incopularet Sueuis suis, quod nec castra nec claustra ædificaret in terra, sicut fecerant prædecessores sui olim) misit ad Sueuiam & conuocauit eos, qui honeste manu armata cum copioso exercitu venerunt ei in auxilium, & multa mala fecerunt in terra, expugnantes & impugnantes illos qui opposuerant se sibi, inter quos quendam nobilem dictum Liechestatier de Falckstain, obtentis omnibus quæ habebat, qui multa mala fecerat per rapinas in terra, exterminauerunt eum de ea. Alii vero ad concordiam reuersi sunt. Postea Dux cupiens vindicare damnum & iniuriam à supra dicto Archiepiscopo sibi illatam, cum suo exercitu intrauit Bauariam transiens per Stiriam, qui cum suis hominibus ab incolis montium multa pericula perpessus est, nisi quod abbas Admundensis * in expensis in quantum poterat subueniebat ei. Tandem peruenit ad quandam ciuitatem Ratstain nomine, & obsedit eam, & iacuit ibi per longum tempus, sed non profecit, quod erant intus optimi defensores homines Ducis Bauariæ, & Archiepiscopus qui defendebat se viriliter, & sic multis hominibus ibi perditis recessit ab obsidione, volens venire in adiutorium genero suo Regi Vngariæ, qui eodem tempore cum suo exercitu iacebat in obsidione quorundam castrorum Comitis Ivvani, & cum obtinuissent ei violenter tria castra, recesserunt, & reuersi sunt ad propria. Dux vero assumptis Sueuis suis, cum eis descendit Bauariam, cupiens confirmare pacem inter ipsum & Ducem Bauariæ, & Archiepiscopum, & sic Sueui recesserunt de terra, nunquam de cætero (si Deo placet) redituri, Amen. *Threnan.* * *Engelbertus. Cuius extat libellus De ortu & fin. Rom. Imperii.*

MCCXCVI.

Dux Austriæ Albertus expulit de terris & confinibus suis probum virum, ac solennem ministerialem, Dominum de Svvainavve confractis castris, & destructis munitionibus suis. Qui transtulit se ad Regem Romanorum, & verbis ac

consiliis suis erga Regem prædictum multa mala procurauit Duci præfato. In æstate multo plures homines in diuersis locis fulmine perierunt, quam prius antea in multis annis auditum sit, ita quod in messe in vno campo octo fulminati interierunt.

Circa solstitium verbum verum B. Augustini impletum est dicentis: *Impossibile est bene mori, qui male vixit.* Item: *Fine malo claudi semper mala vita meretur.* Nam filius cuiusdam Vngari Comitis Ivvani, homo malus, prædo pessimus (sicut multis annis extitit pater eius) diuina vltione ictu fulminis mortuus est, sic Austria liberata est ab eo.

Abbas Admundensis Stiriæ sæuus exactor, tyrannus, & hominum tortor, à quodam suo cognito in lecto suo sagittatus postea gladiis & rutellis confossus, demum capite truncatus, in sanguine suo volutans turpiter vitam finiuit, & qui alios sæpe cruciauerat, & diuersis mortibus affecerat, pari pœna punitus est.

MCCXCVII.

Wenzeslaus R. Boem. Rex Boemorum Wenzeslaus in Pentecosten cum inæstimabili solennitate ac inenarrabili hominum multitudine, vtpote triginta octo Principibus ibidem conuenientibus tam secularibus quam spiritualibus, ita quod Praga sua ciuitas tantam multitudinem hominum capere nequibant, sed in campis cum curribus suis & tentoriis cogebantur manere, per manus Archiepiscoporum & Episcoporum corona regali glorioſe in Regem Boemorum solenniter coronatus est. Simili modo & glorioſa matrona, Deo & hominibus dilecta & deuota vxor eius (qua nunquam fuit dignus) nobilis Regina Rudolphi quondam Romanorum Regis filia, & soror Ducis Austriæ, post partum infra dies suæ purificationis in lecto suo in Reginam Boemiæ corona inæstimabili pretio & decore coronata est ab eisdem Archiepiscopis reuerendissimis, & Episcopis deuotissimis, à quibus & maritus eius fuerat coronatus. Sed heu ac proh dolor paullo post versa est in luctū cithara eius, in vocem flentium organa eius, nam XIV. die coronationis suæ ex hac luce migrauit ad Dominum, qui corona vitæ æternæ coronauit eam, de cuius morte tota Boemia, Morauia & Austria condolens stupefacta & turbata, omnes homines tam in villis quam in ciuitatibus, tam clerici seculares quā religioſi claustrales, per totum regnum Boemiæ & Ducatum Austriæ exequias sui funeris solēniter & deuote celebrauerunt, præcipue vero Dux Austriæ frater eius, quem nimis tenerrime diligebat, his verbis eam luxit, quam diu vixit: *O soror charissima,*

Tu patriam repetis, nos triste sub orbe relinquis:
Te tenet aula poli, nos lacrymosa dies.

MCCXCVIII.

Illustris cōuentus Wiennæ. Post Octauam purificationis B. Virginis conuenerunt ad Ducem Austrię in Wienna illustris Rex Vngariæ, Andreas, magnificus Wenceslaus Rex Boemiæ, Dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgensis, Dux Apuliæ, Dux Oppaniæ, Marchio Dephile, & alii quam plures nobiles, Barones, ministeriales, & milites, Episcopus Basilienſis, Episcopus Constantiensis, Episcopus Olnumicensis, Episcopus Patauiensis, electus Archiepiscopus Strigoniensis, Episcopus Georgensis, Episcopus Pragensis, Episcopus Frisingensis, Episcopus Verprunnensis, Episcopus de V. ecclesiis, Episcopus Seccouiensis, Episcopus Chymensis, Episcopus Colocensis, Episcopus Wazensis, frater Amonius Episcopus Erloensis, ordinis fratrum Minorum, & alii quamplures personæ solennes, Abbates præpositi, Canonici, & Comites Vngari multi. Certe ab antiquis temporibus est inauditum ad vnum Ducem tot & tam illustres conuenire personas, & venerunt cum tanta multitudine Vngarorum & Comanorum, quod vix poterant inuenire hospitia in ciuitate, imo circumquaque extra partes ciuitatis receperunt se cum equis suis in cubiculis & stabulis & cameris, in stupis de suis comodiis hominibus electis. Qui cum suas nequitias cum vxoribus & filiabus & ancillis proborum virorum, cum quibus hospitabantur, cuperent exercere, extra portam stubæ à conuicinis & concurrentibus decem in vna stuba sunt occisi. Dicitur, quod vnus eorum fuerit filius Albrammi Regis Comanorum. In eadem

septimana

septimana feria 1111. in præsentia tantorum nobilium supra dictorum copulauit Rex Vngariæ filiam suam filiõ Regis Boemiæ cum ingenti tripudio & solennitate, vt decuit tantos Principes, & tota terra gauisa est de pace & concordia tantorum Principum, Deo referentes gratiam & gloriam, & sic omnes reuersi sunt ad propria.

His omnibus rite & honeste peractis, Dux Austriæ potenter cum adiutorio cunctorum Principum & nobilium supra scriptorum, vallatus ingenti exercitu perrexit ad Rhenum contra Regem Romanorum, qui hostiliter destruebat omnia sua, & suorum sibi astantium. Cum autem Rex Adolphus (vt supra dictum est) Ducem Albertum vellet circumuenire, terris suis priuare sine causa, ecce per Principes prædictos, qui ad Ducem vsque Viennam venerant, facta est valida cõspiratio aduersus Regem Adolfum, quorum consilio & auxilio prædictus Dux Albertus vocatus ab Archiepiscopo Moguntinensi Domino Sichardo in capite ieiunii cum paucis Australibus, & fere trecentis Vngaris proficiscitur, per Bauariam conditionaliter & pacifice, per Sueuiam autem bellando malis gratis Regis Adolphi Argentinam vsq; peruenit, vbi ab Episcopo eiusdem loci & à multis nobilibus glorioſe est receptus. Tunc Archiepiscopus Moguntinensis Regem Adolphum per sententiam iustam & condignam Moguntiæ factam exetrat * & condemnat, & in vigilia B. Ioannis Baptistę facta electione, Albertus Dux Austriæ in Regem Romanorum est electus, ad quem tunc Episcopi, & alii multi nobiles cõfluũt, Comites & potentes, cum quibus Albertus electus profectus est ad quandam ciuitatem dictam Alcey, quem expugnat & succendit, deinde inter cœnobia Munstreis & Rosental castra metatus est, illic ipsum depositus Rex Adolphus cũ duobus Ducibus Bauariæ Ottone & Rudolfo, & aliis multis Principibus & comitibus insequitur vehementer, Electus vero Albertus expeditus ad pugnam, & in die SS. Processi & Martiniani inter ipsos bellum est commissum, * vterq; vero comparuit in armis sub vexillo Regis Romanorum, sed sub vexillo Australi Albertus electus victoriam obtinuit, & vicit, vbi Adolphus depositus occiditur, vnde versus:

Conspiratio contra Adolphum.

** f. exterat.*

Alcey. Munsterdreu.

** apud Gelheim. Extat ibiq; hodie monumentum ita inscriptũ: ADOLFVS A NASSAV, ROM. REX INTERFICITVR AD GELLINHEIM.*

Austri vexillum virtute Dei necat illum,
Qui Rex ante fuit, iam necis arma luit.

Cuius filius cum multis nobilibus captiuatur, & quam plurimis occisis. Otto vero Dux Bauariæ & Rudolphus Comes Palatinus gener Adolphi fugam inierunt, vnde versus:

Otto Dux Rhenum tunc deserit, & petit Enum:
Nec trahit hic statum Rudolphus, itq; Monacum.

Adolphus vero in cœnobio Rosental fuit sepultus, Albertus autem electus resignata electione per triduum, apud Frankenfurt in Vigilia B. Laurentii ab omnibus Electoribus in Romanorum Regem secundario est electus, qui subito Aquisgrani glorioſe coronatur.

Rosental. ALBERTus Rex.

Domina Elizabeth in sequenti proximo festo B. Martini apud Nurenberg multis Principibus conuenientibus in Rom. Reginam glorioſe coronatur. Vbi Romanorum Rex Albertus filiis suis Rudolfo, Friderico, & Leupoldo, terras quas antea possederat, Austriam, Stiriam, Carniolam, Marchiam, & Portus Naonis cõtulit, & Principes fecit.

Eodem tempore consurrexit quidam humilis rusticus, dictus Rintfleisch, dicens diuinitus se recepisse, vt omnes Iudæos debeat trucidare & delere. Et quidem mirabiliter elatus Iudæos persequitur & condemnat. Nam & Nurenbergæ consentientibus ciuibus, omnes Iudæos vna cum vrbe ibidem succendit, & peremit. Quem Rex Albertus post magnam persecutionem Iudæorum factam depulit, Ciues vero Nurenbergenses qui consenserant, in magna parte pecuniæ puniuit.

Iudæorum cædes.

MCCXCIX.

Albertus Rex Romanorum, & Rex Franciæ Philippus cum magna pompa militum apud Gadior amicabiliter conuenerunt, vbi prædictus Rex Franciæ so-

rorem suam Dominam Blancam filio Regis Romanorum Rudolpho copulauit in vxorem, in die Conceptionis B. Mariæ Virginis. Hæc facta sunt supradicto in confinio regnorum Regis Romanorum & Regis Franciæ in prato infra Tol & Gadior, quę desponsatio Archiepiscopis Alemaniæ, Moguntinensi & Colonien-si, qui cum rege Romanorum illuc venerant, minus placuit, & huius desponsatio-nis copulæ interesse noluerunt, sed deinceps metu suæ possibilitatis Romanorum Regem Albertum exosum habuerunt.

MCCC.

Dominus Albertus Romanorum Rex collecto exercitu de diuersis regni sui terris, Austria, Sueuia, Alsatia, & Franconia, Archiepiscopum Moguntinensem hostiliter inuadit, & munitiones suas vallauit, ex quibus duas ciuitates, Pingam, & *Bingen.* *Bensheim.* Penshaim, cepit, & in parte destruxit.

Domina Elizabeth Rom. Regina cum filio suo Domino Rudolfo Duce Austriæ, & vxore sua Domina Blanca Austriam intrat, & in Wienna solenniter ab omnibus Dominis & ciuibus recipitur, & plurimis muneribus honoratur.

MCCCI.

Andreas Rex Vngariæ mortuus est; Post cuius mortem Marschalcus Au-strię Hermannus de Landeberch collecto exercitu, cooperante Yvvano Comite Vngaro, castrum in monte S. Martini obsedit & cepit, cum iisdem hominibus in Wudam pergens, Dominam Reginam relictam prædicti Domini Andreę, filiam Domini Alberti Romanorum Regis in Wiennam honorifice reduxit. Eodem anno quidam Vngari nobiliores cum ciuibus in Wudam conspirantes, filium re-gis Boemiæ pro Rege sibi eligentes terram hanc in prædictam ciuitatem introdu-xerunt, contra quem filius Regis Siciliæ in parte altera Vngariam similiter subin-trauit. Igitur propter eorundem discordiam, & Vngarorum in vtraque parte con-sentientium, magna pars Vngariæ destruitur & vastatur.

MCCCII.

Cardinalis dictus Nicolaus Ostiensis à latere Domini Apostolici Bonifa-cii missus ad prædictos Reges concordandos, honorifice Austriam transiens, Vn-gariam intrat, & omnes Archiepiscopos, Episcopos, & Prælatos eiusdem regni auctoritate Apostolica conuocat, & de pace regni consilio eorundem in quantũ potest cogitat, & pertractat: sed in huiusmodi negotio nihil proficiens Vngaria ex-it, Wiennamque in partibus Austriæ est reuersus, vbi nuncios solennes dirigit ad prædictum Dominum Papam Bonifacium, sui negotii tractatus per ordinem de-ferentes.

Archiepiscopus Moguntinensis, Colonienſis, Treuerensis cum Domino Alberto Romanorum Rege concordauerunt, & pacis vnionem seruandam per-petuo iurauerunt.

Prædictus Dominus Cardinalis, Apostolicæ sedis legatus Dominum Wen-zeslaum Regem Boemiæ cum filio suo, quem ad Vngariam pro Rege tradidit in parte vna, & Dominam Margretham Reginam Siciliæ cum filio suo, Andrea, qui pro Rege à multis nobilibus in Vngaria est receptus, in parte altera, ad præsentiam Domini Papæ infra sex menses comparituros citat manifestius, atq; vocat, vtrũq; de suo iure in regno præhabito rationaliter responsurum. Eodem anno prædictus Dominus Cardinalis chorum prædicatorum in Wienna, in octaua S. Martini cum maxima solennitate concurrente nimia hominum multitudine consecrauit.

FINIS HISTORIAE AVSTRALIS.

EX CHRO-

EX CHRONICA AVGVSTENSI ANTIQVA EXCERPTVM, PER MATTHÆVM MARESchalcum de Bappenheim I.V.D. & Canonicum ibidem, ab Anno Domini DCCCCLXXIII. vsq; ad annum MCIIII.

Item

PARS CHRONICAE MONASTERII S. Vdalrici & Afræ, apud Augustam Vind. ab Anno Domini MCLII. *vsque ad annum* MCCLXV.

Anno Domini DCCCCLXXIII.

TTHO Imperator Aug. obiit: & filius eius Ottho in regnum succeſſit. *OTTHO II. Imp.*

DCCCCLXXIV.

S. Vdalricus Epiſcopus obiit. Hainricus ſucceſſit, Comes de Geiſenhauſen.

DCCCCLXXV.

Inter Principes diſcordia facta eſt. Et Cometa exarſit.

DCCCCLXXVI.

Luna obſcurata eſt.

DCCCCLXXVIII.

Imperator cum ſuis verſus eſt in fugam, in expeditione Galliæ.

DCCCCLXXXI.

In publico bello Calabriæ Hainricus Epiſcopus heu occiſus eſt: ante profectionem ſuam prædio ſuo Geiſenhauſen Canonicis in oblationem tradito. Ettricho Epiſcopus eſt ordinatus.

DCCCCLXXXIII.

Otto Imperator Romæ obiit, eiuſq; filius Otto in regnum ſucceſſit. *OTTHO III. Imp.*

DCCCCLXXXVI.

Otto iuuenis Rex ab Hainrico Duce captus, ſed à populo eſt ereptus.

DCCCCLXXXVIII.

Etricho Epiſcopus obiit.

DCCCCLXXXIX.

Leutoldus Epiſcopus ordinatur.

DCCCCXC.

Imperator Romam in Epiphania petiit, & anniuerſarium patris ſui celebrat.

DCCCCXCI.

Magna ſterilitas terræ ab inundatione pluuiæ contigit.

DCCCCXCIV.

Hyems dura fuit, ita vt arbores multę aridæ fierent. Leutoldus Epiſcopus Romam petit, & per Papam Iohannem B. Vdalrici ſanctitas probatur ſolenniter & ſancitur. Auguſtę templum corruit à ſeipſo.

DCCCCXCV.

Leutoldus Epiſcopus templum à fundatione conſtruxit, Adelheida Imperatrice cooperante. Luna in ſanguinem verſa eſt.

DCCCCXCVI.

Leutoldus Episcopus bonæ memoriæ VI. Kal. Augusti obiit. Gebhardus Episcopus est constitutus.

DCCCCXCIX.

Sylvester II. PP. Romæ Gregorius V. (qui & Bruno) Papa obiit. Eique Silvester Secundus (qui & Gerbertus) Papa CXLIII. successit.

M.

HENRICUS II. Imp. Otto Imperator anno regni sui XIX. in Italia obiit, & Aquisgrani sepultus est. Pro quo Hainricus Dux Baiariæ Rex efficitur. Sigefridus Episcopus ordinatur.

MIII.

Hainricus Rex sibi rebelles vastat. Argentina despoliatur.

MIV.

Hainricus Italiam, Boemos, Polonos petens subiugauit.

MV.

Romæ Gerbertus Papa obiit. Iohannes XVI. Papa CXLIV. ordinatur. Fames magna facta est.

MVI.

Iohannes XVII. PP. Iohannes Papa obit, & alius Papa Iohannes XVII. (qui & Fasanus) Papa CXLV. ordinatur.

MVII.

Hainricus Rex constructo Bambergensi Episcopatu, Eberhardum primum Episcopum constituit. Seifridus Augustæ Episcopus vota multorum complens obit. Bruno Episcopus ordinatur.

MVIII.

Leutoldus Treuerensis Archiepiscopus obiit, eique Megingaudus successit.

MIX.

Sergius IV. PP. Romæ Fasanus Papa obiit. Sergius IV. Papa CXLVI. efficitur.

MXI.

Willigisus Moguntinẽsis Archiepiscopus obiit. Eique Erchipaldus successit.

MXII.

Hermannus Dux Alemanniæ moritur, & pro eo Ernestus Dux efficitur.

MXIII.

Benedictus VII. PP. Romæ Sergius Papa obit. Benedictus VII. Papa CXLVII. ordinatur.

MXIV.

Hainricus Romæ à Benedicto Papa Imperiali benedictione coronatur.

MXV.

Megingaudus Treuerensis Episcopus obiit, cui Poppo successit.

MXVII.

Constantiæ Lamperto Episcopo mortuo Ruthardus successit.

MXIX.

Pugna apud Vlmam.

MXX.

Benedictus Papa Babenberg veniens Ecclesiam S. Stephani dedicat. Werenharius Argentinæ Episcopus cum Welff Comite Burgundiam vicit.

MXXI.

Terræmotus IV. Id. Maii factus est. Heribertus Colonienſis Episcopus obit: Piligrinus successit. Erchinbaldo Moguntinæ Archiepiscopo defuncto, Aribo successit.

MXXII.

Hainricus Imperator Italiam petens expugnauit, alias vrbes subdidit. Pestilentia in exercitu multos occidit. Ruthardus Constantienſis Episcopus obiit: Henno successit.

MXXIII.

Gebhardus Ratisponenſis Episcopus mirabiliter obit. Iterum Gebhardus successit.

R. Papa

MXXIV.

R. Papa Benedictus obit, & frater eius Iohannes XVIII. ex laico Papa CXLVIII. efficitur. Hainricus Imperator obit, & Bambergæ sepelitur. Conradus Rex eligitur. *Iohannes XVIII. PP. CONRADus II. Imp.*

MXXV.

Ernest Dux, & Welff Comes, Cunrado Regi cum multis rebellant.

MXXVI.

Conradus Rex Italiam petiit. Henno Constantiensis Episcopus obiit: Warmannus successit. Bruno Augustensis Episcopus, & Welff Comes Bauariæ Dominus, mutuo prædas & incendia exercent.

MXXVII.

Conradus Rex à Iohanne Papa in die Paschę Imperator coronatur, eiq; reuerso Welff Comes & alii ad deditionem venientes custodiæ deputantur.

MXXVIII.

Hainricus puer, filius Conradi Imperatoris, in die Paschali Aquisgrani Rex vnctus est à Piligrino Archiepiscopo. Werenharius Argentinensis Episcopus Constantinopolin legatus obit; Guilhelmus successit.

MXXIX.

Bruno b. m. August. Episcopus, Ecclesiæ Canonicorumque possessionibus copiose augmentatis VIII. Kalen. Maii obiit. Eiq; Eberhardus successit, qui constituit, defuncti fratris animam * vsque ad anniuersarium diem pro anima eius dona.

MXXX.

Conradus Imperator Pannoniam petiit. Welff Comes obiit.

MXXXI.

Pax cum Stephano Rege Vngarorum facta est. Aribo Moguntiæ Episcopus obiit, cui Bardo successit.

MXXXII.

Conradus Imperator Polonos petiit.

Rudolfus Rex Burgundionum obiit, cuius regnum Dido inuasit.

MXXXIII.

Imperator hyeme Burgundiam petiit, Item æstate Didonis prouinciam, donec ipse pacem peteret, vastauit. Romę Papa Iohannes obiit, & pro eo Benedictus IX. (qui & Theophylactus) Papa CXLIX. ordinatur. Eclipsis Solis III. Kal. Iulii. *Benedictus VIII. PP.*

MXXXIV.

Imperator iterum Burgundiam petens subiicit. Warmannus Episcopus Constantiensis obiit, Eberhardus successit. Meginhardo Wirtzburgensi Episcopo Bruno successit.

MXXXV.

In Italia milites minores contra dominos coniurant. Imperator Paganos (qui Leuitici * dicuntur) petiit. Synodus apud Triburiam. ** al. Leuitici.*

MXXXVI.

Piligrinus Coloniæ Episcopus obiit, eiq; Hermannus successit. Gebehardo Ratisponensi Episcopo, item Gebhardus successit. Hainricus Rex Romanorum Anglorum Regis filiam * duxit vxorem. Imperator Italiam petiit. ** Hiltimildam.*

MXXXVII.

Heribertum Mediolanensem Episcopum in custodiam misit, aliosq; Episcopos exilio relegauit, manumq; coniuratorum cohercuit. Dido occisus est.

MXXXVIII.

Ciuitas Parmensis ab exercitu incenditur. Imperatore de vltra Romanis partibus redeunte, pestilentia exercitum inuasit, in qua Hainrici Regis vxor cum multis periit. Stephano Rege Vngarorum mortuo, pro eo Petrus regnat.

MXXXIX.

Conradus Imp. apud Traiectum III. Non. Iun. subito moritur, & Spiræ sepelitur. Hainricus filius eius pro eo regnat. Reginbaldus Episcopus Spiræ obit. *HENRICVS II. per.*

MXL.

Hainricus Rex Boemiam petens, plurimis ſuorum in ſylua amiſſis rediit. Eberhardus Bambergenſis Epiſcopus obiit, cui Suigerus ſucceſſit.

MXLI.

Hainricus Rex vaſtata Boemia, Ducem illius ad deditionem coegit. Vngari fugato Petro Obonem Regem faciunt. Petrus profugus Hainricum adiit. Huius aſtipulatione & induſtria plurimi eo tempore in artibus, in ædificatione, in auctoribus, in omni genere doctrinæ pollebant. Studium vbique famoſum.

MXLII.

Obo fines Baioariæ inuaſit, magnaque exercitus eius parte ab Adelberto Marchione deleta refugit. Hainricus Rex Pannoniam petens, Septentrionales Danubii partes vaſtat. Poppo Patriarcha obit Aquilegiæ, Eberhardus Auguſtenſis canonicus ſucceſſit.

MXLIII.

Giſela Imperatrix obit. Hainricus Rex iterum Pannoniam ingreſſus, ſuſcepto ab Obone pacto rediit, magnamq; in regno ſuo pacificationem fecit, & Agnetem ſibi vxorem copulat. Leupoldus Marchio obiit.

MXLIV.

Hainricus Rex in Pannonia commiſſa pugna victor Obonem fugauit, & Petrum regno reſtituit. Obo à Petro captus decollatur. Romæ Benedictus Papa ob ſcelera à Romanis pulſus eſt. Heribertus Mediolanenſis Archiepiſcopus obiit: Guido ſucceſſit. Gebardus Rauennas Epiſcopus obiit.

MXLV.

Hainricus Rex à Petro Rege Vngarorum inuitatus muneribus donatur. Quo itinere Bruno Wirtzburgenſis Epiſcopus lethaliter corruens obiit, eiq; Adalbero ſucceſſit. Gotfredus Dux Regi ad deditionem veniens in cuſtodiam mittitur. Luitici rebellantes ſubiiciuntur. Guntharius eremita mortuus Pragæ ſepelitur.

MXLVI.

Gregorius VI. PP. Romæ Benedictus Papa rurſus ob auaritiam ſponte honore abdicato, Gratianum pro ſe Papam elegit. Hainricus Rex Phladirdingam petiit. Wigero Rauennas epiſcopatus aufertur. Vngari Petro excæcato, Andream Regem conſtituunt. Rex Italiam petens, Gratianum Papam depoſuit.

MXLVII.

Clemens II. PP. Natale Domini Suigerus Bambergenſis Epiſcopus *, Papa CLI. ordinatur, Clemens appellatur. Hainricum Regem cum Regina imperiali benedictione coronauit. Epiſcopus Conſtantienſis Eberhardus obiit Romę, cui Theodoricus ſucceſſit. Hunfridus Rauennæ: Herrandus Argentinæ: Theodoricus Virduni, Epiſcopi ordinantur. Imperator ſecum auecto corpore S. Guidonis Auguſtam veniens, Eberhardum Epiſcopum in extremis reperit, quo defuncto, exequiis eius honorifice in vigilia Aſcenſionis Domini celebratis, Hainricum Aug. Eccleſiæ conſtituit Epiſcopum. Poppo Treuerenſis Epiſcopus obit: Eberhardus ſucceſſit. Clemens Papa obit, & Babenberg ſepelitur. Imperator Phladirtingam ſuorum damno petiit.

MXLVIII.

Damaſus II. PP. Sanguis Domini (vt ferebant) Mantuæ inuenitur. Poppo Brixenſis Epiſcopus Papa CLII. ordinatus, & Damaſus vocatus, poſt paucos dies obit. Hainricus Imperator, & Hainricus Gallię Rex conuenientes pactum inter ſe confirmant. Terræmotus III. Id. Octob. in nocte fit.

MXLIX.

Leo IX. PP. Eberhardo Patriarcha mortuo, Gottebaldus ſucceſſit. Bruno Tullenſis Leuchorum Epiſcopus, Papa CLIII. ordinatus, Leo IX. vocatus eſt. Imperator Balduuinum petens, Phlandros deuaſtauit. Dominus Papa Synodum Remis, aliam Moguntiæ collegit.

ML.

Vngari Baioariæ fines inuadunt, Dominus Papa vltra-Romanas partes ex parte

parte subiecit. Imperatori filius (Hainricus postea dictus) nascitur, prius Conradus nominatus.

MLI.

Bardo Moguntiæ Archiepiscopus sanctus obiit, eiq; Leupoldus successit. Imperator Pannoniam ingrediens vastat, & exercitu laborante fame vix rediit.

MLII.

In Italia Bonifacius Marchio insidiis transfixus sagittis moritur. Imperator terminos Vngarorum cum exercitu nullo effectu petiit. Presburck frustra obsessa non capitur. Imperatori filius nascitur.

MLIII.

Imperator cum Papa natalem Domini Wormacię egit: Papa autem purificationem S. Mariæ Augustæ. Exercitus à Papa contra Nortmannos ductus, ab ipsis victus & trucidatus est. Ipse vero Papa apud Beneuentum demoratur. Imperator filium Hainricum Regem electum Ducem Boiariæ præfecit.

MLIIII.

Dominus Papa Leo Paschali tempore Romam reuersus, ibiq; defunctus, post mortem miraculis claruisse fertur. Imperator Phlandriam adiit atque vastauit. Herimannus Cõtractus in membris singulis debilitatus, nostri miraculum seculi cunctis in acumine ingenii præminebat, cantica mirę modulationis & dulcedinis plura composuit, vocis etiam fere carens officiis. Gebehardus Aichstet. præsul Papa CLIV. eligitur.

MLV.

Imperatore Italiam transeunte filius eius moritur. Prædictus Gebhardus Papa ordinatus, Victor appellatur. Augustæ pugna cum Bambergensibus. Imperatore ab Italia reuerso Gebhardus Ratisponensis Episcopus reus maiestatis arguitur, & in custodiam deputatur. *Victor II. PP.*

MLVI.

Hyems leniſſima. Rex Babyloniæ moritur. Sepulchrum Domini in Hierosolymis obstruitur, Patriarcha eiecto, multi Christiani trucidantur. Dominus cis-alpinis partibus moratur. Exercitus Saxonum à Wandalis trucidatur. Herimanno Episcopo Colonienſi mortuo, Anno successit. Rege Græcorum mortuo, mulier quædam * successit in regnum, cuius legati fœdus ab Imperatore Hainrico poscunt. Idem Imperator III. Non. Octobr. defunctus, anno ætatis suę XLI. in die natalis sui, hoc est, V. Kalend. Nouemb. Spiræ à Papa sepelitur: filio eius in regno succedente. **Theodora.* *HENRICVS IV. Imp.*

MLVII.

Multorum factiones contra Imperatoris filium exortæ diuinitus sedantur, Ierosolyma pacificatur. Papa cis-alpinis partibus rursus Nortmannos cæterosque rebelles pacificat. Deinde non longo tempore exacto vitam terminauit in Aricia; cuius corpus à suis asportatum à Rauennatibus vi diripitur, in Rauennaque sepelitur. Fredericus Domini Papæ Leonis cancellarius monachicæ vitæ deseruiens, à Romanis reuocatur, & Papa CLV. electus Stephanus nominatur.

MLVIII.

Papa Stephanus obit. Quidam Bonifacius non communi consilio electus, respuitur. Benedictus autem Episcopus Papa CLVI. constituitur, Nicolaus nominatur. Gungo Aichstetensis Episcopus ordinatur. Imperatrix cum Rege puero Pentecosten Augustæ egit. Otto Dux Sueuorum obiit. *Nicolaus II. PP.*

MLIX.

Rudolfus Dux Alemannorum constituitur. Seditio inter Hainricum Augustæ Episcopum, & Diepoldum Comitem pro comitatu ad altare S. Mariæ per cartæ firmitatem tradito. Rapoto filius eiusdem Comitis Mantichinga inuadit; sed Auwarii, qui eius sequaces erant, ab Augustensibus plurimi occiduntur, plerique etiam vulnerantur. Dehinc à Comite Mantinchinga aliiq; vici concremantur. Regina cum puero Rege in festo Omnium Sanctorum Augustam veniens, inuasores Augustæ ad pactionem compulit.

MLX.

Conradus Spirensis Episcopus moritur; cui successit Sinhardus Augustensis præpositus. Leupoldus Moguntinensis Episcopus obiit: Sigefridus successit. Guilielmus Noricus aliiq; in corrigendis Antiphonarii & Gradualis cantibus multum laborabant, licet apud tardos & hebetes parum proficerent. Fames & mortalitas magna. Waltolf Paduensis Episcopus prius Augustæ Canonicus constituitur. Gebhardus Ratisponensis Episcopus obit.

MLXI.

Otto Ratisponensis Episcopus efficitur. Nicolaus Papa moritur. Quidam Lucanus Episcopus à quibusdam Romanis & Nortmannis electus & ordinatus, à nostratibus respuitur. Parmensis autem Episcopus à quibusdam Papa constituitur, Archiepiscopis & cæteris non consentientibus. Sed postea Lucanus Episcopus sine Synodo pridem depositus, restituitur ab Episcopis, & Papa CLVII. ordinatus Alexander appellatus est.

Alexander II. PP.

MLXII.

Parmensi Episcopo Romam intrare volenti Romani repugnantes, ex magna parte sequaces Episcopi trucidantur, partim in fluuium demersi moriuntur, ipse tum non receptus sine effectu Parmam rediit.

Hainricus Rex puer ab Annone Coloniæ Episcopo, & ab Ottone Bauarorum Duce Imperatrici Agneti surripitur: Qui eodem anno Augustam veniens, Hainricum eiusdem ciuitatis Episcopum ad pactionem vocauit, sed ipse Augustam venire renuit, Ratisponam aduenit.

MLXIII.

Post vernale æquinoctium, id est, XII. Kal. April. frigoris & niuis immensa opportunitas. Gottebaldus patriarcha obit: Rabēgerus successit. Mortuo Beel rege Vngarorū, Hainricus Rex puer Pannoniā cum exercitu ingrediens, Reginā cum filio pridem expulsam regno restituit, paucisq; repugnantibus deuictis prouinciam eandem sibi subiugauit. Hainricus Episcopus Augustensis à familiaribus Regis afflictus multis iniuriis, deinde longa ægritudinis fatigatus molestia, in mense Septembri obiit; cui successit Embrico pridem Moguntiæ præpositus, vir ad id temporis admodum religiosus atque laudabilis.

MLXIV.

Hainricus Rex purificationem S. Mariæ Augustæ celebrauit. Ecclesia S. Vdalrici, & S. Afræ à fundamentis incipit. Sanctorum corpora multa inueniuntur. Corpus etiam S. Afræ, igneæ combustionis adhuc signa retinens, in sarcophago lapideo decenter formato reperitur. Lapis etiam suppositus S. Eunomiæ sepultæ, dum forte à latomis cæderetur, miri odoris emisit fragrantiam. Waltolfi Paduensis Episcopus moritur.

S. Vlrici & Afræ templum.

MLXV.

In Italia terræmotus magnus Resurrectione Domini VI. Kalend. April. Rex Hainricus in Pentecoste Augustæ moratur.

Prope Ierosolymam à Sarracenis plurimi Christianorum trucidantur, alii captiuantur. Gunther Babenbergensis Episcopus inde reuersus moritur. Augustæ dedicatur Ecclesia matricularis ab Embricone eiusdem sedis Episcopo, & à Günzone Aichstetensi Episcopo; & à Ruthardo Taruisensi Episcopo, qui & eodem anno moritur. A diebus beatæ memoriæ Brunonis Episcopi, vsque ad fœdissimam ciuilis discordiæ tempestatem, in congregatione Augustensi illustres fuere personæ, Canonicæ institutionis sectatores, fratrum amatores, patriæ decus, tempora ornantes: quorum gloriæ dignissima memoria posteris eorum virtutis eximiæ proponit incitamenta.

MLXVI.

Hyems lenissima. In Geminis inusa stella visa est, Cometa aliquot noctibus mira velocitate retrograda, Anglorum occisionis, & calamitatis, quæ post VII. annos per Rudolfum & Herimannum orta est inter Teutonicos, prænuncia. Quę in primis in hanc formam radios clare in Orientem mittens, tandem ita obscura-

ta est.

ta est, vt videri non posset. In sabbato Paschæ Eberhardus Treuerensis Episcopus moritur. Chuno Coloniæ præpositus accepto episcopatu à Rege, à ciuibus respuitur, capitur, præcipitatur, & trucidatur. Nuptiæ Regis Hainrici efficiuntur.

Hoc anno missis ad Gerundam literis B. Narcissi Episcopi, & inde primi Augustę prædicatoris reliquiæ sunt acquisitæ, cum epistola Berengarii Gerundensis Episcopi, & cum omni honore Augustæ delatæ; cuius corpus sacrum ante paucos annos dicitur integrum atque incorruptum inuentum, cilicio indutum, passionis plenissima seruans stigmata. Nam post S. Afræ conuersionem ordinato eidem Ecclesiæ presbytero, in Hispaniam regrediens, cum multos ad Christi fidem conuerteret, quadam die in Gerunda inter ipsa sacrificiorum mysteria à persecutoribus dicitur trucidatus, in confessione Trinitatis, tribus vulneribus, id est, in gutture, humero, visura debilitatus, & ita sepultus. Sed post annos plurimos viuido colore, veneranda canicie, dextera more benedicentis extenta, integer aperto sepulchro dicitur inuentus. Narrauit etiam præfatus Episcopus, cum Abbas quidam occulto vellet digitum pedis eius pro reliquiis diripere, eum in conspectu plurimorum pedem eius retraxisse. *S. Narcissi Ispsana.*

MLXVII.

Rex Hainricus Augustę ante purificationem S. Mariæ moratur. Gotfridus Dux contra Nortmannos missus, nullo effectu, paucis etiam amissis rediit. Einhardus Spirensis Episcopus Romam pergens obit.

MLXVIII.

Inundatio pluuiarum. Rex Hainricus in natali S. Mariæ Augustę moratur. Burcardus Halberstatensis Episcopus Luiticiorum prouinciam ingressus incendit, vastauit, auectoq; equo (quem pro Deo in rheda colebant) super eum sedens in Saxoniam rediit. *Luiticii hodie Lusatii.*

MLXIX.

Fames valida. Reliquiæ S. Remigii Episcopi ab Episcopo Embricone sunt allatæ. Monasterium S. Stephani perficitur & consecratur. Turingi rebelles superantur.

MLXX.

Otto Dux Bauarorum coniurationis contra Regem arguitur. Rex in purificatione S. Mariæ Augustæ moratur. Rumoldo Constantiæ Episcopo defuncto, Karolus à Rege constituitur Episcopus, sed respuitur. Adelbero Wormatiensis Episcopus moritur, Adelbert succesit. In Nurenberg Sebaldus primum miraculis claruit.

MLXXI.

Ottone Duce Bauarorum ad Leutitios secedente, Guelff gener eius Ducatum suscepit. In quinquagesima Rex Augustæ moratur. Karolus Episcopus abdicato honore deponitur. Ecclesia S. Afræ, & S. Vdalrici ab Embricone Episcopo, à Gunzone Aistetensi, ab Ellenhardo Frisingensi est consecrata. Ecclesia S. Gertrudis consecratur.

MLXXII.

Wicpertus Rauennas constituitur Episcopus.

MLXXIII.

Alexander Papa moritur, Gregorius Septimus constituitur. Coniuratio Saxonum & aliorum multorum contra Regem oritur. *Hildebrandus PP. Vide Vrsperg. qui hæc se diffundit.*

MLXXIV.

Fauente Deo per Embriconem Augustę Episcopum in purificatione S. Mariæ, cum Rege iidem Saxones & multi coniurationis eiusdem auctores vix pacificantur. Rex Vngariam ingressus vastat, & omnes seditiones mouentes expellit: Salemonem suæ ditioni subiicit. Eclipsis Lunæ.

MLXXV.

Rex in purificatione S. Mariæ Augustæ moratur. Saxonica gens infida & rebellis à Rege & à Rudolfo Duce prosternitur, fugatur, plurimi ex nostris interficiuntur. Gyrouagi sub specie religionis discurrentes, maximam vbique seminant

discordiam. Papæ decretum enorme, De continentia clericorum, per laicos diuulgatur. Embrico Episcopus à Longobardis capitur. Gunzo Aistetensis Episcopus obit, Vdalricus succeſſit. Herimannus Babenbergensis Episcopus propter simoniacam hæresin deponitur: Rupertus loco eius constituitur. Saxones domiti in deditionem recipiuntur. Mulierculæ plures ex familia Ducis à dæmonio vexantur.

MLXXVI.

Discordia fœdissima inter Papam & Regem, inter Episcopos & Duces, inter clericos & laicos. Papa propter zelum domus Dei respuitur. Romæ legati Regis à fautoribus Papæ male tractantur. Sacerdotes à laicis pro connubiis & Ecclesiarum emptione miserabiliter eiiciuntur, fas & nefas, promiscua omnia, confusa. Papa repudiatus in loca tuta & in castella secedit munitissima. Colloquium Regis & Ducum in Oppenhaim. Hyemis continua asperitas: & niuium importunitas à Kalend. Nouemb. vsque ad Kalend. Aprilis, ita vt arbores arescerent, tanta deinde terræ frugum sterilitas, vt etiam semen decresceret. Consilium Ducum & Papæ contra Imperatorem.

MLXXVII.

Rex Hainricus Italiam ingressus, cum omni honore suscipitur in Canusio; inde ex consilio Ducum repudiatur. Postea à banno absoluitur, honorifice tractatur. Rege in Italia morante Rudolfus Dux de Reinfelde Rex constituitur in Forcham in loco infausto in Pontii Pilati prædio, in medio Quadragesimæ, à maledictis potius maledicitur, quam consecratur chrismate in eodem die contra ecclesiastica instituta consecrato. In eodem die ad damnationis suæ cumulum in loco Moguntię plurimi occiduntur. Rex Hainricus reuersus à Bauaris cum omni fide recipitur. Rudolphus Rex in Saxoniam depellitur, fautores eius repugnantes prædationibus, incendiis, cladibus diuersis opprimuntur; sequaces eius vastantur, infelices autem & miseri trucidantur. Laici quidem clericorum & Ecclesiarum possessiones diripientes, inter se prædas & mutua incendia exercentes, plures hæreditatibus & beneficiis etiam, plures vita priuantur.

Rudolfus Rex in schismate. Helmold. c. 28.

Embrico præsul S. Mariæ plenus operibus bonis & eleemosynis, S. Stephani, S. Martini, S. Gertrudis Ecclesiis à fundamento constructis, aliarum vero ædificiis & clausstris restauratis, & tribus adiectis, vocatione felici III. Kal. Augusti migrauit ad Dominum. Rex Hainricus in natali S. Mariæ Augustæ moratur. Sigefridus in schismate electus Augustæ præponitur Episcopus. Hainricus pridem Canonicus Augustæ, Aquilegiæ in Patriarcham constituitur. Wigoldus Canonicus ex familia Ecclesiæ Episcopus constituitur.

MLXXVIII.

Rudolfus Rex de bello VII. Idus Augusti profugus in Saxoniam rediit. Rex autem Hainricus Saxonibus victis & trucidatis Alemaniam inuasit, vastauit & incendit, ac castella satis munita destruxit. Ipsi inter se mutuis grassantes seditionibus, vltione diuina prædiis & beneficiis priuantur. In bello supra dicto Maideburgensis Episcopus cum suis clericis occiditur. Adalbertus Episcopus Wormaciensis, Comes de Reinfelde, captus & in custodiam missus. Eodem anno in Bobingen oppido plures occiduntur.

MLXXIX.

Rex Vngariæ fines * legati Papæ cum Patriarcha Hainrico de pace tractaturi Ratisponam veniunt, sed parum proficiunt. Rege cum legatis ad * Fritilia cum exercitu veniente, Saxones perfidi Regem Hainricum & legatos cum dolo fallentes cum iuramento pactionem fecerunt, & ita bellum dirimitur.

** f. Fritislar.*

Fredericus de Stauffen Dux Alemanniæ præficitur. Nortpertus Augustæ præpositus Curiensis Ecclesiæ præsul constituitur. O miseranda regni facies, sicut in quodam comico dicitur, *Omnes fumus geminati* *. De quatuor temporum ieiunio schisma nouum contra decreta Pontificum & contra ecclesiasticam consuetudinem exoritur, sed à prudentibus refellitur.

Rex

MLXXX.

Rex Hainricus expeditionem in Saxoniam faciens contra gentem durissimam & perfidam v II. Kalend. Februarii, quos fugat, sternit, & deuastat. Interim autem Rege & Duce Friderico absente, aduersarii Rhetiam inuadentes prædas ac incendia exercent. Ad perpetuum etiam exitium suum Augustensis Ecclesiæ III. Id. Iunii suburbana vastant & concremant, Ecclesiam etiam Apostolorum S. Petri incendunt. Altmanno etiam Episcopo Patauiensi consentienti, exemplumque Domini non imitante, qui à Samaritanis non susceptus, cum à discipulis rogaretur, &c.* Proh nefas, & eatenus inaudita Ecclesiæ contumelia! conuersæ & Deo sacratæ mulieres nubere sunt coactæ. Colloquium Regis in Brixina vrbe. Gregorius VII. ab Episcopis transalpinis & cisalpinis excommunicatur & deponitur: & Wicpertus Rauennatis Episcopus non bene præmeditatus consensu Episcoporum substituitur. Hoc anno Abbas nonus, Sighardus nomine, Abbas præficitur huic cœnobio S. Afræ.

* desunt quædam.

Rudolfus & Welff Duces erroris cum omnibus sequacibus eorum excommunicantur. Rex Hainricus denuo Saxoniam inuadens vastat & incendit. Idem Rudolfus auctor seditionis sine damno exercitus occiditur, vtraque parte exercitus nutu Dei dirimitur.

Helmold. c. 29.

MLXXXI.

Rex Hainricus Italiam proficiscens honorifice suscipitur, toto æstiuo tempore illic moratur, rebelles domuit, Ecclesiis iniuste subtracta restituit. Interim vero Rege absente Dux Welff, aliiq; Regis aduersarii, Herimannum Lotharingiæ Comitem Regem sibi fecerunt. Pugna inter Ducem Fredericum & Welfonem ac Hermannum & fautores apud Hochstat. Hermannus à Sueuis Rex constitutus; cum Marchione Leupoldo & aliis Augustam inuadentes, per tres hebdomadas obsederunt, suburbana succendentes. Loca vicina vastant & inuadunt, nilq; proficientes cum pactione fraudulenta discedunt. Multis ad quæstionem confluentibus Ecclesia in Babenberg & monasterium Augustæ S. Mauricii concrematur.

Hermannus Rex in schismate.

MLXXXII.

Rege Hainrico morante adhuc in Italia, in diuersis partibus Alemannorum & Bauarorum pugnæ, incendia fiebant. Leupoldus Marchio fugatur, & pars maxima de sequacibus eius prosternitur. Dux Welffo ex insidiis quosdam de familia S. Mariæ deprehensos occidit, quosdam etiam excæcauit. Dietpoldus præsul Strasburgensis obiit.

MLXXXIII.

Rege in Italia morante per Sueuiam incendia, cædes, prædationes fiebant, & plerique vici cum Ecclesiis cremantur. Rex biennio dolis induciisque protractus, Romam inuadit, & obsidione circumdedit. Romani suasione & seductione circumuenti sunt. Tandem vrbem egressi bella tentant, sed citius Dei nutu ab exercitu Regis partim gladio, partim equis sternuntur, partim flumine demerguntur, & paucis euadentibus alii captiuantur, alii truncantur. Saltem Rex Romam ingressus, cum omni humilitate limina Apostolorum petens, Wicpertum Antipapam in sede Apostolica locauit.

Eodem anno castrum Sibenaich iuxta Lycum à prędonibus constructum, ab Episcopo Sigefrido, & Duce Friderico, atq; Comite Rapotone (Deo annuente) sine damno suorum v I. Idus Augusti incensum est atque destructum, plurimis ex aduersariis igne consumptis atque occisis, nonnullis in vincula iniectis. Magister Hainricus Canonicus cum Wigoldo antiepiscopo expulsus, in cœnobio S. Magni obit, ibi & sepultus.

MLXXXIV.

Dolis quorundam iniquorum vrbs Augusta, nihil cunctantibus hostibus, angusto introitu clauibus adulterinis aperitur. Victores ingressi victis præter miseram animam nihil reliqui fecerunt; hostili rapacitate cuncta vastantur & diripiuntur. Claustrum etiam Canonicorum irrumpentes despoliarunt, & in refe-

Augustana vrbs clades.

ctoriis, cæterisque officinis castra habentes, cuncta ad stipendia Fratrum pertinentia consumpserunt, & cum meretricibus scortantes sacras ædes polluerunt. Eo tempore in curte episcopali tres capellæ S. Michaelis, S. Petri, S. Laurentii, cum palatio & aliis ædificiis concremata sunt. Adueniens autem Wigoldus ornamenta ecclesiastica, calices, thuribula comminuit, altaris S. Mariæ tabulam delaminauit; thesaurum quem B. M. Embrico Episcopus sub anathemate fratribus reliquit, distraxit; Fratrum etiam habitacula vndique versum constructa ipsis ejectis atque dispersis, proteruiæ suæ fautoribus cum aliis Ecclesiarum possessionibus accommodauit. Hainricus Patriarcha obit: Fridericus successit.

In Italia triennio transacto Rex Gregorii VII. fideles cædibus diuersisque cladibus comprimens suæ ditioni subiugauit. Romani tandem Gregor. VII. iniuste respuentes, Wicpertum superpositum receperunt, & ordinarunt, Clementis nomine imposito. A quo communi pseudopontificum & Romanorum consilio & electione, imperiali electione Rex & Regina coronantur. Igitur reuersus Imperator Ratisponam cum omni affectu & honore susceptus, paucis ibi moratur diebus, collectaque multitudine Augustam ab aduersariis possessam profectus, ab hostibus in vnum collectis fluuium Lycum transnadere prohibetur. Sapienti autem vsus consilio, in ripa fluminis castris metatis, quatuordecim diebus sine pugna consedit. Ex altera autem parte hostes in proteruia sua perseuerantes, quæque adiacentia vastabant, famis coacti necessitate, ecclesiasticis & ciuilibus se rapinis vix sustentarunt. In nocte vero, quæ B. martyris Afræ festum præcedit, ex diuino nutu & miseratione, subitaneo quodam tremore & metu agitati, & mente consternati, & hi qui in castris, hi qui in vrbis præsidio residebant, nemine persequente, fugæ tantum sibi sumebant præsidium, ita vt nullus cum proximo suo colloquium haberet & consilium. Per diuersa & aspera tantum loca vagantes atque dispersi. Ita vrbs prius fraude, sine cæde tamen capta, Dei omnipotentia misericorditer est liberata. Imperator vacuam ab hostibus ingrediens ciuitatem, cum gaudio & lętitia cleri à populis susciputur.

Burckardo Tridentino præsule defuncto Adalbero Augustensis Canonicus successit.

Imperator in Bauariam remeans, ibique paulisper conuersatus, in Franciam receſſit, & Ecclesiæ Maguntinæ Episcopum præfecit. Qui statim ab Episcopo B. ordinatus, & à legato Wicperti palliatus. Inde Imperator Metensem ciuitatem aggrediens, Episcopum & ciues vrbis eiusdem sibi rebelles pactione subiugauit.

Viuente adhuc Ottone Constantiense Episcopo, Berchtoldus ad episcopium coactus, inde prorsus mutus vsque ad mortem efficitur. Post hunc Gebhardus, Comes genere clarissimus, est subordinatus. Defuncto autem Ottone Episcopo, ab Imperatore Arnoldus Episcopus constitutus, à Wicperto ordinatur Episcopus. Gregorius VII. omnes iuratos Regis Hainrici à sacramento absoluit.

MLXXXV.

Sigefridus Augustensis Episcopus, & Nortpertus præpositus Curiensis Ecclesię Pastor à Maguntino Episcopo sunt ordinati.

Synodus à legatis Wicperti, à Werenhario Episcopo & aliis, & ab Imperatore Maguntiæ collecta, Episcopos ab Imperatore dissidentes, damnauit & deposuit, in quorum locum alii substituuntur. Gregorius autem VII. fugiens persecutionem Salerni obiit, & ibi sepelitur.

Imperator Saxoniam cum exercitu multo ingreditur, pridem rebelles cum pactione susceperat, Hermannum Ducem regia negotia vsurpantem, & Episcopos illi consentientes, & ab illo constitutos de prouincia expulit. Sed dum ipse Hainricus (vt æstimabat) sine fraude & periculo moraretur, Saxones quidam postpositis pactionibus & iuramentis in eius mortem conspirauerunt. Ipse vero, licet pertinaciam eorum sedare non valeret, sine læsione suorum, de prouincia eorum in Bauariam & Franciam rediit.

Frideri-

Fridericus Patriarcha Aquilegiensis occiditur: Vdalricus Comes, Abbas de S. Gallo successit.

MLXXXVI.

Post natalem Domini copioso exercitu iterum Saxoniam inuadit: sed aduersariis in diuersa cedentibus, ipse partim prouinciam deuastat & incendit: resistentesque ad pactionem compulisset, nisi quorundam sequacium suorum fraudulentia impediisset; qui statim in Bauariam eo reuerso, coniurationis suæ assumptis fautoribus, Frisingam seducto cum dolis Episcopo, in Paschali solennitate capiunt. Deinde Duce Welphone & Sueuis aduocatis per totam pene prouinciam grassatur, & cum quibusdam, quos Imperator egregie ditauerat, peruenerat vsque Ratisponam (in qua Imperator tum temporis erat) ipse dissimulans. Nam post paruum temporis interuallum Fredericus Alemannię Dux & Rapoto Comes ciuitatem decipiunt. Illis enim recedentibus aduersarii assumpto Duce cum aliis, eos qui in vrbe ad præsidium erant ad deditionem coegerunt, & Episcopum cum iuramento sibi associarunt. Imperator vero proficiscens illos, quos supra diximus, proterue sibi occurrentes inuasit, plurimisque ex eis occisis & vulneratis superauit. Dehinc apud Salzburg & pene per totam Bauariam seditiones diuersæ & pugnæ sunt commissæ. Imperator vero audiens Ducem Fridericum, & Episcopum Moguntinensem à Sueuis & à Saxonibus in Wirtzburg obsessos, in Franciam proficiscitur, & ibi collecta non modica multitudine, pro liberanda obsidione ciuitate, in hostes ad bellandum paratos atrociter cum sua legione irruit; exercitus autem sic pars maxima statim, vtrum consilio an ignauia, terga turpiter vertit. Hostes vero hac occasione atrociores pertinaciter repugnant, peditumque non modicam partem trucidant. Imperator pro viribus occurrentes, seque impugnantes repulit, strauit, hastam etiam regiam deauratam ab hostibus arreptam recepit: ita periculi necessitate compulsus paucis equitibus sauciatis de bello sine effectu rediit. Fredericus Dux, & qui in vrbis præsidio erant, suorum contumeliam, & inimicorum cernentes contumaciam, vrbe relicta nimis turbati discesserunt: Aduersarii propter inimicorum ignauiam, quasi victoria potiti vrbem hoste vacuam aggressi, Adelberonem Episcopum pridem depositum & expulsum restituunt.

Augustæ coruum hoc tempore vidimus album, adeo vt candidior nulla columba fuit.

MLXXXVII.

Condictum in Oppenhaim concilium sine effectu dissoluitur. Augustam à quibusdam perfidis proditam atque promissam aduersarii inuadentes, ciuibus repugnantibus frustrati discesserunt. Abbas quidam de Monte Casino Desiderius, opinione sanctitatis famosissimus, ab Imperatoris aduersariis seductus, cum Nortmannis, quos cum pecunia corruperat, clandestina calliditate pro arripienda Apostolica dignitate Romam ingreditur: sed Romani, qui ex parte Imperatoris erant, aduentus eius causam cognoscentes, ipsum vix euadentem ex vrbe fugarunt, Monachosque & alios sequaces eius multis contumeliis affecerunt. Ipse vero in immoderata perdurans ambitione, multa dando & plura pollicendo collecta graui multitudine, absente Wicperto in ipsa sacratissima vigilia Pentecostes ex insidiis occulto aditu Romam inuasit, S. Petri domum expugnauit, irrupit, statimque violentia quadam se inthronizari fecit & consecrari. Sed miser ille atque maledictus, dum Missarum solennia celebraret, inter ipsa Sacramenta nondum perfecta, fœtore turpissimo effusis intestinis labitur, atque extra Ecclesiam semiuiuus deportatur, post breue autem vitam in quodam castro finiuit, graui languore affectus, neque à Romanis detentus, nec in proprio monasterio receptus. Quidam Monachus Otto, mutato nomine Vrbanus, viuente adhuc Wicperto, ab aduersariis Imperatoris Papa substituitur. *Victor III. PP.* *Vrbanus II. PP.*

Post Spirense concilium male inchoatum, peius terminatum, Imperator collecto prægrandi exercitu Saxoniæ fines aggressus, quidque aduersariorum cædibus, incendiis ac rapinis atrociter deuastat; cuius violentiæ cum hostes con-

globati primo molirentur resistere, tandem asperitatem belli formidantes, se pactionem pro Imperatoris honore Principumque eius consilio facturos in loco & tempore statuto iuramentis affirmant, si à cædibus ac deuastatione quiescerent eorum, ac de prouincia eorum excederet. Ergo suorum consilio Imperator acquiescens desiderata concessit, & de prouincia excessit. Hostes vero ad pristinam reuoluti contumaciam, spretis iuramentis pactum irritum faciunt, depulso Herimanno Egipertum regnare disponunt. Ita Imperator frustratus dimisso exercitu in Bauariam reuertitur. Translatio S. Nicolai apparuit. Nortpertus Curiensis Episcopus, pridem Augustensis Ecclesiæ præpositus, obit: Vdalricus substituitur.

MLXXXVIII.

Bertha Imperatrix obit, & Spiræ sepelitur.

Vrbem Augustam muris satis munitam à perfidis & infandissimis hominibus male defensam & proditam 11. Id. April. hostes cum scalis nocte satis splendida intrantes omnia vastant. Episcopus Sigefridus in deditionem acceptus in custodiam mittitur. Wilgoldus ad chrisma consecrandum adducitur. In Paschali hebdomade muros vrbis vsque ad fundamentum hostes deponunt, Episcopum abeuntes secum abducunt. Wilgoldus vrbem destructam, patriam linquens desolatam, ad fauces rediit: ibi citius graui egritudine correptus moritur & sepelitur.

Burcardus Halberstatensis, fomes & nutrimentum discordiæ, in seditione quadam transfixus exspirauit. Antistite Sigefrido adhuc in custodiam posito, Werinharius quidam a Ducibus ad suscipiendum Augustensem episcopatum accitus, in itinere morte præuenitur subitanea. Gebhardus Salzburg. in seditionis perdurans pertinacia, languoris grauissimi vitam finiuit molestia: qui suiq; consentanei cum dicerent, se cum excommunicato suo Domino Rege non debere, saluo ordine suo communicare, quomodo poterant sane sacerdotio saluo contra eum cum aduersariis conciliari & dimicare. His suggestoribus sublatis, omnis fere Saxonia Imperatori fidelitate spontaneaque pactione est subiugata. Werenherus Maguntinensis Archiepiscopus obit. Hermannus pseudorex regia dignitate priuatus, vrbem quandam clam cupiens irrumpere, saxo desuper misso capite (quo temerarius coronam imposuerat) percussus opprimitur.

Eggepertus Abbas Augiensis pro episcopatu Augustensi * effectus elanguit, rediit & obiit.

Eggepertus Marchio in Saxonia clam turba aggregata non modica, in vigilia natalis Domini ex improuiso castra Imperatoris irrupit. Qui vero in castris erant, subito tumultu turbati aliqui aufugiunt, alii confidenter repugnant: vtrimque atrociter confligitur, plures occiduntur, plurimi sauciantur, Episcopus Losannensis interimitur: Imperator coniurationis solitæ fraudem suspicatus, cum aliquantis suis de prouincia secessit.

MLXXXIX.

Imperator Braxeden Rutenorum Regis filiam sibi in matrimonium sociauit. Diuersis consiliis cum Imperatore de pace tractatur.

Apud Niuogellam B. Gertrudis possessiones prædones vastantes, cum vexillis & armis & equis inflammati, deinde domestici eorum cum natis & pecoribus combusti.

Ottone Ratisponense Episcopo defuncto Gebhardus Comes de Hohenloo constituitur.

MXC.

Sigefridus Augustensis Episcopus post biennium à custodia dimittitur, non modica pecunia redemptus. Pertholdus Ducis Rudolfi filius morte subitanea moritur. Egibertus Marchio in seditione perdurans ex insidiis interimitur. Leutoldus Dux Carinthianorum obit.

In Saxo-

In Saxonia clericus quidam (vt putabatur) defunctus, raptus ad inferos, post triduum reuersus, sententiam quam de tormentis Gregorii VII. Papæ, regulorũq; Rudolfi & Herimanni multorumq; prætulerat, mortis suæ præsagio, aliarumq; rerum indiciis affirmabat.

Pace nondum effecta, aduersariis ecclesiasticis * ciuilibusq; rapinis incumbentibus, Imperator in Italiam cum exercitu proficiscitur, à terræ illius Principibus benigne suscipitur, aduersantium vrbes, municipia, castella oppugnat, incendit, loca Mantuanorum finibus adiacentia vastauit, toto æstiuo tempore Mantuam rebellem obsedit.

MXCI.

Mantuani longa obsidione coacti, misso Ducis Welfo * filio vrbem tradunt Imperatori. Imp. apud Veronam colloquiũ eum regni optimatibus pro pacis habuit conditione, sed sine effectu ab his, qui hactenus pacem exosam habebant, dissoluitur, quibus ab Ecclesiasticis & ciuilibus quiescere rapinis, & ab incendiis & cædibus abstinere maximum videbatur infortunium. Sed quid prodest miseris, si totum mundum lucrentur, animæ vero suæ detrimentum faciant? Hac cõfusione temporum omnes honores, omnes dignitates, gradus, omnis disciplinæ splendor deletus est.

MXCII.

Imperatore in Italia regalibus negotiis occupato Prouincia Sueuorum clades opprimitur: nulla timoris respectio, nulla ministris Domini erat reuerentia: vbiq; sanguis, homicidium, furtum & fictio, corruptio, infidelitas, turbatio, periurium, tumultuatio, nulla bonorum Domini memoria, animarum inquinatio, nuptiarum inconstantia, mœchia, & impudicitia.

Berchtoldus Dux de Laringen Dux Alemannorum constituitur. Et Vdalricus Episcopus Patauiensis postulatur.

In prouincia Vngarorum vna die VI. Kal. Iulii, terræ motus factus est, vrbesque subuersæ sunt.

MXCIII.

Ex odiis & inuidia fomite conflata vsq; adeo conualuit discordia, vt quidam peruersæ seditionis auctores cum Mediolanensibus iuxta Euangelica scandalorũ præsagia filium Imperatoris Conradum regnare, & in patrem malo instinctu suggererent, non veriti diuinã sententiam: *Necesse est enim vt veniant scandala, væ autem illi per quem veniunt*. Bauarii quidam proteruitate contumaci Augustam inuadentes, ciuibus pro copia temporis confluentibus, & apud basilicam B. Mariæ collectis, in ipsa congressione mente consternati, quidam trucidati sunt, quidam vulnerati, quidam fugæ turpissimum arripiunt præsidium. Autumnus pluuiosus fuit. Solis eclipsis in meridie in libra, VIII. Kal. Octob. Eo tempore vbiq; mortalitas, pestilentiæ & fames per loca Saxonica.

MXCIV.

Imperii miseranda facies Imperator criminibus diuersis diffamatur, Imperatrix maritum deserens ad hostes secessit. Alemannia aliæq; prouinciæ pacificantur. Mortalitas conualuit immoderata, adeo vt villæ plures existerent sine cultoribus, & Ecclesiæ sine sacerdotibus, pestilentiã consumpti. Item contra veteris nouiq; testamenti instituta, quidam operandi licentiam tribuerunt in Paschali hebdomade, non cõsiderantes LX. finẽ, id est quartam feriam vniuersalis resurrectionis & remunerationis significatiuam, nec LXX. terminum in Sabbato definitũ, & octauã renatorũ, & typũ perpetuæ lætitiæ beatorũ. ô ambitio quam cæca semper!

Abbas quidam Campidonensis Eberhardus, non contentus abbatia sua fratis opulenta, pro vsurpando sibi ab Imp. filio Augustensi Episcopatu, adhuc viuente Sigefrido Episcopo, Italiam ingressus morbo consumptus est Italico. Colloquium Sueuorum in Augusta circa festum S. Galli.

MXCV.

Ordo Indict. LXXII. Ver ventosum & siccum. In III. Kal. Maii Augustæ suburbana tota pene cum ecclesiis incendio consumpta sunt. Hyems varia: Commoda Æstatis & Autumni temperies: frugum vbiq; abundantia. *Hic incipit Chronic. Fr. Wanger*

Pro pace & regni restauratione colloquia. Imperatoris filius Conradus de Sicilia Normanni cuiusdam filiam in vxorem duxit. Defuncto Vdalrico Curiensi Episcopo, Guido Episcopus Augustensis Ecclesię Canonicus successit.

MXCVI.

Bellum sacrum in Palæstinam: de quo Fuchetus, Wilhelm. Tyrius, alii: Robertus.

Mira & inaudita expeditio: ex diuersis prouinciis & nationibus plurimi quodam motu mentis compuncti ad bellandum Ecclesiæ persecutores Ierosolymam proficiscuntur, non solum viri bellicosi, sed & Episcopi & Abbates, clerici & monachi ex diuersis negotiis adducti, relictis cõiugibus & liberis: colonicæ mulieres; Ab his, quia multitudini confidebant, in plerisq; vrbibus Iudæi coacti baptizabãtur, aut interimebantur, aut se ipsos interficiebant, sed crescente sociorum numero, à proposito non parum deuiantes, in Vngaria adiacentibusque prouinciis liberius incautiusq; inchoant agere, prædari, munitiones irrumpere: quorum insolentiam barbaris non ferentibus, partim gladiis extincti, partim flumine immersi, & diuersis cladibus oppressi, mulieres & pueri aut in seruitutem coacti, aut miserabiliter afflicti.

Eclipsis lunæ VII. Id. Augusti solito fit maior in noctis initio. Nam Vngari de prouincia egressi, viatores illos loca adiacentia deuastantes & proposito suo contraria agentes inuaserunt, & multitudinem innumerabilem tota die pręliando interfecerunt. Isti autem dispersi quidam ad patriam, quidam ad loca alia remearunt. Sigefridus secundus Augustensis Episcopus obit II. Non. Decemb.

MXCVII.

Post multa flagitia in regno perpetrata, Imperator de Italia rediens, Ratisponam in Pentecoste ingressus, cum omni clero populique susciptur alacritate. Altuino Episcopo defuncto Anto Episcopus Brixiensis Ecclesiæ constitutus à filio Ducis W. captus in custodiam mittitur. Autumnus vero pene totus pluuiosus, inundatio pluuiarum & fluminum castra & villas vicinas Alpibus subuertit. Stella non nimis fulgida apparuit, radium vnum sublucidum de se protendens luna.

MXCVIII.

Nullus religionis splendor. Prouinciæ quędam non solum pontificali sed etiam sacerdotali sunt regimine priuatæ, sua quæque quærentes, non quæ Domini sunt affectantes. Multis ergo laboribus affecti Ierosolimitani viatores, quidam in Græciam cum magno exercitu conuenientium profecti, diuina fauente clementia Constantinopolitano quoque abstracta restituunt imperio, ciuitates etiam à Doricis & aliis Barbaris, Niceam, Antiochiam, aliasq; possessas, superatis, occisis, expulsis aduersariis ditioni subiiciunt Christianæ. S. Theodoro & Demetrio reuelantibus apparuit * quo Dominus noster Dominus Christus est vulneratus à S. Petro dudum Antiochiam. * Quidã statura horribili, facie terribili, de Antiochia in monachum progressus à quodam milite (Deo iuuante) prosternitur. Capella in honore S. Ægidii, S. Mariæ Magdalenæ, aliorumq; Sanctorum est constructa, & XI. Kal. Augusti consecrata. In nocte quadam sanguinei coloris nubes in parte Aquilonari apparuerunt XI. Kal. Octob. Eclipsis solis in octauo Kal. Ian. post meridiem circa lunam XXVIII. vel potius XXIX. Quia luna mensium citius solito, non secundum augmenti rationem, in hoc anno est succensa.

** desunt verba.*

MXCIX.

Hierosolyma à Duce Gotfrido & sequacibus eius capta est, religio Christiana per prouincias dilatatur, Barbari omnes aut extincti aut fugati. Conradus Traiectensis in Pascha occiditur.

Rapoto Palatinus Comes obit, qui dedit Canonicis magnum prædium in Cremhaim. Ruthardus Maguntiæ Episcopus gratia Imperatoris amissa, in Saxoniam profugus secessit. Hyems continua, sterilitas terræ, fames valida. In Augusta dissensio inter Episcopum & Canonicos, canonicæ conuersationis exterminium, restitutio prædiorum canonicorum in Geisenhausen & Straubingen. Vrbano mortuo Papa, Paschalis substituitur.

Paschalis II. pp.

MC.

Wicpertus antipapa moritur. Conradus Imperatoris filius in Italia regia vsurpans negotia moritur.

MCI.

Imperator Natiuitate Domini Moguntiæ moratur. Hyēs valida. Fames valida. Welpho dux cū multis Ierosolimā proficiscitur. Hic Constantinopolis prēteriens, dum cum conuiatoribus suis multitudine sua non modica collecta veniret, & in Romam * Barbaris ex improuiso irruentibus ipse socii q; eatenus inauditam perpessi sunt miseriam, partim Venetorum barbarorum sagittis interempti, partim fame sitique consumpti, partim variis cladibus afflicti, ipse omni spe destitutus nauim ascendens moribundus Ierosolimam adiit, indeq; properans ad insulam Cyprum venit, ibiq; moritur & sepelitur.

MCII.

Hyems obscura. Purificatio S. M. in LXX. Ver totum & siccum & ventosum. Augustæ suburbana cum Ecclesiis S. Petri x I. Kal. Maii exusta sunt. Imperator Hainricus inuadens cum exercitu non multo Flandriam, Ropertum fugauit, aliosq; repugnantes expugnauit, domuit, captiuauit. Inde reuersus natale Domini Maguntiæ celebrauit.

MCIII.

Imperator Moguntiæ in Epiphania Domini regnum per quadriennium cum iuramento pacificari constituit, Saxones sibi rebelles reconciliauit, cunctis gratiam sūā impertiuit. Gebehardus Constantiensis Episcopus à sede sua expellitur.

MCIV.

In Epiphania canonici Augustenses possessionibus ad se pertinentibus Geisenhusen, Crema, Reginhusen, cum aliis tam ad oblationem quam ad stipendium eorum pertinentibus, ab Imperatore & ab Episcopis & Rheni Principibus communi suffragio ab Episcopo denuo restituuntur. Sigehardus quidam nobilis, dum ministris ius à senioribus antiquitus concessum denegare vellet, ab ipsis interimitur.

Imperator in Franciam rediens in XL. & Pascha, Ascensionis, & Pentecostes moratur Moguntiæ.

Iohannes Episcopus Spirensis obit.

Hainricus Imperatoris filius à quibusdam instigantibus seductus secessit à patre, & sic successerunt mala.

ALIA PARS CHRONICÆ MONASTERII SS. VDALRICI ET AFRAE, APVD AVGVSTAM VINDEL. AB ANN. DOMINI MCLII. VSQVE AD ANNVM MCCLXV.

[*Alicubi inserit rebus Bauaricis, & inter alia cœnobii Altahæ inferioris, per Henricum (vt verisimile est) Steronem, sequentium compilatorem: quæ cum hisce iuncta in eodem Codice inuenimus.*]

Anno Domini MCLII.

CONRADVS Rex obiit. Cui successit Fridericus primus. Eodem anno defuncto abbate Vdalstalcho VI. Idus Martii, cui succeſſit Ezilo, vir in religione strenuus & exteriori cura per omnia prouidus: qui præfuit XV. annis. Huius patris temporibus diuertit ad nos Conradus venerabilis & omni honore dignus Episcopus Augustensis, assumens habitum monachalem in cœnobio Sanctorum Vdalrici & Afræ Augustæ, qui in Episcopatu multa vtilia huic cœnobio exhibuit. Inter cætera resignauit eidem monasterio Sanctorum Vdalrici & Afræ decimationes frugum & porcorum in Strausa, in præsentia S. sedis Romanæ, cui tunc præfuit Adrianus IIII. Sicut per priuilegia patet, quæ nobis ab eodem Episcopo à Domino Apostolico Adriano impetrata fuerant. Acta sunt hæc annò Domini MCLVI. propter quæ requiescat anima eius in pace, & in capitulo nostro sepultus est Augustæ.

FREDEricus Imp. Fridericus primus Friderici Sueuorum Ducis filius, fratris scilicet Conradi Regis, natus ex clarissima progenie Karolorum, post Conradum tertium patruũ suum apud Frankenfurt communi voto & consensu omnium Principum est electus ad imperium, nonagesimus quartus ab Octauiano Augusto. Hic in principio regni sui omnium Teutonicorum fauorem habens, per districta iudicia pacem optimam fecit in omnibus partibus regni sui, Italiam rebellẽ fortitudine sua premit, Cremonam, Mediolanum, Bononiam, Placentiam, Brixiam, Terdonam, Veronam, Spoletum, & alias ciuitates sua potentia sic deuicit, vt Mediolanum, Cremonam, & quasdam alias vrbes Italiæ omnimodo destrueret, ciuibus eorum quibusdam occisis, quibusdam in exilium relegatis. *Adrianum IIII. pp.* Nam septem vicibus de Alamania duxit exercitum cõtra ipsos. Ab Adriano Papa Imperator consecratur, sed postea inter eum & ordinatorem suum Adrianum IIII. ac successorem eius Alexandrum III. grauissima oritur dissensio, ita vt Octauianus (qui & Victor) & post hunc Guido (qui & Paschalis) contra prædictum Adrianum ex parte Cæsaris Romani Pontifices constituerentur. Inualuit autem in tantum ista dissensio, vt quasi per XX. annos plures Archiepiscopi & Episcopi fauentes & obedientes Domino Adriano, ab Imperatore propriis sedibus pellerentur indignioribus substitutis, plures etiam Principes laici detrimentum honoris sui & rerum in hoc schismate pertulerunt. Hainrico etiam Duci Saxoniæ, filio illius Hainrici Ducis Bauariæ à Conrado antecessore suo electi à Bavvaria consilio & rogatu Principum Ducatum paternum restituit Noricorum; & Hainricum patruum suum Marchionem *Bauaria & Austria commutatio.* Austriæ, tunc Ducem Bauariæ, ab eodem Ducatu remouit. Et quia eiusdem Marchionis magna nobilitas & multa exigebat honestas, vt nomen Ducis non perderet, & vt Duces Bauariæ minus deinceps contra Imperium superbire valerent;

Impera-

Imperator de voluntate & consensu Principum in Curia Ratisponæ habita Marchionem Austriæ à iurisdictione Ducis Bauariæ eximendo, & quosdam ei comitatus de Bauaria adiungendo cõuertit in Ducatum, iudiciariam potestatem Principi Austriæ ab Anaso vsque ad syluam prope Patauiam, quæ dicitur* Rotensela, protendendo. Nam huc vsque ad quatuor Marchiones Austriæ, & Styriæ, Istriæ, Chambensis (qui dicebatur de Vohburg) euocati ad celebrationem curiæ Ducis Bauariæ veniebant, sicut hodie Episcopi & Comites ipsius terræ facere tenentur. Sic igitur ille Hainricus factus est primus Dux Austriæ. *l. Rosenthal.

Post hæc cum cuncta sibi subiugauit Imperatoris Friderici potentia, Hainricus Dux Bauariæ & Saxoniæ, qui iam quasi per XXIV. annos districtus & optimus iudex suos rexerat principatus, visus est Imperatori non fidelis fuisse, nec contra Lombardos bonus adiutor: per sententiam Principum ab Imperatore proscribitur, & ab honoribus suis deponitur, eique Otto Comes Palentinus Bavvariæ de Schiram per Imperatorem substituitur in Ducatu Noricorum. *Otho Pal. Schirensis.*

MCLIII.

Eclipsis solis accidit. Eugenius Papa obiit.

Anastasius secundus successit; Et eodem anno obiit. Altahensis Abbatia subiicitur Ecclesiæ Bambergensi. *Anastasius IIII. pp.*

MCLIIII.

Adrianus quartus Papa sedit. *Hadrianus IIII. pp.*

MCLV.

Hartvvicus Saltzburgensis Canonicus fit Episcopus Ratisponensis. Fridericus Rex in Italia aliquot vrbes diruit, & Romam veniens Imperator consecratur. Otto Palatinus Comes obiit.

MCLVI.

Fridericus Imperator Roma rediens curiam Ratisponensem habuit, & restituto Ducatu Bauariæ Henrico Duci Saxoniæ, Marchionatum Austriæ in Ducatum mutauit. Ex quo facto multum est diminutus honor & potentia Ducum Bauariæ: sicut patet in priuilegio imperii hic transcripto. *Extat plenius in Austria Cuspiniani.*

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Fridericus diuina fauente clementia Roman. Imp. Aug. Quanquã rerũ commutatio ex ipsa corporali institutione posit firma cõsistere, vel ea quæ legaliter geruntur nulla valeant refragatione conuelli, ne qua tamẽ posit esse gestæ rei dubietas, nostra debet Imperialis auctoritas præcauere. Nouerit ergo omnium Christi, Imperiiq; nostri fidelium præsens ætas & successura posteritas, qualiter nos eius cooperante gratia, à quo cælitus in terrã pax est missa hominibus, in curia generali Ratisponensi in natiuitate S. Mariæ virginis celebrata, in præsentia multorum religiosorum & catholicorum Principum, litem & controuersiam quæ inter dilectissimum patruum nostrum Hainricum Ducem Austriæ, & carissimum nepotem nostrum Hainricum Ducem Saxoniæ diu agitata fuit, de ducatu Bauariæ, hoc modo terminauimus, quod Dux Austriæ nobis resignauit Ducatum Bauariæ, quem statim in beneficium concessimus Duci Saxoniæ. Dux autem Bauariæ resignauit nobis Marchiam Austriæ cũ omni iure suo & cum omnibus beneficiis, quæ quondã Marchio Luipoldus habebat à Ducatu Bauariæ. Ne aũt in hoc facto minui videatur honor & gloria dilectissimi patrui nostri, de consilio & iudicio Principum, Wadizlao illustri Duce Boemiæ sententiã promulgante, & omnibus Principibus approbantibus, Marchiã Austriæ in Ducatum commutauimus, & eundem Ducatũ cum omni iure præfato patruo nostro Heinrico & præuobilissimæ vxori suæ Theodoræ in beneficium concessimus, perpetuali iure sancientes, vt ipsi & liberi eorum post eos, indifferenter filii & filiæ, eundem Ducatum Austriæ hereditario iure à Regno teneant & possideant. Si autem prædictus Dux Austriæ patruus noster & vxor eius absque liberis decesserint, libertatem habeant eundem Ducatum affectandi cuicunque voluerint. Statuimus quoque, vt nulla magna vel parua persona in eiusdem Ducatus regimine sine Ducis consensu vel permissione aliquam iustitiam præsumat exercere. Dux vero Austriæ de Ducatu suo aliud seruitium non det Imperio, nisi quod ad Curias, quas Imperator præfixerit in Bauaria, euocatus veniat: nullam quoque expeditionem debeat, nisi forte quam Imperator in regna vel prouincias Austriæ vicinas ordinauerit. Ceterum vt hac nostra Imperialis constitutio omni æuo rata & inconuulsa

permaneat, præsentem inde paginam conscribi, & sigilli nostri impressione insigniri iussimus, adhibitis testibus idoneis, quorũ nomina sunt hæc: Piligrinus Aquileiensis patriarcha, Eberhardus Archiepiscopus Salzpurgensis, Otto Episcopus Frisingensis, Chunradus Episcopus Bambergensis, Hartmannus Brixiensis Episcopus, Hartmannus Ratisponensis, & Tridentinus Episcopus, Dominus Welffo, Dux Chunradus frater Imperatoris Frid. filius Regis Chunradi, Hermannus Dux Carinthiæ, Marchio Engelbertus de Istria, Marchio Albertus de Padem, Diepoldus, Heinricus Palatinus Comes de Rheno, Otto Palatinus Comes, & frater eius Fridericus, & alii quam plures. Signum Domini Friderici, Romani Imperatoris inuictissimi, Ego Reinaldus Cancellarius vice Arnoldi Maguntinensis Episcopi & Archicancellarii recognoui, regnante Domino Friderico Romanor. Imperatore in Christo. Datum Ratisbonæ, XV. Kal. Octobris Indictione IIII. anno Dominicæ incarnationis MCLVI. *anno regni eius quinto, Imperii secundo feliciter, Amen.*

Wilhelmus Apulus cum Manuele Græco pugnans vicit: cæsa sunt ibi (vt aiunt) XL. millia Græcorum. Imperator Poloniam adit, & fit inter eum & Apostolicum dissensio. Imperator Mediolanum obsedit, & ad deditionem coegit.

Bohemiæ Rex. Eodem anno Wladezlaus Dux Boemiæ, mutato ab Imperatore dignitatis nomine, in Regem Boemorum præficitur.

MCLVII.

Hainricus Comes de Wolffarthausen. Hainricus primus Dux Austriæ in Metem monachos instituit, & clericos qui ibi erant locauit in Munster.

MCLVIII.

Imperator Fridericus vrbem Mediolanum obsedit, & ad deditionem ciues eius coegit.

Otto Frisingensis Episcopus obiit: Adalbertus eligitur.

MCLIX.

Schisma Pontificum. Adrianus Papa obiit, Octauianus Cardinalis à parte Cæsaris constitutus Victor dicitur: sed Rulandus (qui & Alexander) ab Ecclesia eligitur.

MCLX.

Imperator Cremam destruit. Arnoldus Episcopus Moguntinensis in Ecclesia S. Iacobi occiditur.

MCLXI.

Hainricus Dux Carinthiæ periit in Ionio mari: Hermannus frater eius ducatum gerit. Piligrinus patriarcha obiit: Vdalricus ordinatur.

MCLXII.

Imperator Mediolanum destruit.

MCLXIII.

Moguntinenses muros & turres destruxit.

MCLXIV.

Paschalis III. P. Octauianus schismaticus obiit; Guido, (qui & Pascalis) per Cæsarem substituitur. Corpora trium Magorum translata sunt ad Coloniam. Eberhardus Salzpurgensis Archiepiscopus obiit: Cunradus Patauiensis Episcopus patruus Imperatoris successit, ab Alexandro Papa pallio honoratur. Hermannus Brixinensis, & Hartvvicus Ratisponensis Episcopi obierunt. Otaker Marchio Styrię, Gebhardus de Burck, Sifridus de Leubenovve, Leutoldus de Plaigen, Comites obierũt. Extunc Duces Bauariæ castrum in Purchausen possederunt. Chunrado Patauiensi Episcopo successit Rubertus.

Purchhausen.

MCLXV.

Imperator in Curia Wurtzburg Principes regni Guidoni schismatico iurare compulit. Christianus Moguntinus Conrado Bauaro supponitur. Eo anno Imperator Curiam in Lausen habuit. Rubertus ** Episcopus obiit, cui Albo successit. Eodem anno obiit Hezilo abbas sanctorum Vdalrici & Affræ in Augusta: cui successit Vdalricus de castra Biberbach exortus, qui præfuit XII. annis, mensibus tribus.

MCLXVI.

Facta est translatio S. Karoli Imperatoris, feria quarta post natiuitatem Domini. Ordinatio clericorum in Salzburck ab Archiepiscopo Cunrado.

Impe-

MCLXVII.

Imperator Italiam quinto adiit.

MCLXVIII.

Conradus Saltzpurgenſis Archiepiſcopus obiit: Albertus filius Regis Boemiæ ſucceſſit, ab Alexandro Papa IIII. honoratur. Hainricus Ratiſponenſis Epiſcopus obiit. Paſcalis ſchiſmaticus (qui & Gvvido) obiit. *

* Calixtus III. ſubſtituitur.

MCLXIX.

Imperator ad Saltzpurckhofen curiam celebrans, Saltzpurgenſem Epiſcopatum in deditionem accepit: Albo Epiſcopus Patauienſis ab Eccleſia abigitur, cui ſucceſſit Hainricus.

MCLXX.

Imperator Saltzpurgam XIV. Kal. Martii venit ad libertatem cum prælatis colloquium habuit, Rex Ieruſalem de Sarracenis triumphat.

Eberhardus Babenbergenſis obiit, cui Hermannus ſucceſſit.

MCLXXI.

Thomas Cantuariæ patitur. Vacca vitulum in montanis peperit, duo capita, octo pedes, duas caudas habentem.

Pet. de Natal. l. 5. c. 13. Hiſtor. Lombar. c. 11.

MCLXXII.

Imperator curiam Saltzpurgenſem habuit, volens Alberto Archiepiſcopo alium ſuperponere, ſed tunc dilatum eſt.

Heinricus Dux Bauariæ Ieruſalem profectus reuerſus eſt. Heinricus Patauienſis Epiſcopus ſponte ceſſit, ne ſchiſmate contra Eccleſiam obediat Friderico Imperatori: cui ſucceſſit Theobaldus.

MCLXXIII.

Imperator Boemiæ Regem depoſuit, & patruelem eius illi ſuperpoſuit, nomine Zobozlaum.

MCLXXIV.

Imperator in curia Ratiſponenſi Heinricum præpoſitum Berhtersgaden A. Archiepiſcopo ſuper Saltzpurg poſuit, & ipſe in Lombardiam ſexto pergens Alexandriam obſedit.

MCLXXV.

Duces Auſtriæ & Carinthiæ, nec non Marchio Styriæ, prædas & incendia inuicem exagitant: inter quæ Eccleſia S. Viti cum CCC. hominibus arſit.

Eodem anno defuncto abbate Vdalrico Hainricus ſecundus de Mayſach eligitur, vir pudicus & caſtus, & literarum ſcientia ſatis eruditus, Præfuit vero ſex annis, cui in adminiſtratione ſucceſſit Dominus Manegoldus pater multo ſenio confectus: qui pene L. annos in ipſo officio prioratus præfuit huic loco, & multa vtilia conſilio & actione ſub præfatis Abbatibus peregit. Præfuit autem in abbatia ſanctorum Vdalrici & Afræ in Auguſta VI. annis, menſibus octo, diebus XI. In huius patris extremis temporibus, ſcilicet anno Domini MCLXXXIII. Indictione prima, XVI. Kal. Iulii, circa horam nonam, cum nimius eſſet æſtus, fabrica quædam in valle poſita, igne exęſtuans, vicinas domos & inde omnes officinas, tandem clauſtrum & Eccleſiam S. Vdalrici & S. Afræ in Auguſta mira celeritate in fauillas redegit, ita vt proxima cœna nec panis ad victum ſupereſſet, nec tugurium in qua proxima nocte fratres quieſcerent. Cætera require de inuentione S. Vdalrici.

MCLXXVI.

Bohemi Auſtriam inuadunt. Soldanus de Iconia cum Rege Græciæ pugnans vicit, cæſis ei centum milibus (vt ainnt) & S. Cruce ſublata.

MCLXXVII.

Heinricus Dux Auſtriæ poſt multa virtutum & probitatum inſignia obiit. Leupoldus Dux filius eius ſucceſſit.

MCLXXIX.

Alexander Papa ſynodum Romæ CCCC. Epiſcoporum habuit. Hainricus Dux Bauariæ & Saxoniæ ſub Imperatore proſcribitur. Vlricus abbas Altahenſis obiit: cui ſuccedit Ditmarus abbas.

MCLXXX.

Styrensis Marchio Otaker mutato antiquitatis nomine Dux appellari gloriatur. Hainricus Dux Bauariæ ab Imperatore eiicitur. Otto Palatinus Comes de Schyram ei subiicitur, vel substituitur. Manuel Græcorum Rex obiit, Andronicus succedit. Monasterium Altahense igne crematur.

Dux Styrensis.

MCLXXXI.

Alexander Papa obiit: Lucius succedit. Vitalis, Virgilius, Hertvvicus, Eberhardus Episcopi signis claruerunt. Hermannus Dux Carinthiæ obiit. Ottho Dux Styriæ obiit.

Lucius III. pp.

MCLXXXII.

Vdalricus Aquileiensis patriarcha obiit: Gotfridus succedit. Leupoldus Dux Austriæ Ierusalem proficiscitur, & reuertitur.

MCLXXXIII.

Terræ motus accidit 11. Kal. Maii. Christianus Moguntinus obiit. Conradus Moguntinus, Albertus Saltzpurgensis Episcopi restituuntur. Otto Dux Bauariç obiit. Lodovvicus filius eius succedit.

MCLXXXIV.

Filius Imperatoris Hainricus Rex, Conradus Dux Sueuiæ, & Otto, Maguntiæ gladiis accingũtur. Imperator septimo Italiam adit: cum Lucio Papa familiare colloquium habuit. Beatrix Imperatrix obiit. Albertus Frisingensis Episcopus obiit: prò quo Otto succedit. Eodem anno Dominus Manegoldus migrauit ex hac luce, cui succedit Hainricus Prior, huius nominis III. vir castus & pudicus, & in spiritualibus ac religione (quantum tunc temporis exerceri potuit) deuotus & discretus, nec minus in exteriori cura prouidus & studiosus: & ordinatur in festo S. Iohannis Baptistæ, qui muris veteris claustri funditus euersis nouas & ampliores officinas reparauit, & monasterium lignis ingentis machinæ & molis reædificauit, & lateribus opperiri fecit, sicut hactenus cernitur, qui & alia multa bona perfecit, quæ causa breuitatis hic omitto.

MCLXXXV.

Andronicus tyrannus Græciæ occiditur. Lucius Papa III. obiit, Vrbanus succedit. Theodora Ducissa Austriæ obiit.

Vrbanus III. pp.

MCLXXXVI.

Conradus Rex Imperatoris filius duxit filiam Rogerii olim Regis Apuliæ. Cremam Imperator restaurat.

MCLXXXVII.

Apostolicus & Imperator pacificantur. Saladinus Babylonicus terram Ierusalem intrauit, Tiberiadem, Cæsaream, Nazaret, Accaron, plerasque alias ciuitates inuasit, Principes & populum in prælio cepit, & occidit (vt aiunt) fere ad XXX. M. circa Idus Iulii.

In mense Septembri Eclipsis solis accidit. Idibus Octobris Vrbanus Papa obiit, Gregorius (qui & Albertus) succedit. Post hunc Clemens Papa. Eodem anno in prima Dominica Quadragesimæ Fridericus Imperator Ratisponam intrauit, & ibi cum XVII. Episcopis & cum omnibus Principibus Bavvariorum maximam curiam celebrauit, ac ibidem totam Quadragesimam & Pascha peregit. Conradus Episcopus Ratisponæ eligitur.

Gregorius VIII. pp. Clemens III. pp.

Otacher Dux Styriæ lepra morbo præpeditur. Ducatum Styriæ, coniunctiones, prædia & omnes ministeriales cognato suo Duci Leupoldo Austriæ reliquit. Eodem anno dedicatio monasterii S S. Vdalrici & Affræ infra muros ciuitatis Augustæ sub præfato huius loci venerabili abbate Heinrico.

MCLXXXVII.

Octauo Idus Aprilis Luna XXIIII. D, dominicalis litera, in secunda feria post paschalem septimanam, anno decemnonalis Eclip. XI. qui & communis, epacte IX. concurrente III. Indictione V. termino Paschali, IV. Kal. Aprilis, dedicatum est templum hoc à venerabili Conrado Moguntino Archiepiscopo, cooperantibus venerabilibus Episcopis, Vdalscalco Augustensi, Ottone Frisingensi, Hermanno Mona-

Monasterienſi, Ottoni Arelatenſi, Berchtoldo Tullenſi. Huic dedicationi interfuit beatæ memoriæ Fridericus Imperator cum maxima deuotione, & cum tribus filiis ſuis & aliis quamplurimis regni Principibus, cuius auctoritate & ordinatione tota eadem dedicatio patrata eſt. Nam idem Imperator cum tribus Epiſcopis ſanctum corpus B. Vdalrici cum veneratione magna ad locum repoſitionis deportauit. Acta ſunt hæc ſub huius loci venerabili abbate Heinrico tertio.

MCLXXXVIII.

Heinricus abbas cum præfuiſſet annis VII. menſibus VI. obiit VI. Idus Decembr. nec non in feſto conceptionis B. Mariæ virginis, defuncto ſubſtitutus eſt Dominus Erchenboldus, vir elegantis perſonæ & formæ, nec non morum adornatus honeſtate. Præfuit autem annis decem.

MCLXXXIX.

Imperator à terra mouit & mari expeditionem aduerſus Saladinum, quem Rex Græciæ Iſachat* primo miſſis legatis Nurnberch iurauit ſe honorifice ſuſcepturum, & ſecurum ei tranſitum præbiturum: ſed poſtea eo Græciam intrante, mentitus eſt per omnia quæ promiſerat. Quem Imperator ad Sacramentum faciendum denuo de pace & concordia, & ſecuro tranſitu compulit, acceptis ab ipſo electis obſidibus.

*Iſacium Angelum.

MCXC.

Imperator & Rex Græciæ octauo Kal. Martii pacificantur. Wilhelmus Rex Apuliæ obiit: Tanchardus tyrannus regnum inuadit. Heinricus Rex expeditionem in Apuliam mouit.

Poſt multas itaque victorias & prælia, pace in regno Teutonicorum per ſua tempore florente, contra inimicos Crucis mouet exercitum in ſubſidium Terræ ſanctæ, & cum eo vadit Teutonicorum & aliarum gentium maxima multitudo. Vbi cum in Græcia in quodam paruo riuulo ſe lauaret circa Solſtitium æſtiuale, in eodem occulto Dei iudicio eſt ſubmerſus, & exercitus ſui & peregrinorum magna pars ex intemperie aeris interiit.

Theobaldus Patauienſis Epiſcopus obiit, cui Wolfferus ſuccedit.

MCXCI.

Heinricus VI. filius Friderici ſupradicti regnare cœpit XCV. ab Auguſto. Hic anno ætatis ſuæ XXI. adhuc viuente patre, cum regina Conſtantia filia Rogerii Regis Siciliæ glorioſas nuptias Mediolani apud S. Ambroſium celebrauit, & à Celeſtino Papa ſucceſſore Clementis vnctionem accepit Imperii, ſecunda feria Paſchæ.

HEINRICUM VI Imp. Celeſtinus III. pp.

MCXCII.

Ipſe autem Celeſtinus Papa præceſſore ſuo Clemente in ſabbato ſancto viam vniuerſæ carnis ingreſſo in die ſanctæ reſurrectionis Domini electus & conſecratus fuit. Iſte Heinricus audacia & largitate, iuſtitia & veritate, literatura & ſapientia, & aliis virtutibus pollens imperium ſuum ſuo breui tempore bene rexit, regnum Siciliæ ſibi ſubiugauit, & multa alia bona ac memoria digna in Imperio fecit, ac demum in Apulia inſidiis vxoris ſuæ (vt dicitur) veneno periit, cuius vxoris fere totam miris cruciatibus interfecerat parentelam.

Fridericus Dux Sueuiæ cum aliis Principibus & Epiſcopis in expeditione obiit. Rex Galliæ, & Rex Angliæ expeditionem per mare mouent. Eclipſis ſolis accidit VIII. Kalend. Iulii, circa mediam diem, & totus aer factus purpureus.

Controuerſia facta eſt inter Regem Galliæ & Regem Angliæ. Rex Galliæ reuertitur.

MCXCIII.

Conradus Marchio Montis ferrati, qui Rex Ieruſalem fuerat creatus, vt (fertur) de conſultu Regis Angliæ à duobus inſidiantibus occiditur apud Syndonem: Reichardus Rex Angliæ pace cum Saladino compoſito ab Ieruſalem reuertitur, & ſuorum deſtitutus comitatu, pedes apud Wiennam ciuitatem à Duce Auſtriæ Leupoldo captus Heinrico Imperatori traditur. Bauari inter ſe diſſi-

dentes omnem regionem incendio deuastant, vbi Albertus Comes de Pogen Ludvvicum Ducem fugauit auxilio Boemorum.

MCXCIV.

Otacher Dux Boemorum ab Hainrico Imperatore Ducatu suo priuatur.

MCXCV.

Lupoldus Dux Austriæ & Styriæ lapsus de equo crure fracto obiit, Kalend. Jan. cui Fridericus filius eius succedit in Austria, & Leupoldus in Styria. Mortuo autem in transmarinis partibus Friderico Leupoldus possedit vtrumque ducatum, homo pacificus & virtuosus, cuius tempore monasteria, clerus, & populus in suis prouinciis pace magna gaudebant, vt merito Pacificus & Pater cleri vocaretur.

Eodem anno Hainricus Imperator deliberationem Ierusalem & sancti sepulchri omnimodis intendens, duas curias habuit, Geilenhausen vnam: in quibus ipso Imperatore multum instigante, infinitus Episcoporum, & aliorum exercitus Principum sibi crucem affixit, & contra Sarracenorum gentem iter arripuit. Hainricus Imperator manēs in Apulia secundam expeditionem terrestri & nauali fortissimo apparatu fecit: totam Apuliam & Siciliam, cum palatio Panormitano, & thesauris Regum antiquorum infinitis obtinuit; & Margretam piratam cepit, & alios quam plures qui contra cōspirauerant, diuersis suppliciis interemit, filium Tanchardi & vxorem eius captiuauit. Hainricus Dux aliquando Bauariæ & Saxoniæ in Brunschvvich obiit. Eodem anno Massimut * in Hispaniis male pugnatum à Christianis, multi eorum interierunt.

Crucisda in Sarracenos.

*. Maximus.

MCXCVI.

Imperatrix filium peperit, qui vocatus est Fridericus. Quod vt primum per Albertum Comitem de Pogen tunc in Apulia existentem Hainrico Imperatori innotuit, gratiam suam (qua tunc carebat) recipere meruit: sedet Otakero Boemo (qui & Primitzlaus) gratiam Cæsaris & Ducatum pristinum impetrauit: destitutus enim in curia Wormatiæ celebrata fuerat, pro eo quod contra Ludouicum Ducem in auxilium Alberti comitis Bauariam intrauerat. Otto Bambergensis Episcopus obiit; Tymo succedit.

MCXCVII.

Christianorum exercitus sub quodam Gottfrido Duce de Brabant mare transiuit, & ciuitates duas, videlicet Syndonem & Baruch, & alia quam plura castra, quæ possederant Sarraceni, occupauerunt.

Hainricus Imperator ad hæc in Apulia positus mortuus est. Quo mortuo Philippus Dux Sueuiæ, frater prædicti Imperatoris, & Otto filius Hainrici aliquando Ducis Bauariæ Saxoniæque pro regno contenderunt, Philippo postmodum prævalente. Iste Philippus XCVI. ab Augusto regni Romani iura strenue gubernauit, faciens iudicium & iustitiam omnibus, qui ad eum auxilii gratia confugerunt, & hæc vberius fecisset, si non fuisset prædicti Ottonis & suorum fautorum obstaculis præpeditus. Hic cum adhuc in regio solio sublimatus non fuisset, promiserat ducere matrimonialiter filiam Ottonis Palatini Comitis de Witeleinspach, quam postmodum repudiauit. Vnde idem Comes commotus, accessit in Bamberch ad cameram ipsius Regis, tanquam ei solus pacifice locuturus, & gladio quem occulte gestabat, ipsum Regem subito interfecit.

PHILIPPUS Sueuus, Rex.

Aliter Hellmoldi continuator, lib. 3. c. 14.

MCXCVIII.

Albertus Archiepiscopus Saltzpurgensis circa fluuium qui dicitur Lamer, à ministerialibus capitur, & in castro Wuren per dies XIV. captus tenetur. Propter quam enormitatem facti diuina in Saltzpurga Ecclesia aliisque Episcopatibus vicinis interdicta sunt. *Liberasti nos ex affligentibus*, cantatum est ei dimisso.

Albertus Comes de Pogen obiit, relinquens tres filios, Leupoldum, Perichtoldum, & Albertum.

Celestinus

MCXCIX.

Celestinus III. Papa obiit. Innocentius III. Papa sedit. Episcopus Patauiensis, Wolfkerus cum duobus Comitibus de Ortenberch, Rapotone & Hainrico, qui Ecclesiam Patauiensem vastauerant, contendens, mirabiliter castellis eorum vastatis conterruit eos, multis ibidem pereuntibus. Idem Episcopus cœpit ædificare castrum in Ortenberch. Corpus Domini versum est in cruentam carnem in ciuitate Augusta. *Innocentius III. pp.* *Ortenberg.*

MCC.

Adalbertus Archiepiscopus VI. Idus Aprilis obiit: Cui Eberhardus Brixinensis succedit. Conradus Moguntinensis Archiepiscopus obiit.

MCCI.

Terræ motus multis terrarum locis factus est magnus, ita vt multas vrbes & Ecclesias destrueret, & mortes hominum fierent. Cœpit autem idem terræ motus IV. Non. Maii.

MCCII.

Kunegundis virgo & Regina, vxor Imperatoris Hainrici pii, Babenberch sepulta, multis fulgens miraculis ab Innocentio Papa Canonizata est; multis conuenientibus Episcopis & Archiepiscopis inter quos etiam affuit Dominus Saltzpurgensis Archiepiscopus Eberhardus, ab eis est translata. Diemarus abbas Altahensis cedit propter senium, cui succedit Popo abbas. Tymo Babenbergensis Episcopus obiit, Conradus eligitur, & eodem anno obit: cui Eckenbertus succedit. *S. Kunegūd.*

Eodem anno X. Kalend. Februarii Erchenboldo abbate præmature defuncto Vlricus prior assumitur, multo senior illo, qui præfuit annis quatuor. Hic itaq; abbas Vlricus senio confectus, adhuc viuens pastorali se cura abdicauit, cui successit Dominus Hainricus abbas de Velsheim huius nominis loci istius Abbas XXIIII. à primo abbate, vir bonæ conuersationis & famæ, cunctisq; affabilis, pius & largus & hospitalis existens, omniaque malens vultu placido ac miti animo, quam rigore & seueritate ordinare & iudicare, multa bona peregit, Præfuit autem annis XII.

MCCIII.

Discordia facta est inter Ducem Ludvvicum & Episcopum Ratisponensem Conradum, cui confœderatus Dominus Eberhardus Archiepiscopus Saltzpurgensis in manu valida venit ei in auxilium nullo resistente, & diruta sunt castra aliquanta ex vtraque parte, factaque sunt incendia plurima per vniuersam Bauariam, villarum deprædationes & Ecclesiarum, ita vt nec ab altaribus abstinerent, & reliquias Sanctorum inde auferrent, aliaq; quam plurima nefanda & inaudita perpetrarent. Leupoldus Dux Austriæ & Styriæ Theodoram filiam Regis Græcorum duxit vxorem.

MCCIV.

Ludvvicus Dux Bauariæ, & Dominus Eberhardus Saltzpurgensis Archiepiscopus, & Cunradus Ratisponensis Episcopus in concordiam redierunt. Conradus Ratisponensis obiit IX. Kal. Maii, cui Conradus Frisingensis præpositus succedit. Piligrinus Aquileiensis patriarcha obiit, cui succedit Wolkerus Patauiensis Episcopus, pro quo Popo præpositus Aquileiensis constituitur. Berchtoldus Dux Morauiæ obiit. Ludvvicus Dux Bauariæ castrum & oppidum in Lantshut construere cœpit. *Landshut.*

MCCV.

Popo Patauiensis Episcopus obiit: Manigoldus abbas de Tegernsee succedit. Otaker Dux Boemiæ consilio Ludvvici Ducis reliquit Ottonem & adhæsit Philippo, qui consensu Principum imposuit ei diadema, faciens eum & successores suos Reges, tradiditq; filiam suam Wenetzlao filio suo. Exhinc Reges Boemorum. Ordo fratrum minorum inchoatur à S. Francisco. *Reges Boëmiæ. Vide tamen supra anno 1056.*

MCCVII.

Philippus Rex cum Papa reconciliatus, Babenberg ab Ottone Palatino comite de Witelenspach per conspirationem occiditur.

MCCVIII.

. Depisoria expeditio puerorum.

Ad mare stultorum tendebat iter puerorum.

MCCIX.

OTTHO IIII. Rex. Otto intrauit Apuliam. Otto filius Ducis Heinrici de Braunschvvich in Regem eligitur, & ab Innocentio consecratur. Otto Palatinus Comes occiditur pro homicidio commisso in Philippum, à strenuo ingenuo viro Heinrico Marschalco Imperii de Calentin, ministeriali Philippi.

MCCX.

Otto à Domino Papa excommunicatur.

MCCXI.

Otto intrauit Apuliam, ibidem Fridericum Regem Siciliæ expugnare voluit, & totam Apuliam sibi subiugauit. Otto Rex à multis Episcopis Alemaniæ excommunicatus à Papa denunciatur.

MCCXII.

In festo S. Nicolai Fridericus Rex Siciliæ intrauit regnum patris sui, electus Frankenfurt. Christiani de Sarracenis in Hispania fere c. millia occiderunt, & captiuarunt miraculose. Manigoldus Patauiensis Episcopus, & Rapoto Palatinus simul discordantes, claustra, monasteria, Ecclesias vna cum omni prouincia incendio deuastarunt. Altmanus de Helingersperg moritur, sed castrum ibidem ab Episcopo ædificatum moriens resignauit Ecclesiæ Altahensi, quod Monachi destruere volentes prohibiti sunt à Comitibus de Pogen.

FREDEricus II. Imper.

Helinsberg.

MCCXIII.

Fridericus Rex consecratus apud Moguntiam in purificatione B. Mariæ virginis, curiam Ratisponæ celebrauit, aliam etiam curiam in passione Domini apud Constantiam celebrauit, tertiam Merspurg celebrauit.

Regina Gertruda Vngarorum, mater S. Elizabeth, sponso expeditionem contra Ruthenos mouente, a Comite quodam Petro trucidatur, qui & ipse subsequenti nocte in vltionem sceleris cum aliis iugulatur. Cui Episcopus de Gran misit in epistola amphibologica, *Reginam occidere nolite timere bonum est: Si omnes consentiunt, ego non contradico.*

Castrum in Helinsperg, data comitibus de Pogen pecunia, à Domino Popone Abbate & Monachis suis destruitur.

MCCXV.

Manigoldus Patauiensis Episcopus obiit; Vlricus eiusdem Ecclesiæ Canonicus succedit.

Vniuersalis synodus celebrata est Romæ, in qua fuerunt Episcopi CCCCXII. inter quos extiterunt, Constantinopolitanus, Ierusolimitanus Patriarchæ: Primates autem & Metropolitani LXXI. Abbates & Priores vltra DCCC. præsidente Innocentio Papa III. In ipsa Synodo Kymensis Episcopatus instituitur, ad quam sedem Rudgerus primus Episcopus ordinatur.

Chiemsee.

MCCXVI.

Innocentius Papa III. ab Vrbe egressus verbum crucis in Tuscia prædicauit, & apud Perusium ciuitatem in diuisione Apostolorum obiit, ibique sepultus est. Honorius Papa III. substituitur. Ordo prædicatorum initium sumit. Heinricus abbas S S. Vdalrici & Afræ Augustæ obiit: cui succedit Dieto vir prouidus in temporalibus, præfuit autem annis VI.

Honorius III. pp.

MCCXVII.

Rex Vngariæ Andreas, & Leupoldus Dux Austriæ, Dux Moraviæ, Otto Episcopus Babergensis, Ebertus & nobiles & Comites cum manu valida transfretarunt ad succursum terræ sanctæ.

Bellum sacrum.

Wolfkerus

MCCXVIII.

Wolfkerus patriarcha Aquileiensis obiit, cui succedit Berchtoldus Archiepiscopus Golotensis. Christiani in transmarinis partibus Cæsariam & turrim Stratonis reędificant, & post multas deprædationes ad munitionem montis Thabor accedentes, viriliter duabus vicibus impugnauerunt: quam munitionem postea ibi Sarraceni timore Christianorum destructam reliquerunt. Deinde coadunato exercitu Christianorum ciuitatem Damiatam obsidione cingunt, & turrim inuictissimam in medio fluminis sitam, & catenam flumine LV. pedes habentem viriliter occuparunt, vbi tamen milites electi XL. cum aliis fracto instrumento in flumen præcipitati sunt. Exercitus Romanorum cum Italicis militibus auxilium veniunt Christianis. Ludvvicus Dux oppidum in Straubing construere cœpit. *Straubingen.*

MCCXIX.

Otto aliquando Imperator à sententia excommunicatorum absolutus obiit. Regalia quoque Heinricus Palatino Rheni assignanda Regi Friderico reliquit, quæ ad instantiam eiusdem Friderici Regis eodem anno sub quadam forma compositionis ipsi assignata sunt. Setnovvensis episcopatus à Domino Eberhardo Salzpurgensi Archiepiscopo de licentia Domini Honorii Papæ creatur: & Carolus Frisacensis præpositus eidem sedi præficitur. Fridericus Rex curiam Nurinbergensem cum multis Principibus celebrauit. Concilium prouinciale à Domino Eberhardo Archiepiscopo Salzpurgensi celebratur, cui interfuerunt Patauiensis, Frisingensis, Gurzensis, Chiemensis, Setnovvensis Episcopi. Ludvvicus Dux Bauariæ cepit munitionem ciuitatis Hallis, in monte qui dicitur Grinte: quæ ab Archiepiscopo Eberhardo sub quadam forma compositionis destructa est: & ob hanc causam prænominatus Episcopus homines & reditus per omnia, quos in Halle & circa habebant apud Altahenses comparauit. *Halß.*

Damiata ciuitas ignorante exercitu sine omni damno Christianorum, in crepusculo noctis, interfectis innumerabilibus paganis, diuina potentia capta est, & à Christianis potenter possessa. His diebus Vlricus Patauiensis Episcopus cœpit construere castrum in monte S. Georii Patauiæ.

MCCXX.

Otto Frisingensis Episcopus obiit; cui succedit Geroldus eiusdem Ecclesiæ Canonicus. Thomas Cantuariensis Episcopus & martyr, ab Honorio Papa missis Cardinalibus translatus est.

Fridericus Romanorum Rex electus, ab Honorio Papa ad Imperatorem Romæ solenniter consecratur, Duce Bauariæ Ludovvico aliisq; Principibus & viris nobilibus præsentibus.

MCCXXI.

Damiata ciuitas (quæ portus Ethiope dicitur) multo labore & sanguine ac sudore Christianorum acquisita (heu heu!) exigentibus peccatis hominum, diuina permissione seductis in quandam insulam Christianis, aquis & exercitu Sarracenorum circumuallatur, quibusdam submersis aliisque occisis, tandem sub quadam forma compositionis, & multa strage hominum ab vtraque parte facta coactis Christianis, Sarracenis per manus Christianorum reddita est, vbi aderant Ludvvicus Dux Bauariæ, Vlricus Patauiensis Episcopus, qui eodem anno transfretauerant, & alii quamplures nobiles & ignobiles, quorum non extat numerus, qui fugam arripientes vix euaserunt. Vlricus Patauiensis Episcopus ab expeditione rediens transmarina, in via obiit; cui Gebehardus Comes de Plain eiusdem Ecclesiæ Canonicus succedit.

MCCXXII.

Dicto abbate viam vniuersæ carnis ingresso, successit Luitfridus, discretus in spiritualibus, qui præfuit annis VIII. resignans pastoralem curam.

MCCXXIII.

Corpora SS. Viti & Modesti ab Archiepiscopo Eberhardo & Karolo Setnowēsi

Episcopo in Ecclesia S. Andreæ Apostoli inuenta, & in altari recondita, plurimis cœperunt coruscare miraculis, & eorum reliquiæ ad Ecclesiam Salzpurgensem præsentibus Patauiense & Kymense Episcopis cum frequentia & tripudio populi ab Archiepiscopo sunt translatæ.

MCCXXIV.

Berchtoldus Brixiensis Episcopus obiit: cui succedit Heinricus Aquileiensis Archidiaconus, oppidum in Landaw construitur à Ludwico Duce Bauariæ.

Landaw.

MCCXXV.

Conradus Cardinalis Portuensis Episcopus, Romanæ sedis legatus, per se & quam plures cooperatores verbum crucis per totam Alemaniam prædicauit, & 10 per plures cruce signati sunt. Imperator cum filia Iohannis Regis Ierosolomitani nuptias in Apulia celebrauit; ex qua genuit Chunradum postea Regem, & Hainricum. Filius eius * Rex Austriæ Margaretam, cum qua præsentibus Principibus regni nuptias apud Nurnberg solenniter celebrauit, vbi propter frequentiam populi, circiter XL. personæ (inter quas quidã prælati, monachi, clerici erant) cum aliis oppressi occubuerunt. Engelbertus Colonien sis Episcopus vir magnæ prouidentiæ & tutor Regis à Comite Friderico de Altenach fratrio suo occiditur, manu mutilatus, & XXXIII. vulneribus (vt dicitur) fossus. His diebus Leupoldus Dux Austriæ, consensu Ludvvici Ducis Bauariæ construxit castrum in Scherding.

Cruciata.

* deest aliquid.

Scherding.

MCCXXVI.

S. Franciscus obiit. Imperator condixerat solennem curiam apud Cremonam: ad quam vocauerat filium suum, & Principes Alemaniç: qui propter rebellionem Lombardorum non permittebantur intrare. Vnde infecto negotio Imperator in indignatione in Apuliam se recepit. Item inter Leupoldum Ducem Austriæ, & Hainricum filium suum maiorem guerra est orta super hæreditate, quæ tandem mediantibus maioribus terræ ad concordiam reuocata est.

Fridericus iunior filius Ducis duxit sororem Reginæ Vngariæ. Archiepiscopus instituit sedem cathedralem apud S. Andream in Lauent; cui præfecit Vlricum in Hus.

Guerra grauis inter Rapotonem Comitem Palatinum Bauariæ, & Comitem de Pogen orta est, in qua quamplures Ecclesiæ sunt destructæ & spoliatæ, & prædia nobilis monasterii in inferiori Altah incendio sunt destructa; & Rapoto Comes Palatinus Bauariæ ciuitatem in Linthenvverde, quam Comes Albertus de Pogen prope monasterium Altahense erexerat, incendio penitus deuastauit. Conradus Ratisponensis Episcopus obiit: cui Seyfridus successit, substitutus à Domino Gregorio Papa IX.

Lindenvvard.

MCCXXVII.

Honorius Papa obiit, cui succedit Dominus Hugelinus Hostiensis Episcopus, qui & Gregorius IX. Magna copia cruce signatorum ad exhortationem & mandatum Domini Papæ iter peregrinationis arripuerunt, sed circa maritima magna pars ipsorum mortua est: inter quos Augustensis Episcopus, & Ludvvicus maritus S. Elisabeth, Lantgrauius Thuringiæ, cum aliis nobilibus obierunt: Reliqua pars credens Dominum Imperatorem transfretaturum, mare transiuit. Imperatore vero remanente in cõtinenti, fere omnis illa peregrinatio rediit. Dominus Papa Imperatorem, pro eo quod votum peregrinationis non soluerat, excommunicatum solenniter denunciauit. Ex hoc ita facto grauissimum schisma oritur inter Regnum & Sacerdotium, ita vt fere tota Christianitas per plures annos nouis & insolitis pressuris plurimum turbaretur. Nam electiones Episcoporum, personatuum, & aliarum magnarum dignitatum tunc à sede Apostolica & legatis eius taliter sunt suspensç, vt contra voluntatem eligentium is vel ille præficeretur in qualibet dignitate, qui vel cuius amici tunc videbantur sedi Apostolicç plus fauere. Principum etiam ac Comitum & ministerialium tantam multitudinem sibi attraxit Ecclesia, vt si ei perseueranter & fideliter adhæsissent, poterat pro suæ voluntatis arbitrio triumphasse. Quamdiu autem durauerit, & quomodo

Gregorius IX. PP.

* mors

*mors tam Pontificum quam Regum inter se dissidentium sæpe interruperit guerram istam, patebit in sequentibus. Fortitudinem tamen eiusdem schismatis multa paria literarum ostendunt, ex vtraque parte hinc inde transmissarum: quarum quasdam hic placuit annotari.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Ierusalem & Siciliæ Rex, dilecto Principi suo N. gratiam suam & bonam voluntatem. Aemula Regum & Principum orbis terræ, ac consortum impatiens, dudum in superbiam seculorum liberaliter adducta Romana sedes propter illius, qui Princeps dicitur esse sacerdotum, in suum aduersus nos præconceptum odium, ad vniuersale scandalum sic exarsit, adeo aduerso Ecclesiasticæ religionis ordine, præter mandata legis, quarum lator & pater esse debuerat: quæ peruertit, dum se hostilibus rebus immiscens, dubios bellorum euentus, cædes hominum, obsidiones vrbium, & vniuersitatum procurat: & vndiq; periculo populorum, sponsam Christi Ecclesiam nostram matrem (cuius auctoritate libitum pro licito sequitur) è sanctuario Dei suarũ vindictas inimicitiarum exercens, reddit (proh dolor) mundo notabilem, vt sub tam inconstanti & volubili rerum actore, qui præsidet, & nomine Ecclesiæ diuersa variat & confingit, experientia facti singulos edocente, non immerito ab Ecclesia pro eius præside ac experto patre mendacij meticulosa suspicio cordibus hominũ inferatur. Quapropter deuotionẽ tuam contingentia nõ patimur ignorare. Nuper enim per quosdã de maioribus fratribus suis & religiosos alios viros aspirantes ad quietũ Ecclesiæ statũ, & piis zelantes desideriis bonũ pacis, adhibita est cura propensior inueniẽdi modũ & habendi tractatũ, per quẽ inter nos, Pontificem & Pharisæum istũ contra nostri honorẽ nominis praua consilia colligentẽ, ad certũ tempus treugarum cõpositio fieret, infra quod per te (quẽ habemus in omni dilectione præcipuũ) & alios Principes orbis terræ ad integræ pacis reformationẽ opportunitas cõmodior haberetur. Cumq; nos eisdem viris inuentoribus huius viæ, præter spẽ & creditũ pro Ecclesiæ reuerentia condescendere dignaremur, G. dictus Papa petebat Lõbardos, rebelles nostros, & nostri bannitos Imperij, treugis ipsis debere muniri. Quibus exclusis treugas ipsas non poterat acceptare, vt euidentiorem omnibus daret intellectũ, quod negotium rebellium Lombardorũ fouit, & fouet in nostrum odium manifestũ: illud gerens & reputans velut suũ: quanquã hactenus alias palliaret, quod non in fauorẽ ipsorum, sed ob transgressiones nostras alias (quas fingebat) contra nos ad excõmunicationis sententias processisset. Quod intolerabile visum est nobis, vt rebellibus nostris diutino guerrarũ discrimine fatigatis, & in maiori parte depressis, treugas concedere deberemus, ad quorũ persecutionẽ & vindictã accincti vexilla victricia & præpotentia castra nostra triũphabiliter duximus educẽda. Et licet nobis in cõfinio castra metatis Cãpaniæ, suggeretur instãter ad ingressum illius prouinciæ, data plene fiducia de obtẽto, super quo doloris gladius ad iniuriatoris nostri animã pertrãsiret, nos ad præsens ob honorem Dei & reuerentiam BB. Apostolorũ Petri & Pauli (quibus, vtpote quod sacrũ diadema de arce B. Petri sumsimus, esse volumus nõ ingrati) ab ingressu & receptione ipsius terræ destitimus: expectãtes interim si nostrũ iniuriatorẽ omissa vexatio reuocet ab offensis. Præterea nõ patimur te latere, qualiter homo iste dictus Papa in obsidione Ferrariæ ciuitatis Imperij & Salinguerræ fidelis nostri, Bononiensibus, Venetis, & aliis conuicinis nostris rebellibus conuocatis legatũ suum cum Mediolanensibus fecerit cõuenire, ducem ibidem exercitus & rectorem. Qui adeo cum suis complicibus eundem Salinguuam & Ferrariam in exhæredationem Imperij coartauit, quod à suis proditus (receptis tamen promissionibus & pactis de indemnitate suæ personæ ac rerum suarum, & de salubri mora sua in eadem ciuitate) nec non per eundem legatum Ducem Venetiarum potestates, rectores, capitaneos exercitus, & generaliter per totum exercitum iuramento firmatis, nomine Ecclesiæ iuramentum impendit, ac sæpe dictam ciuitatem assignauit specialiter Ecclesiæ possidendam, commissa suæ fidei legati Ecclesiæ quod præstita & iurata sibi securitas plenaria seruaretur. Sed post deditionem ciuitatis & suam, legatus idem (tanquam si ex legationis officio fungeretur celebrare periuria, quemadmodum præstitit iuramenta) cum prædictis omnibus deieranit, demolitis domibus & bonis eiusdem Salinguerræ, ipsum simul deduxere fide mentita Venetias captiuatum. Ecce qualis inuenitur in legato fides, qualis à patre legati mentiendi procedit auctoritas? vt fidem reputent fidei vinculum non seruare. O quam pestiferum ab Ecclesiæ rectoribus emanat exemplum? quam euidens omissa veritate deceptio? vt Regibus & Principibus orbis (quibus propter impatientiam potestatis inuident) sit præcipue præcauendum, ne de facili se præbeant in manibus eo-

Apud Pet. de Vineis, lib. 1. c. 36.

* al. ara.

rundem, qui semper intercipere conantur incautos, & pium reputant innocentiam condemnare. Nos autem, qui vniuersos & singulos cum ex vicinitate, tum ab experto intus & in cute iam cognouimus, taliter vos per indaginem rerum ab eorum fallaciis cautos volumus obseruari, vt vobis intendamus potissimum præcauere. Sperantes in eo, qui regna & Reges constituit, quod iuste iniuriam propulsantes violentiam nobis illatam nostrarũ virium conamine propellemus: & in gladio iustitiæ (quem auctore Domino baiulamus) sacerdotum gladios, quibus abiecta stola lumbos suos inhoneste præcingunt, iustius retundemus. Dignum insuper duximus ad notitiam tuam deferendum, quod ipse Papa (sicut est suis motibus præceps, & inconstans in omnibus viis suis) strenuis viris de Francia cruce signatis & pro voti executione ad iter accinctis prohibuit sub censura ecclesiastica, ne transeant in præsenti: non attendens necessitatem Christiani exercitus in vltramarinis partibus commorantis: quibus in emergentis casus articulo nedum de cruce signatis, sed de nouiter consignandis deberet in auxilium subuenire. Vnde ab operibus eius, quæ suo testimonio profitetur, autorem potestis agnoscere: quod duplicitas viarum suarum scandalum generet, & totius vniuersitatis incommoda subministret. Datum in castris in obsidione Esculi, XVIII. Iulij, XIII. Indictione.

Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, &c. Dum ad depopulationem vicinæ Bononiæ nostrum verteremus propositum & affectum, prælatorum turbam cum Prænestino Episcopo Magistro Ottone de Turenge S. Nicolai in carcere Tullianensi diacono Cardinali, nostris aduersatam processibus, ex diuersis prouinciis congregatam, contigit suo infortunio Ianuam peruenisse, vbi conuenientes cum eis Gregorio de Roma, addito Ligato legatis, vt insimul ligarentur, & conspiratione cum Ianuensibus rebellibus nostris facta, galearum copiam armari fecerunt: cum quibus ad Papam Romæ pro maiori causa coniurauerant aduenire. Ad quorum impediendum transitum & accessum, nostrarum diu ante præuisum conuenire fecimus apud Pisas victoriosum stolium * galearum: quod eorum præcognita motione in locis & portubus, quæ latenter vel alto mari præterire non poterant, velut obuia & necessario nauigabilia transituris, eis transeuntibus potenter occurrit, & aggressis galeis nostris galeas ipsorum, præpotens Dominus (qui ex alto videt & diiudicat æquitatem) vias eorum & excogitatam malitiam meditatus, in viribus & potentia nostra, quam fugere terra & mari non poterant, Domino fauente legatos simul tradidit & prælatos: & tribus galeis ipsorum in mari immersis, ac omnibus qui vehebantur in eis sine spe recuperationis amissis, viginti & duæ galleæ non sine magna cæde nauigantium cum personis & rebus victæ sunt à galeis nostris, & triumphabiliter captæ: in quibus prædicti tres legati cum Archiepiscopis, Episcopis, & multis prælatis aliis, & nunciis, & prælatorum procuratoribus, vltra centum ambassatoribus ciuitatum rebellium Lombardiæ, qui ad præfixum ire concilium properabant, IV. millibus Ianuensium, exceptis spiritualibus & electis personis de Ianua, qui galeis præerant, & comitatui prælatorum producendis & reducendis eis de Ianua (sicut inter eos fuerat infortunate conuentum) ad manus nostras peruenere ligati: vt de Prænestino illo, qui summum contra nos vbique odium incitabat, diuinum non defuisse iudicium arbitremur: quod sub latentis lupi specie in ouina pelle & agni chlamyde domini * inclusum gerere non confidat: & sciat Deum nobiscum esse, sicut cum Dijs eorum, quod non solum per sacerdotium, sed per regnum & sacerdotium mundi machinam statuit gubernandam. Nos igitur suum nobis cœlitus Domino referante consilium, & in plana tot aspera conuertente, sudores bellicos & æstinos pulueres non vitantes, nostrum felix iter & intentionem omnimodam & conatus ad ea dirigimus, quæ nobis & cæteris regnantibus exaltationis & gloriæ afferant incrementum: vt te prædictorum nostrorum successuum participem fieri gaudeamus, quem in omni successuræ felicitatis euentu cupimus habere consortem. Datum fauenter *, XVIII. Maij, XIV. Indictione.

Pet. de Vin. l. 1. 9.

* i. classem.

* f. dolum.

* f. Fauentia.

MCCXXVIII.

Imperator defuncta Imperatrice in puerperio, transfretauit, & per Cyprum vsque Accaron venit, vbi in magna gloria fuit susceptus, & post paucos dies legatos Soldani pacifice eum excipientes recepit.

Otto filius Ducis Ludvvici Bauariæ apud Straubing, præsente Rege Heinrico & multis aliis Principibus, in festo Pentecostes gladio accingitur, vbi Vlricus primus Lauatinensis Episcopus ab Archiepiscopo in Episcopum consecratur. Isti autem

autem Principes interfuerunt, Heinricus Rex filius Imperatoris, Ludwicus Bauariæ, Leupoldus Austriæ, Bernhardus Carinthiæ, Otto Meraniæ, Dux Henricus Marchio de Andehs. Episcopi Eberhardus Salzpurgensis, Hermannus Wirzpurgensis, Eckibertus Bambergensis, Gebhardus Patauiensis, Sigifridus Ratisponensis, Sibodo Augustensis, Heinricus Eistetensis, Rugerus Chymensis, Karo Senensis, Albertus Lauatensis.

MCCXXIX.

Imperator in transmarinis partibus positus, ciuitatem S. Ierusalem, & maiorem partem terrestrem à Soldano Babylonico recepit, & treugis inter ipsos firmatis, Imperator reuertitur in Apuliam: & fines regni Apuliæ ab exercitu Papæ occupatos recepit. Exercitus Papæ, qui in tres partes diuisus erat, Teutonicis cruce signatis passagium impediuit, Longobardi & Tusci cum Domino Papa contra Imperatorem conspirant. Agnes Ducissa Bauariæ Idus Aprilis peperit filium, qui vocatus est Ludwicus. Poppo abbas Altahensis obiit: Bertholdus Burensis abbas eligitur. *Vrspergens. quo hic desinit.*

MCCXXX.

Tyberis alueum suum egressus vicina loca occupauit, & in vrbe Roma vsq; ad gradus S. Petri ascendit. Vnde Romani compulsi Papam ad vrbem reuocarunt. Dominus Papa & Dominus Imperator mediantibus Principibus Alemanniæ, videlicet Patriarcha Aquileiensi, Berchtoldo Salzpurgensi Archiepiscopo, Eberhardo Ratisponensi Episcopo, Sifrido Episcopo Augustensi, Sibot Austriæ, Lupoldo Meraniæ, Ottone & Bernhardo Karinthiæ Ducibus, & quibusdam aliis, ad concordiam redierunt, & Dominus Imperator ab excommunicatione absoluitur, & post absolutionem in hospitio & mensa à Domino Papa excipitur.

Leupoldus Dux Austriæ apud S. Germanum obiit, cuius corpus in monte Cassino in monasterio S. Benedicti à Cardinalibus sepelitur, & ossa ipsius elata in die S. Andreæ apud monasterium Liernvvelde, quod idem Dux magnifico opere (vt hodie claret) construxerat, ab Archiepiscopo sepeliuntur, & eodem die dictum monasterium ab eodem consecratur.

Rex Boemiæ Austriam in manu valida intrans, magnam partem terræ vastauit. Episcopus Ratisponensis Cancellarius Imperialis aulæ efficitur. Sifridus Moguntinensis Archiepiscopus obit. Castrum in Flinsperg ab Alberto Comite de Rogen erigitur. Eodem anno Luitfridus abbas SS. Vdalrici & Afræ in Augusta resignat abbatiam. Hiltbrandus eligitur, bonæ conuersationis atque prouidus in temporalibus, qui præfuit annis XIII. *Flinsperg.*

MCCXXXI.

Geroldus Episcopus Frisingensis cessit; cui succedit Conradus canonicus eiusdem Ecclesiæ. Rapoto Palatinus Bauariæ obiit. Ludvvicus Dux Bauariæ præsente familia sua à quodam ignoto pagano cultro percussus obiit, & hoc apud Chelhaim, insidiis Domini Friderici Imperatoris. XVI. Kalen. Octobris præpositus Salzpurgensis abbas S. Petri, & abbas ad Murten * de licentia Domini Papæ ab Archiepiscopo in die sancto Paschæ mitris Pontificalibus sunt insigniti & priuilegiati. Monasterium monialium Cisterciensis ordinis à Ludmila Ducissa in Lantzhut construitur.

MCCXXXII.

Imperator natalem Domini celebrauit apud Rauennam, & per Venetias transiens vsque ad Aquileiam & forum Iulii processit, vbi Rex filius suus & quidam alii Principes, scilicet Fridericus Dux Austriæ, (qui iam apud Viennam gladio militari accinctus erat) ei occurrerunt, cum quibus de pace Alemaniæ verbotenus ordinans in Apuliam se recepit. Gebhardus Patauiensis Episcopus, propter infamiam occisionis Eberhardi canonici Patauiensis, & aliorum criminum suorum obiectorum episcopatum resignauit.

S. Antonius de ordine fratrum minorum apud Paduam signis coruscans, à Domino Papa canonizatur, cum nondum annus integer post obitum suum esset elapsus.

Eckenbertus Episcopus Babenbergensis cum Duce Karinthiæ bellum mouens, plures eius munitiones destruxit, & terram pro magna parte vastauit. Dominus Archiepiscopus ex licentia Domini Papæ præposito Salzburgensi vsum virgæ pastoralis, & anuli, & chirothecarum indulsit. Conrado electo Altahensi amoto Dietmarus fit Abbas.

MCCXXXIII.

S. Virgilius à Domino Papa Gregorio VIIII. canonizatus est IV. Id. Iunii. Rudgerus primus Kymensis Episcopus auctoritate Domini Papæ Patauiensi Ecclesiæ præficitur. Elisabeth filia Regis Vngariæ vxor Landgrauii, post obitum suum multis miraculorum signis claruit.

Episcopus Eckbertus Bambergensis à ministeriali Ducis Carinthiæ per totam Quadragesimam in captiuitate tenetur.

Otto Dux Bauariæ curiam celebrandam Ratisponæ indixit, quam post indignatione Regis Heinrici & aliorum quorundam Principum sibi non fauentium, apud Landzhut celebrauit. Sed postmodum Rex cum multis Principibus & magno exercitu Bauariam intrauit, Ducem destructurus. Sed mediante Archiepiscopo Salzpurgensi in gratiam eum recepit, & filium eius puerulum in obsidem Regi dedit, & tandem curiam solennem Ratisponæ Dux celebrauit, cui Archiepiscopus Salzpurgensis & omnes Episcopi Bauariæ interfuerunt. Dux Bauarię cum magno exercitu fines Ducis Austriæ deuastauit, & castrum in Lambach exussit. Dux Austriæ magnum exercitum contra Regem Bohemiæ primo collegit, & Moraviam intrauit, & secundo alium exercitum aduersus Regem Vngarię collegit, postea plures ministeriales suorum tam in Marchia quam in Austria aduersus eum conspirant.

MCCXXXIV.

Dux Bauariæ super monasterium Vormbach repente irruens, multos proscriptos, qui se in eodem monasterio electis monachis receperant, comprehendit, quorum quosdam suspendi, alios capite plecti curauit.

MCCXXXV.

Agnes Ducissa Bauariæ XIII. Kal. Decemb. peperit filium, qui vocatus est Heinricus. Albertus Comes de Pogen transfretauit, & apud Venetias captiuatur.

MCCXXXVI.

Fridericus Dux Austriæ.

Fridericus Dux Austrię & Styriæ ab Imperatore proscribitur apud Augustam. Iste Fridericus cum esset seuerus homo, in iudicio districtus & crudelis, magnanimus in præliis, in thesauris congregandis cupidus, terrorem suum sic fudit super indigenas & vicinos, vt non solum non diligeretur, sed ab omnibus timeretur. Ibat enim potenter cum exercitu in Moraviam contra Wenceslaum Regem Bohemorum. Quumque etiam Vngariam intrabat, fines vtriusque regni ferro & igne deuastans: satagebat etiam nobiles & meliores terræ suæ opprimere, & ignobiles exaltare. Agnetem vxorem suam filiam Ottonis Ducis Meraviæ tanquam cognatam repudiauit, quam postea Vlricus Dux Carinthiæ accepit vxorem. Edicta Friderici Imperatoris, inimicitias Principum contempsit, donec ab ipso Friderico per sententias Principum in curia Augustæ celebrata proscribitur, & Principatuum suorum honore priuatur.

MCCXXXVII.

Fridericus Imperator contra Fridericum Ducem in Austriam vadit, à ciuibus Wiennensibus & quibusdam ministerialibus inuitatus; & hyemauit ibidem, habens secum Principes Imperii, videlicet Wenceslaum Regem Bohemorum, Berchtoldum Patriarcham Aquileiensem, Seifridum Moguntinum, Eberhardum Salzpurgensem, Theodoricum Treuerensem Archiepiscopos; Eckebertum Babenbergensem, Seyfridum Ratisponensem, Rudgerum Patauiensem, Episcopos; Ottonem Bauariæ, Borchardum Carinthię Duces, Heinricum Landgrauium Turingiæ, & alios quamplures Comites & nobiles. Tunc dictus Fridericus Dux terrore imperialis fortitudinis non concussus, cum paucis qui sibi adhæserant,

hæserant, in oppido quod dicitur Nouaciuitas se recepit; exinde pro sua defen- *Nouæciuitas.*
sione, quæ poterat exercendo. Imperator itaque cernens, quod Fridericus Dux paruipenderet illata, nec curaret gratiam Imperii quærere, recessit ab Austria, relinquens ibi capitaneos, Eckbertum Bambergensem Episcopum, de Henneberch, & de Eberstain & de Nurmberch Comites, celebrando festum Resurrectionis Dominicæ Ratisponæ. Eckebertus autem Episcopus Bambergensis erat auunculus Belę Regis Vngariæ, & frater Berchtoldi patriarchæ Aquileiensis, vir magnanimus & bellicosus, & ab hoc prædictus Imperator sibi tuendam terram Australem specialiter commendauit. Defuncto autem eodem anno Episcopo memorato, & Imperatore se ad Apuliam transferente, prædictus Dux Fridericus animosior effectus Albertum Comitem de Pogen in auxilium suum vocat, sicq; cum ipso Comite egressus muros Nouæciuitatis, in campo qui dicitur Stainveld, pugnam iniit cum Wiennensibus & capitaneis eorum, reportans victoriam gloriosam; captiuatiq; sunt in eodem bello Rudgerus Patauiensis, & Conradus Frisingensis Episcopi, & ex nobilibus multi, quos ad tuitionem terræ prædictus reliquerat Imperator.

MCCXXXVIII.

Dux itaque Fridericus his successibus prosperatus, recedente à partibus illis Cæsaris milite, in breui tempore totam hæreditatis suæ terram rehabuit, regens eam deinceps ita strenue, quod in ipsa quoq; iustitia (vt multis videbatur) sæpe tyrannidē exercebat. Audacia itaq; cordis sibi innata ipsum quiescere non sinebat, donec octauo post hæc anno Belæ Regi Vngarorum bellum indixit. In cuius terram cum intraret exercitum validissimum ducens, congressione cum Vngaris facta & Cumanis, aduersa pars vincitur & fugatur. In qua victoria, dubium vtrum ab amicis vel inimicis, circa oculum cuspide vulneratus occubuit, VI. feria, festo S. Viti anno Domini MCCXLVI. Occiso itaq; Friderico potentissimo & inquieto Duce Austriæ & Styriæ, quanta mala fere per sex annos vtraq; prouincia sit perpessa, nullus valet scribere vel narrare. Nam quilibet nobilium, imo magis ignobilium, nec Deum nec homines reueritus, quæcunq; volebat, faciebat; homines ad munitiones vel cauernas terræ fugere non volentes captiuando, vulnerando, occidendo, ac excogitatis & hactenus inauditis tormentis miserabiliter cruciando. Bela & Rex Vngariæ orbatas hæredibus terras sibi attrahere cupiens, multa millia hominum per paganos homines, videlicet Comonos, in captiuitatē abduxit, multa occidit, ac vtriusq; terræ Marchia fere inhabitabilis facta. Tunc Hermannus Marchio de Baden, natus ex Irmgarde sorore Dominæ Agnetis Ducissę Bauariæ, auxilio Ottonis Ducis Bauariæ, duxit in vxorē Gertrudam filiam Hainrici Ducis, qui fuerat frater Friderici Ducis Austrię ante dicti, & Ducatus Austrię & Styriæ ratione talis coniugii vsurpauit. Qui genuit filium nomine Fridericum, & filiam nomine Agnetam, quæ Vlrico Duci Carinthię postea cópulatur. Et cum dictus Hermannus Dux esset impotens, tantam malitiam hominum, quæ iam nimium inualuerat, morte etiam præpeditus, compescere non valebat. Moritur enim III. Non. Octob. *Hermannus Marchio Bad.*

MCCXL.

Otho Dux Bauariæ mittens Ludwicum filium suum cum exercitu ad terram illam sibi ciuitates Linz & Anasum cum magna parte illius prouinciæ subiugauit. Postremo misericordia Dei de cœlo prospiciente, fatigatis & depauperatis iam nimium optimatibus terræ Dominus Preunzel * (qui & Otaker) filius Wenczlai Regis Boemiæ, consilio patris, & vocatione magnatum ciuitatum Austriæ & Styriæ, vtrumq; Ducatum sibi attraxit, Dominam Margaretam relictam Heinrico quondam Rege Romanorum, sororem scilicet supradicti Friderici Ducis accipiens in vxorem, ad cuius subiectionem statim tota Austria & Styria cum superioribus & inferioribus ciuitatibus est conuersa. Attamen quod Bela Rex Vngariæ Bethoniam ciuitatem iam cum magna parte Ducatus Styriæ occupauerat, non desiit lædere vtramq; terram, donec conuentione inter Reges facta, quædam pars Ducatus Styriæ sibi cum distinctis terminis assignatur, Domino Ottakero in ** Primislaus.*

pace partem reliquam cum terra Austria retinente. Extunc gratia diuina donante, ac probitate dicti Domini faciente, pax ibidem optima renouatur, rura deserta coluntur, securum vbique acquirunt transitum mercatores.

S. Elizabeth miraculis claruit apud Marpurch: de tumulo transfertur, præsente Friderico Imperatore; qui etiam tunc temporis Heinricum Alemaniæ Ducem filium suum, pro eo quod contra ipsum cum Lombardis conspirauerat, captiuauit, & exilio relegauit, vbi & vitam in breui finiuit. Et duo filii eius F. & H. similiter in Apulia obierunt.

Fridericus Imperator à Domino Gregorio Papa IX. in Ecclesia Lateranensi in die Palmarum, & subsequenter in Cœna Domini, & in Pascha ex multis causis solenniter excommunicatur, approbantibus Cardinalibus vniuersis.

MCCXLI.

Regnum Vngariæ, quod CCC. & L. annis durauit, à Tartarorum gente destruitur. Gregorius Papa IX. obiit, Celestinus Papa sedit dies XVIII.

Celestinus IV. PP.

Eclipsis Solis facta est in media die in octaua Michaelis, & stellæ visæ sunt.

MCCXLII.

Albertus vltimus Comes de Pogen obiit, XVIII. Kal. Feb. Dietmarus abbas Altahensis obiit. Hermannus abbas succedit. Heinricus de Camtania* nomine Imperatoris eligitur in Episcopum Bambergensem.

Kempten.

MCCXLIII.

Hiltibrando abbate ex hac luce migrante, Dominus Gevvinus de Turhain eligitur in abbatem monasterii S. Vdalrici & Afræ in Augusta XXVII. gubernauit autem eandem abbatiam annis XXIII. Synnibaldus Diaconus Cardinalis in Papam eligitur, & vocatus est Innocentius Papa IV. VII. Kal. Iul. Iam enim propter schisma inter regnum & sacerdotium sedes Apostolica vacauerat mensibus fere XXII.

Innocentius IV. PP.

MCCXLIV.

Heinricus filius Ottonis Ducis Bauariæ duxit vxorem Dominam Elisabeth filiam Belæ Regis Vngariæ. Aquæ ductus fit ad monasterium Altahense.

MCCXLV.

Vniuersalis Synodus celebratur apud Lugdunum: vbi Dominus Innocentius Papa contra Fridericum Imperatorem depositionis sententiam promulgauit. In ea Synodo fuerunt tres Patriarchæ, & Episcopi plurimi. Porro causæ depositionis principalis in prædicto consilio exprimuntur; videlicet periurium, pacis reformatę frequens violatio, duorum Cardinalium captiuatio, multorum prælatorũ submersio. Quod insuper prælatos ab Ecclesiarum regimine destituit, cruces aureas, thuribula pretiosa & calices, pannos aurifrygiatos, & sacros Ecclesiarum thesauros diripuit, clericos angariis & perangariis afflixit, qui non solum trahebantur ad iudicia secularia, sed & cogebantur subire duella, incarcerabantur & decollabantur, & in patibulis suspendebantur; Papales sententias se non curare asseruit. Nomen Mahometi in templo Ierosolymis in sua præsentia venerari & proclamari permisit, & familiaritate detestabili Sarracenis coniunctus, ipsos in cottidianis obsequiis tenuit, possessiones Ecclesiæ Romanæ, scilicet Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, Beneuentum, in Apulia Archiepiscopatum habentem XXIV. Episcopos suffraganeos diruit, & alias Tusciæ ciuitates. Præterea iniquitatem in excelso locutus est, ponens in cœlum os suum. Dixit enim audiente Landgrauio Heintico: *Tres seduxerunt totum mundum, Moyses Hebræos, Iesus Christianos, & Machmet Sarracenos: Quamobrem si Principes institutionibus meis assentirent, ego multo meliorem modum viuendi & credendi cunctis nationibus ordinarem.*

c. ad Apostolica. De sent. & re iud. in 6.

Hoc diluit ipso Imp. apud Pet. de Vine. l. c. 31.

MCCXLVI.

Eberhardus Salzpurgensis Archiepiscopus obiit. Sifridus Ratisponensis Episcopus obit: cui Albertus per legatos sedis Apostolicæ subrogatur. Fridericus Dux Austriæ occisus est. Heinricus Landgrauius Thuringiæ à quibusdam Principibus eligitur in Regem, & eodem anno obit. Conradus

Henricus antirex.

filius

filius Friderici Imperatoris duxit vxorem Dominam Elisabeth filiam Ottonis Ducis Bauariæ.

MCCXLVII.

Wilhelmus Comes Holandiæ in Regem eligitur. Huius Wilhelmi Regis tempore ciuitates apud Rhenum cum Principibus optimam pacem ineunt, eligentes sibi capitaneos, destruentes castra nociua, & iniusta telonia remouentes, quæ post obitum ipsius Regis, (qui vixit quasi nouem annis) omnia redierunt in pristinum malum statum. Fuerunt autem subscripti Principes & subscriptæ ciuitates, quæ sanctæ pacis fœdera iurarunt, Gerhardus Archiepiscopus Moguntinensis, Conradus Archiepiscopus Colonienſis, Arnoldus Treuerensis Episcopus, Iacobus Metensis Episcopus, Abbas Fuldensis, Ludvvicus Palatinus Rheni Dux Bauariæ, Conradus Comes Siluester, Richerus Comes de Catzenelebogen, Fridericus Comes de Liningen, Bertholdus Comes de Zigenhagen, Enicho Comes Sylvester, Gotfridus frater suus, Dominus Popo Comes de Turingen *, Vlricus Comes de Ferreto, Comes de Wurnberg *; Domina Sophia Landgrauia Turingiæ, Domina Vdulhildis Comitissa de Liningen, Dominus de Trinperch, Vlricus de Minzenberch, Geralatus de Limpurch, Philippus de Herchenveld, Philippus de Valchenstain, Dominus de Stralenberch, Pincerna de Erpach, Wernherus dapifer de Alzaya, Henricus de Ernberch, Rumpoldus de Stainach. Nomina ciuitatum confœderatarum ad pacem generalem, Moguntia, Colonia, Wormatia, Spira, Argentina, Basilea, Thirigensis, Friburg, Brisacum, Columbaria, Schlezestat, Hagenovvia, Weisenburg, Nuinstat, Wimpina, Haydelberg, Lauternbuch, Oppenhaim, Frankenfurt, Friderberch, Wetslaria, Gaulenhausen, Marpurch, Aglisveld, Voldta, Mulenhausen, Achaffenburch, Selistat, Pingia, Dipacum, Watheracum *, Vesaiia, Bopardia, Andernacum, Bunna, Nussia, Aquis sedes regalis, in Westphalia Munster, & aliæ ciuitates plus quam LX. cum ciuitate Bermensi, Grumperch, Hirsvelden.

WILHELMVS contra rex.

Pax ordinũ Germaniæ.

**Tubingen.*

**Vrnberg.*

**Bacharach.*

Rudgerus Patauiensis Episcopus multas crematas Ecclesias consecrauit in mense Augusto. Ludvvicus filius Ottonis Ducis Bauariæ Conradum Comitem de Wasserburch cum exercitu inuasit, & eum de comitatu eiecit, omnibus munitionibus suis captis.

Philippus filius Bernhardi Ducis Karinthiæ eligitur in Archiepiscopum Salzpurgensem, cui à Domino Papa Burchardus Comes de Cigenhaim supponitur, & consecratus, ac pallio Archiepiscopali decoratus moritur.

MCCXLVIII.

Tertio Idus Februarii in nocte factus est terræmotus. Ludvvicus Rex Franciæ transfretat. Iste Ludvvicus est postea canonizatus à Domino Bonifacio Papa VIII Anno MCC. in crastino B. Bartholomæi. Quantæ sanctitatis idem beatus vir fuerit, testatur tota Francia, quod adhuc hodie apud S. Dionysium prope Parisius miraculis multis claruit.

S. Ludouicus Rex Franc.

MCCXLIX.

Ludvvicus Rex Franciæ Damiatam ciuitatem Sarracenorum fortissimam in octaua S. Trinitatis miraculose cepit. Rapoto Comes Bauariæ vltimus obiit.

MCCL.

Ludvvicus Rex Franciæ à Sarracenis captus, Damiatam & alias munitiones, quas priori anno ceperat, reddere cogitur, Ruberto fratre suo plus quam cum XX. millibus Christianorum occiso, in quo bello etiam occubuit paganorum innumerabilis multitudo. Rudgerus Patauiensis Episcopus propter hoc, quod in schismate inter regnum & sacerdotium fauere videbatur parti aduersæ, ab Innocentio Papa IV. ab officii & beneficii deponitur dignitate, & Dominus Berchtoldus frater Alberti Ratisponensis Episcopi substituitur, cui statim capitulum & ciuitas Patauiensis cum ministerialibus obedire cœperunt vnanimiter & subesse, prædicto R. Episcopo contra voluntatem Chunradi Regis, & Ottonis Ducis Bauariæ penitus refutato. Hermannus Marchio de Baden, qui sibi vsurpauerat Ducatum Austriæ, moritur IV. Non. Octob.

Eodem anno depoſito Friderico Imperatore, ſcilicet anno Domini MCCLII. propter prædictas cauſas cum Parmam obſidione cingeret, victus in Apuliam rediit, & veneno extinctus ſepultus eſt in Fungia*, in die S. Luciæ virginis tam occulte, quod multi per annos XL. vadiabant* eum viuere, venturum in proximo manu forti. Itē in Dacia Heinricus Rex Dacorū* inclytus ab Abel fratre ſuo iuniore vt regeret pro eo, in mari ſuffocatur. Qui Abel parum honorū & commodi ex hoc eſt aſſecutus. Nam ſequenti anno regni ſui, cum Friſiones ſubiugare voluiſſet, à Friſionibus eſt interemptus. His diebus quidam frater Bertholdus de ordine minorum fratrum de domo Ratiſponenſi, tantam gratiam habuit prædicandi, vt ſæpe ad eum audiendum plus quam LX. milia hominum conuenirent.

* al. Panormi.
* gageyen.
* Danorū.

MCCLI.

CONRADus IV. Rex.

Conradus Rex Natali domini Ratiſponæ fuit, vbi quia iam poſſeſſiones Epiſcopi & Miniſterialium Ratiſponenſium incendiis vaſtauerat, dum in proxima nocte poſt feſtum innocentium in monaſterio S. Emmerani dormiret, Conradus de Hohenfels & alii miniſteriales Ratiſponenſes quaſi media nocte in cameram ſuam irruperunt; & cum per exploratores dicto, non plures quam Regem cum IIII. ſuis ſociis in ipſa dormire putaretur, duobus occiſis & trib. captis credebant ſe occidiſſe ipſum Regem. Sed noctu ſextus fortuito caſu ſuperuenerat, & loco ipſius Regis interfectus eſt. Rex autem latitans ſub ſcamno valde miraculoſe imminens periculum mortis euaſit. Propter quod factum, quod Vlricus abbas eiuſdem facti ſuſpectus etiam habebatur, dictū monaſterium Rex & Dux in prędiis & ædificiis multiformiter offenderunt. Venerant namq; miniſteriales cum Epiſcopo ſuo, qui Epiſcopus foras muros ciuitatis cum multis armatis euentum rei expectabat ſollicitus. Subſequenter circa feſtū Epiphaniæ Rex Boemiæ filium ſuum in Bauariam cum exercitu deſtinauit, qui in Marchia Chambenſi multas villas rapinis & incendiis vaſtauit. Interea mors Imperatoris propalatur. Et Conradus Rex ad partes Rheni feſtinat.

Chamb.

Dominus Papa in Cœna Domini Wilhelmum Comitem Holandiæ iam dudum à quibuſdam Principibus in Romanum Regem electum, multis Epiſcopis præſentibus apud Lugdunum confirmat, & ſtatim ſe transfert ad Italiam de Lugduno, vbi iam fere octo annis continue fecerat manſionem.

Teiſpach.

Caſtrum in Teiſpach à Ludvvico Duce nocte per inſidias pro parte captum, & pro parte obſeſſum deſtruitur, & foſſata eius mirabiliter fortia complanantur. Et ex hoc Bauaria in ea æſtate pro magna parte incendiis flagrat, Bohemis partem Alberti Ratiſponenſis Epiſcopi adiuuantibus contra Duces. Chonradus tamen Rex in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli cum Ottone Duce Chambe venit, quos Rex Boemiæ videre contempſit. Otto Dux caſtrum & oppidum in Dingelfingen conſtruere cœpit. Chunradus Rex in Autumno intrat Apuliam, & ibidem fere totum regnum patrium potenter poſſedit, Domino Innocentio Papa tūc Peruſii commorante, nec prohibere valente. Wilhelmus Rex Rom. de Comitiſſa Flandriæ glorioſe triumphat.

Dingelfingen.

MCCLII.

Domina Eliſabeth filia Ottonis Ducis Bauariæ genuit Chunradi Regis filium in die Annunciationis S. Mariæ, & vocatus eſt Conradus.

MCCLIII.

Otho Dux Bauariæ. Moneta.

Otto Dux Bauariæ nouam monetam in Lantshut fabricari iuſſit, circa initium meſſis, mandans ipſos demum & non alios recipi in toto ſuo diſtrictu & exercitu, verſus Auſtriam mouens. In ipſa expeditione filii ſui Ludvvicus & Heinricus infra octauam Thebeorum apud Otting militaribus gladiis ſunt accincti. Volens itaq; cum Hainrico filio ſuo occurrere Beli Regi Vngariæ, qui tūc (ſicut priori anno) cum valido exercitu Cumanorum & Vngarorū Auſtriam & Morauiam intrauerat, à munitionibus & militibus ſuperioris Auſtriæ prępeditur. Nam priori anno Dominus Preunzel (qui Otaker) filius Wenzeslai Regis Boemorū, Auſtriā & Styriam ſibi attraxerat, & ducta in vxorem Domina Margareta relicta Heinrici quondam Regis Rom. quæ fuit filia illius nobiliſſimi quondam Ducis Auſtriæ &

Styriæ

Styriæ Leupoldi*: auxilio itaque Meinhardi Comitis Goriciæ & Ezilini nobilis de Taruisio, Heinricus filius Ottonis Ducis per vallem Tridentinam vadit in Vngariam ad socerum suum Belam Regem.

Otto ergo Dux in principio sui regiminis seuerus iudex & princeps mansuetus, postea propter fauorem, quem impendere videbatur, Friderico quondam Imperatori & Conrado filio eius, ab Innocentio Papa IV. & Episcopis iam diu & sæpe excommunicatus persequi cœpit clerum, & mala malis addens in vigilia S. Andreæ Apostoli, cum in sero cum vxore & familiaribus suis valde iocundus fuisset, præsentem vitam subitanea morte finit.

Eodem tempore mense Nouembri famosus ille prædicator frater Berchtoldus in Lantzhut, prædicationis officium exercebat, & morabatur in castro cũ Duce prædicto cupiens eum inducere ad obedientiam Ecclesiæ, & suum erga Ecclesias & clerum animum mitigare. Tunc superuenit quidam pauper rusticellus, asserens se in nocte præterita festum Michaelis raptum & ductum ad tribunal iudicis cuiusdam, vbi audiuisset & vidisset, quod ad querimoniam Sanctorum sententia mortis data esset in Ottonem Ducem & cæteros Principes pacis turbatores & Ecclesiarum ac pauperum vastatores: asserebat etiam, quod sub pœna mortis à sanctis ex parte Dei sibi esset iniunctum, vt hæc Duci & aliis Principibus nunciare deberet, quod si nõ admitteretur, deberet aliis propalare. Is igitur homulus cum non fuisset admissus ad præsentiam Ducis, prædicto fratri Berchtoldo & aliis quibusdam talia propalauit. Sed & sexto die ante obitum Ducis, idem homo venit ad monasterium Altahense, & dixit H. abbati, & Alberto abbati de Metem ex parte illius iudicis, quod cum non admitterent talia manifestare dicti abbates, cũ Heinrico abbate de Eberspergdeberẽt intimare Duci prænotato, quod nisi citius monetam nouam destrueret, & resipisceret à vexatione pauperum & Ecclesiarum, mortis esset in breui sententiam subiturus. Cuius visionis efficaciam sæpe dictus Dux, Innocentius Papa, Chunradus Rex, & alii Principes per mortem insperatam tunc (proh dolor) sunt experti.

Wencezlaus qui Rex Boemorum, moritur mense Septembri. Ottone Duce defuncto, Dominus Ludvvicus Henrico fratre suo in Vngaria existente, cum Alberto Episcopo Ratisponensi concordiam facit, & diuina iam per multos annos suspensa in illa diœcesi relaxantur. Comes Burchardus de Hohenberch flumine interiit, crastino S. Margaretæ virginis. Item in Burgundia mons magnus ad alios montes longe transiuit, & per vallem plurimum populosam terram lapidibus sic obruit, vt ciuitates & villæ penitus delerentur. Item quidam Iudæus in Hispania prouincia pro vinea sua amplianda rupem fregit vndiq; integram interius cauam, in qua librum tanquam lignea folia habẽtem inuenit, qui liber Hebraice, Græce, & Latine scriptus tantum literæ & Psalterium continebat, loquens de triplici mũdo ab Adam vsq; ad Antichristum, proprietates mundi. Principium tale fuit: *In tertio mundo filius Dei nascetur ex Maria virgine, & pro salute hominum crucis patibulo patietur.* Fuit etiam ibi scriptum, quod liber iste inueniendus esset in diebus Ferrandi rectoris Hispaniæ. Quem cum Iudæus legisset cum parentela baptizatus est. *Rentlingen.* Item Ruitelingen obsessa fuit.

MCCLIV.

Berchtoldus Episcopus Patauiensis obit, cui per electionem canonicam & concordem succedit Otto de Lonstorff, eiusdem Ecclesiæ canonicus & archidiaconus. Ludvvicus Dux adhuc absente fratre concordiam facit cum Philippo electo Salzpurgense. Chonradus Rex priori anno Neapoli expugnata, & muris eius ad terram prostratis, homo pacificus & iudex seuerus, in vigilia ascẽsionis Domini diem clausit extremũ, de cuius obitu Teutonici, Apuli, & Lombardi (præter illos qui erant ex parte Ecclesiæ) dolore nimio sunt turbati. Heinricus Dux Bauariæ auxilio Domini Philippi Salzpurgensis electi, de Vngaria reuertitur, & ambo Duces ad consilium Domini Heinrici Bambergensis Episcopi suum regunt concorditer Principatum. Eodem anno sterilitas frugum magna fuit, & maxime circa Danubium, vbi semina possunt haberi. Sed & in nocte S. Marci Euangelistæ per

maximum frigus vineæ & fructus arborum perierunt, ita vt valde modicum vini nasceretur, & illud nimis esset acerbum.

Conrado Rege mortuo Innocentius Papa fines regni Sicilię est aggressus, & vsq; Neapolin obtinuit: in qua ciuitate dum de obtenta terræ illius parte & spe obtinendi totum Siciliæ regnum lætus moraretur, Dominus qui dissipat consilia Principum, ipsum Papam per mortis vocationem tali lætitia & spe priuat. Moritur itaq; VII. die intrante mense Decembri, & ibidem sepelitur, cui statim in eadem ciuitate à Cardinalibus tunc præsentibus Dominus Reynaldus Ostiensis Episcopus subrogatur, & vocatus est Alexander IV. Iste Papa bonus & mansuetus, ac timens Deum, non tantum curans de negotiis Principum & regnorum multa reuocat & cassat, quæ in grauamen multorum suus constituerat antecessor.

Alexander IV. PP.

Manfredus etiam filius Friderici quondam Imperatoris, Principatum tenens in Apulia, potenter terram ipsam defendit nomine Conradi paruuli fratruelis sui, qui adhuc cum Domina Elizabeth matre sua in Bauaria morabatur.

Bela Rex Vngarorum, qui iam plus quam per biennium Austriam & Styriam & Morauiam vastauerat, multis millibus hominum interfectis, & in captiuitatem abductis, concordiam facit cum Otakero Duce, recipiens Ducatum Styriæ, suæque potestati subiiciens ipsam terram. Ipse autem Otakerus Dux in tribus suis principatibus, videlicet Boemia, Morauia & Austria tanquam Princeps omni probitate præclarus, inopinatam & optimam pacem facit, vadens in hyeme subsequenti in Prussiam cruce signatus, & magnam partem ipsius terræ cultui subdidit Christiano.

MCCLV.

Ludvvicus & Heinricus Duces Bauariæ circa Pascha suos inter se diuidunt Principatus, & Heinrico cessit nomen Ducis cum maiori parte Bauariæ, videlicet Ratisponensi, Chambia, Chelhaim, Ording, cum Lantshut, Oting, Purchhausen, & Halle, & quicquid est inter loca prædicta & terras Austriæ & Boemię. Ludvvico autem cessit superior pars Bauariæ, cum Palatino Rheni, & nomen Burggrauii Ratisponensis, vnde & castrum in Regenstauff, in Legenvelde, Chalmunz, & alia, quæ ad eundem pertinent comitatum, sibi in sortem cesserunt. Hainricus itaque Dux cum Alberto Episcopo Ratisponensi plene concordans, monetam Lantshuten, quam pater suus fabricari iusserat, cassauit, innouatam monetam Ratisponensium denariorum dare, sicut prius, per suum districtum permisit & præcepit. Concordiam etiam facit cum Domino Ottone Patauiensi Episcopo, ac interdictum diuinorum iam plus quam per triennium obseruatum in districtu suo eiusdem diœcesis relaxatur.

Bauaria diuisio.

Moneta.

Interea Wilhelmo Rege Romanorum cum Comitissa Flandriæ & Frisonibus bellica agente negotia, ciuitates Rheni quasi destitutę regia defensione vinculo societatis fortissime ad inuicem coniunguntur, capitaneum eligunt, telonia eiusdem fluminis, quę à pluribus fuerant aggrauata, remouent, vicinos Principes & Comites suæ societati adhærere compellunt, vndique in finibus suis pacem ordinantes optimam, & hactenus inauditam. Quo superueniens Dominus Ludvvicus nouus Palatinus Comes Rheni, fœdus laudabile societatis iniit cum ciuitatibus supradictis. Ista autem pax more Lombardorum ciuitatum inchoata, propter malitiam resistentium non diu durat.

Vide & supra anno 1247.

MCCLVI.

Ludvvicus Dux Comes Palatinus Rheni Dominam Mariam vxorem suam, sororem Heinrici Ducis Brabantiæ suspectam habens de adulterio, tunc in Sueuico Werde morantem XV. Kal. Feb. præcepit decollari. In ipso mense Bernhardus Dux Karinthię obiit, Vlricus filius eius succedit.

Wilhelmus Rex eodem mense in Frisia cum exercitu existens, à Fresonibus est occisus. Qui cum ad quandam ciuitatem eiusdem prouinciæ venisset, fertur ibidem inuenisse sepulchrum opere mirifico constructum; & dum à ciuibus quæreret, cuius esset hoc sepulchrum opere tam sumptuoso decoratum, dicebant quod nondum quisquam ibi sepultus esset, sed antiqui patres eorum construxe-

Wilhelmi Regis cades & sepultura.

rint

rint illud præfatum, cognoſcentes, quod in eodem loco deberet Romanorum Regum aliquis tumulari. Deuicta itaque & ſubiugata tota Freſia, cum iam victor ipſa terra exieret, à quibuſdam fugitiuis ſecus viam in arundineto latitantibus cuſpidibus occiditur, & in prędicto tumulo ab indigenis ſepelitur, anno regni ſui nono.

MCCLVII.

Principes regni pro eligendo Rege iam diu habitis diuerſis conuentibus, tandem definitum electionis diem in octaua Epiphaniæ ſtatuunt, in Frankenfurt celebrandum, vbi dum quidam conueniſſent Moguntinus, Colonienſis Archiepiſcopus, & Ludvvicus Comes Palatinus Rheni, ac frater ſuus Dominus Heinricus Dux Bauariæ, in Richardum fratrem Regis Angliæ conuenerunt: & electus ab ipſis ſubſequenter in die Aſcenſionis Domini apud Aquisgranum in Regem vngitur, & potenter in regni ſolio collocatur. Dominus autem Treuerenſis Epiſcopus cum aliis quibuſdam Principibus, conſentire nolens electioni prædictæ, in media Quadrageſima fretus literis & auctoritate Regis Boemiæ, Ducis Saxoniæ, Marchionum de Brandenburch, & multorum Principum elegit Dominum Alphonſum Regem Hiſpaniæ, qui electioni de ſe factæ conſenſit perſuaſus à Regibus & Principibus & amicis.

Richardus Anglus.

Alfonſus Hiſpanus.

Philippus Saltzpurgenſis electus, iam per x. annos nolens ordinem presbyterii ac Epiſcopalem ſuſcipere conſecrationem, à Domino Alexãdro Papa deponitur, & Vlricus Socovvenſis Epiſcopus ei in Archiepiſcopum eiuſdem Eccleſiæ ſubrogatur, de cuius electi abiectione hinc & inde multa literarum paria euolarunt.

MCCLVIII.

Otaker (qui & Prinnzel*) Rex Boemiæ, Dux Auſtriæ iuuenilis ætatis audacia perſuaſus, ſine prouida deliberatione conſilii, quæ bellicis rebus agendis ſumme neceſſaria eſt, per Patauienſem ciuitatem in terra Bauarię hoſtiliter eſt ingreſſus, iactans ſe tanquam diuitiis & potentia præditum velle & poſſe contra omnium hominum voluntatem ad ignominiam Domini Heinrici Ducis, & terræ ſuæ, ante muros ciuitatis vel caſtra in Lantshut potenter militiæ opera exercere. Nam tunc idem prædictus Dominus Heinricus Dux Bauariæ cum Domina Elizabeth vxore ſua virtutibus & ſanguine nobiliſſima morabatur. Sed cum per pagum, qui dicitur Chunzinger, & per vallem Eilſæ fluminis incendiis vaſtando plurimas villas & Eccleſias vſque iuxta caſtrum in Fraunhouen peruenisſet, ecce memoratus Dominus Heinricus Dux licet vix quinque diebus ante introitum prædicti Regis in Bauariam talium inimicitiarum * literas recepiſſet, celeri volatu nunciorum & literarum circumquaque diſcurrentium ſuis conuocatis hominibus & amicis, tanquam animoſus Princeps, & qui de ſua iuſtitia & de Dei miſericordia confidebat, cum exercitu valido equeſtrium & pedeſtrium, ad campos contra ſuos audaciter graditur inimicos. Iam etiam ſuperuenerat cum paucis Dominus Ludvvicus Dux frater ſuus de partibus Rheni velociter euocatus, in cuius abſentia præfatus Rex ſperabat ſe ſui propoſiti deſiderium adipiſci. Rex itaque ſæpe fatus cernens animoſiratem Ducum & gentium Bauariæ timuit congredi cum illis, & in feſto S. Bartholomæi Apoſtoli (quod tunc occurrebat in VI. feria) treugas per illũ diem petit & impetratis in nocte ac ſubſequenti ſabbatho fugit cũ ſuis omnibus vſq; ad Muldorf, vbi dũ vexilla nobiliũ victoria ducũ dorſa fugientiũ ſequerentur, põs ibi per Enũ fluuiũ traiectus, ſtrepitũ tot hominũ & equorũ certatim & impetuoſe tranſire volentiũ ferre nõ valens ſub hoſtibus ruit, & ſic plurimi ſunt ſubmerſi. Videbantur ibi electi milites in equis & in armis natantes, quorum aliqui fluuium tranſierunt, aliqui aduerſæ partis littori viciniores, dũ applicare nituntur, volentes ſe potius captiuitati dare quã morti, per lanceas & ſagittas littus tangere prohibentur. Sed & hi qui remanſerant circa flumen, receperunt ſe in ſuburbio ſub terræ quadam * fugere non valentes, qui omnes cum armis & equis optimis per indignationẽ ſubitã Domini Ludvvici Ducis incendio ſunt cremati. Tũc itaq; in aqua & in igne quaſi quadringẽti homines perierunt, reliqui fere oẽs

**. Primislaus.*

**Vebdbrief.*

Muhldorf.

præter Regem qui cum nobilioribus iam transierat, in prædicto oppido sunt inclusi. Inter obsessos autem hi fuerunt nobiles de Bohemia, Wocho de Rosenberch, Zinilo de Leutēburg, Wichardus de Tirnach, Schatzla de Fridlain, Wilhelmus de Gordebrat, Ibis de Schechnum, Beneis de Valchenstain, Burchardus de Klingēberg, Vlrich pincerna de Ellenpogen, Ienezo Burchgrauius de Gratzinil frater Wochonis, Haur cognatus Wochonis, Dlohomil de Nabzden, Styporius dictus caput, Vlricus de Rosental. De Austria vero Albertus & Hainricus de Chunring, Vlricus de Lobenstain, Vlricus de capella, Ludvvicus & Albertus Zelkingarii, Sighardus dictus Piber: qui cum aliis omnibus nono die obsidionis eorum per clementiam Ducum prædictorum, sub quadam forma compositionis cum equis & rebus quas tunc habebant, ad propria sunt remissi. Heinricus de Babenbergen Episcopus obiit xiv. Kal. Octobris. Cui succedit Berchtoldus Comes de Leiningen, eiusdem Ecclesiæ Canonicus.

MCCLIX.

Constantinopolis, quæ olim à Francis & Venetis capta fuerat, per Palæologum Græcorum Imperatorem vi prælli recuperatur. In Tuscia Italiæ Florentini & Lucani miserabilem euentum habuerunt. Nam confisi de sua multitudine & fortitudine, cum comitatum Senensem intrassent, & Senenses freti auxilio Domini Manfredi tunc Regis Siciliæ ipsis ad bellum exiuissent obuiam; Florentini & Lucani, fraude suorum sunt decepti. Nam in inchoatione conflictus qui primi & præcipui inter Florentinos erant, ad hostes accedentes in suos cum Senensibus quam plurimum sunt debacchati, dicuntur enim de Florentinis & Lucanis tunc interfisse mortuos & captiuos, plusquam sex millia hominum corruisse. Dominus Guilielmus de villa Hardurnensi, inclytus Princeps Achaię, mense Augusto ab exercitu Palæologi Imperatoris Græcorū fuit cum suis baronibus captus. Conradus Frisingēsis Episcopus obiit xv. Kal. Feb. cui succedit Ch. Wildgrauius eiusdem Ecclesiæ canonicus.

Domina Elizabeth Ducissa Bauariæ peperit filiam in secunda vespera S. Gregorii, quæ vocata est Elizabeth. Gebhardus Comes de Hirsperch, quia priori anno bonus adiutor fuerat Ducum Bauariæ contra Boemos, Dominam Sophiam ipsorum Ducum sororem egregiæ formæ feminam ducere meruit in vxorem.

Eclipsis Lunæ facta est xv. Kal. Iunii.

Geyrsperg. Dominus Ludvvicus construxit castrum in Geirsperg contra Ratisponenses, quod postea destrui permisit magnæ pecuniæ interuentu.

Albertus M. Albertus Ratisponensis Episcopus pro quibusdam criminibus apud sedem Apostolicam accusatus, cum se defendere non posset, cessit, eique frater Albertus de ordine prædicatorum subrogatur. Meinhardus Comes Goriziæ duxit in vxorem Dominam Elizabeth sororem Ludvvici & Heinrici Ducum Bauariæ, relictam Chunradi Regis, in octaua S. Michaelis, apud Monacum nuptiis celebratis Domina Agnete matre prædictorum tunc apud filiam Sophiam comitissam de Hirsperch manente, quæ priori feria quarta peperit filium nomine Gerhardum.

MCCLX.

Dominus Ludvvicus Palatinus Comes Rheni, Dux Bauariæ, duxit Dominam Annam filiam Conradi Ducis Poloniæ in vxorem.

Ottakerus Rex Boemiæ Dux Austriæ dolens aliquando, quod coactus esset à Bela Rege Vngariæ relinquere sibi ducatum Styriæ congregato valido exercitu castra metatus est circa fluuium Marchia, vbi cum Stephanus iunior Rex Vngariç ex altera parte fluminis sibi occurreret cum exercitu suo, transitum ei fluminis impediuit. Tandem post plures dies abit Rex Boemiæ pro commodo equorum & hominum volens ad superiores partes fluminis se transferre, Stephanus Rex putans ipsum velle fugere, insecutus est eum, & congressione facta apud villam quę Chressinprunnen dicitur, victi sunt Vngari, vbi Stephano Rege vulnerato de parte sua plurimi sunt occisi, plures fugiendo in flumine sunt submersi. Ex parte etiam Otakeri Regis multi ferro, & sub armis nimio calore perierunt. Factum est enim hoc bellū feria secunda in die S. Margaretę virginis, æstu maximo existente.

Kressenbrunn.

Eidem

Eidem etiam Otakero Regi Boemię post videlicet in festo SS. Iohannis & Pauli tristem obtulerat se fortuna. Nam cum x. vel plura millia hostium insultum facerent in Austriam circa castrum quod Stentz dictum, duo fratres sanguine nobilissimi iuuenes electi, Otto videlicet Comes de Hardecke, & Conradus Comes de Plain, ac cum Episcopis Crafto de Schleinitz, Conradus dictus Orphanus, quasi cũ ccc. Viris incaute eis occurrerunt, quibus fere omnibus occisis pauciſſimi euaserunt. In morte quoq; prædictorũ Comitum ipso die deperiit successio illius nobilissimæ progeniei de Plain, quod sine heredibus decesserunt. *Com. de Plain.* Ottakerus itaque Rex obtenta tali victoria progressus cum exercitu suo in Vngariam, abinde post paucos dies sub quadam forma compositionis recedit, Ducatu Styriæ cum ciuitate Bittonia (quam adhuc Vngari tenebant) plenarie restituto.

His etiam diebus surrexerunt quidam pœnitentes, qui flagellatores dicebantur, qui primo pauci numero à Perusio ciuitate Tusciæ processum habuisse feruntur, quorum sectam non solum tota Italia, sed & regiones plurimæ sunt secutæ, ita quod eam in primis sibi multi nobiles mercarunt *. Erat enim modus ipsius pœnitentiæ ad patiendum durus, horribilis, & miserabilis ad videndum. Nam ab vmbilico sursum corpora denudantes, quandam vestem partem corporum inferiorem vsq; ad talos tegentem habebant, & ne quis eorum agnosceretur, cooperto capite & facie incedebat. Procedebant etiam bini vel trini, tanquam clerici, vexillo præuio vel cruce, flagellis semetipsos bis in die per XXXIII. dies (dũ in memoriam temporis humanitatis Domini nostri Iesu Christi super terram apparentis) tam diu cruciantes, quousq; ad quasdam cautiones, quas de passione ac de morte Domini dictauerant, duobus vel tribus præsentibus circa Ecclesiam vel in Ecclesia compleuerunt, nunc in terram corruentes, nunc ad cœlum nuda brachia erigentes, non obstante luto vel niue, frigore vel calore. Miserabiles itaq; gestus ipsorum & dira verbera multos ad lacrymas, & ad suscipiendum eandem pœnitentiam prouocabant. Sed quia origo eiusdem pœnitentiæ nec à sede Romana, nec ab aliqua persona auctorabili fulciebatur, à quibusdam Episcopis, & Domino Heinrico Duce Bauariæ cœpit haberi contemptui, vnde tepescere in breui cœpit, sicut res immoderata concepta. *Flagellatorum secta.*

Popo monachus Altahensis eligitur in abbatem superioris Altahæ, vir magnæ prudentiæ & religionis, per cuius industriam ordo monasticus Ratisponensis diœcesis cœpit multipliciter reformari.

Alexander Papa IIII. sedit annis VII. Hic damnauit duos libellos pestiferos, quorũ vnus dicebat, quod etiam Religiosi verbũ Dei prædicantes de eleemosyna viuendo saluari non possint: Alter asserebat: Quod Euangelium Christi & doctrina noui testamenti, neminem ad perfectum reduxit, & euacuandum esset Euangelium. Et extunc deberet incipere doctrina abbatis Ioachim, quam nominauit Euangelium æternum, quia in illo relucet omnis perfectio hominum saluandorum. Eodem anno floruit Dominus Albertus, natus de Laugingen, magnus Episcopus Ratisponensis, frater ordinis prædicatorum, & magister in Theologia & magnus Philosophus. S. Clara iuxta assisium migrauit ad Dominum, tam viua quam mortua miraculis coruscans. *Ioach. Abb. Euangel. Vincent. in Spec. lib. 32. c. 107. Albertus M.*

Rex vero Vngariæ pro terris Regem Boemię bello aggreditur, habens in exercitu suo diuersarum orientalium nationum, & paganorum circa XL. millia equitum. Cui Rex Boemiæ cum C. milibus equitum, intus quæ dicitur habuisse VII. milia equorum de ferro cooperterum, ad resistendum occurrit. Cumque in confiniis regnorum bellum inchoatum fuisset, ex collisione equorum & armorũ tantus puluis de terra surrexit, vt media & clara die vix homo hominem cognoscere põtuisset. Tandem Vngari Rege eorum grauiter vulnerato terga vertentes, cum redeuntes festinarent effugere, in quodam fluuio profundissimo, quem trãsire debuerant, præter aliquos occisos, circa XIV. millia hominum submersa dicuntur. Sic Rege Boemiæ victoria habita Vngariam intrante, Rex Vngariæ pacem quærit, terras quæ discordiæ causa fuerant restituit, & in futurum amicitiam mediante matrimonio confirmauit.

MCCLXI.

Domina Elisabeth Ducissa Bauariæ peperit filium in proxima nocte, post festum S. Scholasticæ virginis, quem Dominus Heinricus Dux nominari fecit Ottonem.

Alexander Papa IIII. direxit literas Regibus & Ducibus, Archiepisc. & Episc. ac vniuersis Principibus Christianis hortando ipsos vt contra horrendā rabiem *Tartari.* Tartarorum consiliis & armis præmunire deberēt. Nam iidem Tartari deuictis iam & deletis omnibus Regibus & regnis Sarracenorum in partibus transmarinis Antiochiæ Akaron, ac aliis Christianorum prouinciis terrorem tam validum incusserunt, vt ad dictos Papam & Reges supplices & frequentes legationes dirigerent pro succursu. Vnde cum super hoc negotio consilium in octaua Apostolorum Petri & Pauli habendum in Viterbio condixisset, ipse Papa VIII. Kalen. Iun. diē clausit extremum, cui successit Iacobus patriarcha Ierosolymitanus, & dictus est Vrbanus Quartus. *Vrbanus IIII. pp.*

Ottaker Rex duxit Kunigundam filiam Regis Ruscię, neptem Belæ Regis Vngariæ ex filia Domina Margareta vxore sine iudicio Ecclesiæ repudiata, & vna cum ipsa insequenti festo Natalis Domini regali diademate coronatur à Wernhero Archiepiscopo Moguntino.

Frater Albertus Ratisponensis Episcopus fugiens tam magnam curam animarum Domino Vrbano Papæ offert voluntariam cessionem. Cui succedit Dominus Leo eiusdem Ecclesiæ Canonicus. Vrbanus Papa IV. sedit annis quatuor, *Sicilia regnum.* mensem vnum. Hic regnū Siciliæ Karolo Comiti Prouinciæ tradidit, fugato exercitu Sarracenorum, quos Manfredus filius Friderici Imperatoris illegitimus contra terram S. Mechtildis adduxerat. Igitur Karolus in Apuliam bello campestri Manfredum superans interfecit.

MCCLXII.

Vrbanus Papa IIII. regnum Siciliæ, quod Manfredus violenter detinebat, Karolo Comiti Prouinciæ fratri Regis, vt illud ab eo eriperet, contulit.

Domina Elizabeth Ducissa Bauariæ peperit filium in Vigilia S. Matthiæ, qui dictus est Hainricus.

MCCLXIII.

In octaua S. Agnetis ventus tam validus est exortus, vt non solum ædificia plurima subuerteret, sed etiam prosternendo multas arbores magnum damnum faceret in nemoribus & in syluis.

Eodem anno in mense Iulio & Augusto apparuit stella quædam, quæ à se miræ altitudinis radios emittebat. Hanc stellam dicebant esse Cometam.

Eodem anno in Autumno Dominus Prinnzel Rex Boemiæ (qui & Otaker) copulauit filiam sororis suæ, videlicet filiam Ottonis Marchionis de Brandenburg, Belæ iunioti regi Vngariæ.

Vrbanus Papa moritur in mense Octobri, & apud Perusium sepelitur.

MCCLXIV.

Cometes tam nobilis apparuit, qualem tunc nullus viuens ante vidit. Ab oriente enim cum magno fulgore fulgens, vsque ad medium semiuesperum, versus occidentem comam perlucidam protrahebat: & licet in diuersis partibus mūdi forte multa signauerit, hoc tamen vnum compertum est, vt cum plus quam per tres menses durauerit, ipso post apparente Papa Vrbanus cœpit infirmari, & eadem nocte qua Papa expirauit, & Cometes disparuit.

MCCLXV.

Prædictus Karolus, qui pro recuperatione regni Siciliæ per Vrbanum Papam vocatus Romam (vbi tunc in senatorem electus fuerat) nauigio venit, demum in Apuliam intrans, bello campestri habito prædictum Manfredum & vita priuauit & regno.

Dominus Guido quondam miles vxoratus habens duas filias per vxorem, postea factus Episcopus Podiensis, ac postmodum Archiepiscopus Narbonensis, & subsequenter Sabinensis Episcopus Cardinalis III. Non. Februarii eligitur

gitur in Romanum pontificem, & dictus est Clemens Papa IIII. qui per incrementa virtutum quæ in ipso primitus floruerunt, prouectus est ad tanti nominis dignitatem. *Clemens IIII. Pp.*

Otto Patauiensis Episcopus obiit IV. Idus Aprilis, vir piissimus & pater cleri, qui non bellator, sed diligens pacem, Ecclesiam sibi commissam honoribus & diuitiis plurimum ampliauit, in cuius locum primo postulatus Dominus Wloditzlaus, postea Saltzpurgensis electus, Dominus Petrus à Domino Papa substituitur.

Clemens etiam Papa canonizauit Viterbii in Ecclesia fratrum prædicatorum S. Hedvvigam Ducissam Poloniæ, miræ sanctitatis viduam, quæ inter alia commendabilia, cum canonizatio eius per plures annos differtur, ipsum procuratorem in curia Romana super eodem negotio, cum esset in tristitia, per visum apparuit, ac eum de expeditione negotii, & etiam de die expectationis certificauit.

A Clemente prædicto præsens Chronica stilum operis commutauit. Nam cum à principio per annos Domini concurrerent, & quilibet Pontifex anno introitus sui positus fuerit, quia plures Pontifices vno & eodem anno defuerunt, & in eadem linea poni non potuerunt, prædictus modus seruari non potuit, sed per annos Domini non continuando, sicut prius, sed distinctim ponendo, statum cuiuslibet Pontificis declaraui, sicut patet per Clementem & consequentes. *Verba compilatoris.*

Cometam priori anno visum multa incommoda subsequuntur. In diuersis namque regionibus inter Reges & Principes cædes hominum multæ fiunt. Mortalitas quoq; hominum & pecorum non mediocriter est secuta, vt patet plenius in sequentibus.

[*Hoc enim opusculum continenter excipit, ab eadem (vt videtur) manu, compilatio Chronica cœnobii Altahensis, quæ sequitur.*]

FINIS CHRONICAE AVGVSTENSIS.

HAINRICI STERONIS MONACHI ALTAHAE INFERIORIS, IBIQVE CAPELLANI, TRANSSCRIPTA ET EXCERPTA EX CHRONICA COENOBII SVI, RERVM sub Imperatoribus, RVDOLPHO, ADOLPHO, ALBERTO, HENRICO VII. abanno MCCLXVI. vsque ad annum MCCC. gestarum.

CVI APPENDICEM ADDIDERVNT VLRICVS ET CONRADVS WELLINGI FRATRES, Monachi S. Vdalrici apud Augustam, vsq; ad annum MCCCXXXIV.

ANNO DOMINI MCCLXVI.

ACTA est, III. Non. Martii, congressio in Apulia inter Karolum fratrem Regis Franciæ, & Manfredum Regem Siciliæ, & Manfredus deuictus occubuit. Cum autem Conradinus nepos Fridetici Imperatoris, Regem Karolum (cui præfatus Papa regnum Siciliæ contulerat) debellaturus intraret, & plerique factum Regis Karoli pro desperato haberent, tum propter Conradini exercitus multitudinẽ, tum propter regni Siciliæ pene totius rebellionem, Papa præfatus prædixit in publico sermone, factum Conradini tanquam fumum transiturum, & ipsum tanquam ouem ad victimam in Apuliam intraturum, quod & rei postmodum probauit euentio. Nam Conradus post fugam captus fuit, & decollatus, & factum eius paucis diebus post tanquam fumus euanuit. *c. 17. De gestis c. 16.*

Quam plurima multitudo Sarracenorum ex Africa per angustum mare transiens in Hispanias, & adiuncti Sarracenis in Hispania, magnam plagam in Christianos exercuerunt intendentes quod olim perdiderant, recuperare Hispaniam. Sed illarum partium adunati Christiani, & cruce signatorum ex diuersis partibus auxilio adiuti, licet cum multo Christianorum sanguine de Sarracenis triumpharunt.

Eodem anno bellum magnum factum est in pago Wirtzpurgensi VI. Idus Augusti inter Hermannum Comitẽ de Henberg, & Wirtzpurgenses, vbi iidem ciues victores cum suis fautoribus extiterunt. Tunc etiam Otakerus Rex Bohemiæ inimicitias iam dudum contra Ludvvicum & Hainricum Duces Bauariæ conceptas totis viribus in arma conuertit, adsciscens sibi Saltzpurgensem, Patauiensem, Ratisponensem ciuitates, cum munitionibus earundem, ex quibus tunc facta sunt in Bauaria multa incendia, occisiones hominum & rapinæ. Ipse quoque in mense Augusto cum multis millibus armatorum versus Cham Bauariam intrauit, destruens Regenstauf, & Nitavv, & alia castra in quibus per incendium & iacula sagittarum magna periit hominum multitudo, morante ipso per biduum Ratisponæ, per Egram reuertitur in Boemiam exercitu penuriam victualium patiente. Recedente autem ipso Rege de Bauaria Dominus Hainricus Dux misso exercitu vltra flumen Itsam oppidum in Velden & alias munitiones cum tota prouincia ibidem incendio deuastauit.

Subse-

Subsequenter III. Kal. Nouemb. idem Heinricus Dux per portam quandam ciuitatis Patauiensis procuratione siue traditione quorundam per adulterinas claues obtentam, nouum forum cum quibusdam domibus & etiam cellario canonicorum ac magna parte ciuitatis exussit, aliquibus ibidem ciuibus interfectis: totamq; ciuitatem cepisset, si sui non fuissent propter inuasionem rapinæ, & noctis tenebras hinc & inde dispersi.

Eodem anno abbas Gevvinus Monachus Sanctorum Vdalrici & Afræ in Augusta, voluntarie resignans ipsam abbatiam, præficitur Dominus Dietericus alienigena, frater Wolfhardi postea Episcopi, cognomine de Rotavv, vir bonus & simplex, præfuit autem XXII. annis.

MCCLXVII.

Soldanus Babiloniæ Armenia vastata Antiochiam vnam de famosioribus ciuitatibus orbis cepit, & tam viris quam mulieribus, & Ecclesiis captis in solitudinem ipsam redegit.

Dominus Gvvido Cardinalis Apostolicæ sedis legatus VI. Idus Maii apud Wiennam consilium celebrauit, cui interfuerunt Iohannes Pragensis, Petrus Patauiensis, Bruno Brixiensis, Conradus Frisingensis, Leo Ratisponensis, Amalricus Lauadinensis Episcopi, & alii quam plures diaconi, prælati, archidiaconi, & decani. Tunc etiam in priori Dominica factus est terræ motus ita vt in multis etiam locis ruinam ædificia paterentur.

Otakerus Rex Boemorum & Henricus Dux Bauariæ rursus per pacis osculum ad concordiam redierunt: Et Elizabeth Ducissa Bauariæ V. Idus Iunii peperit filiam, quæ baptizatur à Leone Episcopo Ratisponensi, & vocata est Catharina.

Subsequenter Dominus Wladitzlaus apud Saltzpurgam in Dominica Trinitatis in Archiepiscopum consecratur. Idibus Septembris natus est Ludvvico Duci filius qui vocatus est Ludovvicus.

MCCLXVIII.

Conradus Rex inuitatus diu à Lombardis & Apulis, priori anno Italiam ingressus, adhærentibus & fauentibus sibi plurimis ciuitatibus Romam ingreditur, vbi glorioſe tanquam Imperator cum magno triumpho susciputur, domino Papa tunc apud Viterbium existente, parui pendens Papæ excommunicationem. Posthæc versus Apuliam progreditur cũ exercitu, ac habito conflictu cum Karolo rege victus & captus est apud Neapolin, iussu prædicti Karoli decollatur, IV. Kalen. Nouemb. feria secunda. Cum ipso etiam tunc decollatus est Fridericus Dux filius Hermanni quondam Marchionis de Paden, Ducis Austriæ, de quo spes non modica fuerat, quod deberet aliquando paternos ducatus Austriæ videlicet & Styriæ obtinere. Deinceps Karolus memoratus, tanquam duobus Regibus, Manfredo scilicet filio Friderici Imperatoris, & Conrado fratruele ipsius M. victis & occisis, regno Siciliæ libere potitur, defensionis Ecclesiæ de plurimis habens laudem. *Conradini exitus.*

Subsequenter in eodem mense Nouembri, in die S. Chrysogoni moritur Clemens Papa, qui quoniam in papatu nunquam Romam intrauerat, in loco vbi tam diu steterat, videlicet in Viterbio sepelitur. Exhinc sedes Romana diu vacare cœpit propter discordiam Cardinalium, qui permittente Domino ad malũ totius Christianismi in eligendo pastore Ecclesiæ catholicæ non poterant concordare. *Romana sedes vacans.*

MCCLXIX.

In ipso festo Natiuitatis Domini tanta facta est inundatio aquarum, quanta nunquam à cunctis viuentibus visa fuit. Gregorius Patriarcha Aquileiensis obiit, in cuius locum eligitur Philippus quondam Saltzpurgensis electus, frater Vdalrici Ducis Karinthiæ. Quo Vlrico posthæc in breui sine heredibus defuncto, memoratus Philippus sibi eundem Ducatum tanquam verus heres ipsius, attrahere attentabat, sed per Otakeri Regis Bohemiæ potentiam impeditur. Hainrico Duci Bauariæ nascitur filius in die S. Dionysii, qui vocatus est Ludvvicus.

MCCLXX.

Waladizlaus Archiepiſcopus Saltzpurgenſis obiit, cui ſucceſſit Fridericus eiuſdem Eccleſiæ prępoſitus. Bela etiam Rex Vngarię, frater S. Elizabeth, & pater Elizabeth Duciſſæ Bauariæ, ex hac vita deceſſit, relinquens Stephanum filium ſuum regni ſucceſſorem. Maria etiam Regina Vngariæ non poſt longum tempus obiit. Subſequenter etiam in feſto aſſumptionis B. Mariæ Elizabeth virgo, filia domini Heinrici Ducis Bauariæ iam tertium decimum annum ætatis ſuæ gerens, in monaſterio in Lantshut habitum religionis aſſumpſit.

In ipſa etiam æſtate tanta ſiccitas fuit, vt fata omnia areſcerent: & ex hac fames maxima eſt ſecuta, attamen vinum in abundantia natum fuit.

Vid. infr. an. 1273. Ludvvicus Rex Francorum cum Iohanne filio ſuo tunc obiit in partibus tranſmarinis, relinquens filium ſuum Philippum regni ſucceſſorem.

Stephanus Rex Vngariæ circa feſtum S. Thomæ Apoſtoli miſſo exercitu in Auſtriam à parte meridiana Danubii illam prouinciam deuaſtauit, occiſis, & in captiuitatem abductis plusquam ſedecim millibus hominum.

MCCLXXI.

Otakerus Rex Boemiæ congregato valido exercitu infra octauam Paſchæ inuaſit Vngariam, & deuictis munitiſſimis caſtris, videlicet Presburg, & Altenberch, & Tyrnau, & caſtro S. Georii & aliis pluribus munitionibus captis & deuictis, circa feſtum Pentecoſtes propter conſumptionem victualium reuerti cogitur in Boemiam exercitu relaxato. Stephanus autem Rex Vngariæ miſſis in Moraniam & in Auſtriam Vngaris & Cumanenſibus, per incendia & rapinas & multas ſtrages hominum plurima mala geſſit. Tandem circa ſolſtitium æſtiuale per Epiſcopos & religioſos viros Deum timentes ad inopinatam & ſubitam pacis cõcordiam redierunt.

Domina Elizabeth Duciſſa Bauariæ peperit filium 11. Idus Martii, qui baptizatus eſt ab Hermanno abbate Altahenſi, vocatus eſt Stephanus. Ipſa vero Duciſſa in ſubſequenti autumno IX. Kalend. Nouembris diem clauſit extremum, quæ cum eſſet fœmina virtuoſa & omni bonitate pręclara, morte ſua toti prouincię inconſolabilem luctum fecit.

Starckenberg. Caſtrum nobiliſſimum & fortiſſimũ dictum Starckenberch in tranſmarinis partibus Sarraceni occupant & expugnant, quod comparauerat Ludvvicus ſenior Dux Auſtriæ.

MCCLXXII.

Dominus Theobaldus Archidiaconus Leodienſis iam priori æſtate per formam compromiſſi in ſummum Pontificem electus, cum glorioſo apparatu in Quadrageſimæ intrat Vrbem, & ibi in Eccleſia S. Petri conſecratus Gregorium X. ſe appellat. Hic fecit vnam ordinationem Epiſcoporum Cardinalium quam plurimum laudabilem, quia honeſtas & valentes perſonas aſſumpſit. Huius III. põtificatus ſui anno pro vtilitate Terræ ſanctæ, quã perſonaliter viſitare intẽdebat, Lugduni ſolenne concilium celebrauit, in quo Græcorum & Tartarorum ſolennes nuncii interfuerunt, Græci ad vnitatem Eccleſiæ redire promittentes. Tunc in ſignum cuius Spiritum Sanctum à patre filioq; procedere, Symbolum in concilio ſolenniter decantando: Nuncii vero Tartarorum infra conſilium baptizati ad propria redierunt. Numerus prælatorum qui fuerunt in conſilio ſunt D. Epiſcopi, LX. Abbates, & alii prælati CC. Hic in concilio multa bona cõſtituit, videlicet pro ſubſidio Terræ ſanctæ, pro electione ſummi Pontificis, & pro ſtatu Eccleſiæ vniuerſalis. Huius temporibus Rudolfus rex Romanorum, & Ludouicus Rex Francorum cum multis latronibus pro ſubſidio Terræ ſanctæ cruce ſignati ſunt. Hic Papa miræ experientiæ, in ſecularibus non intendebat pecuniarum luctis, ſed pauperum eleemoſynis.

Lugdunenſe Concilii.

Stephanus Rex Vngariæ circa Kal. Auguſti moritur, relinquens duos ſucceſſores. Tunc etiam Ladislaus primogenitus ipſius ſtatim in regni ſolio collocatur.

In sequenti etiam Autumno tanta inundatio pluuiæ erupit, vt paruuli riui in tam magna flumina subito excrescerent, vt euulsis domibus multis, in submersione pecorum, abductione fœni & auenæ, homines circa valles residentes damna plurima paterentur.

Post mortem prædicti Stephani Regis, quidam Cómes Heinricus de Guzzing, qui ab eorum Rege de Vngaria eiectus fuerat, & receptus à Rege Boemiæ, filiam Domini Zimlonis de Leuchenburch duxerat in vxorem, & reconciliatus Domino Ladislao primogenito præfati Stephani Regis, tunc in Regem solenniter coronato. Accidit autem vt cum Domino Bela Duce de Marsavve auunculo Regis prædicti, & consobrino Regis Boemiæ, comes idem in verba contumeliosa prorumpens, occasione præsumptæ proditionis contra supradictum Dominum Ladislaum, ipsum Ducem Belam in insula apud Budam miserabili nece prosterneret, ita vt membra ipsius in frusta concisa materteræ suæ, videlicet Dominæ consobrinæ filiæ Domini Stephani Regis in monasterio ibidem constituto colligerent, ac cum planctu & dolore maximo sepelirent. Ob quam causam Rex Boemiæ maximo furore commotus, initam olim cum regno Vngariæ concordiam, & ad magnam vtriusque partis instantiam, auctoritate sedis Apostolicæ confirmatam rescindens, nec treugas nec pacem solennibus nunciis Vngarorum postulantibus voluit indulgere, sed in confiniis eos iussit inuadi, & statuit cum grandi exercitu ipsum regnum se hostiliter aggressurum.

Dominus Heinricus monachus Altahensis factus est abbas Piburgensis.

Vngari & Cumani præuenientes motum prædicti Regis Boemiæ, post festum Purificationis quasdam partes Austriæ & Styriæ & Morauiæ sub magna strage promiscui sexus hominum intrauerunt.

Eodem anno feria v. post Misericordiam Domini cathedralis Ecclesia Ratisponæ cum Palatio Episcopali & optimis campanis incendio totaliter est consumpta.

In festo B. Gregorii Dominus Hermannus venerabilis abbas Altahensis, qui iam xxx. annis & amplius eandem abbatiam cum tanta rexerat honestate, vt in spiritualibus adeo profecerit, quod religionis vigeret illic obseruantia specialis, & cultus Dei per ipsius diligentiã fuisset multipliciter ampliatus, ita quod in personis ibi sub regula educatis excreuerit, vt sui regiminis tẽpore ex eiusdem loci monachis Formbach, Aspach, Obern Altach, Prul & Piburch, Abbates electi essent. In tẽporalibus quoq; possessionibus honore & pace & quiete, per destructionem castrorum vicinorũ videlicet Fleinsperg & Zirberch & Mose, in turribus eiusdem Ecclesiæ abundantia ex digne promerito fauore Principum & nobilium terræ Bauariæ facta erat: In ædificiorum quoq; diuersis hinc inde structuris tam in renouatione chori, quam aliis infra septa claustri quam extra, & vtilissimo aquæ ductu ad vsum molendini & inundationẽ areæ tanta per ipsum præclara opera cernebantur, vt merito posset dicere cum Cęsare Augusto, Vrbem lateritiam inueni, marmoreã relinquo. Erat deniq; in hospitalitatis gratia totus hilaris, omnino prouidus, cuilibet ordini, dignitati, conditioni, ętati, vel sexui adeo se conformans, vt quasi omnibus omnia factus, in se & in honorem ipsius loci affectus omnium prouocaret. O virũ omni religiosa dignum laude, qui sub tanta tanquam fidei sollicitudine tot annis ipsi Ecclesiæ præesse non timuit, nec tamen in spe quidem boni successoris viuus & incolumis eidẽ regimini cedere recusauit. Ipso quidem die B. Gregorii in manus Domini Theodori tunc abbatis de Alderspach (qui ex mandato domini Petri venerabilis Episcopi Patauiensis accesserat monasterium Altahense) idem Dominus Hermannus vergente quidem deorsum ex debilitate senilis ætatis conditione corporea, sed spiritu in sublimiora scandente, mitrã & baculum cũ omni cura pastorali coram positis fratribus, maximo cessionis iam diu feruens desiderio resignauit. Ex quo planctus familiaribus ipsius Ecclesiæ & vicinis oritur nimis insolitus atq; grauis admiratio, ante prælatis aliis per Bauariã constitutis, eo quod se illi in vtilitate regiminis, aut proposito renunciationes impares æstimarent, omnibus in cõmune optantibus tanto cessore successorem idoneum

Hermannus abbas Altahensis.

ex diuina prouidentia ſubrogari. Prædictus autem Dominus Hermannus poſt ceſſionem ipſius Abbatiæ ſuperuixit duobus annis, detentus maximis infirmitatibus, ita vt de lecto in quo decumbebat non poſſet ſurgere, ſtare vel ire ſine adiutorio ſibi ſeruientium: qui infirmitates & omnes moleſtias corporis patientiſſime tolerauit, cottidie abundantiſſime fundens lacrymas, & orans Dominum Ieſum pro peccatis ſuis. Qui (vt ſupra dictum eſt) laudabiliter rexit Eccleſiam Altahenſem annis XXX. menſibus IV. dies XVI. faciens maximas eleemoſynas, & alia multa bona opera, obiit bono fine pridie Kal. Auguſti, anno vitæ ſuæ LXXV. Ego Heinricus Stero capellanus ſuus hæc addidi, videns in eo timorem Domini, & ſapientiam magnam eſſe, & ſuper omnia ipſum habere miſericordiam circa omnes homines, & alias virtutes multas, ad teſtimonium ſibi perhibeo, & ſcio quod verum eſt teſtimonium meum.

Auctor compilationis huius.

MCCLXXIII.

Hic incipit M. Albertus Argentinenſis.

Mortuo Richardo Romanorum Rege, Principes Imperii circa octauam S. Michaelis ad eligendum alium Regem in Franckenfurt conuenerunt, & dum omnes qui vocandi erant intereſſent, præter Heinricum Ducem Bauariæ, qui & ſolennes miſerat nũcios, & per ratihabitionem ſuã electioni præbuit conſenſum, electus eſt Rudolphus Comes de Habſpurg in Romanũ Regem, poſtea in Imperatorem conſecrandus. Qui Rodolphus ſtatim exegit à Principibus clericis & laicis fidei iuramentum. Quod cum recuſarent propter ſceptri abſentiam, ipſe electus ſignum crucis accipiens talia dixiſſe fertur. *Ecce ſignum in quo nos & totus mundus eſt redemptus, & hoc ſigno vtamur loco ſceptri.* Et deoſculata cruce omnes Principes tam ſpirituales quam ſeculares, ipſam crucem loco ſceptri oſculantes, recipientes feuda ſibi fidelitatis iuramentum præſtiterunt. Ipſe etiam Rex adhuc exiſtens in palatio Aquenſi (ad quod iam pridem inthronizatus à Principibus fuerat) duas filias ſuas, vnam Domino Ludovvico Comiti Palatino Rheni, alteram Duci Saxoniæ matrimonialiter copulauit.

RVDOLFVS Rom. Rex.

Rudolphus ergo Rex imperauit apud Teutonicos annis XVIII. Hic cum fuiſſet Comes de Habſpurg circa Baſileam, eſt electus in Regem Romanum, quã electionem Gregorius Papa approbauit in fauorem Terræ Sanctæ, ad quam plurimum anhelabat, & perſonaliter illuc intendebat proficiſci. Hic ad petitionem dicti Papæ, & Rex Francorum cum multis Baronibus, receperunt crucem vltramatinam anno MCCLXX. Ludovvicus Rex Franciæ Chriſtianiſſimus non territus patris laboribus & expenſis quas olim fecerat vltra mare. Hic fuit in armis probus, prouidus & ſtrenuus. Iterato autem cum duobus filiis, adiuncto ſibi Rege Nauariæ & quamplurimis Eccleſiarum Prælatis & Baronibus pro recuperatione Terræ Sanctæ iter aſſumpſit. Verum adhuc vt Terra ſancta facilius recuperaretur, incidit ipſis conſiliũ, vt regnum Turarii * quod in medio conſiſtens non pernudabat transfretantibus impedimentum, primitus Chriſtianorum ſubiicerent poteſtati.

S. Ludouicus.

Expeditio ſacra.

Thunis.

Et cum portum in Carthagine applicuiſſent, qui eſt circa Thunicium, potenti manu eepiſſent, infirmitas quæ illo anno maxime circa confinia maris viguit, in eodem Chriſtianorum exercitu nimis inualuit. Et poſt quidem de Regis Franciæ filiis vnum prius legatum Domini Papæ, Dominum Albanenſem Cardinalem, & demum ipſum Regem Chriſtianiſſimum Ludvvicum, cum pluribus Comitibus & Baronibus, nec non & aliis ſimplicibus de medio ſuſtulit. Quam feliciter autem prædictus Rex certauit, Dux Bauariæ Domino Thuſculano per literas intimauit. Nam in infirmitate ſua laudare nomen Dei non ceſſans, illam orationem, quam interſerebat: *Fac nos Domine proſpera mundi deſpicere, & nulla eius aduerſa formidare*: orabat, & pro populo quem ſecum adduxerat, dicens: *Eſto Domine plebi tuæ ſanctificator & cuſtos.* Et cum appropinquaret ad finem, ſuſpexit in cœlum dicens: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.*

Et hoc dicto obdormiuit in Domino. Et cum de morte pii Regis Chriſtianorum

norum exercitus turbaretur, & Sarracenorum lætaretur, Dominus Karolus Rex Siciliæ, bellator egregius, pro quo adhuc viuens frater suus Rex Franciæ miserat, nauigio cum magna militia aduenit, de cuius aduentu Christianis gaudium, Sarraceniſque mœstitia accreuit. Et licet multo plures Sarraceni viderentur quam Christiani, nullatenus audebant bello generali cum Christianis congredi. Sed per quasdam astutias alias multa eis incommoda inferebant. De quibus hoc vnum fuit. Est enim illa regio multum sabulosa, & in tempore siccitatis multum puluerosa, vnde Sarraceni statuerunt plura millia hominum super vnum montem Christianis vicinum, vt cum ventus flaret ad partes Christianorum, sabulum mouentes puluerem suscitarent, qui puluis multam molestiam intulit Christianis. Sed tandem puluere per pluuiam sedato Christiani factis machinis & instrumentis variis, Thunicium per terram & aquam intendebant oppugnare. Quod videntes Sarraceni timore compulsi pacta cum Christianis iniuerunt.

Inter quæ hæc didicimus fuisse præcipua, vt omnes Christiani in regno illo capti libere dimitterentur, & quod Monasteriis ad honorem Christi in omnibus ciuitatibus regni illius constructis fides Christi per fratres prædicatores & minores, & alios quoscunque libere prædicetur, & volentes baptizari libere baptizentur, & solutis expensis quas ibi fecerant Reges, Rex Thunicius Regi Siciliæ tributarius factus est, & plura alia pacta fuerunt quæ hic longum ponere fuisset. Et tamen ex aduentu Edvvardi Regis Angliæ, & multitudine Frisonum, & aliorum peregrinorum, in tantum certauerunt exercitus Christianorum, quod circa c c. millia hominum pugnatorum caderent, & sperarent quod non solum Terram sanctam, sed etiam totum Sarraceniſmum subiugare debuissent, * peccatis exigentibus absque vlteriori vtilitate est dispersus. Nam legatus Domini Papæ, qui ipsos dirigere debebat, per mortem subtractus erat. Terram etiam sanctam ad quam ire solebant * peregrinatores, gubernatore carebat, quia Patriarcha, qui legatus in Terra sancta fuit, tunc defunctus erat. Sedes etiam Apostolica, quæ vtrobique prouidere debebat, tunc vacabat. Rex etiã Nauariæ, qui infirmus de Africa processit, in Siciliam veniens est defunctus. Soldanus vero Babilonię ægre ferens, quod Edvvardus Rex Angliæ cum militia sua in terra sua moram traheret, per quendam Sarracenum Regi domesticum ipsum Regem solum in lecto iacentem proditorie cum venenato cultello lethaliter vulnerari procurauit. Qui læsione grauatus, de lecto exiliens manibus hostem prostrauit, & de eodem venenato cultello statim interfecit. Et post paucos dies medicamentis contra omnem spem amicorum curatus, ad propria rediit.

* al. debebant.

Huius Rudolphi * Papa Nicolaus III. Karolum Regem Siciliæ, Aricariæ, Tusciæ, à senatu Vrbis amouit, ac se in senatorem Vrbis ad vitam eligi procurauit, & senatum fere per duos annos regi fecit.

* Senatum Vrbis.

Quo Papa mortuo vnus Hannibaldensis, alter Vrsinorum Senatum in Vrbe regebat, sub quorũ regimine plura homicidia & dissensiones in vrbe fuerunt.

Eodem anno Rex Boemiæ Otakerus, & Heinricus Dux Bauariæ ad plenam concordiam redierunt, regi Boemiæ de castro in Scherding & quibusdam iuribus quæ pertinebant ad Ducem refutationem faciente. Ipli etiam contra omnem hominem huius mundi iurauerunt mutuo se iuuare.

MCCLXXIV.

Ad curiam noui Regis in Franckfurt Principes euocantur. Prædictus Papa Gregorius accessit Losannam Dominum Rudolphum electum per Principes Alemaniæ in Romanorum Regem, & electionem de ipso factam confirmauit, sibi nomen & dignitatem adscribendo, & promisit ipsum in Imperatorem postea consecrare.

Eodem anno celebratum est generale concilium apud Lugdunum per dominum Gregorium Papam XIII. cui interfuerunt plusquam DCC. Episcopi & Abbates, & præpositi, cæteriq; Ecclesiarum rectores in numero copioso. Item eodem concilio interfuerunt solennes nuncii seu procuratores Græcorum, qui corã toto concilio symbolũ Niceni concilii, *Credo in vnum Deum*, alta voce decantauerũt, in

signum & testimonium quod à suo veteri errore (quo dicebant Spiritum sanctum tantum à Patre & non à Filio procedere) se recessisse demonstrarent, & velle credere quod sancta nūc Romana & Orthodoxa Ecclesia credit & prædicat, scilicet quod S. Spiritus à Patre & Filio æterna spiratione procedit, sicut patet per Decretalem, quæ super hoc est in eodem consilio promulgata, cuius tenor talis est.

Fideli ac deota promissione fatemur, quod Spiritus S. æternaliter ex Patre & Filio, & non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex vno, non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedit. Hoc professa est, & hactenus prædicauit & docuit, hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur & docet Sacrosancta Romana Ecclesia, mater omniū fidelium & magistra. Hoc habet Orthodoxorum Patrum atq; doctorum Latinorum pariter & Græcorum incōmutabilis & vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragabilis præmissæ ignorantiam veritatis in errores varios sunt prolapsi: nos huiusmodi erroribus viam præcludere cupientes, sacro approbante concilio, damnamus & reprobamus omnes qui negare præsumpserint, aeternaliter Spiritum S. ex Patre & Filio procedere, siue etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus S. ex Patre & filio tanquam ex duobus principiis non tanquam ex vno procedat.

Mortuus est autem Papa Gregorius post Aretii, & sepultus ibidem.

MCCLXXVI.

Innocentius VI. Pp. Innocentius VI. natione Petrus Tharanthasia, sedit menses V. & dies duos: & cessit Papatus diebus XVIII. Hic à pueritia in ordine prædicatorum existens, Doctor in sacra scriptura eximius efficitur, demum in Archiepiscopum Lugdunum, & post in Episcopum Hostiensem, & tandem in summum Pontificem assumitur. Hic licet facere multa potuisset, morte præuentus nil notabile fecit, mortuus est Romæ & in Lateranensi sepelitur.

Hadrianus V. Pp. Eodem anno Adrianus V. natione Ianuensis, sedit annum vnum, dies nouem. Romæ eligitur, in palatio Lateranensi, & Viterbii moritur & sepelitur: & cessit papatus diebus XXVIII. Iste Adrianus fuit nepos Innocentii IV. & ab ipso in Cardinalem Ecclesiæ S. Adriani promotus, à Domino Clemente IV. legatus in Anglia pro guerra, quæ ibi inter Reges & Barones exorta fuerat sedanda, missus fuit. Hic Papa factus statim constitutionem, quam Papa Gregorius X. in consilio Lugdunensi de restrictione Cardinalium pro electione summi Pontificis ediderat, suspendit, proponens eam aliter ordinare. Sed morte præuentus constitutionem sic reliquit.

Iohannes XXI. Pp. Iohannes Papa XXI. natione Hispanus de ciuitate Vlisbona, sedit menses VIII. Et cessit papatus post mortem eius menses VI. dies VII. Hic autem (dictus Petrus Tusculanus) fuit in diuersis factis famosus, quia scientiarum florem & pontificatus dignitatem morum quadam stoliditate deformabat, adeo vt industria naturali pro parte carere videretur. In hoc tamen laudabilis fuit, quod se tam pauperibus quam diuitibus communem exhibebat, & egentes studentes scientias literarum in beneficiis ecclesiasticis promouit. Et cum sibi spatium vitę in plurimos annos extendi crederetur, & hic cum aliis assereret, subito cum camera noua (quā pro se circa palatium Viterbiense construxerat) solus corruit, inter ligna & lapides inuentus VI. die post casum, Sacramentis Ecclesiasticis omnibus perceptis expirauit, & ibidem in Ecclesia S. Laurentii sepultus fuit.

MCCLXXVII.

Nicolaus III. Pp. Nicolaus III. natione Romanus, de domo Vrsinorum, electus fuit in die S. Catharinę, sedit anno vno menses IX. dies VI. & vacabat sedes menses V. dies XXII. Parum ante sui promotionem Tyberis Romæ tantum excreuerat, quod super altare B. Marię Rotundę per quatuor pedes & amplius excreuerat. Hic pontificatus sui anno primo Martii vnam ordinationem V. Episcoporum, duorum presbyterorū & duorum diaconorū Cardinalium. Hic palatium S. Petri multum augmētauit, & plurima ædificia faciēs circa illud prȩcella inclusit, & fontē ibidē profluere parauit, mœnibus & turribus hortum magnum diuersis arboribus decoratum inclusit. Hic etiam Karolum Regem Siciliæ à vicaria senatus amouit: ac se ad vitam senatorem eligi procurauit: ac constitutiones fecit de electionibus prælatorum Vrbis, & Senatum fere per duos annos regi fecit.

Senatus Vrbis.

Mortuus

Mortuus est in Surriani castro prope Viterbium: vbi tamen curia erat, Kal. Septemb. post cuius mortem Hanibaldenses contra Vrsianos insurrexerunt, & vnus Hanibaldensis, & vnus Vrsinorum in Vrbe senatum regebant, sub quorum regimine plurimæ discessiones & homicidia in vrbe fuerunt.

Martinus II. natione Gallicus de Turonis, Viterbii electus fuit anno Domini MCCLXXXI. in die Cathedræ S. Petri, & sedit annis IV. mense vno, & coronatus fuit in Vrbe veteri X. Kal. April. & vacabat sedes dies IV. Hic autem Simon dictus * S. Ceciliæ presbyter Cardinalis fuit, & primo ab Vrbano IV. & post à Gregorio X. in Francia missus per plures annos legatus extitit, & in vigilia Paschæ sequenti fecit vnam ordinationem VII. presbyterorum, & vnius diaconi cardinalis. Hic electus fuit in senatorem Vrbis ad vitam suam: loco sui instituit Karolum Regem Siciliæ, & Apuliam per eiusdem Regis familiares regi fecit. Et Comitem Iohannem de Apia cum stipendiariis Francigenis circa octingentis contra Gwidonem Montis Fererii in Romaniolam misit, qui terram Ecclesiæ in illis partibus occupauerat, qui iuxta ciuitatem Foriliuii * contra dictum Guidonem bellauit, in quo bello Comes Thatherus fere cum quingentis Gallicis & ex diuersa parte M. quingenti occisi fuerunt, nulla tamen victoria habita. Et tamen misso à Papa illuc Guidone de Monte forti Gvvido Comes Montis Fererii restituit sibi terras per eum occupatas, & iurauit Ecclesiæ fidelitatem, & Romaniola tota excepta Vrbinate, quæ ciuitas tandem compulsa hostiliter reuersa fuit ad mandata Papæ. Hic Papa excommunicauit Perusinos, eo quod exercitum contra Fulginates contra inhibitionem suam fecissent, quos tandem absoluit, & illuc iuit, vbi cum gaudio fuit receptus. Et postea Karolus Rex Siciliæ ordinato statu regni sui mortuus est VII. Non. Ian. de quo Papa nimium doluit, & hæredibus ipsius Regis ad tenendum regnum medius * in subsidium summam pecuniæ fere centum millium librarum Turonicarum misit.

Martinus II. PP.

* *al.* Foriliuii.

* *f.* medius.

Igitur Græci à supra dicta fide Christiana & promissione quam spoponderant Gregorio Papæ X. subito recesserunt, propter quod Dominus Papa Martinus II. in Vrbe veteri eos excommunicatos nunciauit, vt patet ex literis quibusdam. Item in partibus Alemaniæ, in qua consuetudo inoleuerat de pignorationibus, in quibus vnus pro alio, siue innocens pro nocēte indebite prægrauatur, contra impigneratores huiusmodi idem Papa Gregorius talem in eodem concilio edidit decretalem. *Etsi pignerationes (quas vulgaris elocutio Repræsalias nominat) in quibus alius pro alio prægrauatur, tanquam graues legibus & æquitati naturali contrariæ, ciuili sint institutione prohibitæ; vt tamen eorum prohibitio in personis ecclesiasticis tanto amplius timeatur, quanto in illis specialius inhibentur, eas concedi contra personas prædictas seu bona ipsarum, aut quantumcunque generaliter prætextu cuiuscunq; consuetudinis, quam potius reputamus ad vsum * fore concessas, ad illas extendi præsenti decreto districtius inhibemus. Illi autem, qui contra fecerint, aduersus personas easdem pignorationes seu represalias concedendo, & extendendo ad eas, nisi præsumptione huiusmodi reuocauerint, à concessionis vel extensionis tempore infra mensem, si personæ singulares fuerint, sententiam excommunicationis incurrant: si vero vniuersitas, ecclesiastico subiaceat interdicto.* Ex hac tamen salubri constitutione modica prouenit vtilitas, vel quia rite post concilium in prouinciis publicata non extitit, vel quia à malis hominibus excommunicationis principium non timetur. Item pro subsidio terræ sanctæ imposita fuit in eodem concilio omnibus Ecclesiis & Monasteriis (non tamen xenodochiis, nec orphanotrophiis) solutio decimarum omnium prouentuum ecclesiasticorum per sex annos continuos idem concilium subsequentes. Quæ decima quamuis studiose exacta fuerit & recepta, tamē nō est euidens, quæ vtilitas terræ sanctæ exinde fuerit procurata.

Repressalia prohibita.

* *f.* abusum.

MCCLXXVII.

Cum prædicto Domino Rudolpho Romanorum Rege omnes Comites & Barones ac communitates ciuitatum & ciuium de Rheno & Franconia, & Sueuia ac Bauaria se sponte subderent, ei fidelitatis iurando homagia, castraque & ciuitates & terras, quas tempore vacantis Imperii, scilicet à temporibus Friderici Imperatoris occupatas tenuerant, sibi voluntarie resignarent: Dominus Ota-

Austriam Rudolfus recuperat.

kerus V. Boemorum Rex, qui Austriam, Styriam & Karinthiam, Carniolam ac portum Naonis tempore vacantis Imperii retignare noluit, dicens quod easdem terras bona fide & iusto titulo possideret, ac mandatis & commissionibus Apostolicorum, qui tempore suo fuerant, contra insultus Vngarorum, Cumanorum, & Tartarorum per XXIV. annos cum grauibus sumptibus & laboribus, imo & multa impensa non solum suorum, sed etiam proprii sanguinis defensasset. Quam allegationem Dominus Rudolphus Romanorum Rex non aduertit, sed validum exercitum congregans intrauit terram Austriæ, euntibus secum in exercitu Moguntino & Colonien si Archiepiscopis, Herbipolensi, Ratisponensi, Patauiensi Episcopis, Ludwico Comite Palatino Rheni, Hainrico Duce Bauariæ, & aliis multis nobilibus de Rheno, Franconia & Sueuia. Et ciuitates ibidem & castra se suo Domino subdiderunt, excepta ciuitate Wiennensi, quam etiam obsidione cinxit, nec tamen per violentiam cepit, sed per quoddam arbitrium; quod ipsi ambo Reges inierunt, accepit ipsam ciuitatẽ Wiennensem, & totã terram Austriæ trans Danubium versus meridiem pacifice possidere, alia parte eiusdem terræ trans Danubium versus Aquilonem siue Boemiam eiusdem Regis Boemiæ per idem arbitrium remanente. Tandem per tres vel duos annos sciſſo prædicto arbitrio, præfatus Rex Boemiæ de terris suis scilicet Polonia, Pomerania, Saxonia & Misnia fortem exercitum congregans, castrametatus est super flumen March, in campo, qui dicitur Marchvelt prope Cisterscof, & cum idem Rex Boemiæ cum Domino Rudolpho Romanorum Rege de mane congredi cogitaret, ecce multi nobiles de parte aduersa ipsum Regem Boemiæ præmonent literis & nunciis, dicentes, quod in ipsa congressione nobiles sui essent eum proditionaliter in manus hostium tradituri. Quod cognoscens idem Rex Boemiæ nobiles suos ad se in suum conuocauit tentorium, & se eis inermem omnimodis præsentauit, dicens: *Ecce inermis in conspectu vestro sto, & licet de vestra fidelitate non diffidam, tamen si cui contra me proditionis vel iniquæ factionis esset voluntas, melius existeret, vt me nunc solum occideret, quam quod cras in bello mecum multa millia hominum moriantur.* Sed ipsi nobiles multis iuramentis se ipsi velle fideliter assistere promiserunt. Idem Rex Boemiæ cuidam strenuo militi promisit plurima se daturum, si vel Dominum Romanorum Regem, vel saltem equum eius occideret in congressu: qui miles hac promissione accepta cuneum fortissimorum militum penetrans ipsum Regem Romanorum vehementi ictu ad terram prostrauit, & equum eius occidit. Sed nobiles, qui latus eius Regis stipauerant, eundem captiuauerunt militem, & Regem in alio equo locauerunt. Sed ecce mirabilem prædicti Regis Romanorum clementiam, quia eundem militem sibi captiuum præsentatum abire permisit illæsum dicens, quod Reipublicæ damnum esset, si miles adeo fortis & strenuus deperiret. Ipso etiam Rege Romanorum coniunctis sibi Vngarorum & Cumanorum Regibus, & nobilibus de Rheno, Franconia & Sueuia conflictum habente cum prędicto Rege Boemiæ, ipse Rex Boemiæ est occisus, & inter cadauera mortuorum nudus omnimodis est inuentus. Idem enim Rex Boemiæ nobiles & populum prædictarum terrarum, Boemiæ, Austriæ, Morauiæ, Styriæ, Karinthiæ & Karniolæ, qui ante sua tempora rapinis & spoliis assueti fuerant, multa austeritate compescuerat, & sine delectu personarum in seueritate iustitiæ ita magnum iudicauerat sicut paruum; & ob hoc prædicti nobiles eum latenter habentes odio, deseruerunt aciem, ac ipsum cum paucis expositum hostibus dimiserunt, quod cum ipse Rex conspiceret, suorum adiutorio se priuatum, cum illis paucis qui mori elegerant pro Domino & patria, in turbas hostium prosiliit, & multa strage ab eo facta tam ipse quam prædicti fideles in acie ceciderunt, anno Domini MCCLXXVIII. VII. Kalend. Septemb. Post cuius mortem terra Boemiæ & Morauiæ multis tribulationibus est exposita. Nam filius ipsius Regis Boemiæ iuuenis erat, & per Marchionem de Brandenburg in tutelæ custodia seruabatur, & ipsa terra Boemiæ tam per incolas, quam per Ducem Hainricum Vratislauiæ miserabiliter vastabatur. Interea etiam relicta prædicti Regis Boemiæ duxit legitime quendam nobilem de Boemia Zebischum nomine de cognatione Vitigenum, qui sæpe fati Regis Boe-

Marchfeld.

Ottocarus cæsus. Aen. Syl. in Bohemia, c. 37.

gis Boemiæ validus fuerat persecutor. Sed tandem filius Regis ducens in vxorem filiam Domini Rudolphi Romanorum Regis,& regnare incipiens, eundem Zebischum,qui per reginam quam duxerat thesauros habere cœperat,nec Regi assignare voluit,mortua quondam Regina captiuauit,& occidit.

Eodem anno Dominus Leo Ratisponensis Episcopus obiit; cui succedit Dominus Hainricus de Rotenegk eiusdem Ecclesiæ Canonicus.

MCCLXXIX.

Petrus Episcopus Patauinus obiit, qui pontem trans Danubium Patauiæ primus fecit; cui succedit Dominus Wichardus,eiusdem Ecclesiæ præpositus.

Eodem anno Dominus Albertus de Hale sua virtute & strenuitate meruit à Domino Rudolpho Romanorum Rege honore & nomine Comitis insigniri. *Comes de Hale.*

Eodem anno piscis captus fuerat in plaga maritima, quæ est versus Montem altum,& portatus apud Vrbē veterē,cuius pellis erat pilosa, pedes breues, cauda, caput,aures,os & lingua quasi Leo habebat, & in eius captione planctus magnos horribiles emisit,vnde multi prognostica futurorum, exinde asserebāt. Et parum post succensa rabie Gallicos,qui ibi morabātur,tam mares quam fœminas, senes, ac iuuenes in Regis Karoli contemtum occiderunt,& aperientes nihilominus latera mulierum Latiarum prægnātium,quæ dicebantur à Gallicis concepisse, partus earum occidebant antequam nascerentur. Deinde tota Sicilia sic rebellans Petrum Regem Arragoniæ in suum Regem & defensorem vocauerunt. Illis temporibus maxima fuit dissensio inter Vrsinos & Hanibaldenses. Eo tempore inter Anglicos & Gallos durissimum bellum fuit. Tunc etiam in Tunicio regia, Aragonum astutia inter montium districtus magna Sarracenorum multitudo fuit oppressa. Tunc etiam Soldanus Babyloniæ à Tartaris fuit fugatus, per VIII. dietas occisi dicuntur Sarraceni vltra quinque millia. Sed Soldanus resumptis viribus dictos Tartaros orientales fugans,XXX.millia Tartarorum in huiusmodi fuga dicuntur cecidisse. *Vespera Siciliana. Paul. Aemyl.lib.7.*

Post hæc Rex Karolus & Petrus de Aragonia (qui Siciliam occupauerat,& in Regem Siciliæ contra Papæ inhibitionem se fecerat coronari, propter quod Papa ipsum excommunicauerat,& regno Aragoniæ,& omni eo quod ab Ecclesia tenebat,priuauerat)belli pactum taliter ineunt, quod eorum quilibet haberet cētum milites, quos vellet & posset in plano Burdigalensi ad pugnandum adinuicem, centum contra centum, inter quos ipsi duo Karolus & Petrus computati debebant,prima die Iunii; & qui victus esset,vel ad illam diem non venisset, perpetuo infamis esset,priuatus honore & nomine regio,periuriam incurreret, & vno seruiente esset contentus, ad quam diem dictus Karolus venit cum legato sedis Apostolicæ: prædictum vero Petrum quidam dixerunt eum cum duobus sociis venisse de nocte præcedente diem statutam, & fuisse locutum cum Seneschallo Burdegalensi in loco priuato,prętendentem quod propter Regem Francorum ibidem præsentem pactum seruare non audebat. Eo tempore regnum Aragoniæ à stipendiariis Regis Franciæ inuadebatur,plurimis de Aragonia occisis.

His temporibus Roma vicarium Vrbis senatoriale gerentem expulerunt,& Iohannem Tarcii in capitaneum Vrbis & Reipublicæ defensorem inuocauerunt,qui licet parum rexerit, multos tamen Romanos offendit. Sed Romanis ad mandatum Papę reuersis susceperunt vice Papæ duos vicarios senatoriæ videlicet Hanibaldum Petri Hānibaldi,& Pandulfum de Sabello, sub quorum regimine Romani quieti fuerunt.

Eo tempore Princeps Salernitanus filius Regis Karoli iuxta Neapolin nauali bello à Siculis & Hispanis in mari debellatus & captus fuit: & Messanam ductus carceri fuit mancipatus. Et quarto die sequenti Rex Karolus venit Neapolin, & Neapolitanos rebelles factos post captionem Principis castiganit.

MCCLXXXI.

Vxor prædicti Domini Rudolfi Romanorum Regis nomine Anna obiit: & eodem anno ipse Rex exiuit terra Austriæ, & ipsum Ducatum Alberto filio

ſuo primogenito commendauit; ſed poſtmodum eundem Ducatum eidem Domino Alberto & Rudolfo filiis ſuis in feudum contulit, coram Principibus ſuis ſuper hoc Auguſtę in curia congregatis.

Moſpurg comitatus. Eodem anno Comes de Moſpurch moritur ſine hæredibus, & comitatus ad Domini Hainrici Ducis Bauariæ deuoluitur poteſtatem.

Item eodem anno à Domino Friderico Salzpurgenſi Archiepiſcopo concilium celebratur.

Item inimico homine ſuperſeminante zizaniam inter Dominum Volchmarum abbatem de Altach ex vna parte, & quosdam fratres eiusdem loci ex altera grauis diſcordia eſt exorta. Iidem namque fratres contra prædictum Abbatem appellationem emittentes, quosdam ex ſe ad Romanam transmiſerunt, Abbate è conuerſo ſe per nuncios in eadem curia defendente. Interea procurantibus etiam quibusdam ex fratribus omnia, tamen abbatis & cellaria & granaria violenter ſunt confracta, & inde res aliquæ aſportatæ, campanæ & quæque pretioſa Eccleſiæ per eosdem fratres vendita ſunt, vel apud vſurarios obligata. Tandem frater vnius Monachi, & duo fratrueles alterius Monachi cum quibusdam aliis prędictum abbatem in paſſagio in Werd prope monaſterium duabus ſagittis in flumine Danubii occiderunt, equos ſuos & ſeruorum ſuorum cum rebus aliis abducentes. Sed poſt paucos dies quatuor eorundem malefactorum ſunt detenti, quorum duo in Straubing ſunt rotis affixi, alii duo in patibulis ſunt ſuſpenſi, ſed quintus & ſextus poſtmodum gladiis ſunt occiſi, & ſic pro crudeli homicidio (Domino iudicante iuſtitiam) crudeliter perierunt. Quia vero idem Abbas multæ auſteritatis in religione & ſanctitatis in vita extitit, corpus eius ſic occiſi à paſſagio in Werd vſque ad villam in Tundorff ſupernatans à pluribus videbatur, & tandem à fratribus, qui ſibi & iuſtitiæ fideliter aſtiterant, in capella S. Kyliani honorifice eſt ſepultus, Idib. Maii.

MCCLXXXII.

Poſt hunc autem electus eſt concorditer in abbatem Altahenſem Dominus Popo venerabilis abbas de Altach ſuperiori, vir vtique tam ſanctitate vitæ præcipuus zelator ordinis & religionis, qui idem monaſterium in Altach in flore per prædictam diſſenſionem à ſua honeſtate grauiter inclinatum tam in ſpiritualibus quam in temporalibus informauit. Eiectis enim quibusdam fratribus, qui cauſam ſeu occaſionem prædictæ diſſenſioni dederant, alios aſſumpſit, qui elegerunt ambulare in domo Domini cum conſenſu. Quibus in regularibus obſeruantiis taliter profuit, quod prædictum monaſterium, quo ad religionem vicinis Eccleſiis religionis præbeat exemplum, & etiam longe poſitis ſancte viuendi regulam oſtendebat. Item in temporalibus ſic prouide adminiſtrauit, quod in domo ſua famoſa omnibus erat hoſpitalitas, & vndecunque venirent pauperes paſcerentur. Capellam etiam B. Kyliani à ſuo anteceſſore inchoatam perfecit, prædia plura emit, tres magnas conſtruxit piſcinas, & in omnibus factis ſuis Deo & hominibus ſe amabilem oſtendit. Rexerat enim monaſterium in Altach ſuperiori in Abbatia XXII. annis, & præter ipſam Eccleſiam omnes fere muros & ædificia ibi denuo reparauit. Tandem anno Domini 1289. VI. Kal. Februarii bono fine deceſſit: in capella S. Kiliani, quam perfecerat, eſt ſepultus. Poſt hunc electus eſt in abbatem Altahenſem Dominus Wernhardus eiusdem monaſterii monachus, qui antea in prioratu quem longo tempore rexit, & in abbatia poſtmodum, omnibus omnia factus eſt, vt omnes lucrifaceret, & vt ei ineſſe videretur manifeſte circa ſubditos iuſte conſulens miſericordia, & pie ſæuiens diſciplina.

MCCLXXXIII.

Petrus Rex Aragoniæ expulſo Karolo Rege regnum Siciliæ potenter occupauit, propter quod Papa Martinus excommunicationis ſentẽtiam protulit contra ipſum, ſicut plenius patet in literis quibusdam deſuper datis. Quam excommunicationis ſententiam cum prædictus Rex Aragoniæ contemneret, Papa excitauit contra eum Dominum Philippum Regem Franciæ, qui cum multis millibus militum intrauit Aragoniam, ſed per multitudinem muſcarum illius terræ, &

inopiam

inopiam alimentorum, quæ etiam pro pecunia habere non poterant, multi equi & homines perierunt, & ipse Rex mortuus ibidem reductus est Parisios, & apud S. Dionysium est sepultus, anno Domini 1280. Cor autem Regis est apud prædicatores Parisiis tumulatum. De qua diuisione indiuidui plures clericorum & laicorum contra eosdem fratres, qui hoc dicuntur obtinuisse precibus & exhortationibus, scandalizati sunt. *Philippi R. Gall. mort.*

MCCLXXXIV.

Fridericus Salzpurgensis Episcopus obiit, cui succedit Rudolphus Domini R. Romanorum Regis vicecancellarius. Qui licet à principio contra aduersarios sui episcopatus se validum propugnatorem ostenderet, tamen vltimo ad timorem qui non debuerat in virum constantem cadere, statuta sui consilii, quod celebrauerat, quando & corpus B. Virgilii transtulerat, non sine totius patriæ scandalo, in conspectu Ducis Austriæ reuocauit.

MCCLXXXV.

Gotfridus Patauiensis Episcopus natione de Westphalia obiit: cui succedit Dominus Wernhardus dictus de Prambach canonicus eiusdem Ecclesiæ, vir in mansuetudine etiam Moysi coæqualis, qui in multa pietate Patauiensem rexit Ecclesiam, & BB. Valentini & Maximiliani corpora in loco humili reposita, in tumba honorabili erecta de nouo in medio Ecclesiæ Patauiensis decentissime collocauit.

Præterito anno, hoc est, anno Domini 1280. *tempore Ladislai Regis Vngariæ filii Regis Stephani, Tartari in tanta multitudine intrauerunt Vngariam, quod dicebant eum exercitu suo vndecim milliaria occupare, qui tandem non humano auxilio, sed diuino iudicio perierunt. Superuenit enim grando, nix, & pluuia in tanta quantitate, quod se de loco mouere non poterant, & sic à Christianis in circuitu positis sunt occisi, & iusti tulerunt spolia impiorum.

Post hæc die Resurrectionis Domini, postquam celebrasset, & refectionem solitam cum capellanis suis fecisset vel sumpsisset, arripuit eum infirmitas occulta, de qua nimium pati se dixit, * licet medici in ipso indicium mortis nullum reperirent, de qua feria IV. sequenti obiit, & Perusii sepultus fuit, qui Papa dicitur post mortem suam plura miracula fecisse, sed cessabant ipsa miracula XII. die mensis Maii. *

MCCLXXXVI.

Honorius Papa IIII. natione Romanus de Sabellensibus, prius diaconus Cardinalis, electus fuit Perusii die secunda Aprilis, & Romæ apud S. Petrum coronatus & consecratus, sedit annis 11. die prima: & vacabat sedes menses x. dies 11. Hic fuit homo temperatus & magnæ discretionis, impeditus tamen corpore, etiam manibus & pedibus, libenter quærens pacem. Romæ obiit apud S. Sabinam, & apud S. Petrum sepultus fuit. *Honorius IV. PP.*

MCCLXXXVII.

Dux Brabantiæ deuicit cum auxilio ciuium Colonienſium, Colonienſem Archiepiscopum, & Comitem de Belere *, ipsosque captiuauit, & in eodem conflictu multi strenui milites sunt amissi. *f. Gelria.

Dominus R. Romanorum Rex Comitis Burgundię rebellantis sibi terram ingreditur cum exercitu, & licet idem Comes multorum de Picardia & Francia, & Flandria iuuaretur auxiliis, tamen cum prędicto Rege ad bellum congredi non audebat, sed per Ducem Burgundiæ ad gratiam & cõcordiam rediit cum eodem.

Eodem anno mota est discordia inter omnes Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, & totum clerum regni Franciæ ex vna parte, & fratres Prædicatores & Minores ex altera super priuilegio dato eis à Domino Papa Martino. Dicebant enim ipsi Prædicatores & Minores de supradicto priuilegio, quod confessi ipsis non tenerentur suis parrochialibus presbyteris eadem peccata numerò iterum confiteri. Cuius contrarium Archiepiscopi & Episcopi asserebant per idem priuilegium, & per Decretalem *Extra De pœnitentiis & remissionibus*, *Vide Pet. de Vine. l. c. 37.*

Omnis vtriusque, cuius in eodem priuilegio mentio facta fuit. Quæ quæstio per Doctores seu Magistros Theologiæ & iuris canonici fuit multipliciter disputata Parisiis, & validissimis onstẽsum rationibus fuit, præcipue tamen per Magistrum Heinricum de Gandauo, quod eadem peccata numero, quæ aliquis cõfessus fuerit Prædicatori vel Minori, teneretur saltem semel confiteri in anno suo proprio sacerdoti, quod tamen cum ipsi fratres multis rationibus destruere niterentur, consilium datum fuit per Magistros Parisienses secularibus, quod suis propriis sacerdotibus confiteantur, quia de his nullum est dubium, quando iurisdictionem absoluendi habent, & semel eis prædicta peccata confessa non sit necesse iterum confiteri. Super hac autem controuersia dissoluenda ex parte Episcoporum & cleri regni Franciæ missi fuerunt ad curiam Romanam duo Episcopi de Francia, quibus in subsidium omnes Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, & totus clerus centesimam partem omnium suorum ecclesiasticorum redituum ministrauerunt. Dominus tamen Nicolaus Papa IV. de ordine fratrum Minorum extitit, natione Lombardus de Marchia Antonii Cardinalis, de Esculo ciuitate, fuit electus in Ecclesia S. Petri, Anno

Nicolaus IV. PP. In hoc defuit Martin. Polon.

MCCLXXXVIII.

Seditque annis IV. mense vno, & vacabat sedes menses quasi tres. Hic prius dictus frater Hieronymus de ordine Minorum fuit, quorum minister fuerat generalis, & exinde presbyter Cardinalis, qui eandem causam pro neutra parte adhuc hodie determinauerat, sed permisit in dubio dependere. Hic pontificatus sui anno primo fecit vnam ordinationem Cardinalium. Romæ obiit in die Parasceues, & sepultus fuit apud S. Mariam maiorem.

Mortuo Dietrico abbate 5. Non. Maii, Siboto dictus Curialis tertius eligitur in die SS. Gordiani & Opimachi martyrum, sed postea opposuit se ei Wolfhardus Episcopus Augustensis, & quædam pars ex fratribus consentiens Episcopo, deponitur; præfuit autem tantum annis IV.

Iudæorum crudelitas.

Iudæi in Pacherat diœcesis Herbipolensis quendam bonum & deuotum hominem Christianum Werinherum nomine occulte occiderunt, & ab eo sanguinem (quo mederi dicuntur) tanquam in torculari multa violentia expresserunt, qui tandem in eodem loco multis miraculis dicitur claruisse. Præterito anno Iudæi in Monaco ciuitate Frisingensis diœcesis puerum quendam Christianum pro simili causa occiderant. Propter quod populus eiusdem ciuitatis non expectato iudicio vel sententia, omnes Iudæos illius ciuitatis in domum vnam confugientes ignibus suppositis concremauit.

MCCLXXXIX.

Dominus Rudolphus Romanorum Rex iterato contra Comitem Burgundiæ triumphauit. Dum autem Litaniæ fierent S. Marci, Tripolis ciuitas capitur à Soldano & Sarracenis, fueruntq; capti & occisi plures Christiani ibidem, & Christianitatis nomen & cultus deletus est in eadem ciuitate.

Tripolis capta.

MCCXC.

Non. Febr. Dominus Hainricus Dux Bauariæ bono fine & multa contritione moritur apud Purchausen; & pro omnibus in quibus se timuit ecclesiasticas personas, seu Ecclesias, seu quoscunque alios indebite offendisse, constituit in præsentia & cum consensu filiorum suorum Dominum Heinricum Ratisponensem Episcopum, & fratrem Wernherum lectorem fratrum Minorum Ratisponensium indemnitati læsorum & saluti suæ animæ prouidere: sepultus est autem in Landshut. Ordinauit autem, quod duo filii sui, Dominus Ludwicus & Dominus Stephanus per quatuor annos continuos permitterent terram Bauariæ subesse dominio & ordinationi Domini Ottonis senioris fratris eorum, nec ad aliquam diuisionem vel partitionem terræ illius quatuor annis durantibus deberent procedere, & hoc confirmatum extitit ipsorum fratrum ac nobilium patriæ iuramentis.

Eodem anno III. Non. August. mortuus est Dominus Rudolphus Saltzpurgensis Archiepiscopus. Et Dominus Stephanus filius Domini Heinrici Ducis Ba-

uariæ

uariæ est in Archiepiscopum concorditer postulatus, sed Dominus Papa hanc postulationem propter defectum ætatis ipsius, qui iam XXI. annum habuit, non admisit, deputauit autem in Archiepiscopum eiusdem Ecclesiæ Dominum Chunradum Lauendinum Episcopum, qui vna cum aliis nunciis in prædicta postulatione fuerat, ipsumque confirmauit, pallium ei (quo notatur plenitudo pontificalis officii) assignando.

Dominus Ladislaus Rex Vngariæ sine hæredibus obiit.

Rudolphus Rex apud Herbipolin * solennem curiam habuit cum Principibus Alemaniæ. Iohannes Tusculanus Episcopus, Apostolicæ sedis legatus ibidem celebrauit concilium, & quia multa onera & graues expressas volebat clero imponere, à quibusdam Episcopis aduersus eum extitit ad sedem Apostolicam appellatum, & hoc propter hoc sua intentio & concilium desideratum ab eo euentum non habuit, & ipse subito ad propria est reuersus. Intellexerat enim prius aliis de morte Domini Papæ Honorii, qui prius dicebatur Iacobus de Sabello: Cui succedit frater Hieronymus de ordine minorum fratrum, & vocatus est Nicolaus, de quo non intellexi, quod fratribus quondam sui ordinis aliquas fecerit gratias speciales: & tempore suo noluit discutere quæstiones, quas fratres Prædicatores & Minores contra Episcopos habuerunt, vt per ipsum neutra partium grauaretur. Quo mortuo vacauit sedes Apostolica, propter discordiam Cardinalium plus quam tribus annis. Et tandem iidem Cardinales (vt creditur) nutu diuino concordauerunt in quendam virum rectum & religiosum, qui in cella sua per quadraginta annos & amplius sub regula B. Benedicti strenue vixerat, qui electus Celestinus est vocatus, & quum educeretur à cella, nullum equum tunc & postea ascendere voluit, sed tantum asellum exemplo Domini venientis Hierosolymam equitat. In via etiam transeundo Dominus per eum multa miracula fecit, qui licet miræ sanctitatis existeret, tamen adeo simplex erat, quod petentibus concedenda & non concedenda concessit: & quum consideraret, quod consuetum silentium & abstinentiam, quæ in claustro seruauerat, propter intolerabilem rerum curam tenere non potuit in papatu, renunciare eidem præsulatui cogitauit. Et quum sapientum esset opinio, quod Papa non possit cedere, talem constitutionem edidit, quod Papæ possent cedere tam præsens, quam futuri, dicens, quod de plenitudine potestatis, eandem constitutionem facere bene possit, qua facta statim cessit: & electus est post ipsum Benedictus Cardinalis, qui vocatus est Bonifacius, qui statim post creationem suam omnes gratias & concessiones, quas prædecessor suus fecerat, reuocauit. Et omnis populus propter euidentem sanctitatem prædictum Celestinum libenter habuisset pro Papa: sed Bonifacius ipsum reclusit, ne schisma fieret, si à populo raperetur. Post autem annos duos idem Celestinus mortuus est, & dicitur, quod Dominus multa per eum miracula operetur.

* al. Erphord. Vade Suffrid.

Celestinus V. Pp.

Bonifacius VIII. Pp.

MCCXCI.

XIV. Kal. Iunii Achon ciuitas à Sarracenis capitur, occisis ibidem plus quam XXX. millibus personarum vtriusque sexus. Cuius perditionis causa fuisse fertur multitudo Dominorum, & diuersitas nationum ibidem, qui faciebant contrarietatem voluntatum.

XVIII. Kalend. August. mortuus est Rudolphus Romanorum Rex sine benedictione imperiali, & apud Spiram Alsatiæ ciuitatem sepultus fuit, regnauitque annis XVII. & Alemaniam & Italiam non intrauit. Post quem intra tempus sex mensium electus est Adolphus Comes de Nassovv in Romanorum Regem, miles multum strenuus.

ADOLphus Rex.

MCCXCII.

Sibotone depositio & facto custodiæ abbas Hainricus V. XXIX. dictus de Hugnant, succedit, vir largus & pius, qui benefecit oblaio * & fratribus, præfuit autem XXII. annis.

MCCXCIII.

Adolphus Rex imperauit apud Teutonicos annis sex. Hic fuit ante Comes in Nassawe, & electus fuit in Frankenfurt vnanimiter ab omnibus Principibus in Maio mense. Hic fuit vir strenuus in armis, sed potentia non multum. Huius tempore orta fuit guerra in Vasconia inter Philippum Regem Francię, & Edwardum Regem Angliæ, in qua quamplurimi obierunt. Hic Adolphus Dominum Iohannem de Gabilone constituit vicarium suum, & misit in Tusciam, quem Bonifacius Papa fauorabiliter recepit. Adolphus vero Romanorum Rex terras Turingiæ & Misnenses rebellantes sibi intrauit, & duobus annis manens ibidem expugnauit easdem, & nepotes olim Friderici Imperatoris persequutores Ecclesiæ, qui easdem terras occupauerat, eiecit penitus ab eisdem. Postquam enim ciuitatem in Freiberch obtinuisset, castrum quod in eadem ciuitate extitit, suffodi latenter præcepit; & congregatis ibidem maioribus aduersariis Regis & fortioribus, muri eiusdem corruerunt. Et idem Rex cum suis eandem ruinam præsciens, subito impetu omnes qui in castro fuerant, captiuauit, inter quos quadraginta viros, qui magis nocentes fuerant, proscriptos ante sicut hostes Imperii incontinenter decapitari præcepit, aliis ad petitionem nobilium suorum pro tempore reseruatis; quod factum adeo incolas terræ terruit, quod plures eorum desertis castris fugerunt; & ipse Marchio Misnensis, cui adhuc ciuitas & castrum Michsen cum paucis castellis remanserat, se Domini Regis gratiæ subdidit, & vt Rex illis parceret, quos de seruitoribus suis in suis vinculis detinebat; quod & factum est, & sic pax eidem terræ rediit. Ipse enim Marchio præter alia mala, quibus terram turbauerat, Episcopum & Canonicos Misnenses à suis habitaculis & rebus eiecerat, & horreum fœni pro equis suis fecerat de Ecclesia cathedrali.

Freiberg.

Michsen.

Cum autem Albertus Dux Austriæ cum Conrado Salzpurgensi Archiepiscopo discordaret, & ex vtraque parte sibi damna grauia intulissent, idem Archiepiscopus confœderauit sibi Ottonem Ducem Bauariæ, & vna cum prædicto Duce Carinthiam est ingressus, fiduciatus ab incolis, quod posset terram Styriæ obtinere: sed tandem eos redire infecto negotio densitas niuium compellebat. Sequenti vero tempore prædictus Archiepiscopus cepit filium Ducis Carinthiæ, cuius liberatio magna occasio fuit, quod pax inter ipsos extitit reformata. Super qua reformatione Hainricus Ratisponensis Episcopus vna cum Ludvvico Duce Bauariæ sollicite laborauit: qua concordia durante vix ad tres annos vel paulo plus, Dux Austriæ obsedit oppidum Rastat * ad duos menses & modicum amplius, à qua obsidione tandem propter inopiam victualium, quæ per angusta montium adduci sufficienter non poterant, dicitur recessisse, quia & Dux Otto cum exercitu vsque in Saltzpurgam processerat contra ipsum.

** al. Ratstein.*

MCCXCIV.

Celestinus V. Pp.

Celestinus V. de Terra Laboris natione, prope Sullonem electus fuit die Iunii, seditque menses quinque, dies quinque, & vacabat sedes dies decem. Hic prius vocabatur frater Petrus de Murrone, ordinis qui dicitur S. Damiani, sub regula S. Benedicti degebat in magna austeritate vitæ, multos habens discipulos in illis circumuicinis partibus, quibus ipse præerat quasi pater. Huius electio admiranda & opposita * fuit: perstiterant enim Cardinales per duos annos, & amplius, fixi & diuisi in voluntatibus, nequeuntes concordare; & tandem audita de sanctitate fratris huius Petri, ipsum elegerunt in Perusio, quo Cardinales transtulerunt se de Roma post obitum Nicolai IIII. Et miserunt Cardinales in die electionis suæ decretum ad ipsum, qui tunc erat in partibus Abrucii in habitaculo suo colens Deum, & postmodum venerunt ad ipsum, & in Aliquilia in Ecclesia S. Mariæ de Colomadio in festo Decollationis S. Iohannis Baptistæ cõsecratus & coronatus fuit. Deinde iuit Neapolin, vbi fecit vnam ordinationem Cardinalium magnam, inter quos erant duo de ordine suo. Hic homo

Dei

Dei in ſecularibus rebus minus expertus, Theologiæ & orationi deditus fuit, elegitque magis abiectus eſſe in domo Dei, & habere ſecum; vnde edita prius à ſe conſtitutione, *Quod Papa poſſit papatui cedere*, ipſe in vigilia S. Luciæ Neapoli in conſpectu fratrum Cardinalium reſignauit papatus oneri & honori, deponens ibidem papatus inſignia; & exuit ſe papatus indumentis, & poſt ceſſionem ſuam latere voluit, & redire ad eremium ſicut prius: ſed comprehenſus in fuga permiſſu Bonifacii ſucceſſoris ſui reductus fuit, in caſtro Fumonis in cuſtodia Bonifacii Papæ retentus; ne deinceps ab aliquibus tunc dubitantibus, vtrum Papa papatum poſſet reſignare, in ſcandalum ipſius Bonifacii & Eccleſiæ pro Papa haberetur. Hic prius & poſterius dictus fuit frater Petrus de Murrone, & poſtea ſuperuixit annum, menſes IV. Hic multis claruit miraculis, & à Clemente V. Papa ſub nomine S. Petri canonizatus fuit.

c. 1. Derenunciat. in 6.

Bonifacius VIII. PP.

Infra anno 1311.

MCCXCIV.

Bonifacius VIII. Papa natione Campanus de Anagnia electus fuit Neapoli in antevigilia Natiuitatis Domini, prædeceſſore ſuo viuente, ſeditque annos octo, menſes nouem, vacabat ſedes dies decem. Hic prius vocatus fuit Benedictus Gaterani, & primo fuit ſolennis aduocatus in Curia, deinde Domini Papæ notarius, & poſt circa S. Martini in montibus presbyter Cardinalis, & tandem Papa. Hic ſtatuit feſta Apoſtolorum, quatuor Euangeliſtarum, quatuor Doctorum Gregorii, Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii ſub honore duplicis feſti celebrari. Villam Appanienſem in nouam ciuitatem erexit, & ciuitatem Preneſtinam epiſcopatus honore priuauit, & eam ſubuerti fecit.

Eodem anno orta eſt diſcordia inter Regem Franciæ ex vna parte, & Edwardum Regem Angliæ ex altera: & Adolphus Romanorum Rex plus fauens Regi Angliæ, repetiuit à Rege Franciæ regnum Arelatenſe, & quasdam alias terras & prouincias, quas dicebat eſſe Imperii: inſuper & ſpineam coronam Domini, quas niſi redderet, eas quod in manu forti vellet requirere demandauit, & ob hoc multi Comites & nobiles, ſicut Comes Flandriæ & de Bar, & alii ſe eidem Regi Franciæ oppoſuerunt, qui ei antea conſueuerant adhærere. Propter quod prædictus Rex Franciæ anno Domini

Arelatenſe regnum.

MCCXCV.

eduxit ſuper eosdem Comites adeo magnum exercitum, quod in eo dicebantur plus quam XXX. millia Iudæorum eſſe, quos etiam primi belli auſpiciis exponere cogitabat.

Eodem anno mortuus eſt Ludvvicus Comes Palatinus Rheni Dux Bauariæ, in partibus Rheni apud Haidelbergk in caſtro, in ea camera (vt dicitur) vbi natus fuit, & reliquit duos filios, quorum primogenitus videlicet Dominus Rudolphus duxit in vxorem filiam Adolphi Regis, Mechtildem de Naſſow nomine.

Ciues Ratiſponenſes cœperunt ædificare antemuralia ciuitatis ſuæ, opus decorum & forte munimentum, & à Clero ciuitatis eiusdem pro eodem opere contributionem cum multa inſtantia exigebant. Sed Adolphus Rex Romanorum eodem tempore infra Paſcha & Pentecoſten veniens Ratiſponam, & proponente ſibi Hainrico Ratiſponenſi Epiſcopo, hanc actionem cognoſcens, eosdem ciues per ſeipſum & conſiliarios ſuos exhortatus eſt, & monuit vt nihil à Clero ratione huius operis exigerent, ſed eum conſueta & conceſſa à Deo & Romanis Principibus gaudere permitterent libertate. Renouauerat ſiquidem eidem Clero ad petitionem eiusdem Hainricus Ratiſponenſis Epiſcopus nuper ante apud Franckfurt quoddam priuilegium olim Friderici Romani Imperatoris, quod incepit: *Ad decus & decorem, &c.* & fere de verbo ad verbum in libro *Vſus Feodorum* eſt expreſſum, quod multam & maximam libertatem Cleri continet, pœnasque infligit grauiſſimas his, qui contrarium eidem priuilegio auſi fuerint tentare, quod priuilegium in præſentia ſua per Heinricum Brixienſem Epi-

Immunitas Cleri.

ſcopum eisdem ciuibus legi fecit, vnde ipſi ciues ab eadem actione ceſſauerunt, & permiſerunt vſque huc clerum gaudere debita libertate.

MCCXCVI.

Papa fecit proceſſus contra Columnienſem, eo quod Stephanus de Columna theſaurum ſuum deprędatus fuerat. Deinde Iacobus & Petrus de Columna Cardinales videntes cõtra ſe Papam commotum, libellum famoſum fecere contra ipſum, quem ad multas mundi partes miſerunt, aſſerentes in eo ipſum non eſſe Papam, ſed ſolummodo Celeſtinum. Vnde citati à Bonifacio non venientes, tandem fuerunt ſicut ſchiſmatici condemnati, & priuati capellis rubeis, beneficiis eccleſiaſticis & cardinalatus titulo. Inſuper bona eorum & filiorum Ioh. de Columna, Agapeti, Stephani & Scarrę fuerunt pariter confiſcata, in die Aſcenſionis Domini anno ſequenti. Prædicti vero Iacobus & Petrus à facie Bonifacii perſequentis latuerunt, donec Bonifacius mortuus & ſepultus fuit.

Septimo Kalend. Auguſti Hainricus Ratiſponenſis Epiſcopus, dictus de Rotenegk moritur. Poſtquam enim in die B. Iacobi Apoſtoli, quem ſpeciali conſueuit venerari honore, cum multa deuotione Miſſarum ſolennia perſonaliter celebraſſet, & cum clero & populo ſe in menſa refeciſſet, hora veſperarum incepit ſubito corporis viribus deſtitui, & ſic in die altera exſpirauit, qui miræ prouidentiæ & ſagacitatis extitit: in tantum etiam quod anniuerſarium ſuum viuus & ſanus plus quam quatuordecim annos ante mortem ſuam inſtituit, & eiusdem celebrationi, cum candelarum accenſione & pulſatione (quæ conſueuit fieri in funere Epiſcopi) vigiliis & miſſis annis ſingulis interfuit; ſepulchrum ſimiliter ſibi longe ante ad x i i. fabricauit, & præuidit iuxta altare B. Virginis in maiori veteri Eccleſia Ratiſponẽſi; ſimiliter trucam * etiam, in qua ſepeliri debuit, cum veſtibus funeralibus ibidem impoſitis, in memoriam continuam mortis ſuæ per eosdem annos habuit locatam à latere lecti ſui. Item in ſpiritualibus mirabiliter prouidus extitit, non ſolum vetera ſtatuta ſeruando, immo & multa noua ſalubriter condendo. Muſicam primus in choro Ratiſponenſi cantari ordinauit, libros eiusdem artis ſecundum cantus & chori conſuetudinem prouidendo, Eccleſiam Ratiſponenſem etiam multis pretioſis decorauit ornamentis, crucibus, calicibus aureis & argenteis, gemmis pretioſis inſertis, cappis, caſulis Dalmaticis, item vexillis, cortinis libris, & aliis, quibus fuit ante ſua tempora quodammodo omnimodis deſtituta. Item primus Latinum * vinum canonicis ad præbendam quibusdam certis temporibus dari inſtituit, præbendam etiam eorum in multis auxit. Monaſteria monachorum & monialium ſæpe cum multa prouidentia viſitauit, & inuenire non poſſum, quid ei in temporalibus & ſpiritualibus defuerit: qui pro tempore ſuo adeo diſcordantium factus eſt reconciliatio, quod non ſolum Bauaria, immo & vicinæ terræ per ſuam induſtriam & laborem pacis pulchritudine floruerunt. Rexit autem Ratiſponenſem Eccleſiam nouendecim annis.

* truhen, loculum.

In die B. Petri ad vincula electus eſt in Ratiſponenſem Epiſcopum Dominus Conradus de Lumppurch vir ingenioſus & ingenuus, tunc Ratiſponæ ſummus Præpoſitus, in manſuetudine ac pietate Moyſi coæqualis.

MCCXCVII.

Bonifacius Papa VIII. ſextum librum Decretalium, quem fieri fecerat, publicauit. Anno ſequenti reconciliauit ſibi & Eccleſiæ Alfonſum Regem Arragonum, & abſoluit à ſententia excommunicationis, & regnum Arragonum ſibi reſtituit, regnumque Sardiniæ ſub certis pactis ſibi conceſſit. Tunc Reate, vbi Papa reſidebat, & in vicinis partibus in feſto S. Andreæ maximus erat terræmotus, & multa ædificia diruit, & pluribus diebus, non tamen continue durauit, ita quod Papa ibidem apud Prædicatores in tentoriolo de ſubtilibus lignis facto quieuit, & homines de nocte ad campos fugerunt. Illis diebus fecit Papa IIII. Cardinales, & poſtmodum alio tempore duos Cardinales fecit.

Adolphus

Adolphus Rex Romanorum eodem anno præparans se cum militia ad inuadendum Regem Franciæ impeditur, quia Moguntinus Archiepiscopus, Rex Boemiæ, Albertus Dux Austriæ, duo Marchiones de Brandeburg, & Dux Saxoniæ congregati in die Pentecostes (quo idem Rex Boemiæ per Dominum Moguntinum coronabatur Pragæ) condixerunt diem, in quo apud Egram conuenire deberent, vt contra prædictum Romanorum Regem conspirationis suæ intentum perficerent: sed per potentiam ipsius Regis impediti, in loco condicto non poterant conuenire, sed apud quoddam oppidum Boemiæ nomine Chadam conuenerunt prædicti socii Archiepiscopi Moguntini, qui per malitiam Regis obsessus in quodam castro est à suo itinere retardatus, & ob hoc eorundem Principum, qui se dicebant alium Regem velle eligere machinatio in ridiculum est conuersa. *Conspiratio in Adolfum.*

Rex Franciæ congregatis quasi omnibus viribus suis & exercitu magno valde, in quo dicebantur esse præter alios bellatores multa millia phaleratorum equorum, intrauit in Comitatum Flandriæ, & modum * Regis Angliæ (cuius filiam Comes Flandriæ habuit in vxorem) obsedit: ciuitates eiusdem terræ, videlicet Bruck, Eyper, & Gandauum.

Mortuus est Remboto Eistetensis Episcopus, cui succedit Dominus Conradus dictus Peffenhausen Ratisponensis Ecclesiæ canonicus & archidiaconus, vir multæ industriæ & sagacitatis.

Ciuitas Ratisponensis per Dominos Ottonem & Stephanum Duces Bauariæ impugnatur, & prohibentur per eosdem ad eam deduci victualia; vnde & ciues forum in Apach exusserunt. Tandem per diligentiam Domini Conradi Ratisponensis Episcopi cum ipsis Dominis Ducibus ad gratiam & concordiam redierunt.

MCCXCVIII.

Circa medium Quadragesimæ Dominus Albertus Dux Austriæ, filius quondam Domini Rudolphi Romanorum Regis, cum fauore Domini Ottonis Ducis transiuit Bauariam cum exercitu, habens secum quosdam Australes, paucos tamen Vngaros & Boemos, & ad partes Rheni veniens per auxilium Domini Moguntini Archiepiscopi, & Argentinensis & Constantiensis Episcoporum, & quorundam nobilium ibidem, maiorem fortitudinem collegit, & contra Adolfum Romanorum Regem ad bella se exposuit. Qui Rex illustrium Principum Dominorum Ottonis prædicti & Rudolphi Comitis Palatini Ducum Bauariæ, & quarundam ciuitatum Imperii, vtputa Spira, Wormatia, auxiliis iuuabatur: & eidem Duci Austriæ (qui iam sibi nomen Regis assumpserat) post multos circuitus hinc inde habitos in loco qui dicitur Hasenpuhel, cum propria festinatione (quæ in rebus bellicis & magnis exercitibus non expedit) occurrit in die Processi & Martiniani, & prædictis Dominis Ducibus Bauariæ dimicantibus in prima acie, per nouum bellandi genus scilicet gladios præacutos, omnes eorum dextrarii sunt occisi, adeo vt & ipsi Principes Bauariæ vna cum multis suis nobilibus equis priuarentur: sed adhuc animi virtute non fracti super interfectorum hominum & equorum stantes cadauera, longo tempore cum hostibus dimicarent. Propter occisorum enim equorum aggerem hostes equites eos accedere non valebant, quod & ipsi vice versa per similem stragem equos perdiderant. Prima igitur sic dimicante acie ipse Rex volens cum sua turba eis succurrere, & præcedendo suam aciem (in qua re erat peritissimus) ordinare, equo suo cadente ex infortunio ante ingressum ad bellum cecidit, & ab eodem equo grauissime est concussus: adeo vt cum à suis restitueretur in equo, minime sui compos esset, & sic omnes * ad bellum veniens quia & galeam præ debilitate recente ferre non potuit, & hostibus exposuit minus caute, subito est occisus, & caruit benedictione imperiali, vt patet per hos versus: *Adolfi & Alberti conflictus.*

Annis millenis transactis, octo ducentis,
Et nonaginta, Processi, Martiniani,

Prævalet Albertus Rex, Ludouicus necatur Adolphus.

Prędictis adhuc Dominis Ducibus Bauariæ locum ſuum tenentibus (vt eſt dictum) ſed Rege mortuo, ipſi Duces ſe apud Haydelberg receperunt, Dominus tamen Otto Dux erat tribus grauibus vulneribus ſauciatus, in tantum quod mortis periculum vix euaſit. Qui etiam Dominus Otto Dux quum prædictum ſequeretur ad partes Rheni, & caſtra metatus eſt, Comes Albertus de Haigerloch, auunculus Domini Alberti Ducis Auſtriæ, ipſum Dominum Ottonem Ducem improuiſe inualit cum longe maiori equitum & peditum copia, quam idem Dux habuerit illa hora, de quo tamen idem Dux ipſo Comite & fere cccc. de ſuis occiſis triumphauit. Dicitur etiam, quod in ipſo conflictu Regis & Ducis pauci homines, ſed mille cccc. dextrarii ſunt occiſi.

ALBERTUS Rex.

Poſtmodum vero Rege ſepulto apud monaſterium Roſenthal eiusque filio capto Electores Imperii præfatum Ducem Albertum Auſtrię in Regem Romanorum apud Francenfurt vnanimiter elegerunt. Albertus vero Rex Romanorum imperauit apud Teutonicos annis decem, fuitque Rudolphi filius & Dux Auſtriæ. Hic quum prædeceſſorem occidiſſet, electus fuit Aquiſgrani in Regem, miſitque ſolennes nuncios anno ſequenti ad Papam Bonifacium VIII. pro approbatione electionis ſuæ: quem idem Papa multis allegatis rationibus repulit prima vice, & aſſeruit eſſe nullam. Poſtquam vero ſuborta eſt grauis diſcordia inter eundem Papam & Philippum Regem Franciæ, idem Bonifacius Albertum Imperatorem approbauit, eidem ſubiiciens regnum Franciæ, ſicut alia regna.

Patauienſium ſeditio.

Ciuitas Patauina ſe Domino ſuo Patauienſi Epiſcopo Werhardo oppoſuit, & tam Epiſcopus quam Canonici ciuitate exeuntes eam per excommunicationem in certas perſonas & interdictum in locum ſpiritualiter, & etiam per machinas à monte S. Geroii, & aliis modis licet non multum fortiter, eosdem ciues fortiter ciuiliter impugnarunt. Volebant enim prædicti ciues habere magiſtrum ciuium, conſules & rectores ciuitatis à ſe electos, & ſigillum ſpeciale, & campanas iam erexerant ad eorum conſilium conuocandum, & ſic intendebant more Regalium ciuitatum, vtpote Ratiſponæ, non regi mandatis Epiſcopi, ſicut ante conſueuerant, ſed propriis rectoribus & magiſtro, & ſuper prædicta diſcordia tam ipſe Epiſcopus quam ciues Albertum Regem in Curia, quam celebrauit apud Nurnberg, acceſſerunt ſuas querimonias proponentes. Prædictus vero Rex non per formam iudicii, ſed per arbitrium eosdem ciues cum Epiſcopo concordauit, ita videlicet quod ſigillum & campanas Epiſcopo tradiderunt, quarum vna etiam in Eccleſia S. Stephani Patauienſis habetur. Promiſerunt etiam prædicti ciues memorato Epiſcopo & ſuis ſucceſſoribus de cætero fideliter obedire, nec ſimilia attentare, & inſuper coacti ſunt dare duo millia librarum Patauienſium pro emanda.

Iudæorum facinus, & ſtrages.

Exorta eſt fama quædam de Iudæis, quod corpus Dominicum in mortario contuderint, & ſanguis in multa quantitate emanauerit, qui poſtea à Iudæis non poterat occultari, & ob hoc omnes Iudæi in Herbipoli, Nurnberch, Rotenburg, & etiam per totam Franconiam per inſultum populi, & quosdam qui ſe in magna multitudine collegerant, & quendam qui Rintflaiſch dicebatur (quem pro Principe elegerant) volentium vindicare tam recentem iniuriam Saluatoris, incendio ſunt cremati. Et adeo valida fuit eorum perſequutio, quod etiam caſtrum regale in Nurnberch, caſtrum prope Nouum Forum, vt de aliis oppidis Franconiæ taceam, in quibus ſe Iudæi cum armis defenſionis coniunctis Chriſtianis non paucis receperant, ſint in breui dici ſpatio expugnata, & tam ipſa caſtra, quam Iudæi & Chriſtiani ibidem incendio perierint: quod & durum eſt dictu, licet durius ſit factu. Iudæi ſeniores timentes, ne pueri & fœminæ Baptiſma, vt ignem euaderent, peterent, eos propriis manibus ante ſe ignibus ſubiecerunt, & ipſimet poſtmodum inſilierunt in ignem. Arma etiam & pecuniam, ne Chriſtianis

Rintfleiſch.

Neumarck.

ſtianis cederent, prius quam ſe ipſos flammarum voragini tradiderunt. Et apud Babenberg, & etiam Ernberch contigit illud idem. Ciues vero Ratiſponenſes ſuam volentes honorare ciuitatem, ipſos Iudæos aliter quam iudicio occidi & deſtrui vetuerunt, dicentes quod voluntati Dei in Iudæorum interfectione nollēt reſiſtere: ſed expectare donec de hoc, quod hæc vindicta eſſet à Domino, eis fieret maior fides: & ſic Iudæi Ratiſponæ licet cum magna difficultate vſq; hodie incendium euaſerunt.

MCCXCIX.

Albertus Rex Romanorum celebrauit curiam ſolennem cum Principibus Alemaniæ apud Nurnberch, cui interfuerunt Colonienſis, Treuirenſis, Moguntinenſis, Saltzpurgenſis Archiepiſcopi, & Ratiſponenſis, Patauienſis, Friſingenſis & alii Epiſcopi multi, item Rex Boemiæ, Dux Bauariæ, Rudolphus Comes Palatinus Rheni, Duces Karinthiæ, & alii nobiles multi. In eadem curia edixit leges quæ inferius continentur, & filium ſuum primogenitum pro Duce Auſtriæ deputauit, cui etiam poſtmodum, videlicet anno 1301. filiam Philippi Regis Frāciæ N. natam ex filia Ducis Brabantiæ, vxorem copulauit, & ad terram Auſtriæ eſt deducta.

Circa idem tempus Bonifacius Papa fecit, & ad generalia ſtudia ſub bulla tranſmiſit Sextum Decretalium; in quo multa quæ antea erant in ſcholis & in iudiciis ambigua, declarauit. Et duos Cardinales depoſuit, vt patet clarius in eodem. Item controuerſias & materias quæſtionum inter Epiſcopos, Prælatos & clerum ex vna parte, & fratres Prædicatores & minores ex altera, quæ iam per plures annos ſuſcitatæ, duraverant, & de quibus ſuperius in hoc loco fit mentio, decidit, vt etiam patet in quadam litera incipiente, *Bonifacius epiſcopus ſeruus ſeruorum ſuper cathedram præeminentiæ.* *Sextus Decretalium.*

Sarracenorum Rex N. habito conflictu cum Soldano Babyloniæ, conſilio & auxilio quorundam Chriſtianorum eum deuicit, & ob hoc ſe baptizari fecit, & terram ſanctam promiſit tradere cultui Chriſtiano, quam cum quidam fratres de domo Teutonica cum magiſtro eorum intraſſent, & *.

Chunradus de Luppurch ſine liberis moritur, & caſtrum Luppurch cum pertinentiis ſuis ad dominum Conradum Ratiſponenſem epiſcopum fratrem prædicti Conradi, tanquam ad verum heredem deuoluitur, & ab eo Ratiſponenſi Eccleſiæ perpetuo donatur, quod etiam caſtrum multis ſumptibus & laboribus eſt obtentum. *Luppurg.*

MCCC.

Papa Bonifacius VIII. fecit indulgentiam plenam omnium peccatorum omnibus viſitātibus limina Apoſtolorum Petri & Pauli, & finientibus ibi quindenam infra ipſum annum, & ſtatuit eandem indulgentiam in omni anno centenario ab omnibus viſitantibus eadem limina ſanctorum ſacra ſic haberi. Et factus fuit Romæ concurſus magnus populorum de toto orbe. *Iubilæus.*

v. Kal. Iulii Otto & Stephanus Duces Bauariæ fere cum cc. nobilibus terræ ſuæ apud Landshut gladiis militaribus accinguntur: & memoratus Stephanus Dux priori anno duxerat in vxorem dominam Ieuttam filiam Polotonis Ducis Poloniæ.

Nauale bellum habitum eſt inter Venetos ex vna parte, & Ianuenſes ex altera, & victis Venetis circa xxx. M. perierunt armis & mari, captiui à Ianuēſibus x. abducti ſunt.

Mortuus eſt Rex Andreas Vngariæ ſine heredibus; & Bonifacius Papa deputauit pro Rege ibidem N. nepotem Karoli quondam Regis Siciliæ, natum ex filia Rudolphi quondam Romanorum Regis; qui etiam anno ſequenti eſt in Strigonia coronatus, licet Rex Boemiæ N. pro N. filio ſuo idem regnum, & etiam multi alii aſpirarent.

NOTANDVM. Hucusq; perducta est pars Chronicæ ab Heinrico Sterone. Cætera quæ sequuntur, scilicet à prædicto anno, augmentarunt Frater Vdalricus Welling, & frater eius Conradus, Monachi monasterii S. Vdalrici & Affræ Augustæ, ordinis S. Benedicti.

Anno incarnationis Domini MCCCI.

Bonifacius Papa, qui contra Philippum Regem Franciæ plura conceperat, prouocatus transmisit literas suas eidem Regi ad perpetuam rei memoriam: in quibus mandauit eidem Regi, quod cum ipse Papa Dominus esset in spiritualibus & in temporalibus in vniuerso mundo, volebat vt recognosceret regnum Franciæ ab eodem: & contrarium sentire hæreticum iudicabat. Fueruntque literæ eius in regno Franciæ coram pluribus concrematæ, & sine honore remissi nuncii qui portauerunt. Et tunc Rex idem artari fecit omnes vias & exitus regni sui. Quo anno idem Papa excommunicauit omnes impedientes qui veniebant ad curiam Romanam. Postea idem Rex conuocatis Prælatis, Baronibus ac Comitibus regni sui, Parisiis concilium celebrauit, petens consilium & auxilium contra Papam prædictum, & obiecta sunt eidem Papæ crimina & titulus hæresis, suoq; prædecessore viuente intrusio & ingressus illegitimus ad papatum, & quod ei non esset parendum, fuitq; facta contra ipsum prouocatio ad concilium generale.

MCCCII.

Mense Iulio prope contractum fuit campestre bellum inter Gallicos & Flandrenses, vbi flos militiæ Gallicanæ miserabiliter cecidit, non tam virtute hostium quam incautela Gallicorum pugnantium irruentium inconsulte, ibiq; mortuus est Robertus Comes Atrebatensis, Rudolfus de Nigella, Comestabulus Regis Franciæ, & nobiles plures, Barones & milites in foueis & fossatis, vbi cum caderent minime surgere prævalebant.

Kal. Nouemb. Romæ Bonifacius Papa celebrauit concilium contra Philippum Regem Franciæ, quod per annum & amplius conuocauerat, ad quod concilium plurimi magni Prælati conuenerunt.

Anno sequenti Papa excommunicauit Philippum Regem Franciæ, quod pecuniam extra regnum suum portare non permisit, & Alberti Regis Romanorum electionem admisit, subiiciens sibi regnum Franciæ.

Eodem anno apparuit cometa in Autumno in occidentali parte in signo scorpionis, aliquando ad orientem, aliquando ad occidentem radios suos emittebat, & durabat per mensem.

S. Armanni. Tunc corpus cuiusdam nomine Armanni, quod XXXI. annis tanquam sanctum in Ecclesia Ferrenensi extiterat veneratum, fuit studio & mandato inquisitorum hæreticæ prauitatis in illis partibus exhumatum & combustum tanquam damnati hæretici, & eius ara pretiosa destructa fuit. Hic Papa constitutionem fecerat, in qua se Dominum spiritualem & temporalem in vniuerso mundo asserebat, vnde requisiuit Regem Franciæ Philippum, vt à se regnum suum recognosceret, quod Rex Franciæ contempsit.

Bonifacius captus. Sequenti anno in vigilia Natiuitatis S. Mariæ Bonifacius in Anagnia ciuitate suæ originis cum curia residens in gente sua, consciis aliquibus domesticis suis proditus fuit, & à suis quasi solus derelictus, ab inimicis vexillifero Guuillelmo de Nogareto, de S. Felice diacono Tholosano, complicibus & consentaneis Columnensibus captus & detentus fuit: in qua captione Papa posita sibi cruce & Sanctorum reliquiis Philippum Regem, quo procurante capiebatur, vsque in quintam generationem fertur maledixisse, & dictum Guuillelmum hæreticum & hæretici filium ostendisse, nec in manibus inimicorum suorum vnquam territum fuisse, & thesaurus suus deprædatus fuit cum ignominia magna Ecclesiæ, & post tertia die liberatus fuit. Deinde iuit Romam, & XXXV. die à captione sua Romæ obiit, v. Idus Octobris, & sepultus fuit in Ecclesia S. Petri.

Benedictus Pp.

MCCCIII.

Benedictus Papa XI. natione Lombardus de Teruisio electus fuit XI. Kal. Nouemb.

Nouembr. & coronatus sequenti dominica, & sedit menses VIII. dies XVII. & vacabat sedes X. menses, dies XXIX. Hic prius vocabatur frater Nicolaus in ordine prædicatorum, à XIIII. ætatis suæ anno religiose nutritus & conuersatus, Lector extitit multis annis, & post Prior prouincialis Lombardiæ, deinde magister ordinis fuit, & inde ad cardinalatum & Hostiensem episcopum, & inde assumptus fuit ad papatũ. Hic in aduentu Domini duos cardinales fecit, quorum vnus frater Guillelmus Anglicus magister in Theologia, quem viuentem credidit, ante in æstate obierat, loco cuius alium fecit. Hic denuntiauit publice excommunicatos generaliter auctores sceleris Bonifacii prædecessoris sui, & nominatim Gulielmi de Nagareto, & Scarram de Columna, cum quibusdam aliis.

MCCCIV.

Papa Benedictus XI. reconciliauit Iacobum & Petrum de Columna olim à cardinalatu à prædecessore suo priuatos, ad Ecclesiæ vnitatem, sed non ad cardinalatum, restituens eis, quæ sua fuerunt, quæ tunc Ecclesia tenebat.

Papa iuit Perusium, & discidium subortum inter Bonifacium Papam & Regem Franciæ sedauit, & priuilegia & libertates quibus ipsum Regem Bonifacius priuauerat, sibi restituit, & concessit sicut antea quæ antiquitus habebat. Hic obiit Perusii Non. Iulii, & sepultus ibidem in Ecclesia fratrum Prædicatorum ante altare, & dicitur miraculis claruisse; & vacauit sedes per annum illum sequentem vsq; ad diem V. Non. Iunii, Cardinalibus inclusis stantibus, & licet multum artatis à Perusinis vsq; tunc non volentibus concordare.

MCCCV.

Clemens V. natione Vasco qui de loco Wandiam dicitur, Burdegalensis diœcesis, ex patre Bernhardo milite, electus fuit in Perusio V. Non. Iunii, & sedit annis VIII. menses X. dies XV. & vacabat sedes annis duobus, mẽses III. dies XVIII. Hic antea vocabatur Bernhardus de Gotho, & postea fuit Episcopus Conuennarum, & post Burdegalensis Archiepiscopus, & dum Pictauiensem visitaret prouinciã, Papa efficitur, & inde rediit Burdegalis Idus Iulii sequentis, vbi adhuc more Episcopi se gerebat, decreto electionis suæ non recepto, Et post in crastinum S. Mariæ Magdalenæ recepit à Cardinalibus sibi missis sequenti die in Burdegalensi ecclesia, in prælatorum & Baronum præsentia: Clemens voluit appellari, deinde coronatus fuit XVIII. Kal. Decemb. in Lugduno, cumq; de loco coronationis cum maxima comitiua procederet, concurrentibus & prementibus se turbis cupientibus Papam coronatum videre, depulsa maceria cuiusdam muri corruit prope Papam, & cecidit corona de capite eius, & in tantum auulsus fuit carbunculus pretii VI. M. florenorum, nec Papa læsus fuit, licet Iohannes Dux Ocitaniæ cum vndecim aliis collisi intra paucos dies obierunt, vnde plurimi admirati varia vaticinabantur. Hic XVIII. Kal. Ianuarii fecit vnam ordinationem XII. Cardinalium, inter quos fuerunt Iacobus & Petrus de Columna olim per Papam Bonifacium priuati cardinalatu: post reuocauit duas constitutiones Bonifacii Papæ, in quarum vna continebatur, Regem Franciæ Romanæ Ecclesiæ temporaliter & spiritualiter esse subiectum, & insertã VI. libro, qui incipit: *Clericos laicos cum omnibus ipsis consequitur.* Eodem anno confirmauit Regem Arragonum in regno Bardaniæ. Post Papa iuit Burdegalam cum curia, & inde Pictauis ad concordandum Regem Franciæ Philippum & Eduuardum Regem Angliæ.

Clemens V. Pp. à quo Clementinæ.

MCCCVI.

In festo S. Mariæ Magdalenæ de voluntate regis Franciæ omnes Iudæi in regno suo capti fuerunt vna die, cõfiscatis bonis eorum, postea expulsi sunt à regno Franciæ minime reuersuri. Hospitalarii cum exercitu Christianorum oppugnare cæperunt insulam Rhodum cum circa adiacentibus insulis circiter quinq; quæ à Turcis inhabitantur, & ceperunt ab initio aliquas insulas & castella, steteruntque in pugna & conflictu pariter obsidentes & obsessi annis quatuor, & finaliter Turcos expulerunt.

Iudæi.

Hospitalarii.

MCCCVII.

Templarii. III. Idus Octobris capti fuerunt primo Templarii vbiq; in regno Franciæ inopinate, propter profanam impietatem ipsorum & exspuitionem super in opprobrium crucifixi: fueruntq; plures ex eis de maioribus illius ordinis cõfessi suæ professionis ritum excusabilem, quæ à nemine potuerant vnquam sciri: plurimi tunc ex eis licet subiecti tormentis, talia confiteri nolebant. Demum Clemens V. Papa, & Cardinalis, quibus huiusmodi profana professio incredibilis credebatur, certiorati ex confessione ipsorum Templariorum, mandauit, Templarios vbiq; capi & inquiri contra ipsos.

Eodem anno in cæna Domini inquisitores hæreticæ prauitatis in partib. Lõbardiæ congregato exercitu cum prædicatione crucis & plena indulgentia peccatorum, contra Dulcinum Nouariensem hæresiarcham, multos discipulos habentes moram in montibus Nouariensibus, vbi tunc multi ex eis propter immẽsa frigora & famem deficientes in suis erroribus perierunt, Dulcinus cum L. circiter personis, & Margarita consorte sua in scelere captus fuit, & occisi inuenti fuerũt ibi mortui cccc. hæretici & amplius, q̃ Margareta ante oculos dicti Dulcini membratim concisa fuit, dehinc & ipse Dulcinus membratim concisus, amborum membra cum quibusdam cõplicibus suis combusta fuerunt.

Dulcinus hæreticus.

Albertus Rex à filio fratris sui, eo quod ipsum Ducatu Sueuiæ priuauerat, occisus fuit, & caruit benedictione imperiali, vt patet per hos subsequentes:

Millenis tricendenis bis quatuor annis,
In Maio mense, Rex Albertus perit ense;
Perq; Ducem Sueuum Iohannem rumor in æuum.
O Deus hoc factum furtim fuit Impadis actum.
Festum Waldpurgæ facit hoc facinus quoq; nosse,
Christus ab æternis defendat eum modo pœnis.

MCCCVIII.

Henricus VII. imperauit annis v. Hic cum Comes fuisset Lutzenburgensis, electus fuit in Franckfurt in festo S. Catharinæ, & in Epiphania sequenti coronatus fuit Aquisgrani.

In Festo S. Iohannis ante portam Latinam combusta est Ecclesia S. Iohannis Baptistæ in Laterano: in vrbe fuit magna lamentatio, Romæ quasi super se diuinum iudicium reputantes Ecclesiam reficere studuerunt.

Henricus VII. imp.

MCCCIX.

Hainricus Romanorum Rex misit Auinionem duos Episcopos, & tres comites, petens coronam imperii sibi dari ab ipso. Qui Papa electione eius admissa, ipsum voluit de cetero Regem Romanum appellari, & quod posset agere quæ Regis erant, & Romæ eum coronare se promisit à festo Purificationis per duos annos.

In Cœna Domini Papa Clemens anathematizauit Venetos, & priuauit eos consortio aliarum ciuitatum, & personas & res ipsorum exposuit volentibus occupare, & religiosos omnes de locis ipsis subiectis mandauit ipsos exire, quia Veneti Ferrariam contra Ecclesiam occupauerant, propter quod Papa dominũ Arnoldum de Plagaia diaconum Cardinalem legatum à latere ad partes illas misit, qui sequenti mense Augusti in festo S. Augustini cum multo sanguine Ferrariensium & Venetorum in prælio iuxta Badum Farraciam recuperauit, vbi illa die dicuntur occisi fuisse v. M. hominum. Tunc etiam vltima Ianuarii erat eclipsis solis.

Venti.

MCCCX.

Hic Papa fecit secundam ordinationem de Cardinalibus. Anno sequenti Papa excusauit Regem Franciæ de his quæ egerat contra memoriam Bonifacii Papæ: & Guillelmus de Nogareto ab excommunicatione ob præfati Bonifacii Papæ captionem, iniuncta sibi pœnitentia absolutus fuit: qui tamen horrenda morte dicitur vitam terminasse.

Fuerunt pluuiæ multæ & inũdationes, & subsecuta est magna sterilitas bladi & vini, qualem se nemo tunc meminit audiuisse, & in pluribus locis panis non

inue-

inueniebatur ad vendendum, & pauperes bestiarum more herbas comederunt. Tunc Parisiis diuersis partibus LXX. Templarii vel circa, propriis confessionibus de professione sua profana metu tormentorum conuicti, vt ipsi templarii dicebãt sine tormentis asserentes ipsos se fuisse mentitos, combusti fuerunt. Tunc Rhodus cum cæteris insulis vicinis Christianis subiugata fuit. Tũc Imperator intrauit Italiam, & Mediolani ab Archiepiscopo Mediolanensi coronam vnam assumpsit Imperii. Post Imperator Brixiam obsedit, vbi frater Imperatoris cũ multa strage hominum occisi fuerunt, & sequenti anno ciuitas reddidit se voluntati Imperatoris.

MCCCXI.

Hic Papa Wiennæ cõcilium generale conuocauerat cuius concilii v. sessio inchoata fuit XVII. Kal. Nouemb. vbi de passagio vltramarino & de recuperatione Terræ sanctæ tractabatur, per fratres Hospitales S. Iohannis Ierosolymitani crucem vltramarinam fere per totam Christianitatem prædicari fecit, Et plura millia Christianorum cruce signati, cum ad curiam Papæ venissent, Papa absoluit eos à voto, & mandauit eos ad partes redire, & sic quasi delusi illorũ labores & sumptus maximi effectum nullum habuerunt; & sequente mẽse Martii XI. Kal. April. in priuato consistorio Papa cassauit & annullauit ordinem Templariorum, personis & bonis ipsorum ordinationi suæ & Ecclesiæ seruatis. Et sequenti mense Aprilis in secunda sessione concilii cassatio ordinis dicti promulgata fuit. Hic ordo CLXXXIV. annos circiter militauerat, diues & multum priuilegiatus fuerat. Et post II. Non. Maii vltima sessio fuit concilii, quod sex fere mensibus pertractatum fuit. In quo fuerunt multæ constitutiones editæ, in quarum vna fuit declarata regula fratrum Minorum, super qua pars fratrum minorum (qui *Spirituales* dicebantur) altercantes sedis Apostolicæ iudicium postulauerat. Hic Papa sectam Begardorũ & Begardarum hæreticorum vtriusq; sexus reprobauit, qui Alemanniam in plures prouincias peruersis dogmatibus suis infecerant. Dixerunt enim inter cetera, hominem eundo de virtute in virtutem perfectiorem Christo posse fieri impreçabilem*. Negare etiam se subesse Prælatis & summo Pontifici. Post celebrationem cõcilii Papa iuit Auinionem, & post Sabbatho quatuor temporum fecit tertiam ordinationem nouem Cardinalium. Post canonizauit S. Petrum de Murrone, olim Papam Celestinum sub nomine S. Petri confessoris.

Cruciata Vltramarina.

Templarium ordo sublatus.

Begardi.

sup. anno 1293.

Imperator à tribus Cardinalibus, quos Clemens Papa propter hoc misit, in festo Apostolorum Petri & Pauli Romæ in Ecclesia S. Iohannis in Laterano coronatus* fuit. Nam in Ecclesiam S. Petri intrare non potuit, præpediente exercitu Ruberti Regis Siciliæ, cum quo Imperator in vrbe bellauit, & in direptione domorum Roma tunc fortiter fuit deserta.

** cum iuramento, de quo Clem. 1. de iureiu.*

MCCCXII.

Epidemia maxima & caristia vini & bladi fuit in partibus Oceani. Eo tempore in concilio Wiennensi Clemens V. Papa ordinem militiæ Templi annullauit, qui circiter CLXXXIV. annos militauerat, & Magister Templi post Parisiis cõbustus fuit, & bona eorum hospitali S. Iohannis Ierosolymitani fuerunt concessa.

Huius tempore Philippus Rex Franciæ Lugdunum occupauit.

MCCCXIII.

Hic Imperator fecit legem in qua Patrem & filium & Spiritum S. à Patre & filio confiteur procedere. Et tandem Regem Siciliæ sibi rebellem crimen læsæ maiestatis declarauit incurrisse, & ipsum Regem ad pœnam capitis condemnauit. Quam sententiam Clemens V. Papa, vt vicarius Imperatoris* vacante Imperio, Hainrico mortuo reuocauit, & nullam esse declarauit*. Et post mortem ipsius Imperatoris idem Papa declarauit Imperatorem periurum fuisse, nec memoriam eo mortuo de ipso fecit. Hic Imperator (vt communis fuit opinio) per pœnitentiarium suum immixto veneno in calice Domini, cum Imperator ab ipso Eucharistiam sumeret, extinctus fuit, & Pisis sepultus, vt patet per sequentes versus:

** Clement. Ne sede vac. aliq. innouet.*

** Clemens. 2. de [illegible] vot.*

Iure dolet mundus, quod Iacobita secundus
Iudas nunc extat, mors Cæsaris hoc manifestat.

Dum fuerant anni tranſacti mille trecenti,
Et decimi terni, in feſto S. Timothei
Occidit Heinricus tabe veneni,*
Glorius Imperator, Germanæ gentis amator,
Iuſtitiæ cultor, viduarum ſtrenuus vltor.

Eodem anno in vigilia B. Gregorii, Pariſius combuſtus fuit Magiſter ordinis quondam Templarii, cum quodam alio eiuſdem ordinis Præceptore, in præſentia duorum Cardinalium.

Item Kal. Aprilis in craſtino de concilii ſententia iuxta Carpentoratū, vbi curia tūc erat, Papa fecit publicari conſtitutiones, quas prius fecerat ordinari, & ex quibus decreuerat ſeptimum librum Decretalium fieri, exinde Papa cœpit infirmari, & ſic conſtitutiones remanſerunt ſuſpenſæ, quouſq; per ſucceſſorem ſuū fuerunt ad ſtudia deſtinatæ. Et obiit Papa apud Rōccam Maurum caſtrum ſuper Rhodanum, & inde corpus ſuum tranſportatum fuit Carpentoratum, vbi curia fuit in Vaſconia & ſepultum in Eccleſia B. Mariæ de Vzeſta Vaſtatenſis diœceſis in villula minus inſigni.

Eodem anno quo extinctus fuit per venenum felicis recordationis Heinricus Imperator VII. huius nominis, ab Auguſto XCVIII. Principes ad præficiēdum monarcham cælitus conſtituti tempore autumnali contentioſe eligentes, quidā in Franckenfurt, aliqui per literas, aliqui in locis ſibi competentibus, & ſic diſcordantes in duas partes, vna elegit Fridericum Ducem Auſtriæ, primogenitum filium Alberti quondam Regis Romanorum, videlicet Rudolfus Palatinus comes, & ſenior Dux ſuperioris Bauariæ, Colonienſis Archiepiſcopus & Dux Saxoniæ ſenior, *qui in epiſcopum Patauienſem à ſede Apoſtolica erat deputatus, nondum tamen eandem ſedem aſcenderat, ſciens ſe fruſtratum in electione & perfectione monarchæ, iunioremq; Ducem fratrem ſuum timens, eligere volens Ducē Bauariæ ſuperioris, nomine Luduuicum, occaſione electionis gratiæ apoſtolicæ renuntiauit, & quod ſenior erat illico habilis fuit eligendo, Ducemq; Auſtrię cum reliquis ſublimauit. Altera vero pars electorum, videlicet Rex Bohemiæ Iohannes (qui filius fuit felicis recordationis Henrici quondam Imperatoris) Balduinus Treuirenſis Archiepiſcopus (qui frater fuit Imperatoris modo dicti) Petrus S. ſedis Moguntinenſis Archiepiſcopus, & iunior Dux Saxoniæ, qui ſe dicebat eſſe in electione & non fratrem ſuum ſeniorem, ob cauſas ſupra memoratas: Iſti prædicti Principes elegerunt in Regem Romanorum Luduuicum Ducem iuniorem ſuperioris Bauariæ, & coronatur Aquiſgrani.

LVDOVICVS IV. Bauarus, Imp.

MCCCXIV.

Tempore hyemali in vigilia S. Thomæ apoſtoli, abbate H. de Hugnang deſtituto præficitur in abbatem monaſterii S. S. Vdalrici & Afræ in Auguſta, à Præſule Friderico Auguſtenſi Marquardus de Hageln, ex ordine prædicatorum, vir magnificæ bonitatis. Præfuit autem annis XX. menſes VIII.

MCCCXV.

Ludouicus R. Gall.

Poſt mortem Philippi Regis Frāciæ ſucceſſit ſibi Luduuicus primogenitus ſuus. Cuius vxor filia Ducis Burgundiæ (quæ olim cum vxoribus filiorum aliorū Philippi Regis Franciæ ob crimen adulterii, quod cum quibuſdam ſuis militibus ſecretariis commiſerant, diſcordiatis præterea ipſis militibus condemnatæ fuerunt) in carcere obiit. Tunc Engelradus de Marinthia Normānus, potens nimis apud Philippum Regem Franciæ, ſuſpenſus fuit Pariſius. Tunc Luduuicus Rex Franciæ congregatis viribus regni ſui cum exercitu magno, videlicet XV. millibus equitum armatorum, peditum quaſi innumerabili numero iuit verſus Flandriam, & caſtrametatus eſt iuxta Cōtractum: in quo caſtro comes Flandriæ cum magno exercitu reſtitit, ne fluuium lis tranſiret, qui exercitum paludibus diuidebat. Deſcenderuntq; tunc pluuiæ maximæ de cœlo; & facta ſunt luta grandia & profunda in terra illa, ex quo equites & equi nimium grauabantur. Vnde idem Rex circa finem menſis Nouembr. cum dedecore, & multo rerum incommodo inde receſſit.

Circa

Circa natale Domini cometa apparuit, cursum suum per noctem faciens circa polum, comamq; suam longam nunc versus occidentem, nunc versus orientem, & aliquando ad alias partes extendebat, durauitque vsq; ad finem mensis Februarii. Paulo post apparuit secundus cometa in parte orientali, sed minor quã alia videbatur.

MCCCXVI.

Iohannes XXII. de Cathurco, ex patre Arnoldo, fuit electus Idib. Augusti Lugduni in conuentu fratrum Prædicatorum, vbi XXIII. cardinales, postquam à Carpentorate ob grandem turbationem commotam à conclaui quod prius interuenerat recesserant, & inde diuersis ciuitatibus & villis steterant amplius quã duobus annis, tandem diligentia Philippi comitis Pictauiensis fratris Regis Franciæ, qui ad hoc fere anno cum dimidio laborauerat, pariter congregati & conclusi in vigilia Apostolorum Petri & Pauli ipsis nescientibus & inuitis, XL die ab inclusione ipsorum in dominum Iacobum episcopum Portuensem Cardinalẽ consenserunt, & vocatus est Iohannes, & coronatus est Non. Septembris Lugduni in ecclesia cathedrali. Prius hic Papa fuit Foriiulienſis, & post Auinionensis, deinde Portuensis Episcopus, & cardinalis, & tandem Papa factus iuit Auinionẽ secunda die mensis Octobris. Ibi enim fecerat curiam proclamare. Hic feria VI. in ieiunio quatuor temporum de aduentu, prædicto anno fecit vnam ordinationem octo Cardinalium. Hic canonizauit S. Ludvvicum Episcopum Tolosanum de ordine fratrum minorum, filium Karoli secundi Regis Siciliæ anno sequenti Idus Aprilis. *Iohannes XXII. Pp.*

Item degradari fecit & deposuit Hugonem Geraldi Episcopum Cathurcensem à sacerdotali ordine & Pontificali dignitate, & demum traditus fuit curiæ seculari, per cuius iudicium fuit traditus publice, & in aliqua parte corporis excoriatus, & demum combustus, eo quod in mortem Papæ fuit machinatus.

Circa festum S. Iohannis Baptistæ Arnoldum de via filium sororis suæ fecit S. Eustachii diaconũ Cardinalẽ. Tunc Ecclesiam Tholosanam in archiepiscopalem sedem erexit, & diœcesem Tholosanam quæ in reditibus pluribus episcopalibus abundabat, in sex episcopatus diuisit, quorum ipsi essent suffraganei archiepiscopi Tholosani, & sex villas in nouas ciuitates erexit, videlicet villam Montis Albani, villam Detunis, villam & Abbatiam de Lomberiis, villam de S. Papilo, villam de Vauro, villam de mirapisceni, Episcopos & Episcopales sedes constituens in singulis eorundem diœcesibus liminatis. Item Archiepiscopatum Narbonensem fecit episcopatus duos, quorum vnum fecit in Liuione, sed paulo post transtulit in sedem ad Abbatiam de electo: secundum posuit in Abbatiam S. Pontii diœcesibus liminatis. Item episcopatum Albinensem diuisit in duos, & cõstituit ibi ciuitatem Castrensem. Item diuisit episcopatum Agenensem, & ibi erexit ciuitatem Condonienſem. Item in episcopatu Lemouicensi, cõstituit episcopatũ in abbatiam Tutellensem. Item in episcopatu Petrogoricensi in villa de Sarlaco instituit episcopum. Item in episcopatu Claromontensi fecit Episcopum in villa S. Flori. Item in Episcopatu Ruthenensi fecit episcopum in villa de Vabrio. In episcopatu Pictauiensi fecit episcopum in villa Malleacensi, & in villa Lucracensi nouam ciuitatem fecit. Itẽ in multis villis de Tolosano & Carthasio & Albigesio instituit collegiatas ecclesias canonicorum secularium, & dignitatibus & præbendis congruis reditibus singulis ecclesiis assignatis.

MCCCXVII.

Dissidentibus itaq; Romani Imperii Electorib. quos nobilis Germania germinauit, vterque electus (vt supra memorauimus) videlicet Ludouicus Bauariæ Dux, & Fridericus Austriæ Dux, licet Ludouico maior pars, & Friderico minor electorum consenserit, Iuribus sibi per electionem contractis *inhiabant, atq; pro viribus insudabant. Cum maxima comitiua procerũ & magnatum regni vterq; se secundum sua vota consociantibus, & sic eidem duo electi certatim mutuis cõgressibus bellicis dietim certarunt. *f. contradixit.

Mense Nouembri fecit Papa Iohannes XXII. publicari & ad studia transmisit

constitutiones Clementinas, Hic in domo Grandimontis, qui caput est totius ordinis, abbatem constituit, qui ante per Priorem regi solebat, & totum illum ordinem reformat, quem ordinem B. Stephanus primus eius institutor in eremo de Mureto dicitur inuenisse.

MCCCXVIII.

Hic Papa in archiepiscopatu Tarraconensi Cesaraugustã in archiepiscopatũ erexit, subtractis v. suffragantibus Tarracon. Cesaraugustanam subiecit, remanentibus Tarraconensibus VI. quæ XI. habebat suffraganeas.

MCCCXIX.

Instituit nouum ordinem militum, qui dicuntur de militia Iesu Christi, in regno Portugalliæ & Algarbii ad resistendum ibi Sarracenis, pro defensione fidei Christianæ, & cõstituit principalem domum in castro Marino Siluensis diœcesi, concessis eis bonis olim ordinis Templi, in dictis regnis situatis.

MCCCXX.

XV. Kal. Maii. Hic Papa canonizauit S. Thomam episcopum Erfordensem, Theologiæ & decretorũ doctorẽ, cuius meritis Deus multa miracula operat' est.

MCCCXXII.

Decertantibus itaque Ducibus, videl. Luduuico, & Friderico pro Imperio Romano, quæ res perducta est ad bellum * præsentibus ambobus electis. Ibiq; Dux Austriæ cum fratre suo Hainrico fuit captiuus, aque Friderico vinculis mancipatus in castro Trusnit* vsq; ad triennium, & multi alii nobiles capti sunt. Sed & interfecta est ibidem magna multitudo hominum, & cõculcata nobilium & ignobilium, vnde versus:

* apud Mubldorff.

*al. Transuitz.

Annis ter denis, minus octo, mille trecentis
Actis Luduuicus vincit, capitur Fridericus,
Ante diem festum Michaelis, quod scio gestum.
Anno milleno ter CCC. *bis* X. *q; secundo,*
Quando Wenczlai clerus canit, ac Adonai.
Tunc Rex Luduuicus conflixit cum Friderico,
Quem captiuauit, Australes & superauit,
Atq; Ducem dictum grandi certamine victum
In Trusnit duxit, vbi longo tempore luxit,
Sed locus, hac acta prope quem sunt omnia facta,
Muldorf est dictus, vbi flumen circuit Enus.

MCCCXXIIII.

Burgaw. Ludouicus obsedit castrum Burgau cũ magna potentia: in quo erat Capitaneus do. Burkardus de Oellerbach cum duobus filiis egregiis. Cui in adiutoriũ venit Leupoldus dux Austriæ, qui prædictum Ludouicum amouit.

imo 1334. MCCCXXV.

Obiit Papa Iohannes XXII. de Cadurco. Eligitur quidam ex Cardinalibus, & vocatus est Benedictus XII. qui quæstionem ab antecessore suo factam, scilicet de statu animarum & iustorum post mortem, dissoluit.

MCCCXXVI.

Pestis absorbuit Gerhardum comitem de Graispach Episcopum Aystetensem. Anno sequenti N. Comes de Seyn constituitur.

MCCCXXIX.

Ludouicus Rex venit Mediolanum, vbi corona argentea coronatur. Ibi Galeacium dominum Mediolani captiuauit, & dominium eiusdem ciuitatis commisit Hugoni comiti de Montfort Alemano.

MCCCXXXI.

Fridericus electus obiit (vt creditur) ex veneno: quia vermes innumerabiles ipsius ex cute erumpebant. MCCCXXXIIII.

Marquardus abbas obiit. Conradus cognomine Winckler eiusdem cœnobii professus præficitur VI. Idus Maii, & confirmatur in secũda feria Pentecostes, ordinatur vero in dominica Benedicta.

ANNA-

ANNALES
HAINRICI MONACHI IN REBDORFF, RERVM AB ANNO MCCXCV. SVB ADOLPHO, ALBERTO, FRIDERICO, LVDOVICO BAVARO (IN QVO POtißimum se diffundit) Carolo IV. Impp. vsque ad annum MCCCLXIII. gestarum.

POST præmissa igitur cupiēs duo æra minuta mittere in gazophylacium, gesta supraſcriptæ materiæ continuando, prout in quibusdam ſcriptis & auctenticis legi, & à perſonis fide dignis audiui contexere telæ præhabitæ, Ego HAINRICVS licet inſufficiens ſum conatus, pro memoria præteritorum eo amplius conſeruanda. Vnde prædicto Adolpho in Regem Romanorū (vt prædicitur) electo, qui VII. annis & vno menſe regnauit, tertio anno regni ſui manu armata idem Rex intrauit Thuringiam & Miſniā, vocatus à Marchione Miſnenſi, qui filium ſuum voluit exheredare indignans eidem, & prædictas terras quaſi totas ſibi obtinuit, data pecunia eidem Marchioni pro eiſdem. Et poſt hæc idem Rex Adolfus filiam ſuam Machthildem domino Rudolpho Ducі Bauariæ, & Comiti Palatino Rheni tradidit in vxorem, celebratis nuptiis ANNO DOMINI MCCXCV. in die B. Ægydii in Nurenberg.

ADOLFVS Rex.

Rudolfum Palatinum.

Eodem anno, ſed ante in feſto Purificationis B. Virginis Luduuicus Dux Bauariæ, & Comes Palatinus Rheni pater dicti Rudolfi obiit: & in Fuſtenfeld honorifice ſepelitur.

MCCXCVI.

Rex Adolfus intrauit ciuitatem Ratiſponenſem in feſto S. Georii, & occurrerunt ei Otto, Dux Bauariæ, Luduuicus & Stephanus fratres ſui, qui tunc erant ibidem in obſtagio pro ſe pro quinq; millibus librarum Ratiſponenſium denn. At Hainricus de Rotenegk tunc Epiſcopus Ratiſponenſis, quo honorifice ſuſcepto præfatus epiſcopus eidem Regi inuitato in prandio & cæna largas miniſtrauit expenſas. Et tunc Rex quandam diſſenſionē inter Epiſcopum, canonicos & clerum ibidem ex vna parte, & Ratiſponenſes ex altera, propter ſteuram impoſitam* clero à ciuibus pro muro ciuitatis, ſedauit, & pro Clero. Eodem anno obiit Meinhardus Dux Carinthiæ, qui prius fuit comes Goriciæ, & domina Elizabeth ſoror dominorum Luduuici & Hainrici Ducum Bauariæ: nec non relictam Domini Conradi olim Regis filii Friderici Imperatoris duxerat in vxorem.

** Supr. H. Steron. an. 1295.*

MCCXCVII.

In feſto Pentecoſtes Wenzeslaus Rex Boemiæ cū Guta Regina ſua vxore tūc in puerperio exiſtente, coronatur à Gerhardo de Helffenſtain Archiepiſcopo Moguntinenſe: cui coronationi interfuerūt Albertus Dux Auſtriæ, pulcher Dux Poloniæ, Otto Marchio de Brandenburg, & alii principes quamplures. Et in eodē conuiuio tractatū eſt de nece Regis Adolfi, quod ſequenti anno extitit adimpletū. Eodem anno proximo die ante feſtum B. Auguſtini obiit venerabilis pater dominus Runbotto de Mailenhait Epiſcopus Eiſtetenſis, cui ſucceſſit Conradus de Paffenhauſen Canonicus ibidem.

MCCXCVIII.

Albertus Dux Auſtriæ à præfato Archiepiſcopo Moguntinenſi & aliis quibuſdam nobilibus Rheni vocatur ad Rhenum in prędicti Regis Adolfi odiū: quo veniente cū magno exercitu Rex Adolfus implorat auxilium dominorū Rudolfi ſui generi, & Ottonis Ducū Bauariæ, ac Otto Dux tranſiens cū exercitu ſuo Sue-

uiam,& veniens ad comitatum Alberti comitis de Haygerloch, qui erat de parte Ducis Austriæ,& congregans multitudinem armatorum,sperans partē immunem inuenire, in mēse Aprili prope Oberndorf prædictum Comitem & suos iacentes inuasit,& in primo congressu occisus est Comes,& quingenti viri cum eo occisi & capti. Sed Dux Otto transiens inde venit ad Rhenum, vnde Rex nimis præcipitās ac præfatus Albertus Dux Austriæ cōgregato vtrinq; exercitu in diœcesi Wormatiensi prope villā Giselshaim* bellū inerunt,in quo idē Rex Adolphus nondū benedictionē Imperialē adept⁹,occisus est,& in Spira sepult⁹,vnde versus:

Oberndorff.

** Leg. Gillenheim,vbi adhuc monimentum prælii extat.*

Anno milleno,ducenteno,nonageno
Octauo,Sancti Processi & Martiniani,
Rex fuit Adolfus pro regni sede necatus.

ALBERTVS Rex.

Albertus primus filius Regis Rudolfi supradicti,post bellum habitum cum Adolpho præscripto à Principibus electoribus Imperii statim immediate electus est in Regem Romanorum. MCCXCIX.

Hic monoculus regnauit 10.annis;& primo anno regni sui solēnē curiā habuit in Nurēberg, post festū B. Martini,ad quā oēs Principes officiales Imperii venerunt,& alii quā plures Principes interfuerūt; Inter quos cū magno apparatu interfuit Wenzeslaus supra nominatus Rex Boemiæ. In qua solennitate cū contentio oriretur inter suffraganeos Archiepiscopi Mogūtini tunc ibi præsentis, videl. Eystetēsem& Wormatiēsem Episcopos super prioritate sediū,[*vide quod tūc huius prioritatem sediū* not. in Clemen. De regularib. C. Vt professores, in Glo. ad verbū Inibi, circa mediū*] post eundem Archiepiscopū eorum metropolitanū,quia quilibet contendebat se debere immediate sedere post Archiepiscopū prædictum,prout ēt Eystetensis hæc priuilegia habere dinoscitur ab antiquo, & Archiepiscopus Moguntinus, tunc ibi præsens magis declinare videbatur ad Episcopum Wormatiensem; sed Conradus Eystetensis episcopus pro defensione honoris sui & Ecclesiæ,auxilium Gebhardi comitis de Hirsbach* *redi ad idem signum**.

MCCC.

[XVII. Kal. Martii, idem Comes sepultus in Rebdorf,qui è lecto ægritudinis suæ libere diuisit aduocatiam Ecclesiæ Eystetensis, donans castrum in Hirsperg,& oppidum Berchingen, & alia quamplura bona eidē pro remedio animę suæ]* tunc eiusdē aduocati implorauit. Qui tunc eundem Wormatiensem prohibuit primam sedem tenere post Archiepiscopatum eundem.

Eodem anno ex permissione Dei Iudæi in Nurenberg,Herbipoli, Rotenburch, Winshaim,Mirgaicheim, Eistet & in Perching cremati sunt.

Sequente anno circa festum B. Michaelis Dux Rudolphus & Comes Palatinus præfatus ab Electoribus Imperii Moguntinensi, Colonienſi, & Treuirensi Archiepiscopis vocatus fuit ad Rhenum,contra præfatum Regem Albertū; vnde iidem Principes contra ipsum Albertum conspirauerant eligentes ipsum Rudolphum pro iudice,& asserentes ad Comitem Palatinum pertinere,quod sit officiū Palatinæ dignitatis ex quadam consuetudine de causis cognoscere,quæ ipsi Regi mouebantur. Quare contra Regem proposuerūt,quod dominum suum propriū scilicet Regem Adolphum occidisset, ideo Rex esse non posset,& ad depositionem ipsius cogitabant. Quod audiens Rex Albertus,iratus & commotus fortiter fuit,& maxime contra præfatum Ducem Rudolfum, cuius auūculus extitit,quia sororis suæ* iurans, quod omnia quæ ab Imperio obtineret,alienaret ab eo,videlicet Sueuicum Werd, Nouum forum, & cætera, quod & fecit post hæc vadens contra præfatos Electores, Archiepiscopum Moguntinū manu potenti, obsedit, Pingiam,& sic iidem Electores concordati sunt tandem cum eodem Alberto.

NB. Palatini cognitio de Rege Rom.

** Machtildæ, Rudolfi F.*

Eodem anno maxima fuit peregrinatio ad Romam virorum ac mulierum vsq; ad Natiuitatem domini,quia annus Iubilæus indictus erat.

III. Fridericus filius Regis Alberti duxit filiā Regis Franciæ. Tertio anno eiusdem Regis in vigilia B. Iohannis Baptistæ, Rudolfus Dux & Comes Palatinus præfatus captiuauit Machtildam matrem suam, sororem præfati Regis,in castro Schiltberg, & Conradum Ottlinger militem, & ducti sunt in Monacū; vbi in die

B. Mar-

B. Martini prædictum de Odingen propter quorũdam fecit infamiam decollari.

MCCCII.

Circa festum B. Iacobi Rex Franciæ, qui rebellis erat sedi Apostolicæ, cum magna potentia intrabat comitatum Flandrensem, & obsedit ciuitatem Brugẽsem, & tunc idem comes congregauit exercitũ cum adiutorio suarũ cõmunitatum Bruck, Eyper, Gennit, Brusel, Ducis Brabantiæ & aliorum nobilium sibi fauentium, & iniuit bellum cum Rege, & Rex fugatus est, & ceciderunt de exercitu suo xx. millia hominum vel circa, inter quos erant quingenti magnates, liberi & Barones.

MCCCVIII.

Regni sui decimo præscriptus Rex Albertus nondũ benedictionẽ Imperialem adeptus, interfectus est in diœcesi Constantiensi iuxta oppidum Baden * per Iohannem ducem Sueuiæ filium fratris sui, cui hereditatem paternam auferre conabatur, Et ad hanc occisionẽ cooperati fuerũt quidam nobiles superioris Sueuiæ, videl. de Paden, & de Eschenbach, & de Warch, & cæteri adiutores.

* al. Rinfelden.

Annis transactis octo cum mille trecentis,
Rex ruit Albertus Walpurgis ab ense Iohannis.

MCCCIX.

Hainricus Imperator VII. cæpit regnare electus concorditer in Regem Romanorum ab Electoribus Imperii, & regnauit quatuor annis vel circa. Hic prius comes in Lutzelburg, discretus & deuotus, primo anno regni sui filio suo impuberi Iohanni tradidit in matrimonium filiam Wenzeslai regis Bohemiæ tũc defuncti vnicam heredem illius regni, & in Spira sunt huius regni nuptiæ celebratæ. Qui factus adultus, & post obitum patris sui Imperatoris prædictum regnũ Boemiæ tandem obtinuit, licet cum magna difficultate.

HENRICVS VII. Imp.

Secundo anno cum magna potentia intrauit Italiam, & ciuitatem Brixiensem * sibi rebellantem obsedit, vbi frater eius H. sagitta occisus est. Deinde hac ciuitate victa transiuit, & venit ad vrbem Romam, in qua benedictionem Imperialem à quibusdam Cardinalibus de mandato domini Clementis Papæ V. adeptus est, & iuramentum fidelitatis & obedientiæ tunc Ecclesiæ præstitit, de quo loquitur constitutio eiusdem Clementis *in Clement. de iureiur.* Et ab eo tempore citra partes in Italia Gibellini & Gelffi se inuicem maxime persequebantur.

* *quam & condemnauit ad eratum, vt refert Bart. in l. aut facta. §. fin. D. de pœnis.*

Tertio anno regni sui idem Hainricus Imp. suborta quadam discordia inter ipsum & Regem Rupertum tunc Apuliæ & Siciliæ quandam sententiam priuationis in eundem Regem Rupertum pertulit, de qua loquitur constitutio eiusdẽ Clementis, *C. Pastoralis. in Clement. De sent. & re iudic.*

ADDITIO. Hanc Imperatoris Henrici VII. in Robertum Siculum sententiam hoc loco inserere operæ preciũ visum est: vt eam verbotenus conseruauit Albericus de Rosate, in l. Quisquis. C. ad leg. Iul. maiest. & notabilem esse dicit.

HENRICVS *Dei gratia Romanorum Imperator & semper Augustus, ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum. Deus Iudex iustus, fortis, & longanimus, omnes secundum merita sua iudicans, superbientem illum spiritum, qui ante suum thronum demens se gloria & honore conspiciens, sedem suam ad Aquilonem, vt esset similis altissimo, ponere cogitauit, de altis cælorum fastibus ad inferiora terræ in comprobria sempiterna demergens, ipsum omni gratia & spe minime condigne priuando duxit æternalibus vltionibus exponẽdum. Sic ad præsens iustitiam respiciat, & æquitatem videat ipse cælestium, terrestrium & infernorum Dominus, qui nouit occulta cordium, & ante cuius tribunal omnis cessat calumnia, & veritas nullius nequitiæ tenebris obscuratur. Deponat & nunc de sede potentem, qui tentauit & acerbauit ipsum, & concitauit eum in iram: perdat eum qui male quærit, & det illi qui obstinato animo viam innocentiæ refugit, & gloriatur in malitia comprobrium sempiternum; faciat in eum iudicium conscriptum, & sic omnibus sanctis eius. Nequitia siquidem & proditionis alumnus Robertus, natus claræ memoriæ Carolo secundi, qui se Siciliæ Regem instituit, & Imperii Romani adipe impinguatus, incrassatus & dilatatus contra illud (cui etiam causa feudorum multorum & bonorum ipsius Imperii, quæ hactenus tenuit & quæ iniuste principaliter occupat, humiliter obedire debet) vitiis & iniquitatibus eminẽs*

odia, dolos & fraudes pro fidelitate retribuens, ex deteſtando ingratitudinis vitio calcaneum rebellionis reſumpſit erigere: & contra ſtimulum indurata nequitia recalcitrare non ceſſat, nefandaque ſuperbia tumefactus ſedem ab Aquilone, hoc eſt, ab oppoſito maieſtatis Cæſareæ, quam eius dominam & magiſtram reuereri & honorare tenetur, ſupponere ſatagens, ipſam conuitiis & contumeliis prouocauit hactenus & continuo animo proterno continue prouocare præſumit. Ipſe namque inter ceteros ſua malignitatis conatus, licet antequam imperialis coronationis cauſa proficiſceremur ad Vrbem, per ſuas literas ſpeciales pluries culmini noſtro ſcripſiſſet, quod ipſe (ſicut ex cauſa prædicta debebat, & nos qui nec opere nec verbo grauauimus, nec grauare ſed potius gratioſe tractare intendebamus, eundem ex prauitate conſcientiæ credebamus) ad exhibendam nobis debitam reuerentiam & honorem, tam in dicta coronatione quam alibi intendebat, & ad id pro viribus ſe parabat: Confederationes tamen, conſpirationes, vniones & ligas in offenſam & impedimentum proceſſus Cæſarei vna cum Florentinis, Lucanis, Senenſibus, & aliis noſtri Romani Imperii ſubditis per Lombardiam, & vt eos in rebellionis præcipitium excitatos foueat, omne contrarium (ſicut expreſſe dignoſcitur) per ſe ſuoſque procuratores, nuntios & ambaſiatores, in noſtræ Maieſtatis iniuriam & offenſam & impedimentum proceſſus Cæſarei facere procurauit & fecit. Tractauit etiam quod ciuitas Cremonæ, Parmæ, & Rhegii, quæ ſub noſtra obedientia conſiſtebant, contra nos & Imperium rebellarent, inducendo tam communia ipſarum ciuitatum, quam ſubditos noſtros prædictos ad rebellionem huiuſmodi, & eis ad id pollicendo auxilium, conſilium, & fauorem; & nihilominus dicti Roberti fulti fauoribus, ſuæque nequitiæ conſcii & miniſtri ciuitatis Aſtenſis, & caſtra Valentiæ, caſalis S. Euaſii & alias nonnullas ciuitates & caſtra prouinciæ Lombardiæ, qua mandata noſtra turbauerant, & nos in eorum dominum recognouerant, & officiales noſtros receperant, & habebant officialibus ipſis violenter eiectis, nequiter occupatis, & occupatas & occupata pro Roberto detinent ſupraſcripti. Denique Robertus Iohannem fratrem & ſtipendiarios Romam videlicet ea intentione tranſmiſit, vt Vrbe (ſi poſſet) ſuæ proditioni doloſe ſubiecta vel ſaltem turbata, in eius periculo nefandæ ſeditionis immiſsio dictæ coronationis impediret ſolennia, prout dicti Iohannis & ſtipendiariorum in ingreſſu noſtro in Vrbem prædictam, quam diu in partibus illis morati traximus, efficaciter operum argumento probantes, vna cum copioſa ſubditorum dictorum multitudine, quæ per inſtigationem dicti Roberti ſubmiſſi ſibi ſubſidii & defenſionis fiducia cum armis & equis ad opponendum ſe nobis & exercendum per excogitatam malitiam ſimul cum Iohanne ſtipendiariiſque prædictis conuenit, ibidem contra nos & gentes noſtras hoſtiliter poſuerunt inſidias, fecerunt inſultus, ſpoliationes, violentias, & homicidia perpetrauerunt, viaſque publicas & loca per quæ ad tendendam Baſilicam principis Apoſtolorum de Vrbe omnibus religionem profitentibus Chriſtianam liber aditus patere debeat, bellicoſis apparatibus claudere nobis ac gentibus noſtris ad baſilicam ipſam, ne ipſa coronatio celebrari valeret, acceſſum totis viribus prohibere, ac alias omnimodo quo poterat maieſtatem noſtram offendere procurarunt, Aliaſque præfatus Robertus committebat, & erat in ſitu contra nos committendi omnia quæ ad noſtri Imperii damnum tenderent, & ad ea modis omnibus quibus poterat nitebatur. Hæc ſiquidem creſcente clamore notorio, & in pluribus rerum experientia edocente, licet ipſa tam publica & notoria eſſent, quod nulla poſſent tergiuerſatione calari, & nos qui ſubiecti non ſumus, contra dictum Robertum propter præmiſſa eo irrequiſito potuiſſemus procedere: tamen ex Auguſta clementia (qua libentius emendat in ſubditis pœnas quam puniat, nec exercet ferrũ in eosquos ſanare poteſt vlcebris, lenitas medicinæ) poſt receſſum noſtrum de Vrbe prædicta, ſuper dicto notorio & prædictis per ipſum Robertum contra noſtram Maieſtatem commiſſis ad inquiſitionem deſcendimus, quam vt fidei vel amoris ſcintilla (ſi qua forſitans remanſit in eo) ipſius viſcera tangeret, & ipſe interim ſpatium ad cor redeundi haberet, vſque in præſens deliberationibus rationis duximus protrahendam, Robertum prædictum citari legitime fecimus, vt comparere curaret, ſuam (ſi poſſet) innocentiam oſtenſurus. Verum idem Robertus in ſua proteruia perſeuerans, in terminis ſibi ad hoc præfixis, vel eorum aliquo vel per ſe vel per alium comparere contumaciter non curauit. Quare nos ſuper præmiſſis in ipſius Roberti contumacia fide dignis & ſufficientibus receptis teſti-

bus &

bus & eorum dictis in scriptis redactis, & per nos solenniter publicatis, & de mandato nostro à proceribus nostri Palatij cum diligentia recensitis, & facta nobis ac ipsis & per ipsos relatione fideli, per ea quæ probata fuerunt prædicta omnia & singula publica & notoria esse, in scriptis interloquendo pronunciauimus & declarauimus exigente iustitia, & postmodum eum requiri & citari sufficienter & peremptorie fecimus, vt certo termino iam elapso, coram nobis (vbicunque essemus) ad hanc nostram sententiam audiendam comparere curaret. Quod ipse præscius, & diffisus iniuriis & offensis in sua obstinatione & contumacia & fraudibus perniciosis induratus, facere prætermisit. Quia igitur dimissis omnibus & singulis (prout apertius in inquisitione continetur) specialiter per dictos testes plenarie nobis constat, nos prædictos & alios prædicti Roberti excessus nefarios & opera detestanda maturo & iusto librantes examine, ac illud notissimum nullatenus committentes, quod ipse Robertus, dum in Vrbe prædicta causa prædictæ coronationis essemus, dilectissimi nostri Pisani (qui inter cæteros nostros subditos fidelitatis ac opinionis sinceritate, galeas & gentes ad nostrum seruitium & honorem Romam mitteret) galeas ipsas in nostræ Maiestatis iniuriam inuadi, spoliari, & gentes prædictas capi & incarcerari, & in carcere detineri mandauit & fecit, & nihilominus ex huiusmodi continuationis terminis perseuerando, mala malis addendo, & peiora continue committendo, dum contra rebelles nostros direximus signa Cæsarea, rebellibus ipsis (sicut publicum & notorium est, & facti euidentia docebat & docet) misit plures armatorum in subsidium, vt eos diutius in eorum rebellionis erroribus confoueret, & attendens, quod dum ipse potuit pacem & quietem habere, dum debuit tranquillitatem expectare, ad nostram beneuolentiam & dilectionem, quam sibi ex animi sinceritate paraueramus, obtinere noluit, bella quæsiuit, iniquitates exercuit, & pro posse curauit, sicut etiam procurare non cessat, in Imperij populos seminare Zizanias, suscitare odia, immittere scandala, concitare tumultus, nutrire schismata, & fouere discordias, & sine intermissione in actu committendi continuandiq; potest contra nostrum Imperium non omisit, non solum in nostri Imperij contemptum Reique publicæ detrimentum, sed etiam in perturbationem prosperitatis Ecclesiasticæ, quæ ad Imperij statum plurimum dignoscitur tendere, & in retardationem negotij Terræ sanctæ, ad quod (teste Deo, qui omnia nouit) totis cordibus & affectibus anhelamus, & videntes aperte, quod dictus Robertus irreuocabiliter in signum erroris prolapsus, & obstinatus in dolis, viam veritatis expiauit omnino, & tanquam aspis surda non obtinens auditum, nec mandata nostra, nec Legis pœnam, in quam suis culpis (nam omne, quod est ex Deo, vincit mundum, & hæc est victoria, qua vincit mundum fides nostra, omni cura custodias cor tuum, nam ab ipso vita procedit, Prouerb. cap. 11.) incidisse ac incidere noscitur, nec etiam Imperatoriæ plenitudinem potestatis veretur, sed quotidie ceruicis durioris efficitur: & quantum ipsum ad pœnitudinem expectamus, tanto maiorem assumit audaciam malignandi: Considerantes etiam, quod ipse Robertus, de Imperij crapulatus pinguedine dilatatur, & ex illicitis sibi laxatis habenis furit, & nobis pro obedientia rebellionem, & pro fidelitatis debito iniurias refert, nosq; ac quoscunque fideles Imperij nobis obedientes pro posse impugnare conatur, eiusque pœnas non in ædificationem, sed in destructionem, non ad fructum & iuuamen vt haberet, sed ad pestem esse dignoscitur: Et volentes præmissis iniuriis & ipsius fraudibus obuiare, & Euangelicam sequi doctrinam, quæ nos monet, quod omnis arbor, quæ fructum non facit bonum, abscindatur & mittatur in ignem, licet fideles Reges & Principes in suorum dignitatis eminentiam libenter condignis honoribus, & gratiosis fauoribus prosequamur, tamen vt culpa supplicium timeat, & virtus retributionem expectet, Robertum prædictum, cuius eligimus domare superbiam, & præsumptionem erectam conterere, ipsumque à statu suo quantumcunque sublimi deponere, cum propter præmissa Maiestatis criminis reus sit, vniuersis & singulis dignitatibus quocunque titulo comprehensis, quibus se intitulat, & decorat auctoritatibus, honoribus, libertatibus, immunitatibus, & priuilegiis, prouinciis, comitatibus, ciuitatibus, castris, terris, villis, & aliis feudis, vasallis, bonis, rebus, iuribus, & iurisdictionibus vniuersis tam perpetuis quam temporalibus, quos, quas & quæ habet, tenet, & possidet, vel quasi, seu habuerunt & possederunt hactenus quomodolibet ipse vel sui prædecessores, priuamus: eundem Robertum rebellem, proditorem, & hostem Imperij, dictæque Maiestatis crimine reum, de toto prædicto Imperio exbannimus, & diffidamus: ipsum si quo tempore in nostram & Imperij fortiam perue-

nerit, vita per capitis mutilationem priuandum, in his scriptis sententialiter condemnamus: statuentes & mandantes, quod nulla persona cuiuscunque nobilitatis, excellentiæ, status, vel conditionis existat, nullaq; ciuitas, castrum, villa, vel vniuersitas eidem contra nos & Imperium præbeat publice vel occulte, consilium, auxilium, vel fauorem, sub pœna centum librarum auri pro qualibet ciuitate libras quinquaginta, pro quolibet castro, villa, Marchione, Duce, Comite, Barone, & quolibet nobili viginti librarum auri, & pro qualibet alia singulari persona, pro vice qualibet qua contra fecerint, committenda: quodque cuilibet liceat impune ciues, incolas, habitatores ciuitatum, castrorum, villarum, & quibuslibet alias singulares personas, cuiuscunque status vel conditionis existant, quæ contra nostrum honorem obediant ei, vel darent consilium, auxilium, vel fauorem, publice vel occulte offendere in persona, rebus, & iuribus, & ipsos & ea capere, & arrestare & retinere: inhibentes etiam & præcipientes expresse, ne aliqui debitores ipsius Roberti de bonis, in quibus ei tenentur, in aliquo satisfaciant, vel reddere quomodolibet præsumant, vel alioquin tantundem Cameræ nostræ persoluant. Ad hæc sine strepitu & figura iudicij compellantur vniuersitates & prouincias nostras, ciuitates, villas, & singulares personas cuiuscunque præeminentiæ vel excellentiæ, etiamsi Regia dignitate, vel cuiuscunque alterius dignitatis, conditionis, vel status existant, quæ ex aliquo pacto vel promissione seu obligatione dicto Roberto, aut prædecessores sui facto pacto vel pœna sub qualicunque forma comprehenso, vel comprehensi sint ratione, causa, vel titulo, & specialiter de aliquo seruitio faciendo, vel hominum armatorum aliudq; subsidium dando, per mare vel per terram, teneretur eidem Roberto, ab ipsis pacto, promissione, obligatione & pœna apposita, vasallos quoque & feudatarios, & omnes & singulos, qui eidem fidelitatis vinculo, vel alia quacunque ratione vel causa, ad aliqua seruitia realia vel personalia tenerentur, ab omni articulo fidelitatis, subiectionis & obedientiæ ei vel suis hæredibus faciendis absoluimus penitus & in totum: ita quod nec ciuitates, castra, villæ, vniuersitates, & personæ prædictæ, pacto vel obligatione prædictorum, aut vasalli, aut feudatarij, præfatis ciues, fidelitatis, subiectionis & obedientiæ ratione, causa vel titulo sibi vel suis hæredibus quomodolibet teneantur. Ipsas etiam contratas, ciuitates, castra, villas, feudatarios, vasallos, bona, res, iurisdictiones, seruitia, & iura, & quæcunque alia sub nostra contenta priuatione & absolutione huiusmodi confiscamus. Demum omnibus & singulis militibus, auditoribus, iudicibus, iure peritis & notariis, qui eiusdem Roberti domestici seu familiares existunt, siue aliis, qui in eius seruitio esse noscuntur, & quibusvis aliis, districte præcipiendo mandamus, quod ab ipsius Roberti familiaritate, consiliis, directione, & obsequiis quibuscunque, infra duorum mensium spacium ab hodie computandum, cum effectu recedant, & nunquam ad eius seruitium vel consilium accedere publice vel occulte præsumant: alioqui ipsos milites honore ac dignitate militiæ, iudices adiudicandi & assidendi omnibus & singulis priuilegiis & immunitatibus, ac notarios notariatus officio: eos videlicet ex dictis militibus, auditoribus, iudicibus, iure peritis, notariis qui huiusmodi mandato nostro non paruerint cum effectu, ex nunc prout ex tunc priuamus termino supra scripto, & inhabiles & infames reddimus, ita quod elapsis mensibus supradictis ad nullos actus legitimos quocunque tempore postmodum admittantur. Huiusmodi autem priuationis, confiscationis, exbannitionis, diffidationis, condemnationis, & absolutionis sententias in his scriptis fecimus, & omnia alia singula facta & incerta facimus existente iustitia, & bono Reipublicæ requirente, ac ex certa scientia & plenitudine potestatis, supplentes omnem defectum, si quis forsan in inquisitione prædicta, de quibuscunque processibus propterea habitis ob aliquam iuris solennitatem omissam esset habitus, non obstantibus aliquibus legibus, constitutionibus contrariis, vel priuilegiis sub quacunque forma verborum concessis: etiamsi de ipsis oporteret de verbo ad verbum in præsentibus fieri mentionem, quæ contra præmissa vel præmissorum aliquid posse quomodolibet obiici non opponi, quibus specialiter derogamus. Actum Pisis in præsentia nostrorum Principum & Baronum, ac populi multitudine copiosa, VII. Calen. Maij, regni nostri anno quinto, Imperij vero anno primo, quod fuit MCCCXI.

MCCCXIII.

Manu armata eodem Imperatore subiugante ciuitates Italiæ sibi rebelles, cum magno exercitu iacente in partibus Thusciæ prope in castro dicto Bonthonienth, ciuitatem Senarum in die Assumptionis Virginis gloriosæ, cum deuote sumeret corpus & sanguinem Dominici Sacramenti, in ablutione calicis per

quendam

quendam fratrem ordinis Prædicatorum (vt narratur*) immissum est venenum in calicem, & sic intoxicatus statim obiit, & in ciuitate Pisana sepultus est. *Petrarcha in lib. Augustali.

PONTIFICES ROM.

NIcolaus IV. de ordine fratrum Minorum, Doctor Theologiæ, anno Domini MCCLXXXVIII. electus sedit annis V. & bis electus cum lacrymis resignauit, tertio compulsus ab omnibus Cardinalibus acquieuit. *Nicolaus IV. Pp.*

Celestinus Papa V. anno Domini MCCXCII. electus sedit vnum annum. Hic prius vocatus Petrus, Eremita erat, vir simplex, sanctæ vitæ, & nullius literaturæ. Qui miro modo ad papatum est assumptus, quod vacante papatu, per obitum Domini Nicolai prædicti, & Cardinalibus in vno conclaui inclusis in vrbe Roma*: sed post electionem suam se transtulit in Neapolin iuxta tenorem constitutionis, *Vbi periculum, De elect. lib.* VI. Quidam Cardinalium magis tunc attentius quadam nocte somniabat, quod circa quendam montem ibidem prope quadam persona resideret, & quæri deberet, quæ ad papatum assumi deberet. Qui de somno euigilans, aliis Cardinalibus somnium huius referebat. Vnde alii Cardinales communi consensu conclaue exeuntes eum processione cleri Neapolitani (alias Romani) versus montem huius exiuerunt, & inuentus prædictus Eremita est electus in Papam; vnde delicatis cibis non assuetus, ciceres semper in prandio petiuit: & vna noctium à cubicularijs delicato cibo & potu bene procuratus circa candelam irrequisitis Cardinalibus creauit aliquos Cardinales; cum tamen de consuetudine Romanæ Ecclesiæ non sit facere Cardinales, nisi de consensu aliorum Cardinalium & in cõsistorio publico: vnde de mane alii Cardinales audientes hoc inconsuetum factum, ipsum Papam acriter corripuerant. Vnde narratur de Bonifacio successore suo dictum: *Spiritus sanctus decepit nos, simplicitatem aduertens ipsius.* Et in nocte cum idem Celestinus in lecto suo iaceret, in quadam canna per foramen sui familiares ipsum alloquebantur, quod renunciaret papatui his verbis: *Nisi papatum dimittes, animam amittes*, quasi hæc vox diuinitus esset missa, sic inductus papatui renunciauit, & constitutionem verbalem fecit, quia illiteratus fuit) *Quod Papa posset renunciare papatui*; quæ habetur *De renunc. c. quoniam. lib.* VI. Qui post hoc modico tempore superuiuens, bona vita dies suos finiuit, & canonizatus fuit per Dominum Clementem successorem suum, in catalogo sanctorum ascriptus, in ciuitate Aquileia est sepultus. *Celestinus V. Pp.*

Bonifacius Papa VIII. prius vocatus Benedictus, anno Domini MCCXCVII. electus sedit annis decem, minus duobus mensibus. Hic fuit magnæ literaturæ, & defensor cleri secularis. Alii dicunt nouem. Anno primo renouauit omnes gratias de Ecclesiasticis beneficiis factas per duos immediatos Papas antecessores suos, Nicolaum IV. & Celestinum V. vt patet *De concess. præben. c. quoniam. lib.* VI. *Bonifacius VIII. Pp.* *I.*

Anno tertio graues processus fecit contra quosdam nobiles Romanos de Columna nuncupatos, & potentes, vnde duos Cardinales, Iacobum & Petrum de eadem domo deposuit, & stirpem illam fecit indignam beneficiis Ecclesiasticis vsque quartam generationem, vt patet *De schism. c. vno. lib.* VI. Vnde prædicta stirps de vrbe eiecta perrexit ad Regem Franciæ, qui ipsam manu tenuit, collegit & suscepit.

Anno quarto composuit, & per suos compilari fecit sextum librum Decretalium, in quo multas vtiles constitutiones inseri fecit, vt patet intuenti. *II.*

Anno quinto excommunicauit omnes, qui corpora humana sepelienda exenterant, decoquunt vel diuidunt, vt possint sic ad remota loca deferri & ibi sepeliri, vt patet in quadam constitutione, quæ incipit, *Detestanda.* *V.*

Anno sexto indixit annum Iubileum, qui fuit annus Domini MCCC. Anno eodem fecit vnam constitutionem valde vtilem clero seculari, & maxime rectoribus Ecclesiarum parochialium, sed restringentem auctoritatem fratrum Prædicatorum & Minorum à Martino Papa IV. concessam, & ipsis ordinibus mendicantiũ odiosam, vt patet in quadã cõstitutione, quæ incipit: *Super cathedrã.* Quam constitutionem Benedictus Papa successor suus renouauit. Sed Clemẽs Papa V. *VI.*

reuocatoriam Benedicti cassauit,& prędictam constitutionem Bonifacii tãquam vtilem approbauit,vt videtur hodie in constitutione *Clem. De sepulchris, ca. Dudum.*

VII. Anno VII.idem Bonifacius Papa graues processus fecit contra Regem Franciæ,eo quod recepit & defendit illos de Columna Romanos, quos (vt supra dictum) Papa anathemisauerat, vnde ipsum Regem cum suis fautoribus excommunicauit,totum suum regnum ecclesiastico suppositi interdicto. Verum pauci Prælati ipsius regni huiusmodi seruauerunt interdictum Papæ,Regis timore: excepto Archiepiscopo Burdigalensi,qui rigide processus seruauit, & ob hoc idem Archiepiscopus postea est electus in Papam. Vnde idem Rex huius processus indignanter ferens, vna cum prædicta stirpe in malum ipsius Papę extitit machinatus.

Anno Domini MCCCIII.idem Papa cum tantæ ductionis *iret extra Vrbem in oppidum nomine Anania,præfati expulsi de Columna cum adiutorio seruitorum Regis Franciæ manu armata subito & inopinato irruerunt in castrum prædictum, & incendio destruentes venerunt ad palatium Papæ, qui sentiens aduentum inimicorum induit se pontificalibus, & quidam de prædicta stirpe nomine Scarra de Columna videns Papam occurrentem sibi dixit,an cognosceret eum: Qui respondens ait, *Nosco primogenitum Satanæ*: quæ verba ponuntur in Canone **Leliſit.* XXV.q.1.*Omnis qui recedit*. Vnde ipse cum suis Papam obmisit *in quodam introitu ostii cum ianua, quod ex hoc læsus modico tempore postea superuiuens circa festum vndecim millium virginum obiit. Et ab eo tempore Romani Pontifices non sederunt in vrbe Romana. Prædictus autem Rex ex quodam casu de equo mortuus subito, & successores sui quanquam plures sine viris hæredibus discesserunt.

Benedictus XI. Pp. Benedictus Papa XI.anno Domini MCCCIV. electus in Papam sedit duobus annis,alii dicunt de vno, immo de octo mensibus; & quod electus fuit in Vrbe, sed transtulit curiam Perusium,& quod post obitum suum vacauit sedes duobus annis vel circa in Perusio. Hic prius de ordine fratrum Prędicatorum constitutionem antecessoris sui Bonifacii,suis fratribus & aliis mendicantibus non placabilem,sed vtilem clero seculari cassauit,vt supra dixi. Item quam plures alias constitutiones vtiles inquisitionis hæreticæ prauitatis edidit.

Clemens V. Pp. Clemens Papa V.MCCCVI.electus in Papam sedit annis VII.vel circa,hic nobilis de Wasconia,Vertrandus Archiepiscopus prius Burdegalensis,non existens Cardinalis,in absentia eligitur. Vide scripturam Authent.quæ dicit,hunc Clemẽtem electum anno Domini MCCCV. die V. mensis Iunii,in Perusio. Quia quum Cardinales Perusii in conclaui inclusi in electione Papę concordare non possent, præfatum Archiepiscopum Burdegalensem, ob hoc, quia processus Domini Papæ Bonifacii contra Regem Franciæ præ aliis seruarat, æstimantes quod ad eos Italiam accederet, in absentia elegerunt; sed viso decreto electionis non intrauit Italiam,sed mandauit Cardinalibus, vt ipsum accederent Burdegalis, & sic curia *Translatio curiæ Romanæ.* Romana est vltra montes translata, vsque hodie. Vnde venientibus Cardinalibus ad prouinciam se Papa cum curia transtulit. Hic constitutionem Bonifacii vtilem clero seculari contra ordines Mendicantium innouauit, reuocans constitutionem contrariam,dicti proximi antecessoris sui,vt patet in constitutione Clementina *De sepult.cap.Dudum.* Hic stirpem illam Romanam de Columna à Bonifacio anathemizatam, in totam restituit ad res & honores, quam & Benedictus antecessor suus restituerat in parte.

V. Anno V. idem Clemens Viennæ concilium celebrauit,in quo multas constitutiones vtiles edidit, vt patet in compilatione suarum constitutionum. Item, *Clementina.* Hainricum Imper. VII. per suos legatos Cardinales in Vrbe Romana coronari mandauit. Item generale passagium vltramarinum in subsidium terræ sanctæ indixit. Item militarem ordinem Templariorum ab antiquo ab Ecclesia approbatum,videlicet ab Honorio Papa II. & priuilegiatum exstirpauit; & ad suggestionem Regis Franciæ persecutoris Domini Bonifacii Papę, quod in regno suo ordo ille bonis quamplurimis abundabat. Item sectam religiosam Beckardorum &

Beklina-

Beklinarum damnauit, vt patet in constitutionibus suis in *Clemen. de religios. dom. Can. Cum de quibusdam.* Anno VII. diffinitiuam latam in Regem Apuliæ & Siciliæ nomine Rupertum, per Imperatorem Hainricum VII. cassauit, vt patet in eadem *Clem. de re iud. c. Pastoralis.*

Anno MCCCXIV. die XX. mensis Aprilis pontificatus sui anno X. [*ita legi in Authẽtica scriptura*] in prouincia apud Carpentoratũ obiit, vbi tũc fuit curia Romana. *X.*

Anno MCCCXVI. Dominicę incarnationis, Iohannes Papa XXII. in Lugduno, die VII. mensis Augusti per compromissionem electus in Papam, sedit annis XVIII. & III. mensibus. Hic prius vocatus Iacobus de Cathurco de Wasconia, Episcopus Auinionensis & Cardinalis Senensis multas gratias de Ecclesiasticis beneficiis fecit, & ita pingues clausulas formis gratiarum suarum apposuit generaliter, quales antea ab aliquo Papa non emanauerunt, & dispositioni suę tot prælaturas reseruauit, quot ante ipsum cõmuniter ita consuetũ nõ erat. Vacante sede Romana per duos annos vel circa, cum in Carpentrato in conclaui Cardinales ad eligendum Papam essent inclusi, nec possent concordare, ordinantibus quibusdam ex eis ignis succensus est in ciuitate, & sic ex timore ignis exiere conclaue, & sunt dispersi. Sed lapso tempore circa duos annos Rex Franciæ ipsos Cardinales ad Lugdunum vocauit, vbi ipsum (vt prędicitur) elegerunt. *Iohannes XXII. Pp.* *I.*

Secundo anno curiam & se ad Auinionem transtulit, & constitutiones Clementinas publicauit, vt videtur in earum procœmio. Hic quendam Episcopũ Cathurensem, quo cum ante papatum pacifice nõ vixit, degradari fecit Auinione in publico consistorio, & tradidit curiæ seculari. Hic à primo suæ promotionis valde rigidus fuit habentibus plura beneficia curata, dignitates vel personatas, vnde cõstitutionem valde pœnalem & rigidam edidit contra tales, quę incipit, *Execrabilis.* Sed in fine glorioſior fuit facile super pluralitate dispensando. Hic Galeaciũ tunc ciuitatis Mediolanensis * de hæresi condemnauit, & duos Cardinales legatos, vnũ in Lombardiã, alterum in Tusciam ad persequendũ ibidẽ Ecclesiæ rebelles misit cum magno thesauro, qui magnam stipendiariorum multitudinem conduxerũt. *II.*

Anno Domini MCCCXXIII. legatus Lombardiæ Mediolanum cum multitudine stipendiariorum obsedit, sed post modicum tempus fugatus est inde.

Anno Domini MCCCXXIV. Pontificatus autem sui anno nono. Idem Papa graues processus sententias excommunicationis in personam, suspensionis in cõuentum & can. interdictum in loca continentes fecit, & promulgauit contra Dominum Ludvvicum de Bauaria IIII. electum in Regem Romanorum, & se Imperatorem scribentem. In quibus ipsum iure, quod electione habebat, priuauit, absoluens sibi omnes adstrictos à iuramentis, immo (quod plus est) ipsum declarauit fautorem hæreticorum. Item idem Papa quendam Magistrum Perusiis Iohannem de Gauduno, & alium Marsilium de Padua, qui aliquos libros pestiferos & contra honorem Ecclesiæ composuerant, condemnauit, quos prædictus Ludvvicus in sua familiaritate tenuit. De quorum consilio appellationem contra processus Papæ interposuit, cui multos articulos inseruit. Item quandam opinionem de proprio Christi & Apostolorum, quæ contentio erat inter fratres Prædicatores & Minores, determinauit. Anno pontificatus sui VIII. pro parte fratrum Prædicatorum, vt patet in sua constitutione, quę incipit, *Cum inter nonnullos.* Item constitutionem Domini Nicolai Papæ III. de fratribus Minoribus, reuocauit in parte & renunciauit dominio, quod fratres Minores dicebant esse apud sedem Apostolicam, vt patet in duabus suis constitutionibus, vna incipit: *Quia nonnunquam.* Alia, *Ad conditorem.* Propter quod prædictus ordo fratrum Minorum laudem prædicti Papæ non sincere canebat. *IX.* *LVDOVICVM IV. Bauarum Imp.* *Iob. de Lauduno.* *Marsil. de Padua.* *VIII.*

Anno Domini MCCCXXVI. Ludvvicus non obstantibus precibus Papæ intrauit Italiam cum paucis armatis primo, deinde cũ adiutorio Romanorũ quorundã tunc Italiæ, videlicet Canis de Verbena, Galeacii prædicti de Mediolano, Castrutii de Lucta Episcoporum Castellani de Venetiis & Arecinẽsis, ac suorum collectis & superuenientibus multis stipendiariis cum potentia transiuit Italiam, obsedit ciuitatem Pisanam, & venit ad vrbem Romanam, vbi receptus est beni-

uole Apostolico Romano, & per illos Romanos nobiles de Columna, suprano-
minatos. Vbi ad suggestionem quorundam clericorum & populi Romani prædi-
ctum Papam Iohannem deponere præsumpsit, & de consilio prædictorum quen-
dam fratrem Minorem dictum Petrum de Curuario, nouum Papam ordinauit.
Qui consecratus fuit à præfato Episcopo Castellano, & appellatus Nicolaus Papa
Nicolaus V. Pp. Schisma inter Imperium & Ecclesiam. V. Et ab eo tempore citra magnum schisma tunc fuit in clero & populo in Italia, &
in Alemania. Quia idem Papa Iohannes de multis Ecclesiis & prælaturis in præ-
dictis prouinciis in odium prædictorum prouidit; quas prouisiones idem Lud-
vvicus, & suus Nicolaus Antipapa impediuit. Interdum etiam aliqui sunt admissi,
& in Vrbe prædicta prædictus Ludvvicus à præfato Nicolao est coronatus in Im-
peratorem, & ab hoc in posterum se Imperatorem scripsit & appellauit ** prius
ante ordinationem prædicti Nicolai fuit coronatus à quodam laico antiquo Ro-
mano, prout infra inuenies, tempore eiusdem Ludvvici. Et prædictus Antipapa
Nicolaus quosdam Cardinales creauit, legatum in Lompardiam misit contra le-
gatum Iohannis Papæ, quasdam literas sub bulla sua ad ciuitates Italiæ occulte &
manifeste misit, super depositione Iohannis Papæ, & reprobationis opinione de-
terminatorum per eundem Iohannem de proprio Christi & Apostolorum, & si-
milibus. Hunc in honore vel pudore potius tali existentem, quædam mulier di-
cens, se ante susceptum ordinem cum eo contraxisse, vendicauit in maritum co-
ram Episcopo Reatino, qui cognita causa tulit sententiam de matrimonio [*Vide
quid iuris circa similem materiam, quod not.* LXXIX. *dicitur. Si quis pecuniam, in gl. videtur
fieri.*] Anno XIII. pontificatus sui idem Iohannes Auinione processus aggrauato-
rios valde enormes fecit contra Ludvvicum & Nicolaum prędictos.

XV. Anno Domini MCCCXXX. anno decimoquinto sui papatus præfatus Anti-
papa Nicolaus resumens nomẽ suum Petrus, & ordinem fratrum Minorum cum
dolore & gemitu cordis, per quosdam Italicos (qui erant de parte prædicti Iohan-
nis Papæ) ductus est Auinionem, ad eundem Iohannem, & in publico consisto-
rio omnes errores suos recognouit, petens veniam etiam lacrymando. Deinde
præsente magna multitudine populi idem fecit, & finita hac recognitione ipsius,
quædam aquila superuenit ad hoc populo prẽsente, & posuit se casualiter ad pala-
tium ipsius Iohannis Papæ. Perterrita aquila statim fugit, quo facto idem frater
Petrus de Coruario receptus est ad gratiam à Iohanne Papa, & inclusus in quo-
dam loco palatii eiusdem Papæ, & modico tempore postea superuiuens obiit ibi-
dem, & sepultus est sub publico testimonio Auinione apud fratres Minores.

Eo tempore Ecclesia Moguntina bene octo annis vel circa stetit in schisma-
te, & similiter Ecclesia Wormacensis XI. annis vel circa, quia canonici & capitu-
la prouisos ad easdem Ecclesias à sede Apostolica recipere noluerunt, tandem ta-
Balduinus Archiep. Treuerens. Cui Lupold. de Bebenburg inscripsit lib. de iurisd. Imp. men sunt recepti. Sed pro tempore schismatis Baldvvinus Archiepiscopus Tre-
uerensis frater Domini Hainrici Imp. VII. à canonicis & capitulis earundem Ec-
clesiarum receptus est procurator, & bene rexit easdem Ecclesias, licet in schi-
smate.

Eo tempore Philippus Rex Franciæ per procuratores suos facere passagium
vltramarinum in subsidium terræ sanctæ iurauit, & propter hoc Papa concessit si-
bi decimas regni sui, & à Kalend. Augusti ad duos annos perficere debuit, sed non
fecit.

XVII. Anno XVII. pontificatus sui idem Papa incepit dogmatizare, quod animæ
beatorum ante finale iudicium non viderent diuinam essentiam de facie ad fa-
ciem, nec perfecte. Quæ opinio quammultis displicuit, & maxime studio Pari-
sienſi, quod eidem Papæ super hoc suas literas direxit, & multi errores nutriri ex
ea videbantur. Ipse in agone mortis suæ eam reuocauit, dicens, se huius opinio-
nem defendisse non animo credendi hæc, nec assertiue, sed propter veritatem in-
uestigandam; & submisit dicta sua in prędicta opinione futuræ determinationi
Ecclesiæ & suorum successorum. *De hoc Canone* XXIII. *q.* III. *cap. dixit Apostolus, &
quæ ibi not.*

Anno Domini MCCCXXXIIII. & decimonono pontificatus sui Iohan-

nes

nes XXII. obiit in die B. Barbaræ virginis, ſepultus in Eccleſia maiore Auinione in ſepulchro ſatis pretioſo.

Benedictus Papa XII. Kal. Ianuar. in vigilia B. Thomę Apoſtoli electus Auinione, ſedit annis VII. & IV. menſibus. Hic prius vocatus de Nactardi, & Cardinalis ordinis Ciſtercienſis, Magiſter in Theologia, prope Toloſam oriundus, conſanguineos modicum curauit. Domino Ludwico anathemizato per anteceſſorem ſuum fecit bonam ſpem de reconciliatione ipſius ad Eccleſiam: ſed licet multas legationes ſibi fecerat, tamen reconciliationem ab ipſo non obtinuit. Hic non ita gratioſus in faciendis gratiis fuit, ſicut anteceſſor ſuus, omnes gratias de beneficiis Eccleſiaſticis, quibus ius iure acquiſitum non erat, omnium prædeceſſorum ſuorum reuocauit per quandam conſtitutionem ſuam, quæ incipit: *Cæca cordis.* Secundo anno determinauit opinionem ſupra nominatam de viſione animarum ſanctarum Diuinæ eſſentiæ ante finale iudicium, videlicet quod animæ beatæ perfecte & facile viderent Diuinam eſſentiam ante extremum iudicium, vt patet in quadam conſtitutione ſua, quæ incipit: *Benedictus Deus.* Hic multas fecit conſtitutiones pro reformatione omnium ordinum religioſorum, & principaliter ad reformationem ſui ordinis Ciſtercienſis. Anno ipſius quarto maximus Cometa rutilans eſt viſus, & diſcordia (de qua infra) inter Reges Franciæ & Angliæ eſt ſuborta.

Benedictus XII. Pp.

II.

IV.

Anno MCCCXXXVIII. Dominicæ incarnat. IX. menſis Ianuarii Romæ tempeſtas validiſſima ſubito ſuperuenit, ex qua magna pars Eccleſię B. Marię maioris deſtructa fuit, & quædam columnæ ęreæ ibidem transmutatæ de loco in locum, & Dæmones ibidem congregati.

Anno Domini MCCCXLII. In die B. Marci Euangeliſtæ obiit Bonifacius pontificatus ſui anno VIII. Auinione, & ibi ſepultus eſt.

VIII.

Anno Domini MCCCXLV. Rupertus Apuliæ & Siciliæ ac Ieruſalem Rex, & Comes Prouinciæ mortuus eſt. Ex his omnibus regnis ſe ſcripſit, licet quædam non poſſideret.

REDIT AD IMPERATORES.

MCCCXIV.

LVdwicus IIII. iunior filius Ludvvici Ducis ſuperioris Bauariæ ſupra nominati anno Domini 1314. in die B. Lucæ Euangeliſtæ per maiorem partem electorum Imperii, videlicet per duos Petrum Archiepiſcopum Moguntinum, Baldvvinum Archiepiſcopum Treuerenſem, Iohannem Regem Boemiæ, & Waldmarum Marchionem Brandenburgenſem Francenfurt eſt electus ad Regem, cum magna potentia armatorum, quos prędicti Electores illuc adduxerant. Et ex oppoſito & in diſcordia Fridericus filius ſenior Alberti quondam Regis Romanorum ſupradicti, Dux Auſtriæ, ſimiliter eſt electus in Regem Romanorum per minorem partem electorum Imperii, videlicet per Hainricum Archiepiſcopum Colonienſem, & Rudolphum fratrem prædicti Ludvvici Comitem Palatinum Rheni, & Ducem ſuperioris Bauarię, & per Ducem Saxoniæ nomine Rudolphum in oppido Bunnenſi Colonienſis diœceſis, & coronatus ibidem, quia tantam potentiam vnitam habere non potuit idem Fridericus, vt in Francenfurt in termino ad eligendum comparere auderet. Præfatus autem Ludvvicus ſtatim poſt hæc in die B. Catharinæ virginis immediate ſequenti, Aquiſgrani per ſuos electores etiam extitit coronatus. Hic tempore electionis ſuæ ætatis XXX. annorum, vel circa, elegans perſona, prudens, patiens, quietus, indulgentioſus, fortunatus in bellis, & in aliis factis, ſed remiſſus in executione iuſtitiæ & tardus ad laborem. Dicitur XXIV. q. v. cap. Rex det filios ſuos non ſine * impie agere, quod ipſe non bene ſeruauit, ſolatio quodammodo libenter quærēs, regnauit annis XXXIII. minus octo diebus, & obiit anno Domini 1347. v. Idus Octobris. Hi duo Ludvvicus & Fridericus erant nepotes, quia filii fratris & ſororis (nam mater ipſius Ludvvici ſoror fuit Alberti Romanorum Regis prædicti) in diſcordia electi, vt prędicitur, de adminiſtratione Regni in Alemania ſe intromiſerunt: & quilibet

LVDOVICVS IV. Bauarus imp.

Fridericus Auſtriacus Rex electus in ſchiſmate.

eorum Principes, Dominos, ciuitates, oppida, villas, res & bona alia ad regnum pertinentia, per vim ac potentiam & alios modos, quibus potuit, sibi attraxit. Ex quo maximum schisma inter domos, & alias turbatio terræ grauis extitit subsecuta, quæ durauit vsque ad captionem ipsius Friderici, de qua infra, & postea ad decem annos, vel circa. Sed sopito hoc schismate & turbatione per captiuitatem Friderici, & obitum ipsius ac fratrum suorum Leupoldi & Hainrici Ducum Austriæ, grauius cœpit in Italia & Alemania, maxime in clero, ex eo quod Ecclesia graues processus fecit contra dictum Ludvvicum, anathemizando eum, de hæresi condemnando, personas & loca interdicto ecclesiastico supponendo.

Anno Domini MCCCXIII. mense Nouembri idem Ludvvicus, sedante electionem suam ad regnum, bellum magnum & cruentum habuit cum nobilibus & gente prædictorum Friderici, Leupoldi & Haintici fratrum, Ducum Austriæ, in inferiori Bauaria prope villam Gameldorff, in quo prædictos nobiles & gentem cepit Australem, pluribus interfectis. Causa autem belli huius fuit, quia ipse datus fuit tutor Ducibus Haintrico & Ottoni fratribus, & Haintrico eorum patrueli in inferiori Bauaria adhuc pueris, & viuentibus, & eorum terræ, quam prædicti Duces Austriæ auferre & destruere nitebantur. Ex hoc itaque bello famosus effectus, sequenti anno in odium prædictorum Ducum Austriæ, & contra eos est ad regnum electus.

Gameldorff.

I. Anno primo suæ electionis quidam de Alsatia ob promotionem Friderici aduersarii sui machinatus est in mortem suam, quia cum balista de ferro facta subtili occulte volebat eum sagitta perforasse; sed præmonitus malefactorem cepit, & in curru diu eum secum duxit, & tandem sententia capitali puniuit.

II. Anno secundo regni sui bellum habuit cum Friderico prædicto iuxta Ezlingen in fluuio Neckaro: in quo plures ex vtraque parte sunt occisi, & quivis ab alio discessit. Rudolphus autem frater suus ratione Comitatus Palatini, accepta pecunia à prædictis Ducibus Austriæ auunculis suis, contra fratrem elegit Fridericum prædictum: propter quod ipse Ludvvicus eum expulit, & quinto anno regni ipsius Ludvvici obiit. Ipse vero Ludvvicus cum penuria & egestate in administratione regni longo tempore transegit. Nam prædictus Fredericus electus, & fratres sui Duces Austriæ iuuenes & viriles in diuitiis & potentia ipsum longo excesserunt.

Eßlingen.

Rudolfus Palatin. Elector.

MCCCXVIII.

Dux Leupoldus frater prædicti Friderici graue bellum cum Suitanis habuit, in quo multos nobiles amisit*.

** apud Stumpf.*

MCCCXXII.

VIII. Regni sui octauo proximo die ante festum B. Michaelis, post diuersas turbationes partium Alemaniæ, prædicti Ludvvicus & Fridericus electi in Reges, congregato magno exercitu vtrinque in inferiori Bauaria prope Muldorff Salzburgensis diœcesis bellum iniuerunt: in quo Ludvvicus Fridericum coelectum suum, & Hainricum fratrem eius Ducem Austriæ captiuauit. Hainricus captus assignatus est Iohanni Regi Bohemiæ debellantibus vni, qui eum aliquo tempore tenuit in vinculis, & interuenientibus tractatibus (quia quædam castra & munitiones in metis Austriæ & Morauiæ, pertinentia ad Duces Austriæ, fuerunt assignata eidem Regi) tandem eundem dimisit, & postea modico tempore superuixit. Ludvvicus vero Fridericum in carcere tenuit in castro Trausennyrz* Ratisponensis diœcesis tribus annis vel circa. Et nihilominus Leupoldus Dux Austriæ frater eiusdem Friderici non minores gvverras eidem Ludvvico mouit, quam ante fratris captionem. Prædictum autem bellum consummatum est ante aduentum eiusdem Ducis Leupoldi, qui gentem magnam de Sueuia & de Rheno collegerat, & in itinere erat ad subueniendum fratri.

Prælium Ludouici & Friderici.

** al. Traussnitz.*

Anno decimo regni sui Ludvvicus obsedit castrum Ducum Austriæ dictum Purgavv,

Purgavv cum magna potentia, volens Fridericum aduersarium suum captum ca- *Burgas.*
pitali sententia ibidem plectere, sed per Leupoldum Ducem prædictum fugatus est inde.

Anno vndecimo Ludvvicus solus exclusis omnibus consiliariis suis occulte *XI.*
tractauit, & confœderauit se cum prædicto Frederico capto, ita quod idem Fridericus renunciaret iuri electionis suæ, & Ludvvico deberet assistere etiam contra fratres suos, & iuramentum ambo tractatus huiusmodi occultos obseruare super Sacramento Eucharistiæ, quod ambo eadem hora receperunt, Missa coram eis celebrata, & sic Fridericum à vinculis dimisit. Post dimissionem non multo tempore se Regem, sicut ante, scripsit Fridericus; & immemor gratiæ sibi factæ, se contra Ludvvicum iterato erexit. Vnde Iohannes Rex Boemiæ terram suam, videlicet Austriam cum magna potentia intrauit, & sibi grauia damna in castris, munitionibus, & aliis intulit, & modico tempore superuiuens, An. Dom. MCCCXXIX. obiit ex veneno: quia vermes innumerabiles ex cute ipsius erumpebant. Ante mortem ipsius biennio vel circa mortuus est Leupoldus.

Eo tempore in Tuscia Castrucius Dominus Lucanus magnum bellum habuit cum Florentinis in alto passo, in quo plures eorum cepit, & magna strages hominum facta est.

Anno regni sui duodecimo cum colloquium haberet cum Friderico prædicto iam dimisso, adhuc viuente in Isprugka, & in eodem colloquio non multum se amice ab inuicem separarent, idem Ludvvicus ingressus est Alpes, terram Ducis Karinthiæ, ciuitatem Tridentinam, vbi ad eum solennes ambasitores miserunt Rectores Lombardiæ, videlicet Galeatius de vice Comitibus Dominus tũc Mediolanensis, Dominus Canis de Scala Dominus tunc Veronensis pathiuus, Dominus Mantuanus, Castrucius, Dominus Lucanus & alii Italici Gibelini, qui *Gibelini.*
diuersas pressuras sustinuerant à Legatis Cardinalibus Papæ Iohannis XXII. & à stipendiariis Ecclesiæ missis & conductis in Lombardiam, supplicantes eidem, vt pro subsidio eorum Italiam dignaretur intrare. Quibus acquiescens intrauit *Expeditio Italica Ludouici.*
Italiam cum gente modica, & venit Mediolanum; vbi honorifice susceptus est, & coronatus secunda corona argentea, & post eum magna copia Alemanorum sequebatur. Vnde cum in Mediolano iam tanto tempore quietus staret, vt deficere inciperet in expensis, inductus malo consilio quorundam, Galeacium Dominum Mediolanensem auctorem sui introitus, & qui multas expensas ei impendit, captiuat, & dominium eiusdem ciuitatis alteri commisit, videlicet Hugoni *Mediolanũ.*
Comiti de Monteforti Alemanno; & sic inde transit vocatus per Castrucium Dominum Lucanum, venit Tusciam: [*Vide simile supra de Arnolpho.*] vbi obsedit ciuitatem Pisanam, quam tandem obtinuit, & dominium ibidem Castrucio commisit. Vbi pestilentia grauis, quæ fuit anno Domini MCCCXXVI. mensibus Iulio & Augusto, ac Septembri, multos homines interemit: inter quos fuit Gebhardus de Graispach. Hic Gebhardus obiit anno Domini MCCCXXVII. in die exaltationis S. Crucis, Episcopus Eistetensis, & Comes de Seyn nomine Gozibertus.

Eo tempore Papa Iohannes misit quendam legatum in Alemaniam, Priorem de Tholosa de ordine Hospitaliorum, mandans Principibus Electoribus, & principaliter Dominis Heinrico Colonienſi, & Matthiæ Moguntino Episcopis (de quibus specialiter confidebat) vt alium Regem eligerent. Et cum in termino condicto præsentes conuenissent Domini Waldevvinus Treuerensis Archiepiscopus, & Iohannes Rex Boemiæ, huius propositum impediuerunt, & sic legatus reuersus est sine fine.

Passerinus Dominus Mantuanus fecit conflictum ciuitati Bononiensi, in quo plures capti sunt & occisi: propter quod Bononienses legatum sedis Apostolicæ in Lombardia existentem pro Domino receperunt.

Rex Liuoniæ * cum multitudine paganorum Marchionatum Brandeburgensem crudeliter depopulatur. Hic Marchionatus modico tempore absq; naturali hærede vacauit per obitum Waldmari. Hic post XXVIII. annos reuersus est ad terram, asserens se adhuc viuere, prout infra inuenies sub Carolo IV. * Marchio- ** m.s. Lichphonia. Marchia Brandeburg.*

nis ibidem supranominati. Vnde prefatus Ludvvicus filium suum primogenitum nomine Ludvvicum ibi Marchionem fecit, qui in adipiscendo eodem Marchionatu resistentiam passus est, in cuius odium prædicti pagani marchionatum depopulantur permittente Iohanne Papa prædicto.

XIII. Anno XIII. regni sui magna potentia vocatus à populo Romano, & maxime
* al. Sterra. per quosdam nobiles de Columna, inter quos fuit quidam nomine Serra * de Columna, qui (vt supra scribitur) interfuit captioni Papæ Bonifacii, intrauit Vrbem, & ibi honorifice susceptus est: vbi eum relinquens prædictus Castrucius, qui cum eo Romã venerat, reuersus est in Tusciã in subsidium ciuitatis Pistorien sis, quam Florentini obsederant, & eam liberauit de manibus eorundem, & post non multum temporis est defunctus. Eodem anno idem Ludvvicus ad complacendum populo Romano, & ad suggestionem quorũdam clericorum & laicorum, quendam fratrem de ordine Minorum nomine Petrum de Curuario erexit, & post coronationem suam (vt infra) præfecit in Papam, vel potius in Antipapam, deponens Papam Iohannem XXII. qui tunc curiam Romanam Auinione tenebat, qui quidem Antipapa se appellauit Nicolaum V. & consecratus est ab Episcopo Castellano & aliis hæresiarchis in Vrbe. *Idem verbum habetur* XXIV. *q.* III. *qua alio-*
Obscure videtur. *rum.* * Non intelligas, quod Antipapa prædictus ipsum coronauit à principio, sed quidam antiquus Romanus præfectus Vrbis & Dominus in Biterno, Dominica qua canitur, *Omnis terra*. Et post hanc coronationem secundo anno mense Aprili sequenti, prædictum Petrum Antipapam (vt prædicitur) fecit, qui postea exercitium gladii temporalis commisit eidem Ludvvico Imperatori in Vrbe, & ab eo tempore citra se Imperatorem scripsit. Sed post recessum Ludvvici de Italia rediens Antipapa ad gratiam Iohannis Papę, & ecce pœnituit de commissis, & sepultus est Auinione, vt supra inuenies in gestis Iohannis Papæ dicti.

Eodem anno cum idem Ludvvicus proficisceretur de Vrbe proponens in-
* deest aliquid. trare Apuliam contra Ropertũm Regem Apuliæ, *de quo in Chronica inuenies sub Caroli* *, quod si à principio introitus vrbis statim arripuisset iter versus Apuliam, communi æstimatione eam sine oppositione habuisset. Sed nunc quod per nouem menses vel circa tardauit in Vrbe, terra præmunita fuit, vnde gens sua venit ad quoddam castrum situm iuxta Tyberim vltra Romã, & propter spolia ibidem inuenta incepit inter se discordare, & in duo agmina se diuisit, quod Rhenenses contra Sueuos & alios partem fecerunt, quod ipse tunc magna difficultate mansuetudine & patientia intercepit, & sic est reuersus ad Vrbem.

XIV. Anno regni sui quartodecimo, quod gens sua magnas insolentias fecit in Vrbe, & nimis in acquirendis expensis grauauit populum Romanum, quia Ludvvicus persoluit eis stipendia, populus Romanus cogitauit occulte expellere de Vrbe ipsum; quod ipse præueniens confuse recessit ab Vrbe, & reuersus est in Tusciam ad ciuitatem Pisanam & Lucanam; & sedato ibi quodam rumore in-
Luca. ter Lucanos & filios Castrucii præmortui, dominium ciuitatis Lucanæ abstulit filiis prædictis (quibus & pater eodem anno concesserat) & nouum Dominum præfecit ibidem, & exinde transiens obsedit Mediolanum, remoto Hugone Comite de Monteforti, rebellare incepit eidem, sed parum profecit ibidem.

XV. Anno regni sui decimoquinto de Italia reuersus est in Alemaniam, & tunc Ducatum Francorum Bauariæ, quem antea post expulsionem & obitum fratris sui Rudolphi pro maiori parte solus occupauerat, cum filiis eiusdem fratris Ru-
Diuisio Palatinatus & Bauariæ. dolpho & Ruperto diuisit, quibus cesserunt oppida circa Rhenum, videlicet Haydelberg, & cætera, ac aliqua etiam circa nemus Bohemicum, videlicet Amberch & similia. Ipsi autem Ludvvico cessit Monacum, Ingolstat, Legenfelt, & similia.

Eo tempore Romani & Italici, qui Ludvvicum susceperant, ad gratiam Iohannis Papæ redierunt.

Eo tempore Otto Dux Austriæ fratribus suis prædictis præmortuis, incepit rebel-

rebellare sibi, incitatus à Papa Iohanne, & obsedit Columbariam ciuitatem in Alsatia: ad quam liberandam Ludvvicus magnam gentem collegit, sed concordati sunt, & ipse regalia sua ab ipso cum debita solennitate in Augusta recepit. *Colman.*

Hainricus Landgrauius terræ Hassiæ vxorem suam, filiam Marchionis Missnensis, habens eam suspectam de adulterio commisso cum quodam camerario suo à se reiecit bene circa xxx. annos, quibus ambo post adulterium commissum vixerunt, & deinde in thoro nunquam voluit ei cohabitare.

MCCCXXX.

Iohannes Rex Boemiæ intrauit Italiam vocatus à quibusdam Rectoribus ibidem, & multæ ciuitates Lombardiæ obediunt sibi, & pro Domino ipsum recipiunt, habuit etiam magnam familiaritatem cum legato Papæ Iohannis Cardinali, qui tunc tenuit dominium ciuitatis Bononiensis. Propter quod Ludvvicus conqueritur Principibus contra eum, dicens eum contra Imperium excessisse. Sed sequenti anno idem Rex rediens de Italia, super hoc se excusat coram eodem Ludvvico in Ratispona.

MCCCXXXI.

Heinricus & Otto fratres Hainrici patruelis prædictorum, Duces inferioris Bauariæ incipiunt discordare inter se, ac Hainricus tanquam senior volens solus esse Dominus terræ, coactus est per prædictum Ludvvicum diuidere terram cum fratre & patrueli inter Ludvvicum & Hainricum prædictos. Et sic de cætero in eadem terra magna suborta est discordia, primo inter fratres, deinde mortuo fratre & patrueli inter Ludvvicum & Hainricum prædictos. Eo tempore pincerna de Reicheneck Episcopus Eistetensis, antea per annum & vltra prouisus à sede Apostolica, ad administrationem eiusdem Ecclesiæ Eystetensis de licentia & voluntate eiusdem Ludvvici est admissus.

MCCCXXXII.

Ludvvicus solennes ambasatores, videlicet duos Comites de Hals & Ottingen mittit ad Papam Iohannem, petens gratiam Ecclesiæ, & pro eo supplicant Otto & Albertus: (Hic Albertus superuixit omnibus fratribus suis sine hæredibus decedentibus, & licet contractus manibus & pedibus, tamen terram suam strenue rexit & pacifice, vt inuenies infra sub Carolo Duce Austriæ) sed modicum profecerunt.

MCCCXXXIII.

Oritur fama in Alemania, quod Ludvvicus occulte regno renunciauerit Hainrico Duci inferioris Bauariæ, supplicans Principibus, vt eidem Hainrico regni gubernationem committere dignentur, super quo Papa Iohannes consolatus est, quia ad Ludvvici depositionem nitebatur omnino. Sed Ludvvicus immediate audita fama reuocauit hoc, dicens, se nunquam cogitasse regno renunciare. Propter quod ipse grauius prædicto Hainrico cœpit inimicari. Ipse & Ludvvicus quoddam monasterium, in quo multas reliquias solennes & pretiosos ornatus circa deuia* dedit. [*Istud etiam monasterium post obitum Ludvvici extitit desolatum, & multæ expensæ sunt perditæ,*] in diœcesi Frisingensi constituit dictum Etal pro laicis militibus antiquis, vlterius laborare non valentibus, recipiendis in ipso cum suis vxoribus. Pro cuius monasterii fundatione multas Ecclesias suis bonis & rebus priuauit. * *f. diuina. Giessens.*

In Alemania magnum schisma est in clero, & populo, ex prouisionibus sedis Apostolicæ ad Episcopatus & solennes prælaturas & alia beneficia, quæ idem Ludvvicus in odium sedis Apostolicæ fortiter impediuit, multos etiam prouisos à sede, qui ei obedire nolebant admisit, & ipsi tota quasi Alemania non obstantibus sedis Apostolicæ processibus obediuit.

MCCCXXXVI.

Ludvvicus cum magna potentia ex diuersis regionibus collecta intrauit terram Ducis Bauariæ Hainrici prædicti, & grauiter deuastat eandem, sed in

subsidium Hainrici venit Iohannes Rex Bohemiæ socer suus, quod eius filiam in vxorem habuit: potentiæ autem Ludwici resistere non valebat.

MCCCXXXVII.

Ludwicus solennes nuncios mittit ad Papam Benedictum pro reconciliatione ipsius ad Ecclesiam, videlicet Dominos Rupertum Ducem superioris Bauariæ filium fratris sui supranominatum,& Comitem Iuliacensem. Hic Papa gratiosum se ostendit Ludvvico,quo ad reconciliationem, sed propter resistentiam Cardinalium & alios non est reconciliatio sortita effectum. Eodem anno visus est Cometa magnus in æstate per duos menses vel circa, cursum suum dirigendo ab Oriente in Occidẽtem,& circa crepusculum noctis rutilans apparebat. Et Hainricus Archiepiscopus Moguntinus admissus est ad possessionem eiusdem Ecclesiæ,qua diu caruerat.

MCCCXXXIX.

Magna discordia oritur inter Philippum Regem Franciæ, & Edvvardum Regem Angliæ,quod prædictus Rex Angliæ quasdam terras in littore maris Anglici,videlicet Normretiam*, Britanniam, & Wasconiam diu occupatas retroactis temporibus minus iuste per Reges Francię recuperare volebat. Et hoc cum dicit,regnum Franciæ ad se deuolutum tanquam ad proximiorem hæredem. Iste Rex iuuenis adhuc,quod citra triginta annos,sapiens,prouidus,virilis,& fortunatus in bellis, regnum Scotorum sibi subiiciens contra Regem Franciæ auxilium quærit ab Alemannis,propter quod maximum thesaurum Alemaniam mittit,vnde veniens in Alemaniam se confœderauit cum Ludvvico prędicto in Confluentia diœcesis Treuerensis,& Ludvvicus promittit ei assistere contra Regem Franciæ, pro quo promittit ei thesaurum, quater centies millia florenorum magnorum,cuius partem dedit,similiter & Principes Alemaniæ & maxime inferiorum partium subsidium eidem Regi promittunt.

*f. Normanniam.

Pax inter Imp.& Regẽ Anglia.

Iterum idem Ludvvicus solennes nuntios mittit de consiliò Principum ad Papam Benedictum pro reconciliatione: quibus sine fine reuersis in Alemaniam Principes Electores Imperii conueniunt,& per iuramenta sua diffiniunt; *Quod electus in Regem Romanorum à maiori parte eligentium, æqualem potestatem habeat in administratione Imperij, sicut Imperator coronatus*, & promittunt in similibus hoc ius defendere contra personam quamcunque. Hæc diffinitio Principum solenniter publicata est eodem anno mense Augusto in * Francfurt, & diffinitum est per Principes ibi tunc existentes; *Quod quicunque de cætero ipsum Ludvvicum tenet excommunicatum,aut qui cessat à diuinis propter sententias papales, proscriptus sit corpore & in rebus.*

Electorum decretum de iure Imperii.

* *Vide chron. Francofurt. Iob. Latomi in anno 1338.*

ADDITIO. Hoc decretum & constitutionem ab Imperatore & Ordinibus de iure Imperii factam,hic inserere operæpretium visum: quam conseruauit Albericus de Rosate in L.3.C.de quadrienn præscriptio. Eandemque habet Hieron. Balbus Episcopus Gurcens.in lib.De coronatione,ad Carol.V.Imp.pag.63.

Licet iura vtriusq; testamenti manifeste declarent,Imperialem dignitatem & potestatem immediate in filio Dei ab antiquo processisse, & Deum per Imperatorem & Reges mundi iura humano generi aperte tribuisse: & quod Imperator ex sola electione eorum ad quos pertinet,verus efficitur Imperator, nec alicuius alterius eget confirmatione seu approbatione: quoniam in terris quoad temporalia non habet superiorem, sed eidem gentes subsunt & nationes: & ipse Dominus noster Iesus Christus mandauit, quæ sunt Dei Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari reddenda. Quia tamen nonnulli auaritiæ & ambitionis cæcitate ducti*, & nullius scripturæ intelligentiam habentes *, sed diuertentes à tramite recti sensus in quadam iniqua & praua commenta, & in assertiones detestabiles prorumpunt contra potestatem & auctoritatem imperialem, & iura Imperatorum, Electorum, & aliorum Principum & Imperij fidelium committentes, fallaciter asserentes: Quod Imperialis dignitas & potestas est à Papa, & quod electus in Imperatorem non est verus Imperator nec Rex,nisi prius per Papam siue sedem Apostolicam confirmetur,approbetur, & coronetur: & per huiusmodi praua assertiones & pestifera dogmata hostis antiquus mouet lites, iurgia suscitat, contentiones parit, & seditiones procurat. Ideo ad tantum malum euitan-*

* *al. iuris vtriusque testimonia.*

* *denicti.* * *se habere dicentes.*

euitandum de consilio & consensu Electorum & aliorum Principum Imperii declaramus, quod Imperialis dignitas & potestas est immediate à solo Deo: & quod de iure & Imperii consuetudine antiquitus approbata, postquam aliquis eligitur in Imperatorem siue Regem ab Electoribus Imperii concorditer, vel maiori parte eorundem*, statim ex sola electione est Rex verus & Imperator Romanorum censendus & nominandus, & eidem debet ab omnibus Imperio subiectis obediri, & administrandi iura Imperii & cætera faciendi, quæ ad Imperatorem verum pertinent, plenariam habet potestatem, nec Papæ siue sedis Apostolicæ aut alicuius alterius approbatione, confirmatione, auctoritate indiget vel consensu. Et ea propter hac hæc in perpetuum valitura lege decernimus, vt electus in Imperatorem cõcorditer vel à maiori parte electorum ex sola electione censeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore, & eidem ab omnibus subiectis Imperio debeat obediri, & administrationẽ & iurisdictionem Imperialem & Imperialis Potestatis plenitudinem habeat, & habere ac obtinere ab omnibus censeatur & firmiter asseratur. Quicunque autem contra hæc declarata, decreta vel definita, aut aliquid eorum asserere seu dicere, aut asserentibus seu dicentibus consentire, vel eorum mandatis vel literis vel præceptis obedire præsumpserint, eos omnibus feudis quæ ab Imperio detinent, & omnibus gratiis, iurisdictionibus, priuilegiis & immunitatibus à nobis vel prædecessoribus nostris eis concessis ex nunc priuamus, & ipso iure & facto decernimus esse priuatos. Insuper eos crimen læsæ maiestatis decernimus incurrisse, & pœnis omnibus impositis crimen læsæ maiestatis committentibus subiacere. Datum in oppido nostro de Franckenfurt, die* VIII. *mensis Augusti, anno Domini* MCCCXXXVIII.

* pendet.

* al. ab his quorũ interest.

Huc etiam pertinet epistola Electorum ad Benedictũ Papam, eiusdem argumenti: quam in libro membranaceo Bibliothecæ Palatinæ post Chronicam Martini Pœnitentiarii Papæ inuentam, illustrandæ historiæ apponemus.

EPISTOLA ELECTORVM AD PAPAM BENEDICTVM XII. SVPER LVDOVICO IMP.

SAnctissimo in Christo patri ac Domino, domino Benedicto Papæ: Vestri deuoti filii, Henricus Dei & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Moguntinensis, Electorũ principum Decanus, nec non per Germaniam sacri Imperii Archicancellarius: Balduuinus Archiepiscopus Treuerensis, cancellarius Galliæ: Walramus Archiepiscopus Colonienſis, cancellarius Italiæ: Waldemarus Marchio Brandeburgensis, camerarius: Rudolphus Palatinus, dapifer: Rudolphus Dux Saxoniæ, portitorensis, Romanorum Regis, & coronandi Imperatoris, legitimi Electores.

GRAVAMVR *non modice, & turbamur ex intimis, cum reuerẽdam sacrosanctam Romanam Ecclesiam, matrem nostram, & ipsius summos Pontifices, quibus reuerentiam & honorem exhibere volumus promptis & deuotis animis omni vice, ac sacrosanctum Imperiũ & Imperatores seu Reges ipsius, quorum defensio ad nos ac omnes alios coelectores nostros præ cæteris mundi Principibus specialiter pertinere dinoscitur, sicut temporibus præsentibus videmus ad inuicem discordare. Nam ex hoc non potuerunt sibi & populo Christiano proficere & prodesse, & prout est diuinitus institutum, sibi mutuo suffragari. Propter quæ in diuersis mundi partibus, prouinciis & terris, ipsis regendas, gubernandas commissis, innumera execrabilia pericula animarum, personarum & rerum, & diuersa scandala in Dei Ecclesia, (quod dolenter referimus) sunt suborta, & maiora præsumuntur futuris temporibus, quæ ad planũ dici nequeunt vel conscribi, certitudinaliter suboriri: quæ submoueri non possunt, nisi vtraque potestas contenta sit suis Iuribus & consuetudinibus hactenus obseruatis, & reformentur, quæ vna contra aliam attemptauit. Sanctitati vestræ cum omni deuotione & in modum quem possumus meliorem & humiliorem referimus bono zelo, quod super præmissis & ad consulendum & prouidendum sacrosancto Romano Imperio, cuius Iura, honores, bona, libertates & consuetudines prostrata iacent, & à diuersis personis Ecclesiasticis & secularibus sunt & fuerunt hactenus in graue præiudicium dicti Imperii inuasa, occupata, & multipliciter conculcata, XV. die mensis Iulii, anni* XXXVIII. *in Reinse super alueo Reni (vbi principes electores super negotiis Imperii tractandis conuenire consueuerunt ab antiquo) cum aliis* Reinsi.

omnibus principibus Electoribus Imperii in vnum fuimus congregati, & diuersis deliberationibus & consiliis præmissis, sicut diuinæ gratiæ placuit, omnes vnanimes fuimus, & nullo penitus discrepante pro defensione & recuperatione iurium, honorum, bonorum, libertatum, consuetudinum sacri Romani Imperii ac totius Christianitatis, ad cuius regimen & defensionem idem Imperium principaliter ordinatum dinoscitur, disposuimus & ordinauimus, pro nobis & successoribus nostris, & firmauimus iureiurando per sacramenta corporaliter à nobis & omnibus coelectoribus nostris præstita, quod iura, honores, bona, libertates & cõsuetudines dicti Imperii & nostra, nobis in electione Imperii competentia ex consuetudine vel de Iure manu teneamus, defendamus & illibata conseruemus toto posse, & viribus nostris, contra omnes homines cuiuscunq; præeminentiæ, dignitatis, seu status existant, & quod hoc non obmittamus propter aliqua pericula rerum & personarum, aut præcepta, mandata & processus, per quemcunq; & in quemcunq; modum & formam prolati sint, vel in antea proferantur, contra Imperium & nos, vel coelectores nostros; per quæ dicto imperio, ac nobis & coelectoribus nostris in prædictis Iuribus, bonis, hominibus, libertatibus & consuetudinibus prædicatum sit, vel in futurum posset præiudicium generari. Et tandem super præmisso lamentabili desiderio, & causis originalibus, ex quibus ortum dinoscitur, quod inter sanctam Romanam Ecclesiam, ac sacrum Romanum Imperium & dominum nostrum Ludouicum Romanorum Imperatorem, iam longis temporibus diligenti & sollicita deliberatione præhabita, nos & alii coelectores nostri cognouimus, & nobis constitit euidenter ex processibus quondam domini Iohannis Papæ XXII. prædecessoris vestri, quod ipse primo & postea sententias excommunicationis & interdicti (si sic dici merentur) ac alias diuersas sententias & processus de facto contra Deum & Iustitiam, & iuris ordinem fulminauit, contra prædictũ dominum nostrum, dominum Ludouicum Rom. Imperatorem, ac fautores & adhærentes sibi: qui à maiori parte principum Electorum fuit rite & rationabiliter in Regẽ Rom. electus, in Imperatorem postea consecrandus: quod se de administratione Imperii intromisit, non approbata per prædictum prædecessorem vestrum ipsius electione, quam in discordia asseruit celebratam. Per quas sententias & processus, cum iuri & consuetudini Imperii præfato domino nostro Ludouico, nobis & aliis Electoribus imperii permaxime derogetur; cum iure caueatur, & consuetudine, cuius contrarium memoria hominum non existit, sit rationabiliter introductum, & sine cuiusuis contradictione legitime obseruatum, sicut etiam in prædicto Parlamento per nos & alios coelectores nostros, præhabita diligenti deliberatione & discussione, ac consilio multorum Principum, Comitum, Baronum & nobilium est concorditer declaratum, & sententialiter diffinitum: Quod vacante Romano Imperio is qui eligitur cõcorditer vel à maiori parte Principum Electorum, pro Rege Romanorum ab omnibus est habendus: Et quod nec nominatione, approbatione, confirmatione, consensu, vel auctoritate sedis Apostolicæ, super amministratione bonorum & iurium Imperii indiget, siue titulo Regio assumendo: quodque iura & bona Imperii amministrare & gubernare poterit, & de Iure & consuetudine, nulla sedis Apostolicæ super hoc licentia habita vel obtẽta. Quare cũ Sanctitas vestra teneatur præ omnib. Regnis mundi defendere iura Imperii, quod ad defensionem sedis Apostolicæ & totius fidei Christianæ est cœlitus ordinatum, & sine cuius salubri gubernatione & defensione non potest in opulentia pacis persistere Christianus populus, nec bene colere pacis auctorem: Clementiæ sanctitatis vestræ supplicamus, cum omni humilitate & reuerentia qua possumus & valemus, quatenus sententias & processus prænotatos, & quidquid exinde ob nos secutum est, totaliter & penitus reuocetis, tanquam in præiudicium Imperii & iurium ipsius prolatos. Quæ iura illibata pro posse seruare tenemur ratione à nobis præstiti iuramenti, vt obinde in omni obedientia & deuotione Ecclesiæ Romanæ & sanctitatis vestræ debeamus deuotorib. animis perpetuo permanere. Et ne si secus fieret, nos & alii coelectores nostri, cũ aliis Principib. Ecclesiasticis & secularibus Alamaniæ cogeremur inuenire & quærere contra eosdem processus & sententias, quamuis inuiti, remedia opportuna. Super præmissis ad Sanctitatem vestram tales transmittimus, quibus in dicendis & petendis nostro nomine fidem, vestram clementiam petimus adhibere.

Eodem anno edictum est, vt nullus literas sedis Apostolicæ recipiat, vel exequatur sine licentia Diœcesanorum loci.

Eo tempore innumerabilis locustarũ ab Oriente, videl. ab Vngaria veniens per Bauariã, Sueuiã, & Franconiã vsq; ad Rhenũ, grauia damna frugib. inferebat.

Anno

M.CCC XXXIX.

Anno decimoquinto regni idem Ludvvicus consumpta parte pecuniæ sibi data a Rege Angliæ, cum de reliqua parte non posset sibi satisfacere, auxilium non fecit eidem, propter quod & multi alii Principes Alemaniæ in subsidium eiusdem Regis non veniunt, prout tractatum existebat: imo Ludvvicus familiaritatem contrahit cum Rege Franciæ, sperans per hoc se conciliari Papæ & Ecclesiæ. Rex autem Angliæ nihilominus cum adiutorio Alemanorum, maxime inferiorum, Ducis Brabantiæ, Comitis Holandiæ, Comitis Gelrensis, Comitis Iuliacensis, Flamingorum, & aliorum quamplurimorum, cum magna potentia intrauit regnum Franciæ, obsedit ciuitatem Andegauensem, & alia quamplura damna & scandala intulit idem. Sed Rex Franciæ ex opposito cum magno exercitu in campis existens, bellum non audebat inire. Tandem Rex Angliæ consumpto magno thesauro in Angliam est reuersus. xv. Cod. XXV. ex Argent. p. 120.

Eo tempore moritur Hainricus Dux inferioris Bauariæ, relinquens filium impuberem vnicum hæredem, qui antea contraxerat cum filia eiusdem Ludvvici neptæ sua in quarto gradu. Hic sequenti anno post obitum patris mortuus est, & sic Ducatus totus inferioris Bauariæ deuoluitur ad Ludvvicum.

MCCCXL.

Rex Iohannes Bohemiæ totaliter cæcus efficitur, filiam suam relictam Ducis Hainrici prædicti desponsasse volebat Regi Cracouiæ, licet renuentem. Sed cum idem Rex ob hoc veniſſet Pragam, ipsa ex dolore infirmatur & obiit. Hic Rex Cracouiæ postea duxit filiam Hainrici Lādgrauii terræ Hassiæ, & obiit anno LI. Carolo postea electo in Regem Romanorum, vt infra dicetur. Prædictus autem Rex Bohemiæ filio suo Marchioni Morauiæ regnum committit, iurans se non intraturum regnum intra sex annos; volens per hoc thesaurizare, quod magnis erat debitis obligatus.

MCCCXLI.

Oritur discordia inter secundum filium prædicti Regis Bohemiæ, Iohannem nomine, Ducem Carinthiæ ex vna parte, & vxorem suam, filiam quondam Ducis Carinthiæ ac nobiles eiusdem, ex altera. Vnde ipsa accusat eum, quod sit frigidus, impotens ad carnalem copulam, & asserit se virginem, licet cohabitauerit ei per decem annos vel circa. Propter quod Ludvvicus Marchio Brandenburgensis filius Ludvvici Imp. ipso volente, non facto diuortio per Ecclesiam [*istud diuortium postea in septimo anno* celebratur, prout infra inuenies sub Carolo*] dictam filiam Ducis Carinthiæ attinentem sibi in tertio gradu consanguinitatis duxit in vxorem: & nobiles terræ, expulso totaliter filio Regis Bohemiæ, tradunt sibi terram. *Glossema.* * *Vide inf. anno 1349.*

ADDITIO. Quamuis sine iudicio ecclesiastico hoc factum Auctor tradat, & plerique scriptores suffragentur, vt M. Albertus Argentinensis, Trithemius, Nauclerus, Dubrauius, & alii (quos habemus) inediti: tamen Auentinus diligentissimus Boiorum scriptor, per Episcopum Frisingensem istud processisse scribit. Sed verius est, ipsum Imperatorem iure officii sui & veterum Cæsarum exemplo, de causa ista tota & cognouisse & dispensasse. Cuius actus vtramque formulam in veteribus membranis inuentam (quamquam & seorsim, cum adiectis consultationibus Marsilii Paduani & Guilelmi Ockami edidimus) repurgandæ & illustrandæ historiæ hic quoque inseremus.

FORMA DIVORTII MATRIMONIALIS INTER ILLVSTRES, VOCATOS coniuges, Iohannem videlicet filium Regis Bohemiæ, & Margaretam Ducissam Karinthiæ, celebrati per Dominum LVDOVICVM QVARTVM, Dei gratia Rom. Imp.

NOs Ludouicus Quartus, Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, vniuersis Christi fidelibus, quorum interest, vel interesse poterit in futurum, manifestum esse volumus & facimus per præsentes; Quod in iudicio coram nobis per se seu per certos nũcios suos seu procuratores exposuit illustris Margareta Ducissa Karinthiæ & Tyrolis comitissa, quod vir nobilis Iohannes Regis Bohemiæ filius iamdudum sibi matrimonio copulatus, & postmodum in ætate debita constitutus, ac per tanta temporum spacia secum habitans, quanta sufficiunt ac sufficere debent, secundum statuta tam diuinæ quam humanæ legis, ad debitũ carnalis copulæ per virum siue maritum suæ vxori reddendum; Eadem Margaretha in ætate sufficienti similiter constituta, & seipsam vt conueniens fuerat præbente & exhibẽte ad præfatam copulam carnalem explendam; non potuit dictus Iohannes neque valuit, sicuti neque valet, aut potest, nec vnquam posse creditur in futurum, eandem carnaliter cognoscere sibi coniugem Margaretam: quemadmodum multis & quasi omnibus possibilibus modis hoc tentãs, eundem Iohannem impotentem & omnino inhabilem ad opus præfatum se dicit expertum; ac aduersus eundem Iohannem, sibique præfatum defectum inexistere, coram nobis in iudicio se reddidit per experimenta sufficientia & testimonia quælibet ad hæc necessaria probaturam. Quare super hoc habito maturo & deliberato consilio suorũ procerum & consiliariorum omnium, nostram clementiam atq; iustitiam vna cum præfatis imploranit & requisiuit instanter, vt eidem super hoc prouidere de conuenienti remedio dignaremur: & taliter etiam, quod per ius siue sentẽtiam nostram licite posset à supradicto Iohanne, iam vocato marito siue coniuge suo, de matrimonio separari propter casum siue impedimentum prædictum, & ab eodem Iohanne totaliter sic absolui, vt eidem de cetero ad nullum matrimonii debitum teneretur, sed posset de seipsa & suis omnibus ordinare, secundum quod sibi expediens videretur. Nos vero, cuius debitum est omnibus ac singulis reddere iustum, ex officio & autoritate qua fungimur, præfatam Margaretham cum præfatis suis omnibus iustitiam instantissime requirentibus & supplicantibus, nobis dignum duximus exaudire: & nihilominus absq; offensa iuris præfati Iohannis iam vocati coniugis sui, si ius aliquod in contrarium habuisset, ad expeditionem seu terminationem litis præmissæ inter vocatos coniuges præfatos processimus, in hac forma, videlicet, quod vocatos coniuges præfatos citari fecimus atq; vocauimus in iudicio coram nobis, assignantes eisdem secundum formam iuris debitum atque tutum locum, & temporis spatium, infra quod possent & deberent in iudicio corã comparere, ad agendum & defensandum, & cætera faciendum, quæ necessaria forent pro inquirenda veritate super lite præfata. Verum Margaretha tam dicta per se seu per suos certos nuncios siue procuratores sufficienter comparuit in iudicio coram nobis per omnes terminos sibi assignatos, & cum omnibus probationibus & testimoniis sufficientibus, ad conuincẽdum sæpe dictum Iohannem impotentem esse atque priuatum naturali potentia ipsam carnaliter cognoscendi, aut quamuis aliam mulierem: seipsam quoque virginem esse vsque in tempus, & diem dati præsentis rescripti, per sufficientia testimonia demonstrauit. Supradictus vero Iohannes in præfatum iudicium coram nobis, impositi sibi defectus per præfatam Margaretham verisimiliter conscius, nec per se, nec per aliquem legitimum nũcium siue procuratorẽ comparuit tempore debito siue statuto: nec quicquam in cõtrarium impositi sibi defectus per Margaretam præfatam per se vel per alium allegauit: sed contumax ex natura se conuictum reddidit, atque confessum de his omnibus quæ sibi per prædictam Margaretã fuerant tam imposita, quam probata sufficientia quidem ad matrimonii diuertium inter ipsam & præfatum Iohannem per sententiam consummandum. Nec potest, nec vnquam cũ veritate poterit sæpe dictus Iohannes, aut quiuis alter pro ipso, iudicem vel locum comparendi per nos sibi assignatũ allegare suspectum. Nam hactenus retroactis temporibus tam Iohanni Regi Bohemiæ patri suo, quam etiam Karolo de Bohemia fratri suo, pluries & locis pluribus nostra coa-

ſtra coactiua poteſtati ſubiectis, fidum ac tutũ placitandi nobiſcum aſſignauimus locum, in quo perſonaliter affuerunt, & cum omni tranquillitate manſerunt, ac inde abſque moleſtia qualibet ſecundum ipſorum beneplacitum receſſerunt. Quod & antedicto Iohanni benigne offerri fecimus, & acceptare contemſit, vt ſupra iam diximus. Per auctoritatem ergo nobis rite debitam & conceſſam, & legi diuinæ conformiter, ſicuti certum eſt, & aſſerunt ſacræ ſcripturæ, ſiue leges diuinæ atq; ciuiles ſententiæ ſufficientes, ac comprobati doctores, ad diuortium ſiue ſeparationem matrimonii faciẽdam inter vocatos coniuges Iohannem & Margaretã prædictos procedere volẽtes atq; debẽtes, infraſcriptã ſententiã tulimus in hac verba: Nos LVDOVICVS *quartus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, pro tribunali iudice ſedentes, in cauſa ſiue lite diuortii ſeu ſeparationis matrimonii, quæ vertebatur inter illuſtres perſonas, Iohannem Regis Bohemiæ filium, requiſitum parte ex vna, & Margaretham Duciſſam Karinthiæ & Tyrolis Comitiſſam, ex altera parte, tanquam actricem, ac requirentem à dicto Iohanne iam vocato coniuge ſuo de matrimonio ſeparari: Viſis & intellectis tam per nos quam præfatos Doctores iuribus rationibus, probationibus & teſtimoniis Margaretæ præfatæ, nec non contumacia iam dicti Iohannis dicimus, diffinimus, & determinamus, præfatam Margaretam ſeparari debere ſeu poſſe de matrimonio à ſæpedicto Iohanne, eque conuerſo, cum iiſdem vel ipſorũ alteri id videbitur expedire. Ipſam quoq; Margaretam hoc requirentem inſtanter, vt ſupra, ſeparamus, abſoluimus, & ſeparatam eſſe iudicamus in matrimonio à iam dicto Iohanne per hanc noſtram ſententiam diffinitiuam. Simili quoq; modo ſupradictum Iohannem à præfata Margareta in matrimonio per auctoritatem & hanc noſtram ſententiam diffinitiuam ſeparantes: ita videlicet quod de cætero præfatus Ioannes ſupradictæ Margaretæ in nullo matrimonii debito teneatur: neque ſimiliter præfata Margareta ſupradicto Ioanni. Sed liberũ ſit vtriq; de corpore proprio, ſiue perſona, & omnibus bonis propriis, iuribus ac rebus tam mobilibus quam immobilibus facere vel diſponere, & quodlibet ordinare pro ſuæ propriæ libito voluntatis.*

FORMA DISPENSATIONIS SVPER AFFINITATE CONSANGVINITATIS INTER ILLVſtres Ludeuicum Marchionem Brandenburg. & Margaretham Duciſſam Karinthiæ: nec non legitimationis liberorum eorundem procreandorum, factæ per Dom. LVDOVICVM QVARTVM Dei gratia Rom. Imp.

*NOs Ludouicus quartus Dei gratia Rom. Imperator Auguſtus, vniuerſis Chriſti fidelibus, quorum intereſt aut poterit intereſſe, notum eſſe volumus & facimus per ſeriem infraſcriptam; Quod in noſtra præſentia perſonaliter conſtituti illuſtres Ludeuicus marchio Brandenburgenſis, & Margareta Duciſſa Karinthiæ ac Tirolis Comitiſſa, poſt habitum ipſorum maturum ac deliberatum conſilium, animum atque actualem voluntatem habentes ſe inuicem in matrimonio legitime copulandi: dubitante tamen præfato Ludeuico & Margareta, ne gradu aliquo affinitatis ſanguinis tale coniugium ſiue matrimoniũ humanarum legũ aut Romanorum principum ſtatuto, decreto, vel ordinatione alia, quomodolibet appellata, impedimentũ aliquod pateretur: ſupplicarunt ac petiuerunt inſtãter, tale impedimentũ conſanguinitatis, *ſi quod inter ipſos affuerit vel adeſſet, per diſpẽſationẽ noſtrã relaxari, ac per noſtrã auctoritatem atq; ſententiã totaliter amoueri. Nos vero propter cõmunem & euidentẽ reip. vtilitatem manifeſte viſam ſequi, ad coniugium ſupradictum præfatum impedimẽtum affinitatis ſanguinis ſi quod inter ipſos adeſſet, iudicamus eſſe tollendum, & ſimpliciter amouendum. Cum gradus affinitatis ſanguinis, præſertim infra ſorores & fratres, matrimonium non impediat diuinæ ſeu Chriſtianæ legis ſtatuto aliquo vel præcepto, quemadmodum certitudinaliter nouimus tam per nos, quam per ſupradictæ legis diuinæ idoneos ac probatos Doctores. Idque etiam aſſerente beato Auguſtino, lib.* XV. *de ciuit. Dei, cap.* XVI. *dum de talibus affinitatis ſanguinis gradibus tractans inquit, Quod hoc videtur matrimonium licitum fieri inter affines conſanguineos, nec lex diuina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Quibus ſiquidem verbis duas ſententias expreſſit Auguſtinus, vnam videlicet ſupradictam, Quod lege diuina legitimum matrimonium fieri non eſt prohibitum inter per-*

* Eorum & ui germani Iuerant, & ſic ipſi ſobrini. Vide Acuten.

ſonas ſanguinis affinitate coniunctas. Secundam vero ſententiam ſcire fecit: videlicet quod talis prohibitio matrimonii inter conſanguineos fieri habeat autoritate legislatoris humani, aut eius principantis, ſupremi principis Romanorum. Idem quoque concedere atque fateri conuenit Romanum epiſcopum, Papam vocatum, cum ſuorum clericorum cætu, quos Cardinales appellant, veritate cogente. Nam præfatus Papa Romanus ſuper impedimento affinitatis ſanguinis per diſpenſationem tollendo à ſanguinis affinitate coniunctis, inuicemque matrimonium contrahentibus, ad ſuam auctoritatem aſſerit pertinere: ac in talibus matrimoniis pluries diſpenſauerunt de facto prateriti quidam Pontifices Romanorũ. Quod ſi talis gradus affinitatis ſanguinis matrimonium legitimum impediret legis diuinæ ſeu Chriſtianæ præcepto, non poſſet aliquis hominum, quinimo neque angelus de cælo, dictum impedimentum per diſpenſationem aliquomodo amouere: Hoc Chriſto teſtante: facilius eſt cælum & terram tranſire, quam vnum apicem à lege cadere. Rurſusque idem Dominus dixit: Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea permanebunt in æternum. Ex quibus quidem manifeſte apparet, ac fateri cogitur Romanus Epiſcopus, & per factum confirmatur ipſius, quod gradus affinitatis ſanguinis non impediet matrimonium fieri legis diuinæ ſeu Chriſtianæ præcepto: & quod ſi gradus affinitatis ſanguinis quamquam licitum matrimonium impediat fieri, hoc autem factum eſſet præcepto ſiue ſtatuto legis humanæ. De cuius ſiquidem legis præceptis ſiue ſtatutis diſpenſare ſolummodo pertinet ad auctoritatem Imperatoris ſeu Principis Romanorum. Nec obſtat dicere, præfata matrimonia eſſe prohibita lege diuina, eo quod mali moris ſunt, & propterea etiam peccata mortalia fore prohibita, ac proinde obligantia contrahentes ad damnationem æternam: & contrariam diſpenſationem in his ad miniſtrum ſolummodo eccleſiaſticum Epiſcopum ſiue presbyterum pertinere. Hic enim ſermo rhetoricus ſiue apparens ſophiſticus eſt: falſum namque recipit. quoniam præfata matrimonia non ſunt mali moris, præſertim in aliquo caſu. Nam & ipſa tanquam in caſu licita fieri concedit Romanus Epiſcopus. Nec etiam rurſus mali moris ſunt abſolute loquendo: quoniam non ſunt cum malitia conuoluta confeſtim, veluti furtum & crimina reliqua: & propterea nec ſunt lege diuina prohibita, quemadmodum dixit beatus Auguſtinus, Non ſyllogiſatur autem neque concluditur propterea, diſpenſationem de talibus ad Epiſcopum quemquam ſiue presbyterum pertinere. Eſto quod ſint abſolute prohibita lege diuina, & ſub pœna damnationis æternæ: quoniam de his prohibitis nullus hominum, quinimo angelus de cælo diſpenſare poſſet, vel ordinare, ſiue concedere quod licite fierent, vt deductum eſt ſupra. Vnde etiam iuxta prædicta de præceptis ſacræ ſcripturæ ſiue mandatis loquens Apoſtolus inquit: Et ſi angelus de cælo euangeliſaret vobis aliud præter id, id eſt contra id quod euangeliſatum eſt à nobis, anathema ſit. Nec propter aliud, niſi quod euangeliſata erant per apoſtolum diuina prohibita vel præcepta. Rurſus quoniam præfata matrimonia non fuerunt mali moris, neque prohibita ſecundum veterem legem, quamuis aliquando peccata fiant ſiue fuerunt in antiqua lege, non quod ſunt abſolute ſiue confeſtim cum malitia conuoluta, neque mali moris, ſed ſolummodo quod lege prohibita fuerant, veluti carnes porcinas, & beſtias non ruminantes comedere, quod ideo peccatum effectum eſt, quia prohibitum fuerat in lege Moſaica; non tamen propter malum aut mali moris ex ſe, quemadmodum furtum, homicidium, falſum teſtimonium, & huiuſmodi reliqua, quæ prohibita ſunt legibus diuinis & humanis, eo quod ex ſe mala ſunt, & mali moris, confeſtim cum malitia conuoluta. Ex his igitur omnibus iam prædictis manifeſte apparet, cuilibet non corrupto ignorantia vel malitia, vel vtraque, auctoritatem diſpenſandi atque tollendi à matrimonio impedimentum inter perſonas & à perſonis ſanguinis affinitate coniunctis, ad Romanum Principem pertinere. Propter quod nos Ludouicus quartus Romanorum Imperator Auguſtus præfatum affinitatis ſanguinis impedimentum, ſi quod eſſet inter præfatos Ludouicum & Margaretam, quo minus poſſent aut prohiberentur per humanæ legis aut Romanorum principum ſtatuta, ſiue decreta vel alias ordinationes quomodolibet appellatas in matrimonio copulari, tollimus; & per noſtram auctoritatem atque ſententiam tenore præſentium totaliter amouemus. Concedentes eiſdem ac cuilibet ipſorum, vt abſque offenſa cuiuslibet iuris humani, ſtatuti vel ordinationis alterius quomodolibet nominato, licite ſe poſſint ac valeant in matrimonio copulare. Abſolutos etiam eoſdem, ipſorumque legitimos filios, & filias, ac heredes, nunc & in perpetuum, à pœna qualibet reali perſonali, & infamiæ, & alia quauis quomodolibet nominata, ſi qua foret impoſita contrahentibus matrimonium

infra consanguinitatis gradus aliquos nominatos, per quemquam Principem Romanum etiam, vel per leges, aut communitatem aliquam, collegium vel singularem personam, cuiuscunque auctoritatis vel dignitatis existant. Quibus omnibus & singulis, & à quibus excepimus casum prædictum, de præfatis videlicet personis, Ludouicum & Margaretham iam dictos. Et in quantum huic nostro rescripto siue dispositioni, concessioni nostræ contradicunt totaliter aut in parte, per hoc ipsum præsens nostrum rescriptum derogamus & volumus derogari, eodem nihilominus semper in suo robore duraturo.

MCCCXLV.

Regni sui XXVIII. idem Ludvvicus generalem pacem in Alemania fecit, in Suevia, Bauaria, Franconia, & circa Rhenum, qualis antea longo tempore citra non est audita; quam iuramentis suis firmauerunt Principes, Domini & Ciuitates, & iudices speciales huius pacis sunt dati. *Pax publica.*

Eodem anno mense Iulio tanta fuit inundatio aquarum in tam breui tempore, quanta antea in centum annis vel vltra visa est, ita vt cataractæ cœli viderentur apertę [*vt dicitur* XVI. *quæst.* 1. *Eadem verba habentur Geneſis* VII. *& Esaiæ* XXIV. *cap. Dei cataractæ apertæ sunt, & concutientur fundamenta terræ. & cap. reuertimini, & sequen.*] *Gloſſa.*

Eodem tempore simile quasi diluuium extitit iteratum. Solennes nuncios, videlicet Dominum Delphinum Viennensem militum nomine, qui postea factus est Monachus & patriarcha (vt infra sub Clemente) cum quibusdam aliis secretariis suis idem Ludwicus mittit ad Papam Clementem VI. pro reconciliatione ipsius ad Ecclesiam cum pleno procuratorio, in quo dat potestatem confitendi multos excessus, quibus offendit Ecclesiam, prædictis nunciis & procuratoribus suis, & gratię Papæ & Ecclesię valde humiliter se submisit.

Eodem anno mense Septembri in villa Pechniez Augustensis diœcesis, inuenti sunt pulli coruorum in quodam nido tunc sine pennis geniti. *Pechniez*

Anno regni sui XXX. propter prædictam pacem oritur discordia inter Dominos & nobiles ex vna parte, & ciuitates de altera maxime in Franconia, quia tractatus pacis prius habitos ciuitates voluerunt immutare de voluntate Ludvvici, & facere firmiores: sed Principes & nobiles contradicunt. Vnde vterque se parat ad arma: sed Ludvvicus intercipit, & partes concordat, Nobiles etiam faciunt edictum (quod modico tempore seruatum est) inter se circa sumptus vestium pro suis vxoribus, & redigunt ad paruam summam sumptus eosdem. *XXX.*

Eodem anno obiit venerabilis pater Dominus Hainricus Pincerna de Reichenegk Episcopus Ecclesię Eistetensis; & subrogatus est ei concorditer per electionem capituli (quem tamen reseruatio Papæ impediuit, vt infra) Albertus de Hochenfels, præpositus ibidem. *Eyſtetenſis Eccleſia.*

MCCCXLVIII.

Huius tempore infra octauam Assumptionis Virginis glorioſæ Vlterius de Pfaffenhausen, Canonicus, Eistetensis Ecclesiæ presbyter, centum annorum vel circa obiit, qui multa remedia & pinguia ad loca diuersa ordinauit.

In die B. Felicis in Pinc. * Hainricus Malso presbyter & quondam vicarius in eadem Ecclesia obiit: qui legauit pro constructione chori noui eiusdem Ecclesiæ quadringentas libras Hallenses, & alia multa bona remedia fecit. Prædictus vero Albertus de Hochenfels electus est & confirmatus per Hainricum Archiepiscopum Moguntinensem depositum à Clemente Papa infra scripto; etiam à magnis debitis, in quibus antecessor eam dimisit apud Iudęos & Christianos absoluit. Quibus solutis nobiles circumsedentes guerris diuersis Ecclesias inuaserunt; sed ipse pecunia multos pacauit, & sic Ecclesiam ex titulo præmisso septem annis cum dimidio vel circa pacifice possedit. Quibus elapsis Dominus Papa Clemens VI. asserens, se resignasse Ecclesiam eandem suæ prouisioni tempore Heinrici Episcopi ante dicti, de ipsa prouidet Domino Bernhardo Berchtoldo

fratri Domini Iohannis Burckgrauii in Nurenberg, & Domini Friderici Burckgrauii Episcopi prouisi Ratisponensis infra scripti: qui quidem Berchtoldus professus fuit ante ordinem militarem fratrum domus Teutonicæ. Quem venientem à sede Apostolica anno Domini MCCCLI. mense Octobri prædictus Albertus interuenientibus amicabilibus tractatibus (cernens potentiam prædictorum Burggrauiorum) ad Ecclesiam admisit, & consensit, vt ibidem Berchtoldus à clero & Papa tanquam Episcopus recipiatur; & nihilominus prò perceptis fructibus ab Ecclesia dedit eidem Berchtoldo decem millia florenorum, & prouisionem annuam. Ipse autem Albertus de Hochenfels remansit gubernator in spiritualibus & temporalibus, nec non tenuit castra & munitiones pro aliquo tempore vitæ suæ. Hanc gubernationem dimisit anno LIII. reseruatis sibi tribus castris melioribus, cum reditibus suis, in precarium * pro temporibus vitæ suæ. Hic temporibus suis prædictam Ecclesiam Eystetensem à multis oneribus debitorum absoluit, & anno Domini MCCCLV. proxima die ante octauam Epiphaniæ obiit, sepultus in eadem Ecclesia. Post obitum vero Alberti Dominus Berchtoldus Episcopus regit prædictam Ecclesiam, sicut & ante sub Papa rexerat, quod Albertus administrationi cesserat, vno anno cum dimidio transactis, & castrum nouum, quod ante inceperat in monte S. Willibaldi ædificat prope ciuitatem Eystetensem.

* i. vsufructualiter.

Eodem anno IV. Non. Martii obiit Hainricus de Talmessingen Decanus parochiæ Eystetensis, presbyter deuotę conuersationis & vitæ, ac miræ & scrupulosæ conscientiæ. Igitur redeundo ad historiam, à qua digressum est supra per commemorationem Episcoporum Eistetensium, anno Domini

MCCCXLIV.

mense Septembri Ludvvicus suprascriptus solēne colloquium habuit cum Principibus Electoribus regni iuxta Rhenum in oppido Bacharaco. In quo Iohannes Rex Bohemiæ conquestus est grauiter * prædictis Principibus contra prædictum Ludvvicum, & Ludvvicum filium suum Marchionem Brandenburgensem, super eo quod filio suo vxorem suam & Comitatum Tyrolis in Alpibus abstulerat violenter, vt supra scribitur. Ipse vero Ludvvicus responsum Ecclesiæ & Domini Papæ Clementis VI. sibi reportatum à curia Romana per nuncios, quos miserat, exponit eisdem Principibus. Sed quia pœnitentia nimis dura & rigida sibi visa est, quam idem Papa cum longa deliberatione Cardinalium duxerat iniungendam eidem, & quia Principes de tractatibus habitis cum Papa nihil curare volebant, quod eis inconsultis facti sunt, ipse Ludvvicus ab omnibus tractatibus factis & habitis cum Papa per suos nuncios (qui quasi per tres annos in curia sunt & steterunt) recessit, nec voluit eos ratos habere. In eodem etiam colloquio multi ex Principibus præscriptis, & aliis non electoribus regni, confœderauerunt se & iurauerunt insimul assistere inuicem contra omnem hominem etiam contra Ludvvicum prędictum. Cuius confœderationis auctor fuit prædictus Bohemiæ Rex, & filius suus Karolus infra scriptus Romanorum Rex, propter iniuriam quam sibi intulerat idem Ludvvicus, & Rupertus (de quo supra) fuit auctor confœderationis, Dux Bauariæ & Comes Palatinus Rheni, qui tunc discordiam habuit cum Hainrico Archiepiscopo Moguntino, quæ confœderatio multum displicuit Ludvvico.

* idem etiã conqueritur Carolus IV. Imp. in libro quem de se ipse scripsit (edidit Reinec.) pag. 37-38-39.

Confœderatio Principum.

Eodem tempore Comes de Wirtenberg inuentus cum vxore cuiusdam nobilis in Elsatia, mirabiliter est occisus. Similis euentus mortis contigit Walramo Archiepiscopo Colonienſi, nō multum post hoc tempus occulte, prout communiter dicebatur. Alii dicebant naturali morte eum mortuum & inprouisa, in quodā castro Marchionū de Baden, familia sua penitus procurante & ignorāte.

XXXI. Anno regni sui XXXI. idem Ludvvicus dirigit iterato nuncios suos, videlicet Dominum Ludvvicum iuniorem Comitem de Ottingen vna cum Domino Imberto Delphino suprascripto & aliis, ad Dominum Clementem Papam, petens gratiam Ecclesiæ, & immutari quosdam articulos sibi etiam iniunctos, sed nuncii profecerunt in nullo.

Eodem

Eodem tempore Ludvvicus grauem steuram imposuit terræ suæ, inferiori & superiori Bauariæ, quod de pecoribus collectam accepit, de equo LXXII. Hall. de vacca XLVIII. Hallenses, & de oue & porco XVI. Hall. Huic etiam toto tempore regni sui, eo excepto quo fuit in Italia (vt supra) circa sua propria ministrabat expensas; ciuitates vero & terræ Imperii in paucis ei prouidebant expensis; & pro maiori parte temporis regni sui, maxime ab eo tempore quo exiuit Italia, in terra sua moram traxit, quod à paucis suis antecessoribus est actum. *Steura.*

In Ecclesia Ratisponensi magnum schisma est in clero & in Papa, quia Dominus Fridericus [*hic postea per magna debita Ecclesiam destruxit,*] Burggrauius de Nurenberg Episcopus prouisus à sede Apostolica, à clero & ciuitate Ratisponensi est admissus. Hainricus vero de Lapide nobilis, castra & munitiones diœcesis in Bauaria occupauit violenter per prædictum Ludvvicum inclusus *, qui sedit sic sex annis vel circa, & tandem misere decessit anno Domini MCCCXLVI. mense Augusto. *Glossema.* **f. intrusum.*

Eodem anno floruit Iohannes Andreæ, egregius Doctor iuris canonici, qui Lecturam suam dictam Nouellam super volumine Decretalium, & alia multa bona in canonico iure scripsit. Qui anno Domini MCCCXLVIII. ex pestilentia hominum, quæ fuit Bononiæ & in Italia vndique (de qua etiam infra) decessit.

MCCCXLVII.

Mense Septembri Andreas adhuc iuuenis Rex Angliæ, & Siciliæ hæres immediatus, & nepos Ruperti Regis ibidem (de quo supra sub Iohanne Papa) & frater germanus Regis Vngariæ, per camerarios suos est occisus occulte, qui deprehensi confessi sunt sibi pro eo pecuniam fuisse promissam, & variis suppliciis sunt necati. Vxor autem prædicti Andreæ dicebatur prædictam mortem machinasse, quæ (vt infra) alteri nubit.

Eodem anno Wilhelmus Comes Holandiæ cum magna potentia armatorum volens ire contra Frisones gentem fortem (de quorum terra quidam versificator sic dicit:

Frisia sentina mundi, cui munda bouina
Est focus, vrina laxiua, serumq; vina.)

cum magna gente sua est occisus per eosdem. [*Simile inuenies supra de auo eiusdem Wilhelmi, electo in Regem Romanorum sub Imp. Friderico II.*] Hic autem Wilhelmus nepos prioris fuit, de quo sub Friderico frater germanus Margaretæ vxoris Ludvvici Imp. & absque liberis decessit. In cuius locum successit prædicta soror tanquam proximior, & senior inter sorores, videlicet Reginam Angliæ, & Comitissam vel Marchionissam Iuliacensem, iuniores quam ea: nullum vero fratrem, propter quod ex consuetudine patriæ terram Holandiæ & terras alias sicut frater obtinuit. *Margareta Hollandica. Barland. cap. 29.*

Et nota quod eo tempore, quo adhuc prædicti Ludvvicus & Fridericus inter se pro regno Romanorum certabant, quidam miles nomine Stephanus de Gumpenbach de parte eiusdem Ludvvici guerram mouens in oppido Vlma, deueniens aduersæ parti, cum vna die insequeretur inimicos, & cum palafredo suo veloci longe complices suos præcederet; vnus nomine Hainricus Svvinckreist, cognomine *Vngeheur*, vnus de inimicis, quem capere nitebatur, ipsum sagitta cum balista transfixit, ex quo sibi mortis periculum timuit imminere; sed nihilominus capiens sagittantem, & timens ne complices superuenientes viso vulnere illato ipsum occiderent, iussit vulnerantem ascendere palafredum * suum, & fugere ne occideretur à complicibus; & si curaretur à vulnere, tunc se tanquam captiuum præsentaret; sin autem decederet, à captiuitate solutus esset. Sanato autem prædicto milite captus se præsentauit, & miles equum sagittarii tenuit, quod factum summe extitit virtuosum, & concordat facto Regis, qui saluum inimicum suum potuit occidisse, & non fecit: *de quo * pe. dicitur 11. q. oppo. etiam an. fi.* *H. Svvinckreist militis factum memorabile.* **pferd.*

MCCCXLVI.

Quidam cancellarius eiusdem Ludvvici, nomine Magister Vlricus de Augusta, obiit ibidem, qui pluries iuit in legatione ipsius ad sedem Apostolicam, & in *Vlricus Hangenolr.*

extremis noluit in cœmiterio sepeliri,& fuit occulte viatico procuratus : timens forte sententias sedis contra Dominum suum latas, sed Episcopus Augustensis nomine de Schoneck (postea remotus ab Episcopatu per Papam) contra ordinationem defuncti iussit eum solenniter sepeliri.

Eodem anno 11. Kal. Aug. obiit frater Hainricus filius gente* fundator domus leprosorum extra muros Eistetenses, vir sanctæ vitæ & memoriæ recolendæ, in eadem domo sepultus.

Carolus Bohemus electus Rex.

Eodem anno noua memoriæ digna insurgunt, quia procurante Domino Clemente Papa VI. Karolus filius Regis Bohemię supra nominatus à quinq; Electoribus regni, videlicet à Dominis Baldvvino Archiepiscopo Treuerensi, Waltwino Archiepiscopo Colonienſi, Blatero ratione Comitum de Nassau (quē tunc idem Papa prouiderat ad Ecclesiam Moguntinensem, deposito prius Hainrico Archiepiscopo supra nominato) & Ioanne Rege Boemiæ patre ipsius, & à Rudolpho Duce Saxoniæ supra nominato, in odium prędicti Ludvvici, in Regem Rom. *Rens.* est electus in villa Rentze Treuerensis diœcesis, mense Iul. circa festum B. Margaretæ: de cuius potentia & adhæsione multorum Principum ante electionem prædictam fuit fama solennis. Sed postea Ludvvico statim descendenti ad Rhenum, omnes ciuitates Rheni, & pro maiori parte Domini temporales (exceptis Electoribus supra nominatis) promiserunt ei adhærere, & in nullo aduertere Regē nouū.

Leodiense bellum.

Eodem anno mense Augusto ciuitas Leodianensis cum Episcopo suo guerram habuit, & cum prædictus nouus Rex in adiutorium Episcopi descēderet, ante aduentum suum bellum commissum est inter ipsos. In quo Dominus de Valkenberch & plures alii nobiles de parte Episcopi sunt occisi. Sed econtra anno reuoluto mense Iulio, inter Episcopum & ciuitatem eosdem iterum simile commissum est bellum, & vicit Episcopus, ac multitudo ciuium est occisa.

Oleſſima.

Eodem anno 23. die mensis Augusti, quæ est in vigilia quæ fuit in sabatho, in Picardia sub destrictu Regis Franciæ, iuxta ciuitatem Amarii [*immo fuit in die Rufi martyris, quod est quasi dies post Bartholomæi Apostoli*] commissum est magnum bellum inter Reges Angliæ & Franciæ supranominatos, quia Edvvardus Rex Anglię secunda vice cum potentia magna armatorum intrans regnum Franciæ prope

Bellum Gallicum.

Parisios*, cum Rex Franciæ ex opposito multo maiorem numerum armatorum congregasset, & Anglici quodam modo deficientes in victualibus recesserunt fugam simulantes per duos dies, tertia die quæ fuit dies Mercurii (*imo fuit in sabbatho*) aggressum est bellum, in quo Ioannes prædictus Rex Bohemiæ licet cæcus est occisus. Item Rex fuit hic Maioritarum*, Dux Lotharingiæ, Comes Flandrēsis, Comes de Aichlichten, Comes de Namur, & frater suus Archiepiscopus Caremanensis (vulgariter dictus *de Cheins*) in Burgundia, Episcopus Wouionensis suffraganeus Remensis Archiepiscopi, Comites de Salmen, de Arecourt, de Bloys, de Zansore, de Montbeliard, de Sampite. Item, religiosi, prior Franciæ, qui erat ibi cum duobus millibus equitum, abbas de Corbi, qui erat ibi cum quingentis equitibus, & Dominus de Rosenberch Bohemus, & plures alii Comites, & Barones, & nobiles sunt occisi. Sed Dominus Carolus filius Regis Bohemiæ nouus Rex [*fuit postea factus Imperator*] de bello, & Rex Franciæ in propria persona fugā dedit, cum magna multitudine armatorū; & durauit per integrū diem & noctē vsq; ad occasum lunæ. Æstimati sunt autē occisi ad xv. millia hominū, vestes autē cum signis pugnantiū armatæ diuisæ fuerunt inter victores mille & quingentæ, sunt autē capti quamplures nobiles & alii de Francia & Alemania, & Rex Angliæ victoriam obtinuit, de cuius parte pauciſſimi sunt occisi; & quasi miraculose obtinuit cāpum, quia vix decimā partē hominum habuit respectu aliorum. Nihilominus remansit post commissum bellū in eodē loco per duos dies nolens de occisis interim aliquē sepeliri, vicit autem maxime per sagittarios, quorum copiam magnam habuit.

f. Maioricæ.

Gloſſ.

Gloſſ.

Eodē anno mēse Octob. ex machinatione prædicti Regis Frāciæ (vt dicebatur) Rex Scotiæ cū magna potētia intrauit regnū Angliæ, volens ipsum deuastare, quia p̄dictus Rex Angliæ morā traxit post cōmissum bellū citra mare Anglicanū extra regnū mouens guerrā cū adiutorio Flāmingorū Regi Francorū, & obsedit ciuita-

tem

tem Francorum dictam Kolleyns* in littore maris sitam, sed nobiles & populus, qui remanserant in Anglia, cum consilio Episcopi Lundonienſis aggressi sunt bellum cum eodem Rege: qui captus est, & totam illam turbam occiderunt, & ceperunt. Ipse vero Rex Angliæ cum potentia & strenuitate magna obsedit prædictam ciuitatem nouem mensibus, vel circa, & tandem obtinuit. *Calen. Caletum. Vide Froiſſard.

Eodem anno mense Nouembri suprascriptus Karolus electus in Regem Rom. coronatus est prima corona, in oppido Bonna Colonienſis diœcesis, (quia ciuitas Aquensis eum intromittere noluit) in die B. Catharinæ, elapsis iam XXXII. annis à tempore coronationis prædicti Ludvvici: & facta fuit eodem die. Est autem huius coronatio facta per suprascriptos tres Archiepiscopos & Electores, præsente Episcopo Leodienſi. Ipso vero Ludvvico moram trahente in Francenfurt, eius collateralis Margareta præscripta, cum venisset de Hollandia, & dominium fratris consecuta, relictis ibidem duobus filiis suis, ad Ludvvicum ambo reuersi sunt in Bauariam.

MCCCXLVII.

Mense Ianuario associatis sibi quampluribus nobilibus, Karolus transit Franconiam, & reuersus est in Bohemiam, post hæc mense Aprili intrat Alpes, ciuitatem Tridentinam: & cum adiutorio Dominorum Italiæ, videlicet Veronensium & Mediolanensium, conatus est recuperare Comitatum Tyrolis, quod castrum obsedit diebus aliquibus. Sed Ludvvicus colligens gentem, & volens resistere sibi, intrauit etiam, & cum confusione recessit; filius autem suus Marchio Brandenburgensis manet in Comitatu, & destruunt terram per guerram cotidianam: in qua captus est Episcopus Curiensis cum multis armatis, qui de parte regni fuerunt. Tyrolis obsidio.

Mense Septembri idem Rex per traditionem obtinuit castrum Haizstein in terra Ludvvici, in metis inferioris Bauariæ iuxta Cambium: pro quo decapitatus est quidam miles Comitis de Kameravve. Haizſtein. Chamb.

Eodem mense nobilis Dominus de Luzelberg, quem Episcopi Herbipolenſis & Babenbergensis ac Burggrauius de Nurenberg obsederunt in castro Neydegk, machina est oppressus; de quo omnes terræ nobiles doluerunt, & ab eodem antea iidem Domini multa castra euicerunt.

Eodem anno v. Idus Octobris prædictus Ludvvicus de ciuitate sua Monaco Frisingensis diœcesis, exiens ad venationem ferarum, (in qua temporibus vitę suę delectabatur vltra modum) de mane hilaris & iocundus, quia vxor sua præscripta sibi peperit infantem, qui adhuc non erat baptizatus, cum insisteret venationi, & insideret equo suo, subito apoplexia percussus, circa meridiem eiusdem diei cecidit ad terram, in medio familiæ suæ de equo, ad duo milliaria de Monaco, & subitanea morte decessit. Ludouici Imp. obitus.

Cæsar Ludvvicus Princeps, & pacis amicus,
Venandi studio moritur delapsus ab equo.

Et sic notabiliter diuina plaga interiit non sine causa, quia aliquot annis ante obitum suum officiis & iudiciis suis præposuit tyrannos & excoriatores pauperum, minimam iustitiam facientes. In expeditionibus suis permisit terram & pauperes excoriari; in hospitiis, Ecclesiis, monasteriis, secularibus & religiosis prælatis, ipse & filii sui grauissimi fuerunt. Clerum secularem odio cordis habuit, immo expresse pluries dixit; *Quod si thesaurizaret thesaurum de luto, collegia secularia non fundaret*: & sic non absolutus à sententiis excommunicationis Ecclesiæ, quas Iohannes Papa contra ipsum fulminauit, miserrime expirat, & in parochia B. Virginis in Monaco est sepultus. Post cuius obitum Clemens Papa infra scriptus absolutionem sententiarum, latarum in fautores, & adhærentes prædicto Ludvvico in Alemania, commisit in solidum Dominis Archiepiscopo Praganensi, & Episcopo Babenbergensi. Vnde nota, quod absoluendos ab his clericos & laicos inter alia oportebat iurare solenniter ex forma commissionis data à sede Apostolica; *Se credere quod non spectat ad Imperatorem Papam deponere, & alium creare: sed hoc esse haereticum.* [*Circa hoc vide Canonem* LXV II. *d. cap. Adrianus. II.*] Et hæc forma est Aliud alibi iudicium.

adiecta propter pactum Ludvvici. Item ex eadem forma oportuit iurare absoluendos, *Quod deinceps nulli vt Imperatori obedirent, nisi prius foret per Ecclesiam approbatus.* Et hæc forma est adiecta propter diffinitionem Principũ Alemaniæ, de qua supra sub isto Ludouico. Et propter illud quod notatur in constit. Clement. *De iureiur. c. Romani, super verbo Reges, vbi glos. & etiam diffinitio Principum loquitur de Rege, non Imp.*

PONTIFICES ROMANI.

Clemens VI. Pp.

CLemẽs VI. prius vocatus Petrus Rothomagensis Archiepiscopus, & Cardinalis anno Domini MCCCXLII. die XIX. Maii Auinione electus in Papam, ad promotionem Regis Franciæ (cuius in consilio prius fuit) sedit annis X, mensibus VI. diebus XVII. & obiit in die B. Nicolai mense Decembri. Hic anno suo primo indixit annum Iubileum de cætero habendum in anno quinquageno in vrbe Romana, quem Bonifacius Papa VIII. suprascriptus indixerat quolibet centesimo, vt patet ex constitutione ipsius Clementis; & in quodam sermone, quem tunc fecit de eodem anno ad petitionem Romanorum, appellat se ducentesimum tertium vel sextum Papam disiuncte à tempore B. Petri Apostoli primi Papæ. Hic magnus Doctor in Theologia, sed tamen tempore ipsius maxima simonia apud sedem Apostolicam insurrexit. Karolum filium Regis Bohemiæ eligi in Regem Romanorum contra Ludvvicum procurauit. Ipse autem insolitas reseruationes beneficiorum quorumlibet per vniuersalem Ecclesiam fecit, quarum etiam aliquas (timens scãdalum) reuocat. Hic sacros ordines plures etiam simul extra quatuor tempora, & alia indifferenter contra consuetudinem olim in Ecclesia seruatam contulit, & conferri mandauit, dicit tamen Guillelmus in Rationali lib. VI. in proœmio, & VI. titulo de sabato mensis, Simplicius Papa in Feb. celebrauit sacros ordines, & statuit celebrari. Hic deposuit Hainricum Archiepiscopum Moguntinum, & etiam duos suffraganeos eiusdem prouinciæ, propter reseruationem per ipsum factam, videlicet Eistetensem & Augustensem deposuit, & aliis de his Ecclesiis prouidit, vt* C. quo inuenies, & contra tangitur * propter prædictam electionem Caroli celebrandam. Et prouidit de eadem Ecclesia Domino Gerlaco adolescẽti filio Gerlaci Comitis de Nassavve, & tũc iterum magnum schisma in clero & populo diœcesis Moguntinensis, immo desolatio omnium castrorum, munitionum, & hominum ipsius Ecclesiæ insurrexit. Nam quidam Canonicus Ecclesiæ Moguntinensis dictus de Kirkel procurator in temporalibus Ecclesiæ factus per Hainricũ depositum, captus fuit per fratres Gerlaci Archiepiscopi, propter quod ad hæreses eius comitatum illorum de Nassavve destruxerunt incendiis & rapinis. Tandẽ ille de Kirkel à captiuitate dimissus, cum alio canonico eiusdẽ Ecclesiæ dicto Cunone de Falckenstain decertat propter procurationem, obtinuit, & alium à loco repulit, & Ecclesia deprimitur multis annis.

** mendose.*

III. Pragensis Ecclesia.

Hic Papa Clemens anno ipsius tertio de Ecclesia Pragensi suffraganea Moguntinensis, Metropolitanam erexit, cõstituens vt Reges Bohemię ab ipso coronentur, qui prius ab Archiepiscopo Mogũtinensi coronari consueuerũt, subiiciẽs sibi pro suffraganeo Episcopum Almaciẽsem *, & quendam alium suffraganeum, quem de nouo fecit Episcopum in regno Bohemiæ nomine Lochomuslensem.

** Olmuciẽsem.*

IV. Anno ipsius quarto magna caristia Auinione, & vbiq; in prouincia, & Italia fuit.

Tribunus Vrbis.

Anno Domini MCCCXLII. quidam Romanus, genere infimus in Vrbe, sed industria & experientia astutus, ad clamorem Papę Romani pulsatis campanis capitoli de Domino & Rege Vrbis Romæ se inopinate intromisit, generalem pacem ferens, multos magnates eiusdem vrbis, Stephanum de Columna & eius filium occidit, aliquos partiales concordauit, nullas partes siue Gibelinos siue Guelfos in vrbe & terris vicinis esse sustinuit, & se Tribunum Vrbis appellauit, cuius dominium vix ad duos annos durauit, & postea occulte de Vrbe recessit, sed tandem venit anno secundo ad Regem Karolum in Pragam, qui ipsum captiuauit, & Papa ab ipso eundẽ repetiuit: vnde Dominũ Ioannem de Pistoria Episcopũ Spoletanũ pro ipso ad Regem dirigit, qui Tribunum Papæ præsentauit. Hic Tribunus postea ab Innocentio Papa VI. successore Clementis dimissus est, & ad Vrbem cum

gaudio

gaudio Romanam in legationem eiusdem Papæ reuersus est, post reuersionem suam modico tempore superuixit, quia ab inimicis suis est occisus in vrbe.

Eodem anno Rex Vngariæ cum magna potentia in regnum Apuliæ intrat, volens vindicare necem fratris sui Andreæ occisi, (vt supra dictum) prædictum regnum occupat, & multos meritos in morte fratris sui occidit. Exiens regno post annum, grauis infamia insurgebat contra dominum Papam & quosdam cardinales, quod de scitu eorũ Andreas prædictus fuisset occisus, vnde prædictus Rex Vngariæ & Tribunus se insimul confœderant, quod displicuit domino Papæ & Cardinalibus.

Anno MCCCXLVI. vxor relicta præfati Regis Andreæ occisi fugiens à regno Apuliæ potentiam fratris venit Auinionem ad Papam, qui ipsam domino Ludvvico nobili Regi Apuliæ, desponsauit, propter quod infamia exorta amplius pullulauit. Hic Ludvvicus intrat Apuliam cum vxore, & magnam partem obtinuit post exitum Regis Vngariæ, ex promotione prædicti Papæ, qui tandem ob hanc discordiam dominum Guidonem S. Ceciliæ presbyterum Episcopum Tusculanum Cardinalem in Vngariam misit. Demum anno quinquagesimo in Iubileo mense Iulio iterato Rex Vngariæ regnum intrat cum magna potẽtia, & magnam partem amissam recuperat, puniens multos qui in amissione culpabiles erant: demum Papa inter Regem & Ludvvicum*. Postea Rex Vngariæ exiuit, & transiens Romam propter indulgentiam anni Iubilei, & per Tusciam & Lombardiam venit Veronam ibi relinquens stipendiarios suos inpagatos*, ab eis clam in Vngariam est reuersus. Ludvvicus vero prædictus vix per vnum mensem est absens à regno, quia statim Rege recedente rediit, & sicut prius, regnum conatur habere: quod propter huiusmodi discordias variis tribulationibus & rapinis & cędibus deprimitur; nam ante sub regimine Ruperti Regis fuerat in quiete.

* deest alia quæ.

* non paytz.

Eodem anno Iubileo mense Septembri, obsidetur ciuitas Bononiensis cum magna potentia per gentem domini Papæ prędicti, & ciuitas se tradidit ad manus domini Mediolanensis, & totus comitatus caristia, incendio, & cædibus grauiter deuastatur, & sic perit studium ibidem.

Anno domini MCCCXLVII. pestilentia & mors vniuersalis hũmani generis tanta inualuit, qualis vnquam audita vel scripta reperitur. Nam primo in partibus vltramarinis inter paganos incepit, & tam grauis (vt dicebatur) quod ad ducenta millia* villæ, ciuitates absque hominibus remanerent, demum serpendo ingrediebatur ex ista parte maris. Nam Venetiis in tota Italia, & Prouincia, maxime in ciuitatibus iuxta mare sitis, homines sine numero moriebantur; & Auinione (vbi tunc erat curia Romana) primis diebus proximis tribus post Dominicam mediæ quadragesimæ MCCCC. computati homines sepulti fuerunt: imo dicebatur, quod in ciuitate Marsilienſi ex hac pestilentia tot homines moriebantur, quod locus quasi inhabitabilis remansit. Postea transiuit ad Alpes ad Vngariam, per totam Alemaniam, per Franciam, in qua tertia pars hominum viua remansit, item per Scotiam, & semper in vna prouincia per vnum annum vel circa durauit, transiens vltra: & sic paucis regnis exceptis, quasi omnia mundi regna quassauit, & ceciderunt homines ex vlceribus seu glandibus exortis sub axillis, & iuxta genitalia, & pro maiori parte iuuenes moriebãtur, vel per excreationem materiæ sanguineæ, & hic dolor in VI. vel VII. diebus homines suffocauit. Hæc loca apud medicos emunctoria nuncupantur, quia superfluitas vel sudor subtilis his locis facile emittitur per naturam. durauit autem hæc pestilentia per V. vel VI. annos vel circa; imo postea pluribus annis posterius inuenies. Etiam in multis locis hanc pestilentiam attribuunt intoxicationibus Iudæorum, de quibus infra sub Carolo Rege. Et propter hoc anno domini MCCCXLIX. circa festum Ascensionis Domini flagellatores in Alemania insurrexerunt vbiq; in maxima multitudine, quia interdũ LXXX. simul iuerunt cum flagellis nodatis. Et vide simile III. Regum, cap. XVIII. in prophetis Baal, tempore Heliæ, ibi dicitur, quod percusserunt se cultris & lanceolis, & aculeatis se disciplinantes, & quemq; in duo aut tria agmina diuiserunt, ac multos ad deuotionem prouocabant, multi etiam ipsis detraxerũt. & simile inuenies

* deest.

Emũctoria.

Flagellatores.

ſupra ſub Imperatore Friderico II. Iſti flagellatores cum quoddam oppidum Bãbergenſis diœceſis tranſirent, in quo magna fuit copia Iudæorum, ipſi Iudæi inopinate irruerunt in ipſos XIII. vel circa, flagellatores occiderunt, & aliquos ciues defenſores eorum, & poſtea oppidum igne ſuccenderunt. Cum autem hæc religio per quartam partem anni inualuiſſet, mulieres etiam hanc pœnitentiam ſibi aſſumentes in magna multitudine, & ſe flagellantes vſq; ad pectora denudabant, iſti flagellatores cum multas ſuperſtitiones attentare præſumerent, nimirum inuicem ſe abſoluere à peccatis & prædicantes apocrypha & ſimilia, propter quod laici ſunt clero grauiter indignati,*

Iubilæus. Anno Domini MCCCL. maximus hominum concurſus fuit ad Vrbem Romam propter plenam remiſſionem culpæ & pœnæ anni Iubilei per dominũ Papã indicti, ita vt in dominica paſſionis Domini, qua canitur, *Iudica me*, primo oſtenſum fuit ſudarium Domini, ſiue imago delata per Veronicam; & tunc ex nimia preſſura in Eccleſia S. Petri (me præſente) multi ſunt ſuffocati. Venit etiam tũc ad eandem Vrbem dominus Hanibaldus Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis, legatus per Papam miſſus, & prænominatus Guido cardinalis, Legatus in Vngariam miſſus. Qui tempus XV. dierum (quibus peregrini forenſes, volentes indulgentiarum participes fieri, ſtare debebant in Vrbe) commutabant in VIII. dies, propter preſſuram nimiam populi, & cariſtiam victualium, & alias cauſas diuerſas. Quam decurtationem dierum populus Romanus ægre ferens*, vnde rumor factus eſt inter cardinales & populum eundem. Ita quod cardinales interdixerunt diuina in Vrbe, quod interdictum durauit ad VIII. dies. tandem ſuper huiuſmodi rumore compoſitum eſt, vt ſudarium præſcriptum ſemper poſt octo dies populo demonſtretur, quia ante nunquam niſi in Quadrageſima oſtendebatur. Guido Cardinalis ab Vrbe recedit menſe Maio, & Hunibaldus manens in Vrbe perſecutionẽ patitur à Romanis: ita quod vna die tranſiens per Vrbem duas ſagittas poſt eum occulte miſſas ſuſcepit; vnam ad caput, in quo coopertus mitra ferrea erat, vnde ipſum non læſerunt; ſed poſtea menſe Iulio mortuus eſt in Vrbe, & (prout dicebatur) intoxicatus à Romanis.

Seditio Romæ.

Anno MCCCLI. poſt feſtum Natiuitatis Domini Iohannes Rex Franciæ viſitat poſt coronationẽ ſuam dominum Papam, intrãs Auinionem cum nigro* apparatu, & tunc Papa ad inſtantiam ipſius creat XII. cardinales nouos. Poſt receſſum Regis familia vnius noui cardinalis guerram incepit cum familia cuiuſdam militis fratris Papæ, ob quam cauſam idem miles frater Papæ collam* gente, manu armata ingreditur curiam cardinalis, & expulit eum de curia, ac domum in ipſius librata* funditus demolitur. In quo facto Cardinales magnam ſibi iniuriam æſtimarunt illatam, ſed Rex Franciæ rediens ad curiam, huiuſmodi diſſenſionem ſedat. Poſtea autem inter Papam & quoſdam Cardinales nouos, ex vna parte & altera, ex diuerſis cauſis diſſenſio exoritur.

**ſ. mirt.*

**ſ. Collũa.*

Delphinus Gallia. Item Hymbertus Delphinus, [de quo ſupra ſub Ludouico IIII.] dominium ſuum, videlicet Delphinatum, reſignat filio prædicto Regis Franciæ. Item Papa ipſum fecit Patriarcham Antiochenum, & in prædicto feſto natiuitatis Domini (quod fuit in ſabbato,) ipſum promouit ad tres ſacros ordines; in prima Miſſa gallicantus ordinat ipſum in Subdiaconum; in ſecunda Miſſa ortus diei ordinat ipſum in Diaconum; in ſumma Miſſa in ſacerdotem. Et eodem die ipſe Delphinus Miſſam celebrauit, & poſt octo dies Papa ipſum Epiſcopum conſecrauit. Eodem anno idem Papa fecit incarcerari quendam fratrem de ordine Minorum, ſolennem clericum & bene literatum, qui multa futura prognoſticauit de ordinibus Mendicantium, & futuris Romanis Pontificibus ac Imperatoribus, nec non de aliis multis mirandis.

Eodem anno de mandato eiuſdem Papæ dominus Berchtoldus Epiſcopus Eccleſiæ Eiſtetenſis, in aſcenſione Domini, ad quatuor minores ordines eſt promotus. In vigilia proxima Pentecoſtes in ſubdiaconum, & in ſabbato Quatuor Temporum ſequenti eſt in Presbyterum ordinatus, & poſt hoc VIII. dies in Epiſcopum eſt conſecratus.

Anno

Anno MCCCLII. idem Papa Edvvardum Regem Angliæ, aduersariũ Regis Franciæ, citat coram se ad curiam in consistorio publico, & postea idem Papa decessit in festo B. Nicolai.

Innocentius Papa VI. prius vocatus Stephanus Claremontensis Cardinalis, & Episcopus Hostiensis, ac summus pœnitentiarius, anno Domini MCCCLII. XIIII. Kal. Ianuarii in Papam eligitur, & sedit annis X. minus tribus mensibus & XII. diebus, obiit II. Idus Septembris. Hic rigidus & iustus simoniam & practicam, quæ tempore antecessoris sui apud sedem Apostolicam inualuit, expulit à principio: * vna vice causa cellarium tenuit. cum antecessor suus aliquas gratias præter conscientiã Vicecãcellarii bullari iusserit, quod appellabatur per concessum, Hic Papa hunc modum ab antea inauditum deleuit: omnes gratias antecessoris sui, per quas ius in re non fuerat acquisitum, reuocauit; beneficia de iure vacantia & de facto possessa * sed postea secundum morem antecessoris mutuata contulit, sicut prius inuitus contulit. Electos ad Cathedralem vel regulares Ecclesias, per ipsum vel antecessores suos reseruatas, beniuole approbauit, & conseruauit. *Innocentius VI. Pp.*

Anno II. eiusdem Papæ multi de ordine Minorum fratres inceperunt dogmatisare, & disputare de proprio & paupertate Christi & Apostolorum, contra diffinitionem & determinationem Iohannis Papæ XXII. asserentes, quod Papa non potuit reuocare constitutionem Nicolai Papæ III. quæ incipit: *Exiit qui seminat, De hæret. lib.* VI. *Et de verborum significationib.* Item quod Papa ex quacunque causa non possit delere ordinem fratrum Minorum. Vnde duo apostatæ prædicti ordinis capti sunt in monte Pessulano, vnus sacerdos, alter conuersus, & ducti Auinionem, & de mandato eiusdem Papæ examinati confessionem suam in quodam longo libello, multos circa præmissa articulos continentę, legerunt; imo publice affirmabant, quod Papa Iohannes prænominatus & omnes successores sui, ac etiam ipse Papa Innocentius, contrarium assertioni eorum affirmantes, fuerint & essent hæretici & peruersi; ad quamcunque dignitatem vel beneficium Ecclesiasticum titulum nullum haberent. Propter quod iidem minores degradati sacerdotes, in præsentia domini Papæ, traditi sunt curiæ seculari, & cremati infra octauam Pentecostes, & dum irent ad supplicium, alta voce clamabant: *Gloria in excelsis Deo.* Et dicebatur publice, quod plures professi ordinis illius fuerint traditi curiæ seculari, & cremati in Wasconia, & in Italia, propter præmissos articulos, quos præmissi duo dicebant veros Martyres. Imo etiam dicebatur, quod quamplures essent, etiam literatæ personæ, ordinis præfati, qui prædictam quæstionem de proprio & paupertate Christi & Apostolorum defendebant. Hic etiam Papa ad supplicationem Regis Karoli (de quo supra) speciale festum in honore instrumentorum dominicæ passionis, videlicet hastæ, clauorum, & aliorum, in partibus Alemaniæ & Bohemiæ solenniter celebrandum indixit, feria VI. post octauam orationis Dominicæ; & super hoc indulgentias dedit, & hoc fecit propter reuerentiam Imperialium insignium, quod aliqua de prædictis instrumentis Rex Romanorum seu Imperator in sua tenet custodia. [*Cui bene concordat, quod in nouo Passionali legitur de corona spinea Domini nostri Iesu Christi. Et habes de hoc supra sub Friderico Imp. I. I. in additione.*] Cuius quidem coronæ festum in regno Franciæ celebratur. *II.* *Regalia.*

Anno Domini MCCCLVIII. eiusdẽ vero Papæ sexto, mense Iunio, in Frãcia magnũ schisma inter nobiles illius regni ex vna, & ciues seu populares ex parte altera oritur, q̃ populares inculpant nobiles, quod tradiderint Iohannẽ Regẽ Franciæ in manus Anglorũ in bello cõmisso, anno prętcrito (de quo infra sub Carolo IIII,) & quod in rebus suis ipsos vellent extorquere, & aliis quãpluribus articulis. Et cum super huiusmodi articulis filiũ Regis Delphinum relictum (qui post captiuitatem patris coronatus erat in Regem) adierunt populares, petentes sibi super hoc prouideri, nec filius pro voluntate eorum respondet eisdem, dominos tunc præsentes, videlicet Comitem Claremontensem, quendam Episcopum & alios consiliarios Regis occiderunt in præsentia Regis; & redeuntes domum

quam plures ciuitates regni se ad inuicem confœderauerunt; & exeuntes manu armata, multa castra nobilium vicerunt,& omnes personas inuẽtasin castris,mares & feminas,infantes & senes occiderunt. Cum autem Parisius quidam prædicator publice in sermone niteretur populares ab huiusmodi crudelitate reuocare, iussus est interfici. Propter crudelitatem autem huiusmodi Papa & tota curia valde est commota.

Quædam societas armatorum se congregat in prouincia iuxta Marsiliam, & ciuitatem Aquẽsem, sicut in Italia (de qua infra sub Carolo,) quæ deuastat castra, homines crudeliter occidit, & res & bona immaniter rapiunt & inuadunt; sed Papam & eius curiam non offenderũt,& tandem Papa dat eis XXIV. millia florenorum, vt recederẽt de prouincia & de curia; quibus datis recesserunt. Eodem tempore quidam religiosus, de ordine fratrum Minorum, peritus in Astrologia, in curia prognosticat futura & terribilia, videlicet quod ab eo tempore infra quatuor annos Cardinales de Auinione fugient,& anno Domini 1365. vermes fortes de terra surgant,quæ bestias & animalia deuorent,moles multi cadent, Antichristus publice apparebit,& ipsius discipuli Ieroſolymis prædicabunt;clades,tempestates, & diluuia aquarum, qualia nunquam sunt visa præter diluuium generale; & alia multa horrenda de persecutione fidei Christianæ prædixit, & propter hoc captus fuit per dominum Papam.

Pseudopropheta.

Eodem anno Richardus Archiepiscopus ordinatus est, primas totius Hyberniæ, contra ordinem Mendicantium proponit in consistorio publice coram Papa & Cardinalibus graues excessus, quos in sua Prouincia & alibi per vniuersalem Ecclesiam contra Prælatos & rectores parrochialium Ecclesiarum in prædicantibus confessionibus audiendis, pœnitentiis iniungendis, ac cumulandis fernalibus * cõmiserunt; & quod priuilegium eis indultum ex constitutione Bonifacii VIII. quæ habetur in Clement. *De sepult. c. dudum.* excederent, & priuilegio abuterentur. Cuius causæ auditionem & diffinitionem Dominus Papa quibusdam commisit Cardinalibus.

Idem Papa cum Cardinalibus deliberat anno LVI. recipere decimam omnium beneficiorum Ecclesiasticorum ad terminum per totam Alemaniam,Bohemiam,Poloniam, & Vngariam. Sed cum Carolus Imperator venisset ad ciuitatẽ Metensem (prout sub ipso)& Archiepiscopi Moguntinus,Colonensis & Treuerensis cum ipso, ac quidam Cardinalis & alii legati ex parte Papæ similiter Metim venissent, interceptum fuit hoc, & Papa subsidium petit hyemale duorum procuratorum,secundum formam constitutionis editæ a Benedicto Papa XII. loco prædictæ decimæ. Et hoc subsidium colligit Papa per legatos suos per omnes Prouincias Alemaniæ.Et nota,quod prædictus Papa Benedictus XII.fecit vnam constitutionem quæ incipit: *Vas electionis*,in qua taxat vniuersis regnis totius Ecclesiæ,quantum in pecunia quælibet cathedralis Ecclesia,Monasteriũ, Collegiũ, & Parochia,dare debeat superiori ipsam visitanti, & tantum tunc Papa recipit.

Anno MCCCLIX.de mense septembri idem Papa de Ecclesia Frisingensi tũc vacante prouidit domino Paulo Episcopo Gurcensi, ac committit absolutionem heredum Ludvvici suprascripti, videlicet Marchionis. [*Hic obiit postea, vt sub Carolo inuenies*] Brandenburgensis, Ducis Stephani, & aliorum heredum, nec non totius terræ, & hominum ibidem, ab excommunicationis,suspensionis & interdicti sententiis,quibus huc vsque ad obitum Ludvvici ligati fuerunt; licet aliæ prouinciæ Alemaniæ fuerint absolutæ. Et idem Episcopus Frisingensis* solenniter in Monaco missam celebrauit,Marchionem prædictum,& vxorem suam absoluit ab huiusmodi sententiis; ac eosdem, qui hactenus illicite cohabitauerunt, vt coniuges, quia in tertio gradu consanguinei, item quia viuente priori marito, videlicet fratre Caroli Imperatoris [*licet ipsa defortiata* ab ipso, prout infra sub Carolo inuenies,*] tãquam legitimos coniuges de nouo matrimonialiter copulauit, & auctoritate sedis Apostolicæ dispensauit, vt coniuges possent legitimi permanere, ac homines ibidem absoluit: Interdictum & alias sentẽtias relaxauit;ac postea vniuersam terram subiectam prædictis hæredibus, nec non homines ibidem absoluit.

Glo.

** Auentin. lib. 7 fol. 626.*

** diuortiata.*

soluit. Ipse vero Ludvvicus iam XII. anno mortuus, & sepultus Monaci in parochia S. Mariæ, non fuit tunc absolutus, quod prædictus episcopus dixit, se non habere auctoritatem, sed pro absolutione sua consuluit de nouo mittere nuncios ad Papam, & voluit ipsum exhumasse, sed prohibuerunt hæredes. *Ludouici Imp. Bauar. sepultura.*

Anno Domini MCCCLXI. mense Ianuario quædam societas armatorum se congregæ iterato, (vt supra) circa Auinionem super Rhodanum, & capiunt castrum Spiritus sancti, * & pontem Rhodani ibidem, vt prohiberent victualia deferre curiæ Romanæ, ac prædas & cædes faciunt circumquaque. Et sic societas triplex, vna circa Rhodanum ab Aquilone, alia ex parte Australi versus montem Pessulanum, tertia ab oriente versus Carpentratum, ita quod curia timuit sibi multum, sed tamen asseruerunt, quod Papam & Curiam nollent damnificare. Securus autem non patuit introitus curiæ Romanæ, propter quod magna * quam propter priorem societatem Curia est valde turbata, & pro subsidio dominus Papa legationem domino Carolo Imperatori & Alemaniæ Principibus dirigit serioſam, qui pecuniam petiuit pro subsidio, quam Papæ dare recusant. Et tandem cum huiusmodi prædicti starent circa curiam præscriptam per quartam partem anni vel circa, pecunia placauit eosdem, & sic recesserunt cum Marchione Montis-Ferrati contra Mediolanenses.

Eodē anno inualuit iterato pestilentia Auinione magna, ita quod à festo Paschæ vsq; ad Pentecosten, & ad festū Iacobi Apostoli moriebantur ibidem circa XVII. millia hominū, inter quos fuerunt centum Episcopi, & v. Cardinales, & ex hac maior fuit desperatio in Curia, quā supra de pestilētia, quæ sub Papa Clemēte.

Eodem anno mense Decēbri quidā de societate redeuntes, præscriptā clam intrabant ciuitatē Auinionem, tradere volentes eandem, quorū aliqui deprehēsi fuerunt, & vno die x. personæ in fluuio Rhodano suffocatæ, & XI. patibulo suspēsę: & sic quasi continue ab eo tēpore, quo (vt supra) cœpit hæc societas, Curiā Romanā oppressit vsq; ad obitum eiusdem Papæ. Qui decessit Auinione anno Domini MCCCLXII. II. Idus Septembr. quæ fuit feria II. ante festū exultationis S. Crucis.

REDIT AD IMPERATORES.

KAROLVS quartus filius Iohannis Regis Bohemiæ, electus in Regē viuēte adhuc Ludvvico (prout inuenies) post obitū Ludvvici se intromisit de regno sine alia electione, & cū multitudine Bohemorū intrauit inferiorem Bauariā iuxta Cambium, & ibi cędibus & incendio destruit terram, & ascendit iuxta aquā Danubii à ciuitate Ratisponēsi, vt Rex est susceptus; deinde potenter veniens Nurēberg, eadem ciuitas ipsi vt Regi obediuit; & omnes Principes & nobiles Frāconię & Sueuiæ ad ipsum confluunt; quibus donaria magna dedit, & promisit, & ipsi vt Regi obediunt, & feuda sua ab eodē suscipiūt. Hic in consiliis prouidus, in agēdis circumspectus, ad bella & guerras non anhelās, astutia & facundia & tractatibus generalem pacem fecit in Alemania, & tyrannos in Italia sibi attraxit. *KAROLVS IIII. Imp.* *Chamb.*

MCCCXLVIII.

Et anno secundo prædicti Regis, in conuersione S. Pauli fuit magnus terræmotus in Alemania, nimirū in Sueuia, Bauaria, Austria, & maxime in Styria, Carinthia & Alpibus: ex quo oppidū quoddam dictū Villach, & quædam castra spectantia ad Ecclesiam Babenbergensem sita inter Alpes, funditus sunt subuersa, & plus quam v. millia hominum perierunt. *II.*

Eo tēpore in diœcesi Babenbergensi erāt quidam nobiles coniuges se multum carnali affectione diligētes. contigit quod maritus nomine de Eglofstain est occisus in bello: post cuius obitū Dæmon incubus apparuit in forma mariti vxori superstiti & prægnanti infra XXX. dies post occisionem; quem vxor ex simplicitate credens esse maritum ad oscula & alia (prout ante consueuerunt) admisit, at illa libidine ducta omni nocte vestes mariti lecto superposuit, nec aliquam personam iuxta se in nocte habere voluit, licet, quod esset illusio diabolica, multoties informata. Post paucos dies cum honore nimio ab vxore recessit, ita quod bene perpendit, diabolicam fuisse illusionem, & ipsa est mortua pariendo, præsumitur enim, quod ex coitu partus fuit extinctus. [*Simile notatur* *Incubus.*

in Decret. 32. q. 4. C. origo in fi.] In eadem diœcesi tunc temporis quidam dæmon in specie parui pueri hominibus apparuit multis, verbo facto, & conuersatione placabilis, mira dicens.

Eodem anno & feria IIII. proxima ante festum Pẽtecostes in ciuitate Nurenberg rumor fuit, quod populares propter obedientiam factam Regi se contra diuites erexerunt, & ipsos de ciuitate expellũt, & Ludvvicum Marchionẽ Brandenburgensem pro domino receperunt.

Eodem tempore prædictus Rex filiam suam impuberem filio Alberti Ducis Austriæ vnico impuberi tradidit in vxorem, ac in quodam oppido Seuelt in metis Austriæ & Morauiæ solennes sunt nuptiæ celebratæ.

Eodem anno circa festum B. Iacobi tractatum solennem habuit Rex Karolus cum filiis Ludvvici in Patauia, & Albertus Dux Austrię prædictus fuit mediator inter eos. Ibi interfuerunt Archiepiscopus Salzpurgensis, Episcopus Patauiensis, fratres carnales, qui regalia sua ab eodem Rege receperunt, interfuerunt archiepiscopus Gerlacus Moguntinus, Archiepiscopus Pragensis, Episcopi Bambergensis & Herbipolensis, fratres carnales, & nuncii Regis Vngariæ, & maxima copia Principum, Baronum & nobilium; sed prædicti filii Ludvvici cum maiori comitiua, quam rexerant ibidem, & modus concordandi eos bene fuit inchoatus, sed non consummatus.

Eodem anno in Marchia Brandenburgensi surgit quidã, qui se asserit Marchionem Waldmarum, qui (vt supra) Ludvvicum elegit in Regem, dicens se fuisse in pœnitentia * XXVII. annis ex reuelatione diuina, & abeuntem à terra, & non mortuum: licet homines illius terrę priorem Waldemarum ante annos præscriptos fuisse naturali morte defunctum assererent: & quia similis in facie & in moribus Waldemaro erat, & multa intersigna de actibus Waldemari hominibus ad memoriã reuocauit, Rudolphus Dux Saxoniæ, & Archiepiscopus Magdeburgensis istum nouum Waldemarum in odium Ludvvici Marchionis, filii Ludvvici (qui terram non tractauerat gratiosè) pro Marchione susciuiunt, & maxima pars eidem vt Marchioni obedit. Propter quod Ludvvicus prædictus ad Marchionatum redit, cum debili potentia armatorum. Et Rex cum nouo Waldmaro, Duce Saxoniæ & Archiepiscopo prædictis cũ magna potentia terram ingreditur, ac incendiis & prædis vndique molestant, ac ipsum Ludvvicum obsident in Francenfurt * spectantem ad Marchionatum. Hic post VI. annos ad molendinum suum reuertitur: quod prius erat molitor & deceptor, vbi Rex nouum Waldmarum de Marchionatu infeudauit, & sic Ludvvicus de Marchionatu recedit.

Pseudo-Waldemarus Marchio.

** ad Oderam.*

Eodem anno insurgit magna persecutio contra Iudæos, in omnibus regnis & ciuitatibus Alemaniæ, & in partibus Galliæ, in quibus habitabant Iudæi, ita quod paucis locis defendebantur. In Moguntia cum populus inopinato impulsu concitatus insurgeret contra Iudæos, Iudæorum CCC. armati in populum inermem subito irruerunt, & CC. Christianos occiderunt, & ab hoc ciues inuadunt turbati Iudæos. & XII. millia Iudæorum vel circa sunt occisi. In Franconia, Iohannes Burggrauius de Nurenberg in principio persecutionis huiusmodi, persecutores nobiles & rusticos in campis cum magna potentia locatos fugauit; tandem etiam ipsos iubet occidi, & vndiq; cæduntur, & expelluntur nudi. Quia diuulgata erat infamia de ipsis, quod venenum in saculis in puteos & fontes per omnes regiones Christianorum miserunt, & aliis modis diuersis etiam per aliquos Christianos intoxicauerunt, & sic Christianitatem nitebantur extinguere. Et aliqui Iudæi & Christiani ad tormenta positi hoc fatebantur: durauit autem hæc persecutio ad duos annos vel circa.

Iudæorum strages.

Anno sequente mense Ianuario quidam nobilis de Haydegk plures ciues honestos in Nurnberg, qui suis seruitoribus insidias posuerant, suspendio tradidit, propter quod ciuitas grauiter commota est contra ipsum, sed Regi placuit hoc factum, quod propter rumorem suprascriptum nunciabatur eidem.

Anno

MCCCXLVIII.

III. *Guntherus Schvvartzburg. electus Rex.*

Anno tertio regni Karoli, menſe Februarii, Guntherus comes de Svvartzenburg in Thuringia in odium Karoli per aliquos Electores regni, videlicet Hainricum depoſitum Archiepiſcopum Moguntinum, Ludvvicum Marchionem Brandeburgenſem, Rudolphum & Rupertum fratres Duces Bauariæ, & Comites Palatinos Rheni, nec non quendam Ducem Saxoniæ patruelem Rudolphi prænominati Ducis Saxoniæ in Regem Romanorum in Franckenfurt eligitur. Qui pluribus hebdomadibus cum potentia armata in campis iuxta Frankenfurt iacuit ante electionem ſuam, maxime per auxilium ciuitatum Rheni & Gerlaci Archiepiſcopi Moguntini ſe ponit ad campum contra aduerſarium ſuum de Schvvartzpurg, qui cum antiquo Epiſcopo Moguntino & Duce Ruperto præſcripto & eorum exercitu ſe tenuit in oppido Alchphyl* iuxta Moguntiam; & cum vtraque pars ſe præpararet ad bellum, ſubito infirmitas inuaſit illum de Schvvartzpurg, & contractus eſt manibus: quod factum ſibi plures aſſerebant ex veneno. Nam medicus ſuus, cum ſibi potionem miniſtrare deberet, aſtantes ſibi dicebant quod ipſe præguſtaret: qui cum primo quodammodo renueret, tunc vrgebant medicum ſumere; qua modica ſumpta, die tertia mortuus eſt medicus. Multi autem dicebãt vindicta diuina illum de Schvvarzenburg tam ſubito decumbere. Stante autem vtroque exercitu ſuperuenit Ludvvicus Marchio Brandenburgenſis cum pauca gente, qui familiariter & honorifice à Karolo ſuſceptus interponit ſe inter Reges prædictos, & concordat eoſdem, ita quod ille de Schvvarzenburg titulo ſuo regali voluntarie renuntiat, promiſſa ſibi magna pecuniæ quantitate pro expenſis. Ipſe etiam Carolus prædicto Marchioni Comitatum Tirolis & omnem terram quam tenuit in Alpibus conceſſit, & apud dominum Papam obtinere promiſit diſpenſationem ſuper matrimonio cum filia Ducis Carinthiæ, vxore Iohannis fratris Karoli qui adhuc vixit, per ipſum de facto contracto, & quæ attinebat Ludvvico prædicto in tertio gradu; ac multos alios caſus apud ſedem Apoſtolicam & alios terminare promiſit, quorum tamen nullum terminauit. His & aliis pactis interpoſitis Karolus & Ludvvicus prædicti facti ſunt amici. Super huiuſmodi compoſitionis negotio Carolus ſolennem ambaſſatam proponit dirigere ad dominum Clementem Papam, ſed hæc legatio nullum ſortiebatur effectum. Hac igitur compoſitione facta præfatus Guntherus de Schvvartzpurg ex præmiſſa infirmitate mẽſe Iunio ſequenti obiit (prout dicebatur) ſepultus in Frankenfurt. Et etiam Carolus in Franckfurt venit, vbi illæ tres ciuitates Wechabiæ * quæ prius contra ipſum fuerant, eidem vt Regi obediunt.

*f. Wetteraniæ.

In commemoratione S. Pauli Luna poſt medium noctis eclipſata fuit, & tota ſanguinea apparuit.

Eodem anno mẽſe Iulio, Epiſcopus Curienſis, in cuius diœceſi eſt caſtrum Tyrolis, promulgat ſolennem ſententiam diuortii inter Iohannem fratrem Karoli, & filiam quõdam Ducis Karinthiæ, cui prænominatus Ludvvicus Marchio Brandenburgenſis vt vxori ſuæ cohabitauerat per ſeptem annos & vltra, & duos pueros ſuſcepit ex ipſa. In qua ſententia Epiſcopus aſſerit præfatum Iohannem frigidum & impotentem ad copulam carnalem, & ideo non fuiſſe matrimonium inter eos.

Rex Carolus communiter recognitus ab omnibus Principibus & ciuitatibus in Alemania Rex Romanorum, cum Regina vxore ſua nuper ducta tranſit Aquiſgranum: [*Nota quod hic Carolus bene coronatur corona ferrea, quia prima corona non fuit facta de conſenſu omnium Electorum.*] vbi ſecundo coronatur & Regina ſecum in feſto B. Iacobi per dominum Archiepiſcopum Colonienſem, in qua coronatione cum Marchio Iuliacenſis ſceptrum teneret regale, Ludvvicus Marchio Brandeburgenſis recipere voluit ſibi de manu, dicens ad officium ſuum hoc ſpectare: propter quod rumor eſt inter eoſdem dominos ſuſcitatus, quem Rex intercepit, & per Principes extitit diffinitum; *Quod quando Rex Romanorum coronatur, tunc ad officium Marchionis Brandẽburgenſis ſpectat ſceptrum regale tenere. Sin autem*

Coronatio Aquenſis. Gloſſ.

Sceptrum regale.

feuda regàlia concedit, tunc ad officium alterius Marchionis hoc spectat. Rex autem non ab hac coronatione, sed à prima annos regni sui scribit.

Nurenbergenses ciues, qui à Rege apostauerant (vt supra) ad gratiã redeunt.

Eodem anno mense Septembri Ludvvicus marchio Brand. & Dux Stephanus, & alii filii & heredes Ludvvici ab Ecclesia condemnati, Bauariam, quæ fuit reuersa ad prænominatum Ludvvicum ex obitu patruelis sui Hainrici (vt supra sub ipso Ludvvico inuenies) diuidunt inter se in duas partes, superiorem & inferiorem Bauariam. Ita vt tres fratres, scilicet Ludvvicus prædictus, & alius Ludvvicus (cognomine dictus *Romanus*, quod Romæ conceptus) & Otto iunior superiorem Bauariam cũ comitatu Palatino Rheni & Comitatu de Graispach obtinuerunt; reliqui tres frattes Stephanus, Albertus & Iohannes Duces & fratres inferiorem Bauariam habuerunt. *De simili diuisione huius terræ supra sub Friderico II.*

Bauaria diuisio.

Eodem mense die S. Gorgonii in Vrbe Romana & locis vicinis ac in regno Apuliæ maxime terræ motus fuit, etiam maior quam de quo supra anno præcedẽti in Alemania. Vnde ex hoc Ecclesia S. Pauli in Laterano corruit, ita quod vix tertia pars eiusdem remansit. Basilica XII. Apostolorum, turres & multa alia ædificia in Vrbe corruerunt. Hic etiam terræ motus durauit per tres septimanas vel circa; ita quod in die naturali semel interdum, & quandoque bis accidit, non tamen ita periculosus, prout prima die. Et ex eo territi Romani non audebant inhabitare domos suas, sed in tentoriis & extra domorum tecta torrebantur*. Similis terræ motus iteratus est anno domini 1353. in conuersione S. Pauli in eisdem partibus.

**Torrebantur.*

MCCCL.

Anno domini MCCCL. qui fuit Iubilæus (vt patet supra ex constitutione Papæ Clementis.) VI. mense Aprili Ludvvicus Marchio Brandenburgensis insignia Imperialia, videlicet lanceam qua perforatum fuit latus Domini nostri Iesu Christi, & clauos, ac gladium Karoli Magni, nec non alia quæ reseruata fuerunt in oppido Monaco per Ludvvicum patrem suum tradidit Karolo Regi prædicto in Nurenberg, qui in Bohemiam in ciuitatem Pragensem ipsa deducit. Vnde Innocentius Papa postea de his speciale festum indixit.

Regalia.

Mense Augusto patriarcha Aquilegiensis strenuus valde, qui Ludvvico prædicto marchioni Brand. & patri suo in Carinthia multum resistebat, passinos* (vt alii dicunt) quod in campis per inimicum suum comitem Gurcensem (vt dicebatur) per quosdam, extitit interfectus.

**Mendum.*

Eodem anno mense Augusto Philippus Rex Franciæ prænominatus iam mortuus est, & primogenitus suus Iohannes, qui duxerat filiam Iohannis Regis Bohemiæ occisi in bello, sibi successit in regno, quæ antea mortua fuit, Contra quem Rex Angliæ mouet guerram, sicut contra patrem.

Eodem anno & mense Ludvvicus Brandeburgensis assumens secum Rupertum Ducem Bauariæ, patruelem suum supranominatum, cum multis armatis collectis de Bauaria & Sueuia, intrat Marchionatũ Brandenburgensem, & transit per Bohemiam. Regina concessit sibi aliquos armatos, & in marchionatu recuperat aliquas ciuitates, quæ in absentia sua ab eo diuerterant. Hic eodem tempore duas sorores suas ex parte Ludvvici patris nupsit, vnam fratri Regis Vngariæ supranominati. [*Hic mortuus est anno domini* MCCCLIII. *& reliquit heredes. Hic Guilhelmus post obitum matris incidit in furorem, & (vt fertur) ex diuina vindicta per quoddam arbitrium super dissensione inter Ducem Brabantiæ, & Comitem Flandrensem, quod super sacramento Eucharistiæ solenniter iurans promisit iustum ferre, pecunia corruptus tulit iniquum, vnde frater suus Dux Albertus in dominio sibi successit.*] Aliam filio domini Mastini de scala domini Veronensis, qui sibi introitu Marchionatus Brandenburgensis magnam pecuniam mutuauit. Hic Mastinus postea decessit anno MCCCLI. mense Iunio. Prædictus vero Ludvvicus Marchio in marchia guerram mouens per vnum annum & quinque menses continue permansit, & tandem interuenientibus tractatibus, duobus fratribus suis, videlicet Ludvvico Romano & Ottoni, Marchionatum in Brandenburg reliquit

Additio.

liquit ex toto, & ipſe Bauariam ſuperiorem pro ſorte hereditatis ſuæ accipit, & vocem in electione Regis Romani Marchionatus prædicti retinuit, & anno 1352. menſe Ianuario in Bauariam eſt reuerſus.

Anno domini 1350. Octobri Rex Karolus grauiter infirmatur, & fama fuit de eo quod fuerit intoxicatus à fratre, qui expulſus erat à comitatu Tyrolis, & paralyſi vexabatur, ita quod contractus efficitur manibus & pedibus, & hæc infirmitas durauit per annum.

MCCCLI.

Domina Margareta primâ obiit anno LVI. mẽſe Iunio, relicta domini Ludvvici exiſtens in Holandia, & volens terram habere ratione primogenituræ (vt ſupra ſub Ludvvico dictum eſt) quod nolens Patigvvillus filius eius, & domini terræ, incepit guerram cum filio. Filius nititur eam expellere de terra, & magnũ bellum inſimul habuerunt.

Menſe Nouembri Duciſſa E. quæ erat filia Comitis de Phyert, vxor domini Alberti Ducis Auſtrię obiit. Ipſe autem Dux erat multis annis contractus & paralyticus, bene & in pace regens terram ſuam.

MCCCLII.

In Martio Tartari & Ruteni pagani cum multis legionibus armatorum cõtra Regem Cracouiæ intrant Poloniam, & vnam ciuitatem vicerunt, & terram & homines deuaſtant. Tandem armatorum multi ſunt occiſi, & reuerſi ſunt ad terram ſuam.

Eodem anno menſe Iunio & Iulio Albertus Dux Auſtriæ prænominatus guerram mouet oppido Thuriſenſi, ac ipſi cum auxilio hominum in Alpibus fortiter reſiſtunt, & terram ac homines Ducis grauiter deuaſtant. Tandem Dux expoſito magno theſauro, & dato ſtipendio nobilibus, cum auxilio ciuitatum Rheni Turegen obſedit cum maxima multitudine armatorum, tandem cum confuſione recedunt. Eandem obſidionem repetit idem Dux cum auxilio domini Regis Karoli anno domini 1354. qui quidem Rex tunc præſens fuit, & ſimiliter cum confuſione recedunt. *Turich.*

Eodem anno tribus diebus ante feſtum natiuitatis Virginis glorioſæ, quidam nobilis, Svveigerus de Gundelfingen, Conradum Ducem de Deck conſiliarium fidelem & ſecretarium Ludvvici Marchionis Brandeburgenſis, virilem valde, in Monaco occidit in hoſpitio ſuo, in noctis crepuſculo, cum ire vellet ad lectum. Quem cum transfixiſſet gladio, ipſe Dux apprehenſo pugione (quem prius vnus de familia Svveigeri etiam transfixit in ipſum Ducem) contra ipſum frẽdens & fremens per gladium eſt ad modum apri aggreſſus, ita quod gladium dimiſit in ipſo transfixum, & fugit; vnde ſtatim eſt mortuus. Hic Svveigerus poſtea incuſatur de Lepra & gratiæ Marchionis eſt reſtitutus.

MCCCLIII.

Menſe Auguſto Rex Carolus de Bohemia venit in Alemaniam, & inducẽs dominos terræ & ciuitates orbis manſuetudine & miſericordia, bonam & generalem pacem fecit.

Eodem anno menſe Septembri obiit Rudolphus Dux Bauariæ ſocer ſuus, ratione cuius & per tractatus habitos cum fratribus eiuſdem Rudolphi rerum habuit, multa caſtra & oppida ante nemus Boemorum. Ducem etiam Rupertum captum in Marchia Brandenburgenſi per Ducem Saxoniæ abſoluit à captiuitate cum multa pecunia.

Eodem anno menſe Decembri idem Rex Moguntiam venit: cui populus & clerus ibidem cum vexillo crucifixi occurrebãt, petentes vindictam de Hainrico quondam Archiepiſcopo Moguntino depoſito, & dicto domino Cunone de Falkenſtain ipſius procuratore, qui multis grauaminibus in perſonis & rebus ipſos flagellabant; & ſic Rege vna cum Gerlaco Archiepiſcopo Moguntino à ſede Apoſtolica prouiſo rogitante de ſtatu Eccleſiæ & diœceſis Moguntinẽſis, ipſe Hainricus prædictus ex improuiſo in vigilia natiuitatis Domini moritur, & præ-

fatus de Falkenstain cum Gerlaco Episcopo pertractante hoc Rege concordatur, & traduntur omnes munitiones & castra Archiepiscopatus ipsi Gerlaco, exceptis quibusdam quæ ipsi de Falkenstain pro certa pecunia remanent obligata.

MCCCLIIII.

Mense Ianuario obiit dominus Baldvvinus Archiepiscopus Treuerensis, patruus patris præfati domini Regis, qui XLVI. annis vel circa præfatam Ecclesiam Treuerensem vt Archiepiscopus regebat, cui successit Boemundus Archidiaconus Treuerensis, qui paucis annis rexit eandem Ecclesiam, & ex senio deficiens resignauit, & tunc suprascriptus de Falkenstain ex prouisione sedis Apostolicæ factus est Archiepiscopus Treuerensis.

Boemundus archiepisc. Treuerens.

Eodem anno in die B. Gregorii in nocte in Alemania magnus ventus erat, qui ædificia, tecta domorum in multis locis euertit, ac multitudinem arborum maximarum radicitus euulsit. Et die præcedente post completorium magister Nicolaus Violus rector scholæ Eistetensis ciuem Eistetensem villicum ante prædicatores occidit.

Mense Iulio Episcopus Herbipolensis obsedit ciuitatem Herbipolin cum magna potentia armatorum, & terram circum quaque ac vineas prope ciuitatem destruxit, & ipsi ciues fortiter rebellabant. Tandem Rex veniens ad locum, concordabat ipsos, ita quod Episcopo in posterum debent subesse.

Octobri idem Rex intrat Italiam coronandus in Vrbe ad titulum Imperialem per dominum Ægydium cardinalem summum pœnitentiarium domini Innocentii Papæ, transmissum ab eodem ob hoc ad Vrbem ante annum, vbi Paduæ solennissime suscipit & concordatur cum ipso Rege ciuitas Venetorum, domini Marchiones de Ferraria, dominus de Verona, & quamplures alii.

Eodem tempore obiit Iohannes Archiepiscopus Mediolanensis, vnus de potentioribus Italiæ, & filii fratris sui regnant pro ipso in Mediolano & aliis ciuitatibus, quas ipse subiugauit.

MCCCLV.

Idem Rex per amicabiles tractatus concordatur cum prædictis dominis de Mediolano, quem ipsi suscipiunt in Mediolano cum tam pauca gente: noluerunt enim quod cum magna gente intraret ad ipsos, vnde maiorem partem gentis suæ reliquit Mantuæ, & sic quasi solus submittit se manibus eorundem, & coronatur secunda corona argentea in Ecclesia S. Ambrosii in Mediolano in Epiphania Domini. Et inde transiens venit Romam, absq; omni resistentia, vbi in die Paschæ à Cardinali Hostiensi in Imperatorẽ coronatur in Ecclesia S. Petri, ac eodem die recedit ab Vrbe dimissa gente sua, clam volens redire ad Alemaniam, nõ potuit, sed veniens ad ciuitatem Pisanam, ibiq; cum moram faceret, quædam progenies vulgariter appellata Gamba-Curta, de occisione ipsius Imperatoris & suorum turbæ cogitauit, & circa festum Pentecostes Palatium Pisanum incendio ignis comburi procurauit, ex quo arma antiqua, balistæ & similia valde pretiosa ciuitatis, ibi consumpta fuerunt. Post aliquot dies prędicta progenies commune ciuitatis contra Imperatorẽ prouocant, & magnus rumor insurgit, in quo Imperator & sui in mortis periculo extiterunt. Sed dominus Marquardus Episcopus Augustensis vna cũ suis tamen paucis, primo erecto vexillo inimicos audacter inuadit, & pugnat cum eis à mane vsq; ad vesperam, plures occiderunt, reliqui fugierunt, sedato rumore duo ex prædicta prænominati machinatores capti sunt in curia habitationis domini Cardinalis Hostiensis prædicti, qui alios suos accusauerunt cõsortes, & sic XVI. famosi ciues Pisani capti sunt, & decollati, qui confessi fuerunt quod per hunc rumorem (si prosperati fuissent) Imperatorem & Imperatricem vere quidem patibulis suspendere intendebant, & reliquos occidisse, propter quod dictũ *demolitæ sunt funditus habitationes eorũ, & Imperator decessit de ciuitate Pisana, relinquens ibi loco suo prædictum Marquardum Episcopum Augusten-

Gamba curta.

Marquardus episc. August.

**f. delictum.*

Augustensem, & reuersus est in Alemaniam mense Iunio. Sed adhuc cum esset Pisis, quoddam castrum in comitatu potenter vicit, in quo inuenit puerum feminei sexus in facie & toto corpore hirsutum, vt hœdus, quem secum duxit in Alemaniam.

Mense Iulio idem Imp. emit ab episcopo Ratisponensi, & à quibusdam nobilibus Bauariæ, nobile castrum Cumstauf iuxta Ratisponam, Episcopatus Ratisponensis, pro XVIII. millibus florenorum, ex quo tota terra vicina est turbata, & hæc emptio facta est capitulo Ratisponensi penitus ignorante. *Kumstauff.*

MCCCLVI.

Mense Ianuario idem Imperator conuocat curiam in Nurenberg, in qua Archiepiscopi Moguntinensis, Colonicnsis, Treuerensis, & alii Principes conueniunt Electores, & quã plures alii, sed filii Ludvvici duo, Ludvvicus Marchio Brandenburgensis, & Dux Stephanus, ad hanc curiam non conueniunt, timentes potẽtiam Imperatoris prædicti. Ludouicus vero dictus Romanus, etiam filius Ludvvici, bene interfuit huic curiæ cum magno apparatu, & de Marchionatu Brandenburgensi per Imperatorem est inuestitus ibidem.

Secundo mense Episcopus Constantiensis est Constantiæ in suo palatio occisus per quosdam milites, & multis vulneribus confossus. Eodem mense Berchtoldus de Hagelen canonicus Eystetensis, & Præpositus noui collegii Spaltensis nouiter factus sacerdos & illis temporibus diues obiit proximo die ante conuersionem B. Pauli Apostoli: qui solenne condidit testamentum, & in solenni elemosyna (dicta spenta) fuerunt distributæ x x. libræ Hallenses, & v. modii siliginis. *Spenda.*

Eodem anno mense septembri magnum & cruentum bellum est inter Iohannem Regem Franciæ, & filium Edvvardi Regis Angliæ iuxta Aurelianum, in quo captus est prædictus Iohannes Rex Franciæ & filius suus, cum tamen in gente quasi infinitum excederet Principem Angliæ. [*Simile bellum inter patres amborum prædictorum Regum ita mirabiliter contra euentum humanæ prouisionis commissum vide supra sub Ludouico IV.*] *Addit.*

Eodem mense in die B. Lucæ Euangelistæ in die & nocte plures terræ motus facti sunt tam graues & notabiles: quales vnquam visi sunt in Alemania, ex quibus ciuitas Basilicnsis & Ecclesia cathedralis ibidem subuersæ sunt funditus, & circa ciuitatem multa castra circumiacentia, & collegium scholarium canonicorum valde solenne, & monasterium Valdegrani eiusdem diœcesis, vbi montes alti & Alpes ad se inuicem transtulerant, ex quibus terræ motibus M M. hominum perierunt. *Basilea clades.*

Item eodem anno mense Nouembri feria II. post festum B. Martini confessoris dominus Marquardus Episcopus Augustensis supra scriptus, quem idem Imperator fecit vicarium Imperii in Italia, qui ob debitorum Ecclesiæ suæ prædictæ reseruationem recedens de ciuitate Pisana associauit se quibusdam armatis, qui se *Societatem* appellabant, & Apuliam, Tusciam, & Italiam, ac alias prouincias ibidem incendiis, rapinis, & hominum occisionibus deuastabant, vna cum huiusmodi societate iuit manu armata contra dominos Mediolanenses supra scriptos, & captus est in bello ab eisdem dominis, Mediolanum ductus, & cum eo quingenti armati.

Mense Decembri præscriptus Imperator vocatus per dominos & ciuitates regni Franciæ post bellum præmissum, venit in ciuitatem Metensem, vbi iura Imperii & claues ciuitatis ab incolis requisiuit, & per dominum Innocentium Papam per cardinalem Petrogoricensem transmissus ad ipsum, ac filius Regis Franciæ consanguineus Imperatoris (qui de bello supra scripto cum multis armatis fugit) ac multitudo magna Principum Alemaniæ & Franciæ conuenit ad ipsum, & per festum Natiuitatis dominicæ fuerunt apud ipsum. Demum transit in Ducatum Brabantiæ, & huiusmodi guerram sedauit.

MCCCLVII.

Mense Aprili quidam nobilis miles dictus Eckerdin, officialis & potēs Ducum inferioris Bauariæ, confederatur cum domino Imperatore prædicto, & ob hoc iidem Duces obsederunt eundem militem in Castro Nacherberg cum tota potentia sua. Sed Imperator maximam gentem de Bohemia & Morauia, & alias hinc & inde congregat, & inferiorem Bauariam intrat, deuastat, & cum vterque exercitus sibi inuicem appropinquaret, ita vt bellum præsumeretur, in eundem componunt se Duces pro voluntate Imperatoris, pro quo tota Bauaria doluit, quod magna damna fecerat Imperator in terra; nec dum Duces, qui magnam collegerant gentem, se vindicabant.

Nacherberg.

Mense Maio dictus Marquardus Episcopus Augustensis liberatur de captiuitate domini Mediolanensis; Item Regina Vngariæ cum magna comitiua, & DCC. equis limina B. Virginis visitat Aquisgrani, & monasterium S. Elizabeth in Marcburg.

Mense Septembri obiit Ch. de Haydeck nobilis miles, qui fratribus suis magnum thesaurum reliquit, & ob hoc fratres post obitum concertant.

Octobri in die Sergii & Bacchi Martyrum obiit Iohannes Comes Burggrauius in Nurenberg, sapiens & potens in Franconia, sepultus solenniter in monasterio in Hailprunne Eystetensis diœcesis. Eodem mense obiit Fridericus senior Comes de Ottingen.

MCCCLVIII.

Mense Iulio Rex Liphoniæ gentilis misit fratrem suum ad præscriptum dominum Imperatorem Karolum, tunc Nurenberg constitutum, asserens se & terram suam velle recipere fidem Christianam, & petens se baptizari: Super quo negotio Imperator dirigit Archiepiscopum Pragensem, & superiorem magistrum domus Teutonicæ in Alemania, & alios quam plures in Liphoniam. Hic Rex spondet baptizari & venire Vratislauiam in festo Natiuitatis Domini, & cum Imperator solenni apparatu venisset ad locum, Rex non venit, & rescribit se nolle baptizari, nisi terra euicta ab eo & suis antecessoribus per fratres domus Teutonicæ in Prussia, restituatur eidem, & sic infecto negotio Imperator recedit de loco.

Rex Liuoniæ.

Eodem mense obiit Albertus Dux Austriæ, cuius filii filiam iuniorē paulo ante duxit Meinhardus filius Ducissæ Carinthiæ, & Ludvvici Marchionis Brādenburgēsis Ducis Carinthiæ, neptē in quarto gradu, ex dispensatione sedis Apostolicæ, & solēnes nuptiæ in Patauia celebratæ fuerunt. Sed Dux Rudolphus Alberti senior filius, qui Caroli Imperatoris filiam duxerat, regnauit pro patre in Austria, & constituitur aduocatus terræ in Sueuia ab Imperatore socero suo suprascripto.

MCCCLVIIII.

Dominica in medio Quadragesimæ, quæ fuit II. Kal. Aprilis, fures de nocte intrauerunt monasterium S. Walpurgis Eystetensis, & cum campanarius eiusdem tarde intraret ad deponendum se in loco, irruunt fures in ipsum, velata facie, volentes eū occidere, qui se defendit, fuit in monasterio grauiter vulneratus. Propter quod stillicidium de reliquiis B. Walpurgis consuetū hactenus manare cessauit per quatuor septimanas vel circa; & post octauas Paschæ appropinquante festo eiusdem virginis manauit, vt ante.

In octaua Pentecostes S. Wunibaldi confessoris in Haydenhaim facta est translatio in nouum chorum, cuius reliquiis cum postea deferrentur in stillicidium huius, in magna abundantia manatum est ad hæc existens S. Walpurgis. In festo S.S. Petri & Pauli Apostolorum, in occasu solis, in ciuitate Eystetensis, superuenit tempestas magna & nubes pluuiosa, ex qua per vallem Puchtal versus Septentrionem tanta inundatio facta est, vt partem ciuitatis destrueret, hominib. habitantibus in valle prædicta magnum damnum inferret, lapides maximos de monti-

montibus amoueret; & vna mulier extitit suffocata, & similis aura non est hactenus visa ibi.

Eo tempore in die Abdon & Sennæ Martyrum in ciuitate Eystetensi est duellum commissum inter dictum Hopferstadt & Perenuelder. *Duella.*

In die Marci & Marcelliani Martyrum simile duellum habuit in iudicio prouinciali Burggrauii. Idem & iuxta Nurenberg cum quodam dicto Marschaldo de Gredingen, quem similiter & verisimiliter vicit, ac vitam ex precibus Dominorum indulsit insignem prædonem, qui multis annis Ludwicum Marchionem & terram suam spoliauit ex vna, & armigerum dictum Beniuelder, pro quo tamen multæ orationes & pia suffragia ab hominibus fiebant ad Deum, & qui in causa, de qua agebatur inter partes, fouebant iustitiam; neutra tamen partium fuit occisa seu membro mutilata.

Mense Decembri frater Domini Veronensis, qui supra duxit sororem Domini Marchionis Brandenburgensis, occidit eundem Dominum Veronensem fratrem suum, sororium Marchionis; & expellit sororem suam de dominio, & ipse dominium Veronense & aliarum ciuitatum fratris apprehendit.

MCCCLX.

Ciuitates Imperii in Alemania, & maxime in Suevia, querelas graues deferunt Imperatori præscripto contra Comites de Wirtenberg, Vlricum & Eberhardum fratres, filios Comitis de Wirtenberch (de quo supra sub Ludwico) super diuersis grauaminibus, videlicet quod tenebant & defendebant malefactores & raptores patriæ & inimicos eorum, item quod telonia inaudita infra eorum territorium extorserunt, & alia quamplura grauamina inferebant. Propter quod idem Imperator veniens Nurenberg, prædictos Comites ad se vocauit, quibus cum solenni comitiua armatorum illuc venientibus Imperator præmissa & alia quamplura obiecit: sed ipsis cum indignatione recedentibus, mense Augusto eiusdem anni Imperator fortem & ferocem multitudinem armatorum de regno Bohemiæ & circumquaque iubet adduci, & mandat Principibus, Baronibus & ciuitatibus inuadere Comites suprascriptos, & sic collecta maxima multitudine armatorum cum potentia comitatum prædictorum hostiliter inuadit. Sed Rudolphus Dux Austriæ gener Imperatoris tractat pacem. Vnde prædicti Comites videntes se non posse resistere potentia Imperatoris, suæ gratiæ submiserunt. Ergo oportuit eos restituere omnia castra & bona, quæ ibi & progenitores sui obligata ab Imperio hactenus habuerunt, telonia & pedagia, & consueta * relaxabant, & viri coram iudice prouinciæ super iniuriis ciuitatibus illatis coacti sunt stare.

* *f. consulta: vel, conuicta.*

MCCCLXI.

In principio mensis Martii Imperatrix in Nurenberg filium masculum genuit, de quo Imperator lætitiam habuit non modicam, & eundem baptizandum solenniter reseruauit per vnum mensem & amplius. Nam ad baptismum ipsius inuocat solennem curiam in Nurnberg, & Electores Imperii quasi omnes. Et hic filius baptizatus est Dominica qua cantatur *Misericordia Domini*, quæ tunc fuit III. Id. April. in parochia S. Sevvoldi in Nurnberg, Babenbergensis diœcesis; & leuatus de fonte per Archiepiscopos, Moguntinensem, Colonienſem, Pragensem, & per Episcopos sex, & quinque Abbates, & nomen eius Wenceslaus appellatum, & durauit hæc curia cum magno gaudio per octo dies. Nam & insignia Imperialia Imperator iubet deduci de Bohemia, & solenni apparatu, & ostendit ibidem; & existentibus ibidem denunciantur magnæ indulgentiæ, quas Innocentius VI. Papa tunc gratiose concessit, videlicet easdem indulgentias, quas in Vrbe Romani Pontifices in die Cœnę Domini concedere consueuerunt; & habita ibi sunt hastiludia & alia solatia infinita. Post hęc Imperator disponit habitare limina B. Virginis Aquisgrani, sed deliberat mittere offertoriũ illuc pro filio suo nato. Vnde iubet filium ponderare in statera cum auro, qui ponderauit 16. marcas auri, quas mittit Aquisgranum. Et ipse cum vxore & filio, & insignibus suprascriptis in Bohemiam est reuersus. Et nota, quod insignia Imperialia, quæ tunc vidi,

Wenceslaus Imp. nascitur.

Regalia. (de quibus Papa festum indixit) sunt hæ: primum ferrum lanceæ, quæ transfixit latus Christi. Item clauus cum aliquali petia ligni S. Crucis, quæ transiuit manum Christi. Item gladius Karoli Magni primi Imperatoris Romanorum, quem tunc Imperator tenebat in manibus, & corona qua coronatus est in Imperatorem à Leone Papa III. Item gladius Mauricii martyris. Item petia brachii S. Annæ matris Mariæ virginis, & dens Iohannis Baptistæ. Item petia cordæ, qua Christus fuit ad columnam ligatus. Spongia qua fuit in cruce potatus, & aliæ plures reliquiæ Sanctorum.

Eodem tempore VIII. Idus Aprilis obiit Dominus Albertus Burggrauius de Nurenberg, frater Iohannis præmortui.

Mense Octobri obiit Ludvvicus senior filius Ludvvici condemnatus*, Marchio Brandenburgensis inopinate iuxta Monacum, tamen Sacramentis Ecclesiæ procuratus: qui reliquit hæredem Meinhardum nomine, Rudolphi Ducis Austriæ generum, iuuenem cum quo mater sua pro terra Carinthiæ & Comitatu Tyrolis incepit litigare.

MCCCLXII.

Mensibus Aprili & Maio visus est notabiliter Cometa in Bauaria versus Orientem. Et exorta discordia inter Imperatorem præscriptum ex vna, & Regem Vngariæ & Rudolphum Ducem Austrię parte ex altera. Et Imperator ad tractandum cum prædictis aduersariis suis se transfert ad metas Morauiæ circa fines Vngariæ, & interim circa festum Iohannis Baptistæ moritur Imperatrix suprascripta.

Meinhardi Brandeburgici tutela. Eodem anno post festum Paschæ oritur guerra grauis inter Duces Bauariæ super tutela seu cura Meinhardi Marchionis Brandenburgensis, & Ducis Bauariæ filii Ludvvici suprascripti: ex hoc & pro eo, quia Rupertus Dux Bauariæ, & Comes Palatinus Rheni (de quo dictum) & Stephanus senior, ac Stephanus iunior filius eius, Duces inferioris Bauariæ (quibus etiam Dux Austriæ assistebat) ex vna parte contendebant esse tutores & curatores præfati Meinhardi iuuenis tanquam legitimi tutores secundum legem ciuilem. Sed alii nobiles terræ, consiliarii patris eiusdem (quibus Fridericus filius Stephani Ducis præscripti assistebat) ex alia parte similiter volebant esse tutores & curatores præfati iuuenis, in quorum fuit potestate, & tanquam ii, quibus filius fuit commissus à patre; & cuilibet partium aliquæ ciuitates terræ adhæserunt. Et cum ambæ partes cum magna comitiua armatorum se parassent ad bellum, & hoc inuicem viciniæ condixissent, contigit casualiter tunc in festo Corporis Christi (quod fuit XVI. Kalen. Iulii) quod idem Marchio iuuenis deuenit in potestatem partis aduersæ, videlicet Ducis Stephani, & sibi adhęrentium, & sic sine bello ab inuicem recesserunt. Et idem Meinhardus postea modico tempore superuixit, & mortuus est annorum XIV. vel circa. Et ipse Fridericus reconciliatus est patri & fratri. Sed Duces Austriæ, apud quos tunc fuit mater ipsius Meinhardi defuncti, terram Carinthiæ & Comitatum Tyrolis obtinuerunt & possederunt.

MCCCLXIII.

Præfati Duces Bauariæ intrant terram Carinthiæ cum magno exercitu per vallem Enisi fluuii, volentes intrare Comitatum Tyrolis, sed non potuerunt. Tandem cum aliquo tempore fuisset lis inter præfatos Duces Bauariæ & Duces Austriæ, concordati sunt, videlicet vt ipsi Duces Austriæ Ducibus Bauariæ exsoluerent centum millia florenorum, & ipsi præfatum comitatum & terram possiderent vsque ad metas, prout hodie possident.

FINIS ANNALIVM HAINRICI REBDORFF.

CHRO-

CHRONICON ELWANGENSIS MONASTERII, EXCERPTVM PER PRÆDICTVM D. MATTH. MARE-

ſchalcum, ab anno MXCV. *vſque ad annum* MCCCCLXXVII.

Anno Domini MXCV.

NErenshaim fundatum eſt, & præficitur ei Erneſt Abbas. Multi Ieroſolymam cœperunt ire.

Annus ab humano Chriſti milleſimus ortu
Et decies denus ſublatis quinq; meabat,
Tum populo Blandi quem mittit Gallia campis
Curia ſolennis clara mandabat in vrbe.

MXCVIII.

Vrbanus Papa obiit, & multa millia hominum fame perierunt.

MXCIX.

Chriſtiani Ieruſalem bellando ceperunt.

Anno milleno centenoq; minus vno,
Ieruſalem Franci capiunt virtute potenti.

MC.

Seditio inter Hainricum & Paſchalem.

MCI.

Nerenshaim perfectum eſt, & Hugo Abbas eidem præficitur: cui ſucceſſit Theodoricus.

Conradus filius Imperatoris moritur.

MCVI.

Hainricus Imperator à filio capitur.

MCVII.

Hainricus Rex cum exercitu Flandriam inuadit, & fit pugna apud Edingeshaim.

MCVIII.

Monaſterium dedicatum eſt Zvvifalda.

MCIX.

Gebehardus Epiſcopus Conſtantienſis obiit.

MCX.

Paſchalis Papa captus eſt.

MCXI.

Hainricus Romam pacifice intrauit, & ſimulata concordia à Papa ſuſcipitur. Interim pugna exorta à Rege captiuatur Papa. Sed non multo poſt pacificantur, & Rex coronatur.

MCXII.

Hainricus Imperator cum exercitu Saxoniam petit, rebellantibus contra eum Leuthero Duce, & Rudolfo Marchione, ſed ſtatim dederunt ſe. Adalbertum cancellarium Epiſcopum Moguntinenſem impium machinatione contra eum cepit, & in carcerem miſit.

MCXIV.

Hainricus Imperator nuptias celebrat apud Moguntiam.

MCXXV.

LOTHARius Saxo Imp. Hainricus V. Imperator obiit. Leutharius succeſſit.

MCXXVI.

Monaſterium S. Vdalrici apud Nereshaim Kal. Martii igne conſumitur.

MCXXVII.

Hainricus Comes Epiſcopus Conſtantienſis filius Hartmanni obiit.

MCXXVIII.

Conradus Rex de Stauffen contra Lotharium Regem inſurgit, ſed Lotharius Imperator conſecratur.

MCXXXVII.

Leupoldus Marchio Dux efficitur Bauariæ. Romæ magna Synodus celebratur.

MCXXXVIII.

Lotharius Rex obiit.

MCXLI.

CONRADus III. Imp. Conradus Rex Bohemiam cum exercitu intrat.

MCXLV.

Lucius Papa.

MCXLVI.

Initium noui monaſterii Elvvangenſis.

MCXLVII.

Chriſtiani nutu diuino perrexerunt Ieruſalem; & Conradus Rex cum numeroſo exercitu Ieruſalem mouit.

MCL.

Dux Welpho cum Conrado Rege dimicat apud Nereshaim.

MCLII.

FRIDERICus Imp. Conradus Rex obiit: & Fredericus Dux Sueuorum fratruelis ſuus ſucceſſit. Et Conradus Dux de Zæringen obiit.

MCLIV.

Celeſtinus Papa: cui & Adrianus ſucceſſit.

MCLVII.

Ludouicus Rex Franciæ cum exercitu Ieruſalem petiit.

MCLVIII.

Schiſma inter Octauianum & Rolandum: vterque ordinatur.

MCLXII.

Fredericus Imperator Mediolanenſes rebelles vicit, & vrbem ſubuertit.

MCLXIII.

Fredericus Imp. contra Venetos mouit procinctum.

MCLXVI.

Imperator iterum collectis viribus Lombardiam intrat, & eam multipliciter flagellat.

MCLXVII.

Imperator Parmam, Bononiam, Dardanam, cum aliis ciuitatibus coegit ad deditionem.

MCLXXI.

Gens Boemorum terram Sueuię peruagatur, & multi eorum perierunt.

MCLXXIII.

Adalbertus abbas de Raumiſpech obiit: Adalbertus ſecundus ſucceſſit.

MCLXXIV.

Fredericus Italiam cum exercitu valido inuadit, & nouam ciuitatem Alexandriam cingit obſidione, vbi Imperator multos nobiles perdidit.

MCLXXVII.

Hainricus Dux Saxoniæ priuatur Ducatu Bauariæ, & ei Comes Otto de Scheuren

Scheuren ſubſtituitur: qui durauit annos quatuor, & obiit.

MCLXXX.

Imperator Hainricum prædictum Ducem Saxoniæ deleuit; & Berenhardus ducatum Saxoniæ, & Otto ducatum Bauariæ obtinuerunt.

MCLXXXII.

Exuſtum eſt monaſterium Elvvangenſe, vbi domus, libri, & clauſtrum concremantur. Et Otto Dux Bauariæ obiit.

MCLXXXVIII.

Adalbertus Abbas Elvvangenſis reſignat; & Cuno ſucceſſit.

MCLXXXIX.

Imperator collecta manu forti Ieroſolymam tendit cum filio ſuo Hainrico; quam Saladinus Rex expugnauerat, & vterq; mortui.

MCXCI.

Hainricus filius Friderici Imperatoris contra Apuliam mouit exercitum, vbi male ſucceſſit. *HENRICVS VI. Imp.*

MCXCIII.

Rex Angliæ ab Accon ciuitate rediens, quam expugnauerat, à Leupoldo Duce captiuatur.

MCXCIV.

Imperator ſecundo Apuliam manu forti inuadens totam ſibi ſubiugat, & facto fœdere inter eum & Guilielmum, Conſtantiam triennalem * virginem ducens vxorem terras prædictas obtinuit. **f. tricennalem.*

MCXCIX.

Apparuit caro cruenta Auguſtæ in Euchariſtia.

MCCI.

Oppidum Elvvangenſe, & clauſtrum incendio vaſtantur.

MCCV.

Conradus Herbipolenſis Epiſcopus, & cancellarius occiſus eſt.

MCCVIII.

Philippus Dux Sueuorum, & Rex Romanorum apud Babenberg à Palatino Ottone de Wittelſpach doloſe occiditur; & breui ſpacio temporis præfatus Otto de Wittelſpach glorioſe interficitur à Hainrico Marſchalco de Callatin, ob vindictam Domini ſui Philippi. Eligitur Otto filius Heinrici Ducis Saxoniæ in Regem. Et Hartouicus Auguſtenſis præſul obiit: cui Seifridus miniſterialis de Rechberg ſucceſſit. *OTTHO IV. Rex.*

MCCIX.

Otto Rex profectus Romam pro benedictione. Inde mouens exercitum in Apuliam ad ſubiugandam ſibi.

MCCXII.

Fredericus Dux Sueuiæ eligitur in Regem Romanorum contra Ottonem, & Regina Vngariæ Gertrud occiditur. *FREDERICVS II. Imp.*

MCCXVII.

Chuno Baro fit Abbas in Fulden. Otto Saxo Imperator obiit. Gotſoldus in Abbatem eligitur Elvvangenſem. Et Damiata ciuitas à Chriſtianis manu bellica obtinetur.

MCCXX.

Fridericus huius nominis Imperator II. Hainrici Imp. filius Romæ Imperialem conſecutus eſt benedictionem.

MCCXXI.

Damiata à Sarracenis non bello, ſed dolo eſt reobtenta. Crux pręclari coloris & proceræ magnitudinis in cœlo ab hora tertia vſq; poſt horam nonam Kalen. Maii apparuit.

MCCXXII.

Colloquium & concilium Apoſtolici & Imperatoris apud Veronam cum Principibus fuit ordinatum, & non perfectum.

MCCXXV.

Verbum crucis per totam Ecclesiam prædicatum est, & infinita millia hominum signata sunt.

MCCXXVI.

Conradus natione Sueuus de Pfullingen Episcopus Colonienſis misere occubuit, à Comite de Altenach. Hainricus Romanorum Rex iunior celebrauit nuptias cum filia Ducis Austriæ Nurenbergæ: & filius Ducis Austriæ celebrat nuptias cum filia Landgrauii.

MCCXXVII.

Seifridus Episcopus Augustenſis obiit, cui Siboto succeſſit, puta de Gundelfingen natus.

MCCXXIX.

Fredericus Imperator terram sanctam à Sarracenis inuasam sine omni strepitu armorum recipit; & sic Ierusalem reddita est. Clauſtrum Elvvangen exustum est.

MCCXXXII.

B. Elizabeth nobilis matrona Ludouici Landgrauii Turingiæ, miraculis claruit in Marckburg.

MCCXXXIII.

Philippus Romæ Ecclesiæ nuncius censum priuilegiorum noſtrorum recepit, præsidente Gregorio VIII. Curienſis Episcopus occiditur. Bauaria subiugatur. Dedicatio Elvvacenſis Ecclesiæ seu monasterii, quam fecit Neuburgenſis Engelhardus Episcopus.

MCCXXXIV.

Regale colloquium Heinrici Regis apud Franckfurt celebratur.

MCCXXXV.

Imperator Fridericus in Wormatia nuptias celebrauit cum filia Regis Angliæ. Et Hainricum Regem filium suum captiuauit. Et eodem tempore in Moguntia curiam habuit, vbi LXXV. Principes affuerunt.

MCCXXXVI.

B. Elizabeth in catalogo Sanctorum conscribitur, & canonice exaltatur.

Imperator contra Longobardos parat expeditionem, & ciuitatem Vincentiam cepit.

MCCXXXVII.

Monasterium Babenberg sub Engelhardo Neuburgenſi Episcopo conſecratur. Fridericus Imperator cum Mediolanenſibus congrediens de ipſis triumphauit, & citra septem millia hominum occidit, & captiuauit, filium etiam Ducis Venetiarum cum curru, qui dicitur *Karratsh**, violenter abduxit captiuum, & cum ciuitatibus plura castella destruxit, & Longobardiam magna ex parte vastauit. Imperator Longobardos diuersis modis flagellat.

* Carroccio.

MCCXXXIX.

Prodigium circa Solem III. Non. Iunii visum est circa horam nonam. Cœli species in sanguinem versa est, & aer obscuratur.

MCCXL.

Albertus Elvvacenſis Abbas abbatiam resignauit; Sifridus succeſſit.

MCCXLII.

Tartari Poloniam, Tuscіam, & Vngariam ad generalem desolationem redegerunt. Et Soldanus Ægypti & Babyloniæ turrim Dauid funditus euertit. Seifridus Elvvangenſis Abbas abbatiam resignauit: Ruigerus succeſſit. Hainricus Rex obiit.

MCCXLIII.

Innocentius Papa IV. deceſſit.

MCCXLVI.

Conradus hæres regni Hierosolymitani Nernshaim incendio vastauit.

Rex

MCCLIII.

Rex Gulielmus in Regem Rom. vnctus, Dominum Flandriæ bello campestri superauit.

MCCLV.

Maria Ducissa à marito Duce Bauariæ occiditur. Et Gulielmus Rex in Fresia occiditur. Ciuitas Elwangen exusta est ab abbate Rudolfo *. * al. Rugero.

MCCLVI.

Obiit Conradus Rex filius Frederici Imp. potentissimi.

MCCLX.

Rex Boemiæ cum Rege Vngarorum dimicat, & filium eius, & Regem cum manu captiuauit.

MCCLXIV.

Rex Francorum ad subsidium terræ sanctæ, quam Tartari inuaserunt, procinctum mouit. Et obiit Vrbanus IV.

MCCLXVII.

Herbipolenses cum Comite de Hennenberg pugnam magnam habuerunt apud Kizingen, & fecerunt victoriam cum S. Kiliano, & multi interfecti sunt. Filius Conradi Regis in ciuitate Neapoli interfectus est: Princeps filius Imperatoris Friderici à Rege Franciæ dicto Karlote interfectus est. Et ex vtraq; parte multi corruerunt. Et hoc factum est apud ciuitatem Nusluo *. *Hic incipiũt Annales Henrici Steronis.*

MCCLXIX.

Obiit Otto abbas Ecclesiæ Elwacensis: Conradus successit de Swabsperg ortus.

MCCLXXIII.

Rudolfus Comes de Habspurg in Regem Romanorum est electus. Hic constituit, vt per omnem terram clerici decimam partem darent. Per sex annos apud Leodium celebrata est Synodus sub Papa Gregorio X. Illustris vir de Steronberg in Herbipoli Episcopus est factus. *RVDOLFVS Rex.*

MCCLXXVIII.

Vtaccerus Rex Boemiæ à Rudolfo Rege Rom. occiditur. Abbas Elwangensis Conradus decessit: Eckchardus de Suabsperg successit.

MCCLXXX.

Rudolfus de Catzenstain obiit.

MCCLXXXVII.

Comiti de Oetingen, Abbas Theodoricus resignat abbatiam Nereshaim: cui successit Fredericus Cellarius Ecclesiæ Elwangensis, de Ziplingen natus. Iudæi bonum Werenherum apud Rhenum in quadam ciuitate crucifixerunt.

MCCXCI.

Filius Ludouici Ducis Bauariæ in hastiludio occisus est. Rex Rom. Rudolfus obiit, in diuisione Apostolorum.

MCCXCIV.

Adolfus Rex Rom. filiam suam Mechtild Duci Bauariæ matrimonialiter copulat, & celebrat nuptias in Nurnberg 4. Non. Septemb. Idem Rex Misnam profectus, Marchionem ditioni suæ subegit. Filius Comitis de Helfenstain puer in iudicio à quodam, qui ad suspendium ducendus erat, cultello transfixus fuit. Post biennalem dissensionem Cardinalium Cęlestinus Papa, erat monachus ordinis S. Benedicti, homo bonæ vitæ, & miræ sanctitatis, qui circumuentus astutiis cuiusdam clerici nomine Benedicti, resignat eidem Papatum, qui postea dictus fuit Bonifacius, homo miræ versutiæ. *ADOLFVS Rex.*

MCCXCVIII.

In die Processi & Martiniani martyrum, Adolphus Rom. Rex occisus est in bello iuxta Wormatiam in campo dicto Burgẽtrich *, à Ioanne Duce filio quondam Rudolphi Rom. Regis. * al. Gelheim.

MCCC.

Occisus est Vlmæ Præpositus maioris Ecclesiæ Augustensis, dictus Zoler, alias Zeler.

MCCCIII.

ALBERTUS Rex. Rex Albertus cum exercitu in Boemiam vadit, vbi multi occisi sunt.

MCCCIV.

Rex Boemiæ obiit, & filius eius celebrat nuptias in Olmutia. Eberhardus Comes de Wirtenberg opposuit se Regi, & inuictus permansit. Hinc Rex ciuitatem Groningensem obsedit, nec eam obtinuit. Kal. Augusti exustum est monasterium & tota ciuitas Elwangensis à fulmine.

MCCCV.

Occisus est iuuenis Rex Boemiæ fraudulenter. Et Albertus Rex iterum intrauit Boemiam, & filium suum Rudolfum Regem constituit ibi. Qui Rudolfus eodem anno obiit.

MCCCVIII.

In die Apostolorum Philippi & Iacobi occisus est fraudulenter Albertus Rex Romanorum, à patruo suo Duce Ioanne, & à quibusdam aliis, quorum vnus est dictus de Wart, & alius de Palmis. In vigilia Barnabæ ciuitas Elwangen per incendia deuastatur. Obiit Erkinhardus Abbas natione de Suabsperg, in die S. Hieronymi, cui successit Erenfridus natione de Velberg, die S. Leodegarii.

MCCCX.

HENRICUS VII. Imp. Hainricus Rex Mediolanensem ciuitatem adiuit, & secundo anno Capitaneus eiusdem ciuitatis se opposuit. Quem Dux Austriæ cum suis occidit. Filius eiusdem in Regem Boemię eligitur, qui Boemiam ingressus, expulit inde Ducem Carinthiæ, & filium Marchionis Misnensis, qui tenebat munitiones terræ in sua potestate.

MCCCXI.

Hainricus Rex de Luzelburg Mediolani corona ferrea coronatur, cui magnæ diuitiæ à ciuitatibus terræ dabantur. Ciuitates Sueuiæ, Esslingen, Gamundia, Comitem de Wirtenberg longa seditione fatigatum depræliarunt, & Wirtēberg castrum, cum aliis plurimis oppidis destruxerunt. Obiit Erenfridus abbas de Velberg, cui successit Rudolfus natione de Phaulhaim Elwangensis.

MCCCXII.

Hainricus Rex Romæ consecratus, & Ludouicus Comes de Oetingen Romæ ab Imp. gladio accinctus.

MCCCXIV.

LVDOVICUS IV. Bauarus Imp. Soror Ducum Austriæ desponsata est Hainrico Cæsari, sed ad thorum non peruenit. Ludouicus Dux Bauariæ, & Fredericus filius Alberti Regis in discordia eliguntur, quorum Ludouicus magis rite electus coronatur. Fridericus vero ab Episcopo Colonienſi in Pingen castello minus debite coronatur. Obiit Ludouicus Comes de Oetingen.

MCCCXIX.

Ludouicus Comes de Oetingen nuptias Viennæ celebrauit cum filia Regis Alberti.

MCCCXXII.

Ludouicus Rex semper Augustus pugnat cum Friderico Duce Austriæ, & ipsum deuicit, atq; fratrem suum Heinricum, necnon MCCC. Australes capit.

MCCCXXIV.

* Waldemarus. * Ludouicus Romanus. Marchio Brandenburgensis * obiit sine hęredibus. Rex Ludouicus Marchiam Brandeburgensem filio suo * contulit, & filiam Regis Daniæ eidem in vxorem dedit.

MCCCXXV.

Ludouicus Rex Rom. Burgau cum magno exercitu obsedit, & vltimo de aduentu Leupoldi Ducis Sueuię minus honeste prædicta obsessione recessit, in quem locum idem se recepit. Dux Leupoldus obiit: & antiquus Eberhardus de Wirtenberg obiit.

MCCCXXVI.

Rex Ludouicus Fridericum Ducem Austriæ à captiuitate absoluit. Et in signū amicitiæ filiā suam filio Frederici Ducis copulauit, cū tamē fuissent nepotes.

Ludoui-

MCCCXXVIII.

Ludvvicus Rex Mediolani vna corona Imperiali coronatur, & capitaneum eiusdem ciuitatis captiuauit.

MCCCXXIX.

Rex Ludouicus sine omni strepitu armorum Romam ingressus est, ab omnibus senatoribus & cuncto populo Romano benigne susciputur, & Imperiali corona coronatur. Qui statim Papam Iohannem Auinione commorantem, & Regem Rupertum proscripsit, & alium Papam constituit, vnum de ordine fratrum Minorum, qui Nicolaus IV. nuncupatus est, Iohanne Papa adhuc viuente.

MCCCXXX.

Imperator Ludouicus reconciliatus est Ottoni Duci Austriæ in Sueuia.

MCCCXXXI.

Obiit Fridericus Episcopus Augustensis Speto* de Fainingen. Rex Boemiæ opposuit se Imperatori, & intrauit Lombardiam, & ibi receptus honorifice à Dominis Lompardiæ vsurpauit sibi ciuitates & munitiones Imperii, & sedis Apostolicæ.

MCCCXXXIII.

Obiit in die S. Osualdi Rudolfus de Pfalhaim Abbas Elvvacensis, cui successit Chuno de Gundelfingen.

MCCCXLVI.

Rex Angliæ superauit Regem Franciæ bello, vbi occisus est Rex Boemiæ cum plurimis Dominis.

MCCCXLIX.

Carolus Rex Romanorum ac Boemiæ certamen habuit cum Domino de Schvvartzenburg pro regno Romanorum, & conuenerunt prope ciuitatem Spiram, vbi præfatus Rex victoriam obtinuit sine bello. Vlricus Abbas in Nereshaim obiit in die S. Hilarię, cui successit Waltherus natus de Bopfingen, electus in vigilia Assumptionis S. Mariæ. *CARO. lus IV. Imp.*

MCCCLI.

In vigilia omnium Sanctorum exusta ac deuastata est ciuitas Elvvangen, & turris S. Michaelis.

MCCCLII.

Dux Austriæ obsedit ciuitatem dictam Zurch, & non prævaluit.

MCCCLIII.

Gualtherus Abbas in Nereshaim, natione de Bopfingen, captus est à Comite Alberto de Oetingen, & male tractatus.

MCCCLIV.

Karolus Rex Rom. adiuuante Alberto Duce Austriæ, omnibus ciuitatibus, & eorum nobilium complicibus ad ciuitatem Zurch metati sunt: sed minime prævaluerunt.

MCCCLVI.

Rex Angliæ naturali morte mortuus est, & filius eiusdem die sabbathi ante Michaelis* cum Rege Franciæ pugnabat, eius filium ipsumq; captiuauit, & victoriam obtinuit, & ex vtraq; parte quatuordecim millia militum, & aliorum nobilium interfecti sunt, communi populo excluso.

MCCCLVII.

Obiit Albertus Comes de Oetingen III. Id. Febr. cuius consules* expulerunt Abbatem & conuentum à monasterio Nereshaim à capite ieiunii vsque ad Ascensionem Domini, & despoliarunt claustrum in multis. *f. heredes.

MCCCLX.

Carolus Roman. Imperator obsedit Comites de Wirtenberg, & flagellauit eos in multis, & omnes subditos eorum.

MCCCLXVIII.

Obiit Gualtherus de Bopfingen Abbas in Nereshaim in die S. Iohannis & Pauli. Cui successit Conradus natus de Dillingen electus eodem die.

MCCCLXXIV.

Incepit liga ciuitatum in terra Sueuiæ, quæ creuit de die in diem in multis terris vsque ad annum.

MCCCLXXV.

Burggrauius de Nurnberg copulat filiam suam Duci Austriæ.

MCCCLXXVI.

Hoc anno Carolus Imperator obsedit ciuitatem Vlmam, & villas & castra circumiacentia igne destruxit post festum Michaelis, & minime prævaluit.

MCCCLXXVII.

Ciuitas Reutlingen occidit quamplures Comites, milites & armigeros, qui fuerunt familiæ Dominorum de Wirtenberg.

MCCCLXXVIII.

Carolus Rom. Imperator obiit.

MCCCLXXIX.

Schisma ortum est, quia electus fuit Papa Vrbanus Romæ, & Antipapa Clemens Auinione.

MCCCLXXXIV.

Occisi sunt omnes Iudæi in ciuitate Nordlingen per aliquos ciues eiusdem, quorum capitaneus fuit quidam Schuler.

MCCCLXXXV.

Leupoldus Dux Austriæ cum magna militia occisus est à rusticis dictis Shweizer.

MCCCLXXXVIII.

Maxima discordia orta est inter ciuitates Imperiales, & omnes Principes Sueuiæ, & Bauariæ, necnon & alios nobiles. Magna pars Bauariæ à ciuitatibus per ignem destructa est. Comites de Wirtenberg cum ciuitatibus prælium commiserunt proxima Dominica post Assumptionis Mariæ in campo iuxta ciuitatem Weil, & multi ex vtraque parte occiderunt. Comes senior victoriam obtinuit, iunior Comes Vdalricus interemptus est.

MCCCLXXXIX.

Monasterium Nereshaim per ignis voraginem fere totum consumptum est, proxima feria post ascensionem sexta, paucis habitaculis saluis permanẽtibus.

MCCCXCII.

Per illustrissimum Principem Stephanum Bauariæ annus Iubileus à sede Apostolica fuit impetratus, & in ciuitate Monaco peractus.

MCCCXCVI.

Rex Vngariæ, & Dux Burgundiæ, cum innumerosa turba electorum militum ex diuersis terris aggregata fines paganorum ingressi sunt, & cum Rege Turcorum pugnare cœperunt. Vngari succubuerunt, & Dux Burgundiæ captus.

MCCCXCIX.

Crafto de Kullingen Cellerarius monasterii Elwacensis obiit, qui quasi restaurator & secundus fundator monasterii, cui successit Nicolaus de Vollberg.

MCCCC.

Episcopus Herbipolensis occidit prope ciuitatem plusquam mille ciues Herbipolenses. Ropertus Dux & Palatinus Rheni in Regem Roman. eligitur.

RVPERtus Palat. Rex.

MCCCCIII.

Ropertus Rex electus intendens in Italiam pro corona Imperiali, sed præpeditus à Duce Mediolanensi reuertitur.

MCCCCIV.

Dominus Albertus Hack Abbas Elvvacensis obiit.

MCCCCV.

Obiit Abbas in Nereshaim dictus de Elchingen, succedente sibi Vdalrico de Roden, qui in die S. Lucæ electus est.

MCCCCVI.

Fredericus Dux Austriæ cum exercitu in auxilium contra Appolitanensem.

Apolli-

MCCCCVIII.

Apollitanenſes obſederunt caſtrum Prægantium*contra Guilielmum comitem de Montfort. Ciuitas Leodium apoſtotauit contra Epiſcopum, vbi occiſi ſunt xxx. millia. Comes Burggrauienſis Fridericus & Iohannes ſunt confœderati Epiſcopo Herbipolenſi, qui cum magno exercitu obſederunt ciuitatem Imperialem Rotenburg. * Brigentinum. hod. Bregenz

MCCCCIX.

Extirpatum fuit ſchiſma magnum quod durauit xxxix. annis. Duciſſa Auſtriæ & frater eius Burgundiæ pacificati ſunt.

MCCCCX.

Obiit Nicolaus de Vellberg cellerarius Elvvacenſis, cui ſucceſſit Iohannes de Gronberg.

MCCCCXI.

Obiit Rupertus Rex Romanorum.

MCCCCXIII.

Obiit dominus Eberhardus de Kirchberg Epiſcopus Auguſtenſis, in cuius locum capitulum vnanimiter elegit Anshelmum de Nenningen cuſtodē in Epiſcopum Auguſtenſem.

MCCCCXIV.

Concilium generale Conſtantiæ celebratur. Sigiſmundus Rex Rom. fecit Fridericum Burggrauium in Marchionem Brandenburgenſem, & contulit ei totam Marchiam. SIGISMVNDVS Imp.

MCCCCXVII.

Otto de Columna Cardinalis electus in concilio in Rom. Pontificem; Martinus V. appellatus.

MCCCCXVIII.

Martinus Papa tranſtulit ſe ad ciuitatem Sabaudię propter peſtem. Dux Fridericus de Auſtria domino Regi reconciliatur. Dominus Anshelmus per definitiuam ſententiam Papæ in epiſcopum Auguſtenſem adiudicatur.

MCCCCXX.

Obiit Iohannes de Gronberg cellerarius, cui ſucceſſit Guilielmus Ferzer, qui eodem anno obiit, cui ſucceſſit Iohannes de Holzingen, qui poſtea electus fuit in abbatem. Orta magna diſcordia eſt inter Duces Bauariæ ex vna; & Fridericum marchionem Brandeburgenſem & Epiſcopum Ayſtetenſem cum eis ex vna, & Ludouicum de Bauaria in Ingolſtat ex altera, quæ guerra per triennium durauit.

MCCCCXXI.

Principes & Electores cum ciuitatibus Imperialibus congregarunt magnū exercitum militum, & in Boemiam* migrarunt. Villas & caſtra igne & ferro intolerabiliter deuaſtarunt. * contra Huſſitas.

MCCCCXXIII.

Ciuitates Imperiales in Sueuia fortiſſimum caſtrum Hohenzoller per integrum annum obſederunt, tandem funditus deſtruxerunt. Papa reuocauit Anshelmum Epiſcopū Auguſtenſem ad inſtantiam Regis Rom. & Petrum de Schaūberg Canonicum Bambergenſem & Herbipolenſem in locum eius ſubrogauit.

MCCCCXXIV.

Dominus Rex Vngariæ & Boemiæ ſanctas reliquias quas de Boemia ad Vngariam tranſtulit, ad Nurenbergam ciuitatem tranſmiſit, quæ ibidem plebi in Non. Maii ſunt oſtenſæ cum magna ſolennitate.

MCCCCXXV.

Abbates in prouinciā Moguntinenſem ordinis S. Benedicti celebrarūt concilium generale in Herbipoli.

MCCCCXXVII.

Dominus Iohannes de Holzingen pridem cellerarius, electus abbas Elvvagenſis, Marchio Brandeburgenſis, Duces Bauariæ & multi alii Comites & Barones, & epiſcopi, nec non ciuitates Imperiales per totam Sueuiam magnum exercitum congregant iterum in Huſſitas: & nihil profecerunt.

MCCCCXXX.

Hussitæ. Inimici Hussitæ Dei omnipotentis occupabant terram domini Marchionis Brandeburgensis, Episcopi Bambergensis, nec non confinitimas regiones, & præcipue regionem Nurenbergensem: in quibus magna fecerunt mala, ciuitates, villas, castra, fora, & oppida igne consumpserunt, monasteria & ecclesias destruendo euertũt finaliter, tũ sub conditione & pacto cõuenti* terras supranarratas mœrore & tristitia plenas & inopia confectas, ad terras suas reuertendo reliquerunt. Eodem anno fames valida.

MCCCCXXXIII.

Exusta est ciuitas Elvvagensis, vsq; ad domum cellerarii.

MCCCCXXXVII.

Basiliense concilium inchoatum. Obiit setenissimus Rom: Imperator Sigismundus natus de Lutzelburg.

MCCCCXXXIX.

ALBERTVS II. Imp. Obiit Albertus Dux Austriæ, & Rex Romanorum. obiit Comes Fredericus de Oetingen.

MCCCCXL.

Obiit Fridericus senior Marchio Brandenburgensis. Obiit Comes Ludouicus senior de Oetingen. Orta est discordia inter Comitem Iohannem de Oetingen filium Friderici Comitis, & quosdam nobiles dictos Marschalck ex parte castri dicti Spilberck; pro quorum auxilio oppossuit se Comes Guilhelmus fratri suo prædicto cum tota societate de clypeo S. Georgii, quorũ capitaneus fuit Walterus de Hürnhaim miles: & magna pars Rheni igne deuastata est ab vtrisq; partibus. Quam discordiam sedauerunt Palatinus de Rheno Dux Otto, & Comes Iohannes occubuit, nec aliquod ius obtinuit.

S. Georgii societas.

MCCCCXLI.

Obiit dominus Martinus de Vezlingen custos & professus Elvvacensis, cui successit Eytelgüss. Feria tertia ante Magni Confessoris fugam dederunt omnes Clientes ex castro dicto Mayenfels.

MCCCCXLIII.

Combusta est pars claustri Elvvagensis, cum maximo damno frumentorũ. Ciuitas Zürich obsessa est à Suitensibus: ciuitas tamen illæsa mansit. Item obsederunt Rappersvveil, cruciaruntq; eam fame & penuria, quousque Marchio Brandenburgensis eos hinc repulit.

MCCCCXLIV.

Armoniaci* Alsatiam intrarunt, & eam igne & gladio vastarunt: à quibus multi Suitenses prope Basileam fuerunt occisi, & multum humiliati.

** f. Sun. Extat ingẽ nũmus aureus, in rei memoriam à Clauensi cusus.*

MCCCCXLV.

Obiit dominus Eutelgüss de Gyssenberch, custos & conuentualis nostri monasterii Elvvagensis. Orta est discordia inter Ducem de Clefe ex vna, & Archiepiscopum Colonienscm ex altera propter quandam ciuitatem dictam Gros* quã præfatus Dux contra ius sibi vsurpauit, & quod auxilio domino Colonienſi Marchio Missnensis sibi misit x x. millia Boemorũ ad obsidendum eandem ciuitatẽ, in qua personaliter erat Dux iunior de Clefe, sed nihil profecerunt. Item Marchio Brandeburgensis Albertus duxit in vxorem filiam Marchionis de Baden. Filius Marchionis de Baden Carolus nomine duxit vxorem filiam Regis Rom. Ducis Austriæ.

MCCCCXLVI.

Comes Vdalricus de Wirtenberg iunior celebrauit nuptias Stucgardiæ in Carnispriuio, cum filia Ducis Hainrici de Bauaria de Lantzhut, Elizabeth dicta, præsentibus ibidẽ Duce Alberto de Austria, Marchionibus Brandenburgẽsibus, Alberto & Iacobo Badensi. Eodem anno post pascha obiit Ludouicus de Bauaria iunior dictus *Hæferlein**, filius iunioris Ludouici propter peccatũ Absolonis, quod commisit in patrem, qui tamen pater statim captus est in Neuburg à prefato Marchione Brandenburgensi, & in Onolzspach* ductus ibique aliquandiu detentus, postea per Marchionem traditus est Duci Hainrico præfato patruo suo, attamen

** Gibbosum.*

** Anspach.*

capita-

capitali inimico suo. In cuius captiuitate per longum tempus detentus est, mortuus etiam in excommunicatione concilii Basilienſis propter deprædationem clauſtrorum ſui territorii tyrannicam, & aliquandiu inſepultus permanſit, donec abſolueretur per Papam Nicolaum V. infra ſcriptum. Mortuus eſt autem anno Domini 1447. & vt dicebatur, intoxicatus ad iuſſum patrui ſui.

MCCCCXLVII.

Obiit religioſus vir Dominus Seifridus de Bernſtat, conuentualis monaſterii Elvvangenſis. Obiit Euphemia Ducissa de Munſterberg, & Comitiſſa de Oetingen mater Dominorum Iohannis Vdalrici, Gulielmi, & Alberti, Comitum de Oetingen fratrum, & etiam Comitis Friderici in captiuitate mortui feria ſexta poſt Martini Epiſcopi.

Felix Papa V. Dux Sabaudiæ copulauit* filiam reliſtam Regis Siciliæ Ducis Bauariæ & Comiti Palatino cis Rhenum Ludouico, qui celebrauit nuptias in Haydelberg poſt feſtum S. Martini. Obiit Dominus Hainricus de Lapide Abbas in Nenshaim, in craſtino Ambroſii; cui ſucceſſit Venatoris* de Oetingen conuentualis monaſterii eiusdem. Hoc anno obiit Papa Eugenius IV. à ſacroſancto concilio Basilienſi depoſitus eſt, & tanquam hæreticus condemnatus. Qui tamen non ceſſerat iure ſuo, quod nitebatur habere in Papam: Quanquam concilium alium eligeret, qui tamen paucos adhærentes habuit, & fuit electus Nicolaus Papa V. Qui ſtatim miſit Iohannem Cardinalem S. Angeli ad Regem Rom. Fridericum Ducem Auſtriæ pro adhærentia, & proſpere egit.

* Beatrícem.

FRIDERICVM III. Imper.

MCCCCXLVIII.

Intoxicatus fuit Chriſtophorus Bauariæ Dux, Rex Daniç, Sueciæ. Vlricus Comes de Wirtenberg emit comitatum Halenſtain* cum tota valle Prentz à Comitibus de Helfenſtain Vlrico & Conrado. Plures armigeri, quorum capitaneus Iohannes de Rechberg cum aliis quatuor, ſub ſpecie peregrini venerunt, in Rheno in oppidum Reinfelden, & ipſi obtinuerunt aliquibus occiſis. Hoc propter deſtructionem caſtri, quam fecerat antea in odium Ducum Auſtriæ in fauorem Ruſticorum.

MCCCCXLIX.

Maxima diſcordia orta eſt exiſtente capitaneo Alberto Marchione Brandeburgenſi, & inter ciuitates imperiales ex parte altera. In qua plures homines perierunt, maxime ex parte ciuitatum: etiam multæ villæ, oppida & caſtra per voraginem ignis deſtructæ ſunt. In qua diſcordia monaſterium Elvvacenſe cum omnibus ſuis bonis pacificatum, & quieuerunt procurante Iohanne Abbate de Holzingen. Obiit generoſus Comes de Oetingen.

MCCCCLII.

Dominus Iohannes de Holzingen obiit: qui multa bona fecit monaſterio Elvvacenſi. Electus eſt in abbatem Dominus Albertus Schenck de Lapide: ne- ſcio quo ſpiritu iura electionis ſuæ ceſſit, cui ſucceſſit Iohannes de Hurenhaim, pridem canonicus Auguſtenſis. Ladislaus Rex coronatus eſt Pragæ.

MCCCCLIV.

Orta diſcordia inter Iohannem Abbatem, & amicis ſuis ex vna parte, & conuentum cum eorum complicibus ex altera.

MCCCCLVI.

Obiit Dominus Hainricus de Seldneck conuentualis.

MCCCCLIX.

Multi Alemani, & aliis de prouinciis crucem ceperant contra Turcos.

MCCCCLIX.

Hoc anno deſponſata fuit filia Regis Franciæ illuſtriſſimo Regi Ladislao Boemiæ. Præfatus Ladislaus Rex intendens celebrare nuptias, cum magna potentia & ſolennitate ſponſæ obuiam veniens, in ciuitate Praga intoxicatus fuit à maledictis Bohemis. Albertus Marchio celebrauit nuptias in Onſpach cum filia Ducis ſenioris Saxoniæ. Pueri peregrinabant in numero ad S. Michaelẽ in medio maris ſitum, vbi mare ſe diuiſit ſingulis diebus, pueri ſiccis pedibus pertrãſierunt.

MCCCCLIX.

Dominus Conradus Dapifer de Ringingen obiit, conuentualis.

MCCCCLX.

Monasterium S. Viti Elvvagensis erectum est in Ecclesiam collegiatam, ob diuini cultus augmentum, per reuerendum in Christo patrem dominum Petrum Cardinalem Episcopum Augustẽsem. Guerræ lethales ortæ sunt inter Fridericũ Palatinum Haydelbergensem ex vna, & Ludouicum Ducem Bauariæ Comitem Feldensem vna cum comitibus de Leiningen parte ex altera. Cui Friderico adhæserũt Rex Boemiæ, Albertus Dux Austriæ, Ludouicus Dux Bauariæ de Lãtzhut, Episcopi Babenbergensis, Herbipolensis; & alteri parti, nempe Ludouico comiti Feldensi, & ipsis de Leiningen adhæserunt dux Gulielmus de Saxonia, Albertus Marchio Brandeburgensis, Archiepiscopus Moguntinẽsis, & Comes Ludouicus de Wirtenberg, omnes cum omni vi & potentia litigarunt, qua lite Dux Ludouicus de Lantzhut cum adiutorio subiugarat sibi ciuitatem Aichstet cum episcopatu & castris, nec non ciuitatem Rot. Et omnes illæ Guerræ & lites sopitæ sunt eodem anno. Venerabilis dominus Vlricus de Westerstetten huius Ecclesię collegiatæ canonicus obiit.

MCCCCLXI.

Inter Imperatorem serenissimum ex vna, & Albertum Ducem Austriæ fratrem ex alia satum est pessimum discordiæ semen, cui Duci Austriæ adhæsit Dux Ludouicus Bauariæ * Marchionem Albertum Brandenburgensem, Marchionem Carolum Badensem, & Vlricum Comitem de Wirtenberg, singulis committendo vexillum Imperialis aulæ maiestatis, & mandans insuper omnibus ciuitatibus Imperialibus auxilium impendere prædictis capitaneis suis, quod & fecerunt pro parte. Regnauit pestilentia magna. Dominus Albertus de Rechberg confirmatus est in Præpositũ Elvvacensem, Diethericus de Eisenburg electus in Episcopum Moguntinensem; expulsus ex ciuitate Moguntia, & episcopatu. Reassumptis tamen viribus dominus de Eisenberg cum Friderico Palatino prædictam intrauit ciuitatem, expellens omnem Clerum adhærentem sedi Apostolicæ, demptis Carthusiensibus & reformatis.

MCCCCLXII.

Capitanei serenissimi Imperatoris Friderici, Albertus Marchio Brandenburgensis, Carolus Marchio Badensis, Vlricus Comes de Wirtenberg, nec non ciuitates Imperiales deuastarunt plura castra & villas, scilicet Monhaim, Greisbach, Holenstain; ciuitatem Gundelfingen magna vi opprimebant, sed non obtinebant. Carolus Marchio Badensis cum fratre suo Episcopo Metensi, & Vlricus comes de Wirtenberg, cum multis suis armigeris intrauerunt territorium * Palatini, & prope Haydelbergam * ipsi tres prænominati domini vna cum armigeris à Palatino Haydelbergensi capti, & detenti Haydelbergam ducuntur, & incarcerantur quasi per annum, & postea per aliquam summam pecuniarum liberati reuertuntur ad prouincias suas mœstissimi. Circa festum Margaretę obuiauerunt simul Dux Ludouicus Bauariæ cum suis complicibus, & Albertus Marchio Brãdenburgensis cum ciuitatibus Imperialibus circa ciuitatem Gingen cum magno exercitu ex vtraque parte: & marchio Brandenburgensis fugatus est, plurimis armigeris captis, & deprædatus. In vigilia Simonis & Iudæ ciuitas Moguntia obsessa, deprædata, & ex magna parte incensa & exusta ab Archiepiscopo Adolpho de Nassau, & Ludouico comite Feldense, expellentibus omnem clerum cum ciuibus adhærentibus Dietherico de Eisenberg.

Tempore Autumni serenissimus Imperator Fridericus in castro Viennensi obsessus est à ciuibus Viennensibus, iuuante eos Alberto Duce Austriæ fratre prænominati Cæsaris, demum præfatus Imperator serenissimus liberatus est per Regem Boemiæ. Obiit Vdalricus de Nameck canonicus, & hospitalarius huius Ecclesiæ Elvvacensis.

Circa

* *Friderici I.*
* *apud Seckenheim, Vbi monumentũ prælii & victoriæ erectum extat.*

MCCCCLXIII.

Circa festum Iacobi in ciuitate Praga coram Rege Boemo facta est concordia inter serenissimum Imp. Fredericum cum complicibus suis, cum ciuitatibus Imperialibus parte vna, & Ducem Ludvvicum de Landshutta cum complicibus parte ex altera. Obiit Albertus dux Austriæ frater Imperatoris.

MCCCCLXIV.

In partibus Sueuiæ superioribus Comes de Werdenberg adiuuãtibus Com. de Wirtenberg eisdem armatissima* pariter vna quippe singulis, & comitibus, & inclitis nobilibus loci Hegau parte ex vna, & alto de sanguine natus vir de Clingenberg dictus, qui adhæsit Iohanni de Rechberg, ex altera parte multas villas & castra incendio vastarunt. Iohannes de Rechberg arcu periit. * mendum.

MCCCCLXV.

Comes Hainricus de Wirtenberg coadiutor fit Moguntinæ Ecclesiæ, quæ Ecclesia hoc tempore multa bella perpessa.

MCCCCLXVI.

Albertus de Rechberg eligitur in Præpositum Elvvacensem. Pugna fuit inter Comitem de Wirtenberg coadiutorem Moguntinum, & inter Comitem de Werthain, ex vtraq; parte multis occisis.

MCCCCLXVIII.

Comes Eberhardus iunior celebrat nuptias cum filia Alberti Marchionis de Brandenburg. Eo in anno conuenere XIX. Episcopi & Principes Nurenbergæ propter maximam hæresin Boemorum.

MCCCCLXIX.

Post festum Paschæ reuerendus Petrus, natione de Schomburg, Episcopus Augustensis & Cardinalis iussu Papæ erector collegii Elvvacensis.

MCCCCLXX.

Exorta est magna discordia inter Comites Palatinos & Duces Bauariæ, Fridericum Haydelbergensem ex vna, nec non Ludouicum Veldensem, adhærentibus comitibus de Leiningen parte ex altera, qui terras suas, ciuitates & castra armata manu ex vtraq; parte magnis damnis deuastarunt, quæ discordia durauit vltra bienniũ, demum ex vtraq; parte damnis cõceptis concordati sunt per se ipsos.

MCCCCLXXI.

Obiit bonæ famæ Illustris Princeps Fridericus Marchio Brandeburgensis. Durante hæresi Boemica per tempora*, per tyrannum regni Turcorum seu Teucrorum magna fit effusio sanguinis Christiani, qui tyrannus magna castra, ciuitates & villas multis trucidatis Christianis suo iugo subiecit, præsertim Cæsaream ciuitatem Constantinopolin. Multi legati, Episcopi, Principes & ciuitates Imperiales conuenere in ciuitate Ratispona præsente Cæsare Friderico pro liberatione Ecclesiæ, vt eam à tyrannica tribulatione eriperent, & pacificarent.

MCCCCLXXII.

Circa festum Epiphaniæ visus est cometa horribilis, durans sex hebdomadas.

MCCCCLXXIII.

Octauo post Paschę serenissimus Imperator Fridericus Dux Austriæ, à suis partibus discedens Augustam venit, conuocatisq; Principibus, spiritualibusq; & consulibus Vrbium Imperialium, tractãtes aduersus tyrannidem Teucri pro defensione libertateq; Christianitatis. Item certi Principes inuestituram suorũ feudorum petentes, Imperatorq; illustrissimus in habitu suæ Cæsareæ maiestatis vna cum ceteris Principibus Electoribus in eorum habitibus consedentes, ipsos Principes omni cum solẽnitate inuestiuit, postmodum se dedit Imperialis maiestas ad ciuitatem Treuerensem, venienq; Carolus Dux Burgundiæ honorifice Imperatoriam celsitudinẽ acceptans, ac immensis honoribus exhibendis, magna cũ pretiositate procerum atq; clientũ. Deinde Imperator serenissimus se dedit ad ciuitates regni ab eis noua requirens iuramenta. In festo S. Vdalrici Eberhardus Comes de Wirtenberg nuptias cum filia Marchionis de Mantua celebrauit. *Comitia Augusta.* *Rod. Agricola epistola quad.*

MCCCCLXXIV.

Carolus Burgundus. Sexta feria ante Iacobi Dux Burgundiæ iuxta ciuitatem Neus castra metatus est magno cum exercitu. In qua ciuitate Hermannus Comes Prouinciæ de Hassia fuit capitaneus, qui se cum suis viriliter defendens magnam Duci multitudinem interfecit, visusq; est ab exercitu Ducis S. Quirinus, cuius corpus in antedicta ciuitate veneratur. Ipseq; defendens ciuitatem (quemadmodum hostes retulerunt) Imperator Duci mandauit, quatenus ciuitatem illæsam deferat, nec amplius offendat, Dux parui pendens mandatum nihilominus sæpius ciuitatem attentans expugnare. Imperator quasi totã Germaniam commouens mandans singulis Principibus & ciuitatibus, cũ armigeris & belli instrumentis eũ accederent.

Philippus Palat. Circa dominicam septuagesimæ Dux Philippus Rheniq; Palatinus cũ filia Ludvvici Ducis Bauariæ sponsalia carnali copula consummauit.

MCCCCLXXV.

Imperator cum magno exercitu sedit ad Linz: expugnato illo, nec non pluribus aliis castris & villis castra metatus est iuxta sæpedictam ciuitatem Neus, & exercitum Ducis Burgundiæ*, qui animose pridie hora vesperarum vel quasi exercitum Imperatoris sagittis armigerisq; crudeliter inuadens, tamen nihil damni intulit. Interea legatus à latere Imperatorem vna cum Duce concordans, vterq; exercitus discessit. Eo tempore Carolus Marchio Badensis viam vniuersæ carnis ingressus est. Dux Bauariæ cum Regina Poloniæ matrimonium consummauit. Interfuerunt nuptiis Imperator serenissimus, Marchio Brandenburgensis, & plures Duces, Principesque.

MCCCCLXXVI.

Dux Burgundiæ indixit Sigismundo Duci Austriæ, Lotharingiæ, Suitensibus, Argentinensibus, bellum cum ceteris ciuitatibus, quæ Duci Burgundiæ plura damna intulerũt. Qui Dux Burgundiæ quasi omnes ciuitates Duci Lotharingiæ deuastauit, expugnauitq;. Postea vero Dux Lotharingiæ ope Suitensiũ aliquas recuperauit. Circa festũ Luciæ obiit inuictissimus illustrisq; Princeps Fredericus

Iohannes Bohem. Bauariæ Dux, Rheniq; Palatinus. Orta est hæresis magna per quendam Iohannem Bohem, qui inuitauit populum peregrinare ad Niclaushausen, qui retulit se vidisse B. Virginem, prædicauit & dixit plura contra libertatem Ecclesiasticam, nec non cõtra Rempub. quæ hæresis Herbipoli fuit extincta. Ipse Iohannes alias Banckler, combustus; Episcopus vero Herbipolensis plures interfecit peregrinos, res miranda finem habuit crudelem. Dux Mediolanensis in Ecclesia S. Stephani circa natiuitatem domini interfectus est.

MCCCCLXXVII.

Dux Austriæ & Dux Lotharingiæ cum Argentinensibus & ceteris stipendiariis Ducem Burgundiæ vna cum exercitu expugnauerunt, interfectusque est

** apud Nẽ-ceum.* Dux Burgundiæ* cum pluribus viris, fere tria millia armigerorum, nonnulli captiui ducti. Res plurimum miseranda, stupendaq;, vt Christianus sanguis fidelium manibus effundatur.

FINIS CHRONICI ELWANGENSIS.

INDEX

INDEX

IN ANNALES FRANCORVM FVLDENSES, CHRONICON LAVRISHAMENSE, BELLVM SAXONICVM, APOLOGIAM HENRICI IV. Imp. annales Godefredi Monachi, Chronicam Auſtralem & Auguſtenſem, annales Henrici Steronis Altahenſis, & Rebdorfenſis, Monachorum accuratus.

Aaron rex Perſarum papilionem, tentoria atrii, pallia ſerica, odores, vnguenta, balſamum, & mira arte factum Horologium Carlo mittit Imperatori 10.30

Aaron Perſarum rex per Iſaacum Iudeum Carlo Imp. Rom. Elephantum atq; alia munera mittit 9.40

Abenberg 152.40

Abodriti à Hludowico bello perdomiti 19. 20

Abrahamentis, alias Abrinsberg, monaſterii in Wormacia fundator 66.40.73.1

Abrinsburg ad ius & dominium S. Nazarii venit 67.1 *amplsatur* 83.30

Accuſatio ſcriptis facta non ſuſcipitur 160. 50

Accuſator abſente aduerſario non audiendus 160.50

Accuſatorum & teſtium affectus inoffenſus, non ſuſpectus quarendus 168.30

Adalungus Abbas 4 Lauresham 62.10

Aabella Sarracenus, filius Ibin Maugeregis, à fratre regno pellitur, quem Carlus ſuſcipit 8.30

Adelbertus Abbas 26 Lauresh. 80.30

Adelbertus Bremenſis Epiſcopus, ſuperbus 101.1

Adalbertus Comes occiditur 18.20

Adalgiſus Deſiderii regis Longabardorum filius capto parente Conſtantinopolim fugit 5.50

Adelbertus Premenſis archiepiſc. abbatia Laurenſi inhiat 77.1

Adelbertus Wormac. Epiſc. captus ſoluitur 220.10

Adelbero Epiſc. Wirtzburgenſ. 211.40 *obit* 213.40 *& quando* 129.38

Adelbero Epiſc. Auguſtenſis ab Arnolfo Imp. Lauresham. Monaſterio præficitur 67.40 *ſponte reſignat* ibid.

Adelheida Imperatrix, Ottbonis coniux 70. 40

Adelheida regina ordinatur Colonia 207.30

Adolfus Rex 338.1

Adolphi & Alberti conflictus 401.39

Adolphus in Archiepiſcopum Colonienſem elegitur Anno 1193. 1.261

Adriano Pontifice defuncto Leo Papa ſuccedit 8.20

Adrianus Pontifex quando factus 5.40

AEquitas quid 172.50

Aer ſanguineus 34.1

AEresburgum caſtrum Saxonibus redditur 6.10

AEresburgum readificatur 6.10

AEſtas ferueniſſima Anno Domini 1189. *uſque ad menſem Auguſtum fuit* 1.254

AEſtas frigida & humida: item ſumma annona caritas Anno 1196. *fuit* 10.262

AEſtas ſiccà & ferueniſſima fuit Anno Domini 1188. 30.252

AEſtas tempeſtuoſa 36.20 *Pluuioſa* 245. 20. 247.20

Ageldrudis, vidua Widonis, portas Romæ omnes ſerrando occupat 52.30

Agnes mater Henrici IV. Imp. loco filii imperat 100.30

Ainalarabi Saracenus Præfectus Cæſar Auguſtæ Padrabrunno ad Carlum regem venit 6.20

Alberti Marchionis filii Friderico Imp. ſeſe opponunt 244.40

Albertus Comes de Calue 78.30

Albertus dux Auſtriæ 337.41

Albertus Leodienſis Epiſcopus Remis iuſſu Cæſaris interficitur 40.260

Albur vrbs Gentilium populoſa, in Africa ſita 1.254

Alamanni cum duce Theotbaldo compreſſi 3.20

Alcuinus, al. Alahwinus, vir ſanctitate & doctrina clarus 8.10

Aldenmunſter 58.20.76.10.79.20

Alemanni & Baioa Carolo fidem denegant 2.10

Alesheim Lauresham. Monaſterio donatur 67.10

Alexander Leodienſis Epiſc. obit peſte 242.30

Alexander Papa 76.50

Alexander Pontifex receptus Venetiis 246. 50

Alexandria noua obſidione cincta 245.30 *ab Alexandro Papa ſic vocata.* ibid. *Spelunca latronum, &c.* ibid.40

Alpes cláudi iubentur 121.30
Ambrosius murus & turris Ecclesiæ validissima 163.40
Anastasius Imp. hæreticus fulmine adustus perit 157.40
Anchisus Arnolfi filius Metensis Episcop. 175.30
Ancona expulsis Græcis, Friderico Imp. restituitur 243.40
Andegauis ciuitas capta à Carlo Pip. 2.10
Andr as Rex & alii Principes Imperii tertiam expeditionem in terram sanctam suscipiunt 284.1
Andronicus, Emanuelis regis Græciæ frater Tyrānus 248.1 Eius mors horribilis ibi. 30
Anduuerpa à Nordmannis incenditur 17.1
Anno Archiepisc. Colon. 76.40
Annus infelix 49.40
Anshelmus abbas 28 Lauresh. 81.1
Aquilienses, siue Aquilegienses, nunc Veneti sunt 236.40 nouem annis obsessi ab Attyla Hunnorum rege ibid.
Arator carmine heroico Acta Apostolorum descripsit 200.10
Arcadius Imp. cur excommunicatus 164.40
Archiepisc. Salizbur. misere occiditur 240.10
Arelatense regnum 399.26
Arma ducum Britanniæ, Carlo quise dederant, inscriptis singulorum nominibus, ipsi præsentata 9.1
Arnoldi Archiepisc. Mogunt. interfectores plectuntur 239.50
Arnoldi Treuirorum Episcopi mors Anno 1184. 20.2.249
Arnoldus 24 Abbas Lauresh. 75.50
Arnolfo Imp. filius nascitur Hludouicus dictus 51.40
Arnolfus Imp. & rex 48.50
Arnolfus Imp. obit 55.10
Arrii exitus 224.40
Attilas Hunnor. rex Aquileiam subuertit 236.40
Auares victi & fugati 7.20
Auctor Hæreseos Feliciana secundo eam damnat 7.50
Auctores conspirationis contra Carolum puniuntur 7.10
Augusta ciuitas iuxta Alpes in Rhetia 219. 10 proditione bis capta, & ab Imperatore liberata primo, vltimo destructa ibid.
Austria iterum inuaditur 337.3
Austriam Rudolphus recuperat 391.50

B.

Babenbergensem Ecclesiam quis cõdiderit 72.30
Babo abbas 8 Lauresh. 66.50
Baioarii à Zuentibaldo occisi 35.10
Baioariorum victoria contra Vngaros 55.40
Baiorzuna Galliæ à Nordmannis incenditur 44.10
Baiouuarii Marabauorum regnum deuastant 55.20
Baldemarus abbas 36 Lauresh. 89.40
Baldeuuinus Comes Flandriæ Ierosolymam tendit 267.46
Baldeuuinus Episc. Traiectensis moritur 20. 262
Baldeuuinus frater Comitis de Hollant Episc. Traiect. 247.1
Baleares insulæ Mauris & Sarracenis auxilio Carli liberantur 9.1
Bamberga & Moguntiæ incendia 185.40
Barcinona ciuitas Hispaniæ, & Teate Italiæ capiuntur 9.30
Barcinona Hispaniæ ciuitas per Zatum Sarracenum præfectũ eius Carolo redditur 8.20
Bardo & Erpf Comites bello cadunt 24.10
Bareocium, Bauerium 237.30
Basilica S. Nazarii martyris in Lauresh. quãdo sit dedicata 6.1
Basilica S. Bonefacii martyris in cœnobio Fuldensi consecratur 13.30
Basilica S. Chiliani Moguntiæ fulminis ictu succenditur 23.30
Basilicæ D. Pauli tectum Romæ cum trabibus terræ motu decidit 9.30
Basileæ clades 449.33
Basilii Græcorũ Imp. legati Ludouico Ratisponæ crystallum miræ magnitudinis auro, gẽmisq; ornatũ pretiosis repræsentarũs 35.40
Bauariæ diuisio 446.8
Bauariæ & Austriæ immutatio 358.53
Baugolf Monachus, Abbas Fuldensis eligitur 6.30
Baugulfus, Abbas Fuldensis, Abbatiam resignauit 9.40
Beati Nazarii Lipsana & reliquiæ 58.20
Beatrix vxor Friderici Imp. in Imperatricem consecratur 242.8
Beggines ad expugnandos multitudo ex Saxonia, Westphalia, & Frisia proficiscitur 281.10
Bellum Gallicũ 456.30 ingens in Westphalia Anno 1192. inter Comites istius terræ geritur 30. 260 Leodiense 436.20 tertiũ Henr. IV. cũ Saxonibus in loco Flaterheim gestũ 146.20 vbi Saxones victores fuerũt ibi. 150. quãdo factũ 147. 194.50 IV. Hẽric. IV. cum Saxonib. 148.10 vbi Saxones victores euadunt 149 quando factũ 150. 10. 195.1 & vbi 208.50 Bellum

Bellum Regum Arragoniæ & Franciæ 334.1
Bellum immane Christianorum cum Nordmannis 50.30.40
Bellum Romanorum cum Reinoldo Pontifice apud Tusculanum 241.50
Bellum Saxon.cum Henr. 4.gestũ apud Wirzsburg. v.209.50
Beneficia Arnolfi Imp.erga Monaster. Lauresham̃ense 67.30
Beneficia,quibus à Karolo M.rege Francorum donatur Lauresham Monasterium 11.10
Beneficium & priuilegium nauis Laureshaimensis ad portum Wormacien̄sem 66.30
Beneuentani 25000. solidorum auri Carolo Imp.tributi nomine soluunt 12.10
Beneuentum à Mauris occupatum 19 20
Benno abbas 32.Lauresh. 88.10
Bera comes Barcenone exilio deportatur 13.40
Berchtoldus dux occidi iussus 121.10
Berinstein mons Aquisgrani occupatur 243.30
Berngarius ad gratiam recipitur Imper. 48.30
Bernhardus Barcenonius dux interficitur à Karlo rege 19.20
Bernhardus comes Barcinonensis Camerarius in palatio constituitur 16.1
Bernhardus Haresiarcha cum aliis nouem incendio perit 279.47
Bernhardus,Carli nepos, Italiæ præficitur 12.20
Bernhardus rex Longobardorum Hludouico Imp.sese tradit 13.10
Bernhardo Comiti de Hanahalt Saxoniæ obuenit 247.40
Bernhardus rex Longobardorum excæcatus moritur 13.10
Bertha Carli mater moritur 7.1
Bertramus Metensis Episcopus Nolmarñ Treuirensem hospitio suscipiens, de episcopatu eiicitur, bonis eius cõfiscatis,& Coloniæ priuatus vixit 1.250
Bertold filius Rudolphi,regis Saxon.in ipso iuuentutis flore defunctus 219.1
Bibles, Wattẽheim, Zullestein villæ, Lauresham monasterio à Werinhero Comite donantur 66.20
Billingus de Lindefels 92.10
Bobbo Abbas 19.Lauresham 72.30
Bobbo comes & aduocatus 89.40
Boemanorum & Francorum pugna 21.1
Boemani duces cum suis in Christi nomine baptizantur 19.40
Bohemorum strages 329.40
Bohemorum in Vngaria acta 330.50
Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus apud Fresones martyrio coronatur 4.20
Bonifacius Pp.podagra correptus moritur 53.20
Bonifacius 8.Papa 338.28
Bonifacius monasteria monachorum & Virginum primus in Germania instituit 2.10
Bonifacius Archiepiscopus Mogũtinensis Thuringos,Hessos & Austrasios ad Catholicam Ecclesiam conuertit 2.1
Boso comes propria vxore veneno extincta filiam Hludouici Imp.rapit 42.3
Braxlanoni duci Pannonis custodienda ab Arnolf.Imp.committitur 53.40
Britannia Cismarina Carlo subiicitur 9.1
Brumat,in Elsatia 67.40.72.10.80.30
Bruningus abbas 22.Lauresham 74.20
Bruno abbas 13.Lauresham 69.20
Bruno Metensis Episc. 214.10
Bruno anno 1191. eligitur episcopus Colonien. 20.259
Bulgari ad Christum conuertuntur 31.40
Bulgari Græciam deuastant 53.30
Buoso fugiens ab hostibus Vienna sese tutatur 44.10
Buoso moritur 48.40
Burcardus præfectus Misnensis ab equo stationario hostibus traditur 131.30
Burckhardus,stabuli comes, cum classe in Corsicam à Carlo mittitur 10.40
Burckhardus de Scarra ex phthisi obit 92.40
Burcardus Halberstat. Episc. ab insidiis vita immunis abit 131.50
Burchardus Halberstadens. Epis.108.30.214.40.occiditur ibid. 215.20.218.10
Burcheldon mons 78.10

C.

CAdauera vi aquarum de sepulchris solutа cum vasculis suis longe rapiuntur 39.30
Celestinus anno 1190. Pontifex Romanus eligitur 1.250
Celestinus v.Papa 338.22
Celestinus Papa. Anno 1197. moritur 40.263
Caganus,Hunorum princeps,à Slauis,sedibus suis expulsus postliminio reuertitur ad suos 10.10
Caganus & Iugurrus principes Hunorum ciuili bello & intestina clade à suis occisi 8.20
Calixtus Pontifex 243.1
Cama quid 231.10

Cameracenſis Epiſc. occiditur 245.30
Cameracum, Traiectum, &c. à Nordmannis vaſtantur 44.30
Camiſiæ notatio 231.10 deſcriptio ibid.
Cancor Comes pagi Rhenenſis 56.20
Capella regis in palatio Aquenſi à Nordmannis ad equile prophanatur 44.30
Captiui principes & Epiſcop. in bello Nicrenſi 137.1
Captiuorum redemptio eſt Sacramentorum ornatus 220.1
Capuana ſylua 15c.40
Carli duplex victoria in Saxones, vna in Thiotmelli, altera iuxta fluuium Baſa 7.1
Carli vindicta in Saxones facta in loco qui de Hochholtz 6.30
Carlmannus Romæ in Caſino ad S. Benedictũ fit monachus 3.40
Carlmannus, Pipini frater Lugduni moritur 4.20
Carlmannus & Pipinus, Carli filii, Franciæ regnum inter ſe diuidunt 3.10
Carlmannus rex in Villa Salmuntiaco moritur, Remiſq; ſepelitur 5.30
Carlo III. demortuo multi reges aſſurgunt 49.10
Carlus Imp. III. filium paruulum Buoſonis de filia Hludouici Italiæ regis, in adoptiuum ſuſcepit 48.40
Carlus III. Imp. 45.1
Carlus cum Hludouico congreditur 41.1
Carlus Sarracenicum regẽ Abdamiram proſtrauit 2.20
Carlus Lugdunum ſibi ſubigit 2.30
Carlus obſides de Ainalarabi & Habitauro Sarracenorum præfectis accipit 6.20
Carlus Sigiburgum caſtrum capit 6.10
Carlus habita ſynodo in Valentianis, Carbonacum venit 5.30
Carlus orandi ergo Romam vadit, ibiq; feſtum Paſchatis celebrat 5.40
Carlus Eresburgum caſtrum capit 5.30
Carlus à Pontifice Adriano pro defenſione rerum S. Petri ſollicitatur 5.40
Carlus omne Italiæ regnum adipiſcitur 5.50
Carlus ex Italia ſecum ducit in Franciam Deſiderium cum coniuge eius 5.50
Carlus Papiæ theſauros regum repertos exercitui ſuo diſtribuit 5.50
Carlus cum exercitu Cæſarauguſtam vſq; venit in Hiſpan. 6.20
Carlus iunior à patre cum exercitu in Saxoniam miſſus, Weſtfalos in prælio vicit & domuit 7.1
Carlus orationis cauſa Romam ſecundo & tertio vadit 6.40.7.10
Carlus rex annum apud Wormaciam tranſigit 7.30
Carlus Pannoniam ingreſſus, Hunnos perſequitur ad Raba vſq; fluuium igne ferroque 7.40
Carlus Vaſtradam vxorem ducit 7.1
Carlus Saxoniam vaſtat 8[illegible]0.30.40
Carlus cum exercitu hyemat in Hariſtallio Saxonico 8.30
Carlus Imp. moritur 12.30
Carlus Imp. cum Niciphoro Imp. & cum Ambulaz rege Hiſpaniæ pacem conciliat 11.40.50
Carlus, Carli Imp. natu maior filius moritur 12.1
Carlus per Antulfum Senſcalcum Britones domat 7.10
Carlus Beneuentum ingreſſus cum exercitu Capuam venit 7.20
Carlus Romam proficiſcitur ob Leonis Papæ cauſam obeundam 9.10
Carlus, Caroli Imp. filius, Limones & Smeldingos inuadit 10.50
Carlus iunior Lechonem Bohemanorum Sclauorum regem trucidat 10.10
Carlus Eudonem fugat 2.20
Carlus Alemannos & Baioarios armis ſubigit 2.10
Carlus quando & vbi mortuus 3.10
Carlus Annonionem à Sarracenica tyrannide vindicat 2.40
Carlus Narbonem obſidet 2.40
Carlus Sarracenos ſuo cum rege occidit 2.40
Carlus Turonis ad S. Martinum orationis cauſa peruenit 9.10
Carlus, frater Pipini regis Aquitaniæ in monaſterium intruditur 21.10
Carlus Aquitaniæ Prouinciam abſque armis recuperat 2.30
Carlus regnum Freſorum ingreditur 2.30
Carlus Popponem Freſorum ducem occidit 2.30
Carlus & Carlmannus Pipini filii regni inſulas ſuſcipiunt 5.20
Carlus cum fratre Carlmanno Hunaldum Aquitanum bello victum capit 5.20
Carlus Nemauſum, Agaten & reliqua caſtella funditus euertit 3.1
Carlus Saxones facit tributarios 3.1
Carlus Mauruntum, Prouinciæ ducem fugat 3.1

Carolus Prouinciam cum cunctis eius mytitimis locis sibi subiicit 3.10
Caroli II. regis arrogantia 40.10
Carolus Crassus Imp. 67.10 regno expellitur ibid. 20. & egenus moritur ibid.
Carolus II. Imp. regnum Italiæ inuadit 39. 30. moritur ex dysenteria 42.1.
Carolus Romæ à Leone Papa in natali Dominico Imperator Romanus creatus & pronunciatus 9.20
Carolus filius Pipini primus Imp. fuit ordinatus ex Francorum regibus 156.1
Carolus Bohemus electus Rex 436.10
Caro Christi in cõsecratione missarũ in plumbum versa videtur 113.40
Ceadrogus, Thrasconis filius, rex Obodritorũ fit 13.20
Cespes de terra sine manibus præcisus loco remouetur 14.1
Charitas Dei filium ad carnem adduxit 174. 20
Charitas quid 213.10
Chienses 332.3
Christi sanguinem in Mantua ciuitate fuisse repertum 10.1
Pro Christo fungitur legatione, qui pro pace precatur Ecclesiæ 157.20.169.30
Christiani Maranam igne ferroque deuastant 51.20
Christiani hominis sermo tam verus sit oportet, quasi iurauerit 159.20
Christiani à Sarracenis magnam cladem accipiunt 290.10
Christiani Damiatam diu obsessam occupant 291.3
Christianorum super Paganis victoria 51.1
Christianorum de Paganis & Sarracenis victoria celebris 246.50
Christianus Moguntinus Archiepiscopus liberatur è carcere, summo argento dato 248. 30 in Italia moritur 1.249
Christianus Cancellarius Friderici Imp. Moguntiæ præficitur 240.1
Christianus Episc. Mogunt. & Philippus Cancellarius Friderici Imp. Reinoldo Pontifici auxiliares manus præstant aduersus Romanos 241.40 à Romanis fugantur ibid.
Christianus Mogunt. Archiep. capitur à Marchione Montisferretti 247.20
Christus, vt caput, corpus totum Ecclesiæ redemit 160.40
Chunigund matrona S. Nazarium munerib. beat 68.30
Cistercienses è monasterio suo Laureshamensi expelluntur 98.10 reuocantur iterum ibid.
Cistercienses in monasterium Lauresham introduntur 98.10
Ciuile bellum Saxonum cum Thuringis 45.40
Ciuilia bella 49.40
Clemens Papa Anno 1190. obiit diem 1.259
Clementis Papæ scripta 235.1
Clotarius, filius Ludouici, in prima ætate moritur 175.10
Cæcus sanguine S. Thomæ Cantua. Episc. oculos illius visum recipit 244.10
Cælum apertum visum moriente Carolo III. 49.1
Cælum noctu serenum rubuit 17.40
Cœnobii apud Grandimont per Comitem Richardum destructio 40.252
Collo stricto, vocis vsus & vitalis flatus necatur 233.1
Colloquium in confluente castello habetur inter regem Hludonnicum & Hlutharium nepotem suum 24.10
Colloquium Forchemii 24.40
Colloquium Hludharii & Hludowici filior. Imp. in valle Tridentina 17.10
Colloquium apud Winelinburch 245.10
Colonia Agrippina & Bunna ciuitates incenduntur à Nordmannis 44.30
Colonienses Reinoldi Archiepiscop. sepulcro decenter extructo imaginem Romæ in Basilica D. Petri erexerunt 242.40
Coloniẽses circa muros elaborãt fossatũ 247.50
Comes Hollandiæ in torneamento suffocatur 299.15
Cometa gladio similis visus 12.50
Cometa 32.20.39.20.44.40.
Cometa apparuit 17.1.30.18.40
Cõpositio inter Reges Rom. & Bohem. 328.10
Concilia super statu Ecclesiarum corrigẽdo ab Imp. Carlo indicta 12.20
Concilium de processione Spiritus S. habitum 11.1
Concordia vnitur & consistit Christi Ecclesiæ 155.20
Confœderatio principum 434.38
Coniuratio Orientalium Francorũ, quæ Hartrati dicitur, cõtra Carolum exorta comprimitur 7.10
Coniuratio Longobardorum contra Frideric. Imp. 246.1 sedata & pacata ibid.
Conradi Palatini & Friderici Imp. dissensio 93.30
Conradus Salicus Imp. 89.40
Conradus Episc. cognatus Frideric. Imp. sponte Episcopatum resignat 240.1
Conradus Palatinus Frider. Imp. frater bellũ Colonienſibus indicit 240.30

Conradus Palatinus Comes de Rheno Anno 1195. moritur 50.26
Conradus fit Episcopus Moguntinensis Anno 1183. 249.1
Conradus Comes secretarius Imp. Henric. IV. insidiose trucidatur 103.20.197.30
Conspiratio libertorum legitimos dominos opprimere conantium repressa 19.10
Conspiratio contra Adolphum 341.10
Constantia imperatrix uxor Henrici VI. imperat Anno 1199. in Apulia obit 1.266
Constantinopolis inuaditur & capitur 268.48
Constantinopolis, noua Roma 155.40. olim sedes Impp. ibid.
Constantinus Imperator Pipino regi Francorum inter cætera munera etiam organum mittit 4.40
Constantinus & Stephanus, duo senatores Romani, ob conspirationem cum Agildruda Widonis vidua captiuantur 53.1
Constantinus Imp. à Græcis excæcatur 8.30
Consuetudinis notatio & definitio 229.1
Contētio inter Wezelinum Heldinisheim Episc. & Wideramum Fuldensem Abbatem 216.10
Contentio suscitat odium 169.30
Conuentus Aquisgrani gesta 13.20
Conuentus Wormatiensis 16.1
Conuentus Carli & omnium Saxoniæ primatum ad ortum Lippiæ 6.40
Conuentus generalis Papiæ habitus 48.20
Coronatio Aquensis 445.47
Corpora Bb. Martyr. Marcellini & Petri in Franciam allata 15.40
Corpus S. Gorgonii Roma trāslatum ab Hiuodgango Episcopo Metensi sepelitur in Monasterio dicto Gorzia 5.10
Coruorum acerrima pugna 113.30
Cruciada in Sarracenos 364.16
Cruciada ultramarina 407.12
Crucis signum in vestibus hominum frequentissime visum 6.40
Crudelitas & tyrannis Henr. IV. Exregis in Suevia 138.40
Crux Domini quid sit 231.30
Cuculle notatio & descriptio 230.30
Cundacher Vasallus Karlmanni interficitur 32.40
Cunradus II. Imp. 73.10
Cunradus I. Imp. 68.50
Cunradus Marchio iamdiu terram promissionis defendens, iussu Richardi regis Angliæ dolo interficitur 30.260
Curia apud Geylinhausen 247.30
Curia Moguntinensis semper celebris fuit & magnæ frequentiæ 10.249
Curiæ etymon. 168.50. 169.1. 194.30. 215.40
Cyriaci S. Ecclesiam Wormatiæ quis exstruxerit 66.10

D.

Dagobertus rex moritur 1.40
Dalmatæ à Hludouvico II. Imp. domantur 24.1
Damiata à Soldano Babyloniæ recuperatur 291.35
Daniel Parisiens. Episc. peste obit 242.10
Danorum classis à Scotis prælio superatur 12.10.16.20
Darnon passus donatur Laureshamensi Monasterio 66.40
Deldi Marchio 107.30
Dephinus Galliæ 440.40
Dertosæ, Hispaniæ ciuitatis obsessio 11.1
Descriptio Marchæ pertinētis ad Michlenstad 65.20
Desiderius Longobardorum rex Carolo in Italiam eunti clausis Alpium obseratis resistit 5.40
Deus omnia creauit in mensura, numero & pondere 232.1
Diabolus in Villa Cammunzi prope Pingam valde sæuit 26.1
Diemo abbas 35. Laresh. 88.50
Dignum quid sit odio 211.10
Dilectio fidei opus 174.10.20
Discordia inter Monachos de veste monastica 229.40
Discordia inter Popponē & Egnionem 46.20
Discordia domestica inter Henric. IV. Imp. & filium ipsius 84.20
Discordia duorum fratrum gentis Marabensium 54.20
Dissensio Episc. Colonien. & Ducis Sax. 247.10.20
Domus S. Petri Wormatiæ fulmine tacta conflagrauit 36.20
Domus S. Petri consecratur 34.20
Doreſtadum à Nordmannis vastatum 16.40. 17.10
Doreſtadum à Nordmannis incenditur 20.10
Dux Sax. Henric. ducatu priuatur 247.40
Dyscoli, indisciplinati 180.40

E.

Eardulphus, rex Nordumbrorum regno patriq; expellitur 10.50 in regnum reducitur per legatos Imperatoris Carli, & Leonis Papæ 11.1

Eber-

Ebergisus abbas 12. Lauresham 69.20
Eberhardus de Ertbach mutus obit 92.30
Eberhardus Barbatus occiditur 137.40.138.10
Ebbo Episc. Wormatien. 82.30
Ebo, Remorum Episc. Nordmannis euangelizat verbum Dei 14.10
Ebronius Apostata tyrannus 175.20
Ecclesia Heimschuschein construitur 76.10
Ecclesia sancti Petri Romæ à Mauris vastata 20.1
Ecclesia aurum habet, nõ vt seruet, sed vt eroget, & in necessitatibus subueniat 220
Eclipsis Lunæ 247.1.30
Eclipsis Solis 7.10
Egbertus Marchio Saxon. 215.40. *proditus occiditur* 218.50
Eggihardus Comes Walebræ insulæ, cũ Hemmingo Halpdani filio, à Nordmannis interficitur 17.1
Ebericus dux Foroiulienſis occiditur 9.1
Eigelbertus Abbas VI. Laurisham. 66.30
Eigil Abbas Fuldensis eligitur 13.20. *moritur* 14.10
Einhardi Notarii commixtio cum Imma filia Imp. Caroli M. 62.40
Einhardus Notarius 62.30. *& Archicapellanus ibid.* 30. *amatur ab Imma Caroli M. filia* 62.30
Electio Abbatis monachis Laureshamensibus aufertur 67.40. *restituitur ibid.*
Electorum decretum de iure imperii 426
Elegans factum vxoris Henr. 4. *Imp.* 102.20
Elephas ab Aarone rege Persarum Carolo Imp. donatus apud Lippeham subita morte perit 11.20
Elster fluuius 148.20
Emmanuel rex Græciæ obit 248.1
Embricho Episc. Regini moritur 50.20
Empele villa readificatur 70.40
Engilbertus comes mense Nouembri Anno Dom. 1189. *circa festum S. Martini moritur* 30.254
Engilmarus Episc. Patauiens. moritur 55.10
Engilschalchi frater insidiosè interficitur 51.40
Engilschalcus, raptor filiæ regis Arnolfi, apud Moranos exulat. 51.30. *reconciliatus cum rege, Orientis Marchensis constituitur ibid. tandem occæcatur ibid.*
Episcopi notatio 214.10
Episc. Traiect. & Comes Hollandiæ cõtra Frisones arma mouent 247.20
Eppo Citicensis Episcopus ex equo lapsus perit 131.10
Equinorum cadauerum consternatio horrẽda 49.30
Effort ab Henr. IV. diripitur igne 148.20
Eribertus Marchio 119.20. *occidi iubetur* 119.40
Ernustus Comes moritur 30.50
Error, semel cum authore suo dãnatus, in participe & exsecratione sui gestat & pœnam 169.20
Eruptiones fluuiorum in Aprili Anno 1188. *factæ satis magnæ* 30.252
Euangelica perfectio instamentum non recipit 159.10
Euangelium & scriptura Dei etiam corpus Christi intelligitur. 173.20.
Eudo dux moritur 2.30
Eugenius Pontifex constituitur 14.40. *meritur* 15.40
Euindicatoria charta monasterii Lauresham 59.1
Exactio Papæ à Clero 335.3
Exercitu Carli apud Eresburgum præ siccitate nimia, siti deficiente, subito quodã in torrente media die aquæ largissimæ effunduntur 5.40
Expeditio Italica Ludouici 423.28
Exules omnes à Hludouico Imp. reuocantur 13.50

F.

Facilitas veniæ ansam delinquendi præbet 40.25
Fames grauissima apud Rhenicolas 21.30
Fames nimia 32.20.37.20.39.10.44.10.49.40.54.1
Faroldus Vasallus Arnolfi Imp. custos assignatur vrbi Romæ 53.1
Fastrada regina, Carli vxor, moritur, & Moguntiæ apud S. Albanum sepelitur 8.1
Febris tussiendo Italiam multum vexat 49.40
Febris Italica oculorumq; dolor, Ophtalmia regnat inter Rhenanos 42.10
Feliciana hæresis in Synodo Francofurtẽsi tertio damnatur 8.1
Feliciana hæresis apud Reganespurg primũ damnatur auctore ipso eam abnegante 7.40
Fide titubante, ipsa charitas languescit 714.10
Filia Desiderii regis Lãgobardorum Carlmãno desponsatur 5.30
Filia Hlutharii Imp. rapitur 19.50
Filii Hludouici Imp. regnum inter se partiuntur 19.10
Flagellatorum secta 381.12. *&* 439.50.
Fœdus inter Imp. Ludouicum & Regem Angliæ 426.20

Fœmina festum Laurentii profanans singulari miraculo corripitur 34.10
Folcandus abbas 37. Laures. 90.2
Folcratus dux Arelatensis Hluthario Imp. deditur 19.40
Formosus Pp. à successore Stephano de sepulchro eiicitur 53.20
Formosus Pontif. moritur 53.20
Fossa à Carlo facta inter Ardantiam & Alcmonam fluuios 7.50
Fragmentum ingens ex glacie cum grandine uere decidit 14.50
Franci ad tempus pace & quiete fruũtur, Carolo auspice 3.10
Franci clusis potiti Alpium, Desiderium Papiæ incluſum obsident 5.40
Franci Orientales, Alemanni, Saxones, & Thuringii Hludouuico homagia præstant 18.10
Franci Carlo duce Sarracenos proterunt 2.50
Fresonum terra circa Stauern maris inundatione submersa 243.20
Friderici Imp. expeditio Italica 93.30
Friderici II. Imperatoris Rom. & Siciliæ Regis epistolæ quadam tẽpore schismatis scriptæ, nec dum editæ 303. usq; ad 311.
Fridericus Imperator legatos suos Rupertum Comitem de Nassauu, & Comitem Walramum cum 500. equitibus eorumq; apparatu ad Regem Græciæ mittit Anno 1189. 10.255 Rex Græciæ legatos Imperatoris in carcere male tractat. ibid. Regis Græciæ relatio ad Imperatorem Romanum 20.255 Responsio Imperatoris Romani ad dictum Regem Græciæ ibid.30. legati eius cũ conditione liberantur Anno 1190. 50.256.
Fridericus vom berge nobilis 105.30. 108.40
Fridericus Imper. Italiam, Longobardiam, & Apuliam sibi subiicit 241.30
Fridericus dux Austriæ 372.34
Frideric. Imp. in Poloniam proficiscitur, nepotem suũ restituturus in ducatum 244.30
Fridericus imperator recuperata Hyerosolyma cum Saracenis treugas facit 296.20
Fridericus Rex Siciliæ Ducem Brabantiæ sibi subiugat 282.18 in regem Romanum creatur ibid.35.
Fridericus filius triennis Henrici VI. Imperatoris à toto imperii statu in regem eligitur Anno 1196.20.262
Fridericus Imperator die Dominica in fluuiũ descendens refrigerandi causa, aquis præfocatur Anno 1190. 20. 258. Eius filius Fridericus Dux Sueuiæ ab exercitu imperator eligitur 30. ibid. Mors eius breuis 40. ibid.
Fridericus de Husen vir probus, nobilis, & strenuus in conflictu Turcorum obiit Anno 1190. 20.257
Fridericus Imperator subiugat sibi Mantuanos & Comitem de S. Bonifacio 302.13
Frider. Dux Saxon. in Italia obiit 244.10
Fridericus Austriacus Rex electus in schismate 421.38
Fridericus Palatinus Comes 108.30.137.40
Fridericus Imperator ciuitatem Soram incendio euertit 296.50
Fridericus Dux Sueuiæ, Conradi regis filius moritur 242.30
Frisiones super Normannis victores extiterũt 40.10
Friteslar Basilicam, Hassiæ S. Bonifacius martyr nunquam igne cremari prædixit 6.1
Fruges grandine conterunturr 49.40
Fuldense cœnobium quando & à quo fundari cœptum 3.20
Fuldensis cœnobii Monachi propter timorem Saxonum, assumptis secum S. Bonifacii martyris ossibus, aufugiunt de monasterio 6.30
Fulgura sereno die cœlitus missa 14.20.240. 20
Fulmine tacti vestis illæsa manet consumpto corpore 23.30
Fundatores Monasterii Laureshamensis 56. 20

G.

GAla Abbatis Heurici Laureshamensis 95.20
Gebehardus Saltzburg. Archiepisc. 215.20
Gebhardus abbas 31. Lauresham. 84.20
Geirefurt, prædium Ansfridus Palat. Comes Lauresham. monasterio donat 66.1. & 40
Gerbodo abbas 14. Laures. 69.30
Gerhardus abbas 10. Laures. 67. 10 in Gergungen conuentus 196.50
Germanus, Arnolfo Imp. potum venenatũ parans, decollatur 54.50
Gernsheim villa ad sancti Nazarii ius defertur 68.1
Geroldus Boiariæ præfectus cum Hunis pugnans interficitur 9.1
Geroldus abbas 29. Laures. 84.10
Gertrudis ducis Ottonis vidua capta liberatur 132.40
Giengen S. Nazario traditur 69.1
Gladius ex aere pendere visus 249.29
Godebaldus ab equo frõtem percussas moritur 131.20

Godefridus Rex Danorum, Abodritos bello aggreditur 10.40
Godefridus Palatinus Comes 88.10
Godefridus Dux Saxoniæ hostis acerrimus mucrone confossus perit 131.20
Godefridus Dux Brabantiæ anno 1190. obiit 30.256
Godefridus Episc. Traiectensis obit 247.1
Godefridus Wirceburgensis Episc. anno 1190. obiit 40.256
Gortzienſe Monasterium quis construxerit 58.1
Goteſcalcus hæreticus 20.40
Gothafridus Rex occiditur 48.1
Gozbaldus Episc. moritur 23.40
Gozzomuil Rex Abodritorum occiditur 19. 30
Grando maxima ova columbarum exæquans 241.30
Græci Bulgaros bis terque vicerunt 53.30
Græcorum exercitus à Francis & Langobardis & Beneuentanis prælio superatur 7. 20
Gregorius presbyter Eugenio Pontifici succedit 15.40
Gregorius IV. moritur 19.20
Gregorius VII. Pontifex 1231
Gregorij notatio 180.20
Grimaldus Aragisi Beneuentanorum Ducis filius in obsidiatum sumitur 7.20
Grona, palus 148.50
Grypho, Carlmanni & Pipini frater, Saxonibus associari optat 3.40
Grypho, frater Pipini, in valle Maurienna, quum Italiam petere conaretur, à comitibus fratris sui occiditur ibid.
Grypho ad Waifarium Aquitaniæ Ducem se confert 3.50
Grypho fugit in Baioariam 3.40
Gundelandus Abbas primus Laureshemij 58.1
Gundelandus moritur 61,30
Guntherus Schwartzenburgenſ. electus Rex 445.1
Guntpoldus ſatelles Karlmanni rebellis 31. 30

H.

HAdawart Episcopus moritur 23.1
Haddo Abbas Augensis homo subtilis 5.30
Hadofnus Rex loricas, mulos, Mauros que captivos, victoriæ Olisipponensis insignia Carolo transmittit 8.50
Hadofnus Rex Galletiæ & Hasturiæ, per Floram legatum suum Papilionem miræ pulchritudinis Carolo transmittit 8.30
Hadumar, Genuæ ciuitatis præfectus bello perit 10.30
Hagna Imperatrix, mater Henrici IV. Rudolfo Duci Sueuorum, cum regno Burgundiæ filiam in matrimonium locat 195. 10
Haistulphus in venatione quadam equo excussus moritur 4.40
Haistulfus, Longobardorum Rex, Romam impugnando circumdat 4.30
Haistulfus, Longobardorum Rex, à Pipino victus Papiæ includitur 4.20
Halbdenus & Sigifridus Reges, fratres, Hludouuico Imperatori seſe submittunt 37. 10
Hammaburg castellum in Saxonia à Nordmannis euertitur 19.30
Harduigus Abbas Hersfeldensis, Episcopus postea Magdeburgensis, vir doctus & moratus 209.1.30
Hartesburg castellum, quando & à quo constructum 105.10
Hartesburg destruitur 111.10
Hatto Abbas Fuldensis moritur 24.1
Hatto Archiepiscopus Moguntinensis 68. 10
Heidolfus Abbas XXXII. Laureshamensis 88.30
Heimericus Cancronis Comitis filius, à patre & auia Lauresham. monasterium legatum Gundelando repetit 58.50
Helmericus Abbas II. Lauresham. 61.30
Hemma Regina paralytica vsum loquendi amisit 39.10
Hemma Regina Ratisponæ obiit 40.1
Hemmeradus & Andreas fratres post obitum patris Belæ contractis copiis alter alterum regno eiicere studet 266.35
Hemmingus, Godofridi Danorum Regis fratris filius Rex factus, cum Carolo Imp. pacificatur 11.40
Hemmingus Rex Danorum moritur 12.1
Hemmo Episcopus Halberensis moritur 23. 10
Hennaldus Nordmannus baptizatur 22. 20
Hennaldus Nordmannus occiditur ibid.
Henricus Comes à Sarracenis captus, à Rege Hispaniæ Ambulaz Carolo Imper. redditur 11.40
Henricus III. Imp. 75.40. moritur Spiræ 76. 10
Henricus VII. filius Friderici Imp. consecratur in Regem Aquisgrani 292.8

Henric. V. Imp. 84.40
Henricus Imp. 72.30. *Monachorum pater cur dictus* ibid.
Henricus Saxo Imp. 69.1
Henricus Marchensis Francorum occiditur 48.20
Henricus IV. Imp. Principes Saxoniæ illudit 107.20
Henrici IV. Imperat. adolescentis turpia facta 101.102.103.104.105. per tot.
Henr. IV. Imp. è Saxonia fugit 109.20. *redit* 120.40
Henrici Imper. IV. consilium pessimum 112. 40
Henrici IV. Imp. pugna prima cum Saxonibus 115. 50.194.30.195.1
Henricus IV. Imp. Reges & Principes sibi conciliat 112.30
Henr. IV. Imp. omnium Regum & Principum fraudatur auxiliis 112.40
Henr. IV. Imp. sororem suam compressit, & ligatis manibus stuprandam cuidam offert 103.1
Henricus IV. Imp. anathemate ligatur 123. 30
Henricus IV. Imp. filium suum Regem Saxonibus offert 150.20
Henricus de Lacha 149.20
Henricus filius nascitur Imperat. Frid. 241.1. *ungitur in Regem* 243.20
Henric. Dux Saxon. filiam Regis Angliæ Richardi Mechtilden uxorem ducit 244. 10. *Hierosolymam it, reditq.* 244.30
Henricus Imp. anno 1185. *ducit filiam Rogerii Regis Siciliæ in uxorem* 249.30
Henr. Imp. expeditio in Italiam 134.20. *absolutio* ibid. 195.10
Heinr. Dux Saxon. filiam suam filio Regis Danorum desponsat 244.10
Henricus de Aldenburg, antea Dux Saxoniæ Imperatori anno 1188. *reconciliatur* 252. 30
Henricus IV. Imp. 76.40. *Spiræ moritur* 84. 30
Heinricus & Adalbertus cum Thiotbaldo Principe militiæ Hugonis congrediuntur 44.1
Henrici VI. Imper. mors in festo S. Michaelis, eiusq; sepultura Neapolis 11. *Kalen. Octobr. anno* 1197.40.262
Henricus Rex Angliæ Regem Scotorum cum gente domat 247.1
Henricus II. Imp. 72.40
Henricus Abbas 40. *Luresh.* 93.10. *ipsius merita* ibid. 20
Henricus IV. Imp. 100.30
Heinricus Rex Angliæ anno 1189. *obiit* 10. 254
Henricus VI. Romæ in Imperatorem: Constantiæ eius uxor in Imperatricem eliguntur, anno 1191.10.259
Henricus Dux Saxoniæ famosissimus & potentissimus in Romano Imperio 248. 40. *Officio Principis privatur nomine totius imperij, omnia regalia ei auferuntur* 40. ib. *per tres annos in exilium mittitur, ibidem. tota Saxonia ab eo deficit, ibid. Exul in Angliam tendit* 50.284
Henrici senioris Regis Angliæ victoria de Ludouico Rege Franciæ, filio suo, & Comite Flandrensi 245.10
Heppenheim villa 60.40
Herdvvigus Magdeburgens. ab hoste capitur 137.20. *Eius responsum prudens ibid.* 206. 10
Herena Imperatrix à Constantinopoli literas Carolo mittit pro pace obtinenda 8.40
Herena Imperatrix Constantinopolis regno deponitur 9.50
Herena Imperatrix Constantinopolitana, & Carolus Imp. Romanus per legatos invicem pacem contrahunt 9.30
Herioldus & Reginfridus fratres, in Reges constituuntur 12.1
Hermannus Abbas Altahensis 387.28
Hermannus frater Comitis de Kazinelinbogen Episcopus Monasteriensis 245.1
Hermanuus Abbas 34. *Luresham.* 88.40
Hermannus Marchio Bad. 373.37
Hermannus Dux Saxoniæ Luneburgum ingo Imp. Henr. IV. vindicat 106.50
Hermannus Rex Saxoniæ ungitur 153.8

Ex Apologia Henr. IIII.

Hermannus Metens. Episc. obit 213.50.219. 30
Hermannus Comes de Zaffinberg obit 244. 20
Hereschilds 78.40.88.20
Herialdus cum uxore & magna Danorum multitudine apud Magontiam baptisatur 15.20
Hesfeld castrum trans Albiam à quo conditum 11.1
Hildebertus Abbas 38. *Luresham.* 93.1
Hildibrandus Dux Spoletanus ad Regem Carlum venit 6.30
Hildebrandus Pont. in exilio moritur 154. 0
Hilderichus, Clotarij filij Ludouici frater ob morum insolentiam occisus 175.20

Hildigarda Regina dies obitus 7.1
Hildisheim 197.30
Hildigarius Colonienſis Epiſcopus à Saxonibus occidſtur 4.10
Hilpricus à Carlo recipitur in gratiam 2.1
Hirſaugienſes monachi 221.20
Hiſtoria copulationis Einhardi Notarij, & Immæ Caroli Magni filiæ 62.30.40.50. &c.
Hiſtoria Comitis cuiuſdam abbatiæ Lauriſſenſi inhiantis 71.20
Hiuodgangus Metenſis Epiſcopus à Pontifice SS. Martyrum, Gorgonij, Naboris, & Nazarij corpora impetrat, ſecumq; in Franciam tranſportat 5.10
Hlodarius, Coloniæ Rex Francorum eligitur 1.50
Hludharius Hludouvici Imper. filius vxorem ducit 13.50. in Imp. coronatur 14.20
Hludouicus III. Imp. 43.1. moritur 44.40
Hludouvici Imp. conuentus cum filiis Lugduni 16.40
Hludouvicus Imp. contra filium Ludouicum proficiſcitur 16.20
Hludouvicus Imp. cum filio ſuo Hludhario reconciliatur 17.30
Hludouvicus Imp. ad agendam pœnitentiam ab Epiſcopis includitur 16.30
Hludouvicus Imp. moritur 18.1. Mettis ciuitate ſepelitur ibid.
Hludouvicus Rex ægrotans Ratiſponæ omnem ſuum theſaurum per monaſteria pauperibus erogat 33.20
Hludouvicus Imp. in filiorum manus traditur 16.30
Hludouvicus contra patrem Hludouicum Imper. incenditur 31.20. patri reconciliatur 31.30
Hludouvicus Carli Imp. filius in Regem coronatur 12.20
Hludouvicus Carolo patri in imperio ſuccedit 13.1
Hludouvicus Imp. diuidit regnum inter ſuos filios 13.40
Hludouvicus Imp. vxorem Iudith abdicat 16.20. Wormatiæ reuocat 16.30
Hludouvicus & Carolus Reges fratres conciliantur 30.30
Hludouvicus Imp. Britanniam integram ciſmarinam imperio ſuo ſubdit 13.10
Hludouvicus Imp. Iudith filiam Huelpi Comitis vxorem ducit 13.30
Hludouvicum Imp. male geſtarum à ſe rerum pœnitet 14.10
Hludouvicus II. Imp. eligitur 23.50
Hludouvicus Rex ruina domus leditur 33.50
Hludouvico iuniori patris Hludouvici Imp. manes in ſomnis viſuntur 38.30
Hludouvicus Italiæ Imp. moritur 39.30. corpus Mediolanum tranſlatum, in Baſilica S. Ambroſii ſepelitur ibid.
Hludouvicus Imper. filio ſuo Hludouvico Orientalium Francorum regnum interdicit 17.10
Hlutharius Imper. fratres bello occurrunt 18.10
Hlutharium Imp. fratres apud Argentoratum fugant 18.50
Hlutharius Imp. eligitur 18.1
Hlutharius contra Carlum occidentẽ fratrem proficiſcitur 18.10
Hlutharius Rex obit 32.50
Hlutharius Imp. moritur 23.50
Hlutharius Imp. monaſterium ingreditur 23.50
Hohbuochi caſtellum, Albiæ flumini adpoſitum, à Wilzis captum 11.30. & deſtructum reparatur ibid. 50
Hominum boumq; peſtilentia nimia 13.40.14.40.42.40.45.50.46.20
Homo quis dicatur 185.1
Honorius IV. Papa 333.38
Horologium ex aurichalco mirifice compoſitum 10.30
Horuc Regis Danorum & Gudurm fratris filij mutua cædes 23.20
Hoſtis quidam paganus ſpecie ſtantis iuxta Baſilicam Friteſlar flexis genibus, additis lignis, & igni incumbens mortuus repertus 6.1
Hrabanus Abbas Fuldenſis 14.10
Hrabanus Archiepiſc. moritur 24.1
Hrabani ſophiſta & poeta liber de laude ſanctæ crucis Chriſti Sergio Papæ offertur 19.30
Hringus campus Hunorum Principum bis captus 8.20
Hruodrud Carli Imp. filia natu maioris moritur 11.10
Hruodgaudus Longobardus Italiæ regnum affectat 6.10
Hruodgaudus à Carlo interficitur 6.10
Hruodtrudis Carli filia à Conſtantino Imp. deſponſatur 7.20
Hruodulfus Nordmannus tyrannus occiditur 37.40
Hugo Abbas Karli Regis patruus, & Rihboto Abbas cum ſignifero Rabane bello pereunt 19.20

Hugo comes Alſatiæ potentiſs. tyrannus occiditur 219.1

Hugo abbas 30. *Lauresh.* 84.10

Hugo Hlutharij ex Waldrata filius receptus in gratiam ab Rege ipſum moleſtat 44.20

Hugo comes de Muſalobit 244.20

Hugo filius Hlotharij oculis orbatur 48.10

Hugo Hlutharij filius tyrannidem in Gallia exercet 43.20. *prælio occumbit* 43.30

Hugo abbas 23. *Lauresham.* 75.30

Humbertus abbas 21. *Lauresh.* 73.20. *Abbatiæ ſuæ expilator & profuſor, ibid. iniuſte moritur* 74.10

Hunaldus, Aquitaniæ Dux, ad Waſcones fugit, perſequentibus Carli filiis ibid.

Hunorum opes ac theſauri Carlo in Aquiſgrani palatio afferuntur 8.20

Hunorum Cagani & Iugguri legati Carlum adeunt 6.50

Hyems valida, ſolitoq; prolixior 5.10

Hyems aſpera 14.40. 38.10. 43.30. 51.50. 131.0. 40

Hyems anno Domini 1190. *fuit ſicca & calida* 10.256

Hylariacenſis Eccleſia 38.10

Hyldegardis Carli coniux Turonis demortua, ad S. Martinum ſepelitur 9.10

Hyldricus, vltimus Meroningorũ, regno depoſitus in monaſterium mittitur 4.10

I.

IDololatria gladio punita, ſchiſma terræ hiatu 155.30. 221.10

Idolorum cultores olim per mortuos iurarunt in V. Teſt. 172.1

Ieiunium quadrageſimale Franckfurt inchoatum 17.30

Ieſum quis ſoluat 173.40

Igniculi inſtar ſtellarum per aerem diſcurrere viſi 17.40

Ignis horribilis verſus Saxoniam aliasq; partes anno 1192. *in cælo viſus eſt palam* 10. 260

Illuſtris conuentus Viennæ 340.37

Imma Caroli M. filia Einhardo Notario matrimonio iungitur 63.40

Imma Caroli M. filia 62.20. & 30. *Regi Græcorum deſponſata* ibid.

Immunitas cleri 399.45

Inaudita grando cælo delabitur 45.20. 49. 50

Incendiarios mittit Henric. IV. in Goſlariam 148.10

Infans natus cum duobus capitibus, tribus brachiis, tribusq; pedibus 244.20

Inimici ante heſternum aut nudius tertius facti, teſtes accuſatoresq; non audiuntur 160. 50

Inopia frugum maxima 49.40

Inundationes fluminum 32.20. 48.20. 49.40. 52.20

Iob dolens interpretatur 233.1

Ioannes Pontifex Romanus veneno prius potatus malleo caput percuſſus, expirat 46.1

Ioannes Monachus Hieroſolymitanus primus quæſtionem mouit de proceſſione Spiritus S. 11.1

Ioannes frater Richardi poſt eius mortem in *Regem Angliæ eligitur anno* 1198. 50.265

Ioannes Rex Angliæ à Ludouuico Rege Franciæ bello petitur 283.30

Irminſul, Saxonum idolum, deſtruitur à Carolo Rege 5.50

Irriſor nominis S. Petri punitur 137.20

Iſauricus tyrannus victus ab Arnolfo Imp. fugit ad Marchenſes 55.10

Iudæorum ſtrages 444.37

Iudæorum cades 345.47

Iudæorum facinus & ſtrages 402.41

Iudæorum crudelitas 396.28

Iudicium quid 171.50

Iuramentum, Vinit Dominus, in vet. Teſt. ad condemnationem mortuorum eſt 172.1

Iuramentum quando prohibitum 172.10. 174.30

Iuriſiurandi requiſita & comites 171.1. & 10

Iuſtitiæ ſub nomine omnes virtutum ſpecies continentur 172.20. 189.30. 225.40

Iuſtitiæ definitio 176.50

Iuuenes veſtibus albis induti Baſilicam Friceſlar in Haſſia ab igne defendunt 6.1

K.

KArli exercitus à Pipino vincitur 19.20

Karlmannus de Raſtice victor extitit 32. 30

Karlmannus paralyſi correptus vſum loquendi amiſit 42.50

Karlmannus à patre Karolo Galliæ tyranno excæcatur 36.40

Karlmannus Hludouici & Karli frater moritur 43.50

Karlus dæmonio vexatur 36.30

Karlus Archiepiſcopus Mogunt. moritur 28. 10

Karlus Pipini filius, quot annis regnauerit 1. 30

Karlus cuſtodia publica ſeruatus 1.30

Karlus contra Ratbodum Regem Freſorum infeliciter pugnat 1.40

Karlus Rex Imperator ſalutari vult 33.20

Karlus Pipino nepoti ſuo moleſtus eſt 19.20

Karoli M. Imp. ossa de Sarcophago ab Imper. Friderico Aquisgrani efferuntur 241. 10

Karolus III. moritur 49.1

Kathari, qui & Gazari, extra ciuitatem Colon. igne cremantur 240.10

L.

Landgranius capitur, custodiæq; traditur 247.50

Longobardi cum Rege Desiderio Papiam obsidione pertæsi Carolo tradunt 1.50

Langungen, alias Langen, villa, Laureshamo donatur 66.10

Lapidibus veris cum grandine pluit 14.30

Lateranenses Imperatori Friderico deduntur 242.1

Lauresham. monasterium Ecclesiæ Moguntinæ in perpetuum donatur 98.1

Lauresham. monasterium consecratur 60.50

Laureshamensis templi igne consumti restauratio 83.1

Laureshamense monasterium vbi situm 56. 20

Laureshami incendium 81.22

Laxæ vestes & fluxæ teporem & mollitiem arguunt eorum, qui ipsis induuntur, ab exemplo Lucani poetæ 229.50

Legati Godofridi Regis Danorum Carolum conueniunt in conuentu ad Lippiam 6. 50

Legatus Niceta præfecti Siciliæ, nomine Teoctiſe, venit cum epistola Imperatoris ad Carlum Aquisgrani 8.30

Leges sub Marte silent 188.20

Legis etymon & descriptio 229.10

Lemonica Aquitaniæ à Pipino capitur 5. 20

Leo Papa à Romanis lingua detruncata excæcatur 8.50

Leo Papa ad Carlum deducitur 8.50

Leo Imp. Constantinop. cum Hludouuico Imper. pacem contrahit 13.10

Leo Papa moritur 12.40

Leo Papa Carisiaci cum Imp. Carolo natale Domini celebrat 10.1

Leo Papa in Basilica Diui Petri Romæ iureiurando ab obiectis criminibus se purgat 9. 20

Leonis Pontificis depositores, vt læsæ Maiestatis rei, à Carolo Magno Imperatore capite damnantur: pro quibus tamen ipse intercessit 9.20

Lignea Christi in cruce pendentis imago exsudat riuulos 113.30

Limes à se ipso porrectus ad instar valli vna nocte surrexit 14.10

Liudeuuicus Imp. occiditur 14.20

Liutherus Abbas II. Lauresham. 67.50

Locustæ agrorum & pratorum viridia absumunt 37.20

Lotharius Episc. Leodiensis electus obit, anno 1194. 10.261

Lotharius II. Imp. 88.40. sepelitur in Bruonsuuich 89.40

Lotharius Imp. Lotharingiæ prouincia nomen dat 65.50

Lotharius Rex moritur 2.1

Ludouici Imper. filij de regno altercantes tandem inter se diuidunt 65.50

Ludouici Imp. obitus 437.38

Ludouici, siue Clodouei, Regis Dagoberti filij obitus 175.10

Ludouici Imp. Bauari sepultura 443.1

Ludouicus Comes de Los obit 243.30

Ludouicus Monasterienſis Episcopus peste obit 245.1

Ludouicus Rex Franciæ Orientalis, Laureshamense monasterium plurimis beneficiis decorat 66.10

Ludouicus Lantgranius anno 1190. obiit 20. 256

Ludouicus Rex Franciæ obit 247.30

Ludouicus IV. Imp. 68.10

Ludouicus III. Rex Germaniæ 66.50

Ludouicus Caroli Regis filius moritur 43.1

Ludouicus Arnolfi filius patri regno succedit 55.20

Ludouicus Landgranius moritur 244.20

Ludouicus Pius Imperat. Karoli Magni filius 62.20

Lugdunense concilium 386.42

Ludolfus Dux Carentinorum moritur 218. 50

Luipoldus consiliarius Henric. IV. Imperat. ex equo dilapsus suo ipsius gladio confoditur 131.30

Luitperdus Archiep. Mog. moritur 49.30

Luitwardus Episcopus dolose omni honore priuatur 48.40

Lullus Bonifacio Moguntinensi Archiepiscopo succedit 4.20

Luneburgum occupatur 106.40

Lupus Wasco exilio deportatur 13.20

Lutharius Rex Teutbergam uxorem repudiat 28.10. iterum recipit 31

M.

Madascona urbs Galliæ expugnatur 44. 1

Magdeburg ab inuasione Henrici IV. Imp. diuinitus defenditur 118.10

Magnus Dux Saxoniæ carcere includitur 106.20. liberatur 107.1. homo festiuus & prudens 150.30
Maginfredus Comes Mediolanensis capite plectitur 53.20
Maior domus quid 175.20
apud Maiores domus tota regni in Francia dispositio fuit & potestas 175.10
Maiores domus facti Reges Francorum 175. 20
Manichæorum hæresis 211.20
Marcelli Martyris reliquiæ ad Aquis palatium delatæ 15.40
Mare Ionicum glacie supra modum riguit 27.10
Marinus Papa obit 48.1
Marquardus Episcopus August. 448.45
Marquardus Abbas XXXIX. Laureshaim. 93.1
Martyres, Cassius, Florentius & Mallusius transferuntur 243.10
Martyris Sebastiani ossa apud Suessonam in Basilica S. Medardi collocata 15.30
Martyrum, Nazarij, Naboris, & Gorgonij corpora, Roma ad Vangiones Rhenanos deferuntur in Gorziense monasterium 58.10
Mathilda fautrix Hildebrandi Papæ 219.1. præpotens diuitiis, filia Bonifacij Marchionis ibid.
Mauri piraticam exercere incipiunt 8.50
Maurorum signa in pugna sublata, Carlo præsentata 9.1
Mediolanum Fredericus Imperat. sibi subiecit 236.40.239.20
Megingor & Papo filij Willihelmi & Engilschalchi occumbunt 47.20
Mercationes publicæ in Bensheim 69.40
Messores calore solis extincti 34.10
Michael Græcorum Imp. Carlum Imper. Basileum salutat 12.30
Michlenstat & Mulenheim ab Imp. Ludouico donantur Einhardo & Immæ coniugibus 63.40
Michlenstat Laureshamensi monasterio donatur 64.30. restauratur eius cella 76.30
Michlenstat cella quomodo accesserit Laureshaim. monasterio 62.30
Miliduoch Dux Slauorum à Carlo iuniore occiditur 10.20
Militantes Deo secularibus negotiis non se implicabunt 178.20. 193.30.207.40
Militis cuiusdam insignis constantia 245.40
Miracula Nazarij 61.1
Miraculum ad basilicam Fritesl ar visum 6.2
Misericordia exiguo conceditur 171.10
Modus animi sapientia 231.50
Moguntia incenditur à Bauenbergens. militibus 132.40
Monachi notatio & officium 221.20
Monachorum teterrimum genus Sarabaitarum, id est, sibi viuentium 230.1.232.40
Monachus legatus Patriarchæ Hierosolymitanicum Zacharia presbytero de Carli palatio dimittitur in terram suam 9.10
Monasterium Laureshamense initiatur 56. 20
Monasticæ scholæ institutio 228.40
Monetæ & Mercatus concessio fit Laureshamensi Ecclesiæ 79.20
Montani hæretici 186.1.211.50
Montanus hæreticus duplicis vestis monasticæ author 231.20
Montes nonnulli Italiæ terræ motu euersi 93
Mos inueteratus facit consuetudinem 233.20
Mos quid 229.10.233.20
Mospurg comitatus 394.4
Munitio Nordmannorum secus litus Mosæ posita occupatur, Regibus eorum intus inclusis 45.20
Murbach abbatis 80.20
Muri Ecclesiæ Moguntin. tempestate nimia conciderunt 23.30
Murus Moguntiæ ciuitatis restauratur, fossaq; murum ambiens extra vrbem conditur 44.50
Murus Moguntiæ destrui iussus 239.50

N.

Naboris corpus Roma translatum ab Hiuodgango Episcopo Metensi sepelitur in monasterio Nouacella dicto 1.10
Nabuchodonosor rex iniustus, & vltra omnẽ terram impius, & tamen seruus Dei 171. 40
Naumburg Episcopatus ab incendio Henr. IV. defenditur 148.20
Nazarius Roma translatus terræ iterum traditur in monasterio Laureshaim. 5.10
Nescire Dei, reprobare est 171.20
Neuvburg cella initiatur 89.20
Nicifori Imp. Graci de Constantinopoli legati ad Carlum Imp. veniunt 9.50
Niciphorus Græcorum Imp. à Bulgaris occiditur 12.1
Niuhusen Ecclesia S. Cyriaci 66.10
Nix immensa, frigusq; inauditum 30.20. 51. 50
Nix sanguinolenta cecidisse reperta 27.1
Nordmanni ad Christum conuertuntur 45. 40
Nordmanni Carli regnum vastant 19.30

Nordmanni in Scalta fluuio expugnati 43.30
Nordmanni homines crudelissimi 219.20
Noua Landa Aquilegiæ 237.40
Nuncius Carlum Imp. terruit 11.10

O.

Obbenheimensis Ecclesiæ fundator quis 66.40
Obodriti pagus Transalbianis ab Imper. Carolo donantur 10.1
Oceani inundatio 240.20
Odericus Godeshez cur sic dictus 119.20
Odilo Dux Baioariorum à Carlmanno & Pipino victus 3.20
Odilo Dux Baioariorum Carlmanno reconciliatur 3.20
Obseburg castrum capitur 3.30
Olisippona Hispaniæ ciuitas ab Hadofuntę prædata 8.50
Oloha in littore Oceani 8.30
Omortag Bulgarorum Rex cum Imper. conciliatur 14.40
Opera virtutis Dei, veritas, iudicium, & iustitia 172.40
Oppenheim villa donatur monasterio Laureshamensi 61.10
Oppenheimi conuentus habetur 133.20
Organum hydraulicum Georgij Presbyteri de Venetia 15.20
Ornamenta Regum propria 161.20
Ortona & Luceria Italiæ ciuitates Carlo Imp. subiugantur 9.40
Oscæ, vrbis claues Carolo cum aliis muneribus ab Eazane eius præfecto mittuntur 9.10
Ota Regina Imp. Arnolfi vxor adultera 144.40
Otgarius Moguntin. Episcopus moritur 20.10
Ottho M. Imp. 69.10
Ottho III. Imp. 71.50. *literis diuinis & humanis imbutus* 72.1. *Mirabilia mundi dictus* *ibid.*
Ottho II. Imp. 71.40. *pallida mors Sarracenorum dictus, ibid. moritur Romæ* *ibid.*
Ottho Rex Romanus filiam Ducis Brabantiæ vxorem ducit, anno 1199. 10.266
Otthonis Ducis festiuum dictum 150.30. *casus & lapsus ex equo* 152.1
Otto Palatinus Comes interfector Philippi regis occiditur 278.42
Otto Imp. moritur in castro Hartzberg 288.3
Otto Dux Bauariæ cum Henr. IV. Imp. belligerat 106.20.137.40
Otto Imp. Apuliam & Calabriam sibi subiicit 280.24
Otto Rex cum exercitu Italiam intrat, & Romæ à Papa consecratur 279.14. *excommunicatur* *ibid.*40
Otto Rex Francofurti vnanimi consensu in Regem eligitur 278.8
Otto Hostiensis Episcopus, Vrbanus Papa dictus 261.40
Otto Palatinus Dux Bauariæ 96.20
Ottacari cædes 330.2
Ottacari sepultura 331.18
Ottacari R. rebellio 327.25
Ottacarus cæsus 392.40
Oues & apes pereunt 51.50

P.

PActum Romanorum cum Imp. Friderico 242.1
Padrabrunnensis conuentus in Saxon. 6.10
Pagani, Basilicæ Friteslar toto nisu ignem subiicientes, diuino pauore perterriti aufugiunt 6.1
Palatini cognitio de Rege Rom. 412.40
Palatinus aduocatus Laur. 94.1
Pampilo vrbs Hispaniæ à Carolo destructa 6.20
Pannonia à Zuuentibaldo Duce Maranorum grauiter affligitur 47.20
Papæ odium in Germanos 333.8
Parcens malis, bonus nocet 40.255
Partes in Ecclesia Deo exosæ 160.40
Patareni 235.30
Paschalis Papa Romæ præficitur 242.1. *moritur* 14.40. & 243.1
Patauiensium seditio 402.24
Pater præfame filium deuoraturus cruda carne ceruina vescitur inuenta 21. & 22.1
Patriarcha Hierosolymitanus reliquias de sepulchro Domini Carolo transmittit 9.1
Patriarcha Legatus Pontific. subita morte perit 131.1
Paulinus Patriarcha Foroiulienſis diem obit 9.40
Pax & vnitas Ecclesia informata & confirmata Venetiis 246.40
Pax inter Arnolfum & Zuuentibaldum iusiurando confirmatur 48.10
Perangarius Imper. Caroli consanguineus regnum Wittonis Comitis Tuscianorum expoliat 46.10
Perangarius Eberhardi filius cum Witone tyranno congreditur 49.20
Pergamus rebellis occupatur ab Arnolfo Imper. 52.1

Periuri regno Dei excident 159.30
Personas infames, testes ecclesiastica iudiciare-spuunt 169.10. & qui sint infames ibid.
Pestilentia boum inaudita 11.30.34.20
Pestilētia Romanis finibus semper amica 242. 10
Pestilentia equorum 52.20
Pestis inaudita grassatur hinc inde 39.10.49. 40.242.10
Pestis tāta, vt plurimi tussiendo perierint 42. 10.49.40
Pharisæi diuisi interpretantur 188. 1.189. 10
Philippi Regis Gall. mors 305.2
Philippus Rex colligit exercitum contra Ducem Brabantiæ 266.20
Philippus frater Henrici Imperatoris VI. filiam Regis Angliæ vxorem ducit, anno 1195. 20.261
Philippus Rex Galliæ ab Henr. IV. Imp. in auxilium vocatur 112.30
Philippus Rex Coloniam impugnat 276.1
Philippus Dux Sueuiæ Henrici VI. Imp. frater à statibus Imperij in Regem eligitur, anno 1198. 1.264
Philippus Comes Flandriæ in expeditione anno 1191. moritur 20.259
Philippus de Heinsberg, Decanus, & per Italiam Archicancellarius, Pontifex eligitur à Colonienſibus 242. 40. ordinatur in Archiepisc. 243.10. cum magno exercitu Cumas venit 246.20
Pietas quid 235.20
Placentes sibi scriptura vocat superbos 229. 50
Placitum Wormatiense 24.10
Pipini coniuratio contra patrem facta in Baioaria comprimitur 7.50
Pipinus cum Carlo filio Burbonem, Cantelam, Clarmontem, aliasq; ciuitates & castella capit, mox Bituricam expugnat 5.1
Pipinus Wapharium Aquitaniæ Ducem res Ecclesiarum iniuste ablatas restituere compellit 4.50
Pipinus Haistulphum secundo Papiæ inclusum obsidet 4.30
Pipinus Carli filius Romæ baptizatur ab Adriano Pontifice 6.40
Pipinus Caroli filius cum fratre Hludouico in Reges ab Adriano Papa vnguntur 6. 40
Pipinus à patre Hludouico regno priuatur 16. 20
Pipinus Rex Italiæ, Carli Imper. filius moritur 11.30
Pipinus classem in Corsicam contra Mauros mittit 10.20
Pipinus Rex Aquitaniæ fit Monachus 22. 10
Pipinus filius Hludouici Imp. Rex Aquitanio-rum moritur 17.20
Pipinus Gryphonem in Niustria partibus 12. Comitatibus donat 3.50
Pipinus Saxonibus victis tributum iniungit, vt 300. equos quotannis sibi solucrent 4. 40
Pipinus Francorum Dux quamdiu regnauerit 1.20
Pipinus quando mortuus 1.30
Pipinus à Zacharia Papa in Regem pronunciatur Francorum 4.30
Pipinus Zachariam Papam conuenit de Regibus Francorum ex antiqua Meroingorum stirpe prouenientium 3.50
Pipinus pater Caroli, maior domus Francici regni, i. præfectus palatij 156.10
Pipinus Saxoniam deuastat 4.10
Pipinus in Sueßionum ciuitate, à Bonifacio archiepiscopo in Regem vngitur 4.10
Pipinus Waipharium occidit 5.20
Pipinus apud Parisios moritur 5.20
Pisani & Brixienses Friderico Imper. fidelitatem iurant 239.30
Poloniorum Dux contra nepotem suum auxilium Friderici Imper. impetrans 10000. marcarum promittit 247.50
Pons naualis in Danubio factus 7.50
Pons apud Moguntiam incendio conflagrauit 12.20
Poppo Dux Thuringorum honoribus exuitur 51.30
Populi definitio 176.40.177.1
Prælium Carli cum Saxonibus iuxta Brunesberg commissum 6.10
Prælium Longobardorum cum Imp. Friderico, eorumq; victoria 246.30
Prælium ingens filiorum Hludouici Imp. 18. 30
Prælium inter Carlum & Saxones in Lidbeki 6.10
Prælium Ludouici & Friderici electorum in Reges 422.40
Præmonstratenses monachi in Lauriſſam reponuntur 98.20
Pribislaus Rex Bohemiæ 334.38
Primores Romæ nonnulli in necem Leonis Pontificis conspirantes trucidantur 12. 40
Principes Saxoniæ Henr. IV. Imp. Hertesburg cingunt 109.1

Prisci-

Priscillianistæ hæretici 184.30. *eorumq; dogma* ibid.
Priuilegia Lauresham. monasterij 59.20
Priuilegio cõcesso abutens, ipso fraudatur 202.10
Probus presbyter Mogunt. obiit 26.50
Proceres multi obierunt 244.20
Prodigia in cœlo visa 34.1
Prouerbium Saxonum: Vnum Saxonem 70. *Sueuis emi, &* 70. *Sueuos vno Saxone redimi, vnde natum* 107.1
Prouerbium: Rex tam vigil erat, vt in regno suo nunquam somnum viderit, vnde natum fuerit 135.20
Pseudo Fridericus II. 332.54
Pseudo Waldemarus Marchio 444.20
Pseudosynodus Græcorum pro adorandis imaginibus habita damnatur 8.1
Puella duodennis triennio nihil comedit 15.1
Puella 12. *annor. per* 10. *menses ab omni cibo abstinuit* 14.20
Puerulus matris inedia consumtæ mammillas quærens sugere tentat 21.40
Pugna apud Herolsfeld 208.50
Pugna inter Ducem Saxoniæ Henricum & Lantgrauium, & Ducem Bernhardum 247.40
Pugna Karli cum Brittonibus 19.40
Pugna II. apud Melrichstadt inter Saxones & Henr. IV. Imper. 136.40. *quando facta* 138.10.194.30
Pugnæ apparatus ad Nicrum fluuium, inter Henric. IV. exregem & Rodulfum Regem Sax. 136.20

Q.

Quando & à quo trium Magorum, quos dicunt, exuuiæ & corpora cum Felice & Nabore ex Mediolano Italiæ ad Coloniam delata fuerint 240.40
Quedlinburg 200.30. *Vestalium virginum domus in Saxonia* 220.40. *obsidetur* 218.20
Quot homines, tot sententiæ 178.30

R.

Rabanus Archiepis. Mogunt. liberaliß. erga pauperes 21.40
Raginfridi & Hilpricin Vinciaco cum Carolo infelix pugna 1.40. & 2.1
Raginfridus Maior domus, & Hilpricus Rex confinia Rheni deuastant 3.40
Rappodo Princeps bello perit 149.1
Rastices Dux loca Danubio finitima vastat 23.40
Rastices oculis priuatur 34.30
Rastices obsidetur 30.30
Rastizi terra incenditur à Hludouici Regis filio Karlo 33.1
Rastiz Zuentibaldo nepoti vitæ insidias struit 33.40
Rastiz à nepote captus, & Carlmanno traditus in ergastulum detruditur 33.40
Ratgarius Baugulpho in abbatia Fuldensi succedit 9.40
Ratgarius Abbas Fuldensis honore deponitur 13.10
Rauenna cum Pentapoli Stephano Pontifici donatur à Pipino 4.40
Rauennates à Theoderico Gothorum Rege 7. *annis obsessi* 236.40
Rebus & honore spoliatus accusandus, vocandus, iudicandus, damnandus ve non est 161.50
Reges Francorum cur & vnde Romanorum patricij dicti 156.1
Reginbaldus abbas XX. Lauresh. 72.40. *Spiræ præficitur* 73.1
Reginhericor Episc. moritur 23.1
Reginherus clericus corruptus 210.10
Reginum, ciuitas cum omnibus machinamentis & Ecclesiis conflagrat 50.20
Regis etymologia 175.50
Reinhardi Brandeburgici tutela 452.22
Reinoldo Archiepisc. statua à Colonienſibus Romæ erigitur 242.40
Reinoldus presbyter ordinatur in Archiepis. 241. *transalpinat cum militibus loricatis* 241.30. *obsidetur à Romanis in agris Tusculanis* 241.40. *moritur peste* 242.10
Respublicæ etymon 176.40.177.10
Reparatio monasterij Aldenmunster 79.20
Repressalia prohibita 391.30
Rex Græcorum per legatos filio suo Imp. Friderici filiam vxorem ambit 243.30. 244.50. 245.10. & 30.
Rexheim marcha 67.30
Rheni inundatio 245.30
Richardus Rex Angliæ Limogiam obsidens, & telo læsus moritur anno 1198. 40.265
Richardus Rex Angliæ datis 170. *millibus marcarum captiuitate liberatur* 1.261
Richbodo abbas III. Lauresham. 62.1
Richolf Lullo Mogontiacensi Episcopo defuncto succedit 7.10
Rihboto Archiepiscopus Treuirensis moritur 10.10
Rinecke mons Colonienſis 240.30
Roma debellatur 154.10
Roma expugnatur ab Arnolfo Imperatore 52.40

Roma capitur, & Pontifex custodiis detinetur 42.20

Rodpure fœmina Arnolfo Imperatori venenum parans, ex patibulo suspenditur 54.50

Ruoruc Nordmannus Daniam occupat 24.10

Ruoruc pirata Doresladum occupat 21.20

Rubertus Atrabatensis hæreticus 243.40

Rubor aeris nimius 17.40

Rudolfus Fuldensis Presbyter & Monachus, Historiographus & poeta insignis moritur 30.50

Rudolphus Rex in ipsa die unctionis suæ interficitur, Moguntiæ in seditione 135.30

Rudolfus Leodiensis Episcopus anno 1191. obiit 20.259

Rudolfus ab Imperatore fit Treuirorum Episcopus, anno 1184. 20.249

Rudolphus Palatinus Elector 422.25

Radolfus Dux Sueuiæ 112.10. interfici iubetur 120.40. & 121.1. in Regem Saxonum & Suenorum eligitur 134.50

Rudolphus Rex ex duplici vulnere obit 150.10

Rudolfus Dux Austrasiæ anno 1194. moritur 10.261

Ruochardus Moguntinensis Archiepiscopus 207.10

Ruodbertus Karli Regis Comes prælio perit 32.1

Rutgangus Metens. Archiepisc. 56.30. institutor monasterij Lauresham. ibid. & 58.1. moritur 58.30

Rutgangi Pontificis bene merita 58.30

S.

Sacramenti etymon 172.40

Sacramentum pietatis signum est unitatis & vinculum charitatis 161.10

Sacramentum & iusiurandum dicitur 172.40

Sale sapientia verbi notatur 215.30

Salemannus abbas XV. Laureshamensis 71.10

Salomon Constantiæ Episc. moritur 50.20

Salutationis notatio 179.20.30

Samuel abbas V. Lauresham. 66.10

Sanctorum congregatio Sion vocatur 220.30

Sanctæ terræ inuasio, & sanctæ crucis perditio anno 1187. 40.250

Sanguine cœlum pluit 37.30

Sanguis è terra ac de cœlo fluxit 6.40

Santhouen 67.40

Sarabaitæ sibi viuentes 232.30

Sarraceni à Carlo victi mari submerguntur 2.50

Sarraceni cum templarijs congredientes, capiuntur ex eis circiter centum 302.8

Sarraceni prælium committunt cum Christianis, & duo Reges ex eis occiduntur 285.10

Sarraceni Auennionem urbem capiunt 2.30

Sarraceni cum Rege Abdirama Garonnam Burdigalemq; perueniunt 2.20

Sarraceni Basilicam S. Hilarij Pictauis incendunt 2.20

Sarracenorum & Francorum in Gothia prælium 8.1

Saxones cum Carlo ad Visurgim fluuium pacificantur 5.40

Saxones Widichindo tyranno Duce, Francorum terminos ad Rhenũ usq; ferro & igne deuastant 6.20

Saxones in Hessis terminos Francorum deuastant 5.50

Saxones super Adarna fluuium prostrati 6.30

Saxones cum Nordmannis infeliciter pugnãt 43.40

Saxones terram Bazzoarionum deuastant 1.40

Saxones vbi primum cœpere baptisari 6.20

Saxones quando primum ad Christianam fidem se receperunt 6.10.20

Saxones Christiani effecti Francorum ditioni submittuntur 6.10

Saxones Adalgisum & Gailonem Carli legatos occidunt 6.50

Saxones in Simitfeldt à Carolo subacti 3.10

Saxones Gryphonem cum fratre Pipino coniungere student 3.40

Saxonum victoria contra Henr IV. Imp. 137.50

Scapulare quid 232.10

Sceptrum regale 445.50

Schisma grauius idololatria 155.20. *& ratio ibid.* 221.10

Schisma quando fiat 221.10

Schisma inter Imperium & Ecclesiam 420.7

Schismatis etymon 155.30

Schismatis notatio 221.10. *eiusq; sectatores quid ibid.*

Sclagamarus contra Engilscalcum & Willehelmum Duces Carlmanni prælia mouet 34.50

Sclaomir Dux Obodritorum conciliatur cum Godofridi filiis 13.1.

Sclaomir Rex Obodritorum exilio damnatur 13.20. reuocatur, moritur 14.1

Sclaui in Pannonia sedentes à Bulgaris vastati 15.40

Sclaus ditioni Carolinæ subiiciuntur 7.30

Sclaui, Behemi, atq; Sorabi Thuringos premẽtes confunduntur 43.50

Scrutinia 185.20

Seditio Moguntinensis 31.40

Seditio inter Francos & Saxones 39.10

Seditio Papiæ inter Regis satellites & ciues 48.10

Seditio Mogutin. 135.30. ipsiusq; causa & fundus ibid.

Seliginstat 63.40

Sergius abbas Cassinensis 195.30. eius exitus 224.30

Serpens in cælo visus 244.20

Seruum seruorum Dei quis se primus nominauerit 178.1. 228.10

Seuerian est terra inter Rutteniam & Vngariam posita 30. 253

Sextuplex Henrici IV. cum hostibus suis pugna 158.2. alius quintuplex 194.30

Sigefridus Moguntinus Episc. captus, vi eripitur 138.1. 194.40

Sigefridus Episcopus Mogunt. captus Augustæ à Welfo Duce Bauariæ pecunia se redemit 220.1

Sigehardus abbas XLI. Laureshamensis 96.20

Sigenvuort insula 67.30

Siggenheim, vel Seckenheim Laureshamensi monasterio donatur à Ludouico Imper. 65.40

Sigiburgum à Saxonibus obsessum, non autem expugnatum 6.10

Sigifridus nepos Godofridi Regis Danorum, & Anulo nepos Herioldi de primatu altercantes ambo prælio pereunt 12.1

Sigifridus Rex Nordmannorum baptizatus, ad Ecclesiam & fidem Christi se confert 45.40

Signum crucis quid doceat 231.30

Sinzich ad Rhenum 247.40

Sisinnius frater Tarasii Constantinopolitani Episcopi, prælio in Italia captus, à Carolo Constantinopolin remittitur 8.40

Smalkalden cum cõsinibus vicis & villis præda incendioq; vastatur 138.1

Soldanus Babyloniæ munera mittit Romano Imp. 298.8

Solis eclipsis & Lunæ 12.10. & 50. 13. 20. 18. 19. 9. 10. 42. 30

Soltani Regis Persarum nũcius Friderico Imp. adest 247.50

Sorabi & Siusli à fide deficiunt 38.20

Sorabi domantur 22.10

Spira obsidetur 34.40

Standait 237.30

Stella circa Solem visa interdiu 247.30

Stephanus Papa ex bello cum Longobardorum Rege Haistulfo gesto, saluus Duce Hieronymo, Pipini fratre, Romam reuertitur 4.30

Stephanus Pontifex Maximus marino itinere missis legatis Pipinum obsidionem Romanam ab Haistulpho factam docet, simulque auxiliatrices manus eius inuocat 4.30

Stephanus Papa moritur 13.1

Stephanus Papa Pipinum in auxilium vocat contra Haistulphum Longobardorum Regem 4.20

Stephanus Papa ad Pipinum in Franciam venit 4.20

Stephanus Papa apud Parisios Pipini duos filios Carlmannum & Carlum in Reges vngit 4.20

Strages Rentiensis 18.20

Stulta promissio exosa Deo 174.30

Sturmi, Abbas Fuldensis cœnobij, moritur 6.30

Sundaroldus Archiepisc. Mogunt. interficitur 59.30

Syluerius Papa 199.40. in exilio moritur 200.10

Synodus generalis Leonensis 239.40

Synodus Moguntinensis tempore Henr. IV. in schismate 197.50

Synodus Moguntinensis 22.20. 24.20

Synodus Wormatiæ habetur 32.10

Synodus in Mettis habetur 28.10

Synodus Coloniæ habetur 34.20

T.

TAbamuizil Dux Obodritorum domatur 27.40

Tassilo Dux Baioariorum regno deponitur 7.20

Tassilo Dux Baioariæ apud Wormatiam Carlo subiicitur 6.40

Tassilo, Pipini ex Hiltbrude sorore prognatus nepos, Dux Baioariorum constituitur 3.40

Tassilo Pipini nepos ad Baioarios sese confert 5.1

Tempestas saua Coloniæ 24.20

Tempestas stupenda 23.20. 52.20

Templarius ordo ſublatus 407.18
Templum Lauresham. renouatur 92.1
Tenebræ diei horribiles 240.20
Terminus aut tempus electionis Pontificiæ 199.50
Teotricus Rex creatur 2.10
Terra in modum aggeris intumuit 14.10
Terræmotus ad S. Nazariũ, Worenatia, Spiræ, & Lobadunis factus 17.10
Terræmotus Aquiſgrani 15.50
Terræmotu loca quædam Rheno finitima, item Galliæ & Germaniæ tremuerunt 9.30
Terræmotus per Italiam totam vehementiſſimus 9.30
Terræmotus in Wirtzborch 23.20. *in Moguntiaco* 24.40.26.50.32.10.34.10.36.20.44.40
Terræmotus 247.30
Terræmotus 241.30
Terræmotus magnus Coloniæ 292.11
Terræmotus palatij Aquenſis 14.20
Teſtamentũ Carolinæ partitionis regni Francorum inter filios 10.20
Thedoricus Comes Hollandiæ moritur 274.31
Theodoricus Comes Cliuenſis moritur 244.20
Theſaurus Eccleſiæ Baſilicæ S. Bonefacij rapitur 25.1
Thiederichi duo Comites interfecti 197.20
Thietricus de Katalanburg 132.20
Thiodrochus abbas VII. Lauresham. 66.40
Thiota Pſeudoprophetiſſa 20.10
Thomas Cantuarienſ. Archiep. ab Heinrico Anglorum Rege martyriſatur 244.1
Thraſco, Dux Obodritorum, dolo interficitur 11.10
Ticenum in Italia octies noctu tremuit 17.1
Tirſach Rex Græciæ à fratre ſuo cæcatur, & cũ filio Alexio de regno eicitur in exilium, anno 1195. 40.261
Tonitrua grandia 52.1
Trabchulfus Comes & Dux Sorabici limitis moritur 38.10
Traianum, domus Theodorici 183.20
Tramites ardentes duo in aere viſi in conum concurrerunt 17.40
Tranſalbiani Saxones legatos Carlinos occidunt 8.30
Tranſalbiani Saxones cum mulieribus & natis in Franciam tranſlati 10.1
Tranſalbiani Saxones à Francis vaſtantur 9.40
Tranſalbianos Carolus per Eburiſum legatum ſuum & Traſugonem Ducem Obodritorum vicit 8.40
Tranſlatio curiæ Romanæ 418.40
Treueris à Nordmannis ſuccenditur 44.50
Tripolis capta 306.37
Triumphus Arnolfi Imp. in expugnata Roma 52.50
Troia 10. ann. obſeſſa, equi fraude & traditione mulieris capitur 236.30
Tudun, primas Hunus cum ſuo populo apud Carlum baptizatur 8.20
Tudun Hunus per legatos ſe & terram cum populo ſuam Carolo daturum, Chriſtianumque futurum promittit 8.10
Tumultus in epiſcopatu Colonienſi 20.250. *Modus reconciliationis inter Epiſcopum Colonienſem, Colonienſes, & Imperatorem qui* 10.252
Tuſſis hominum inaudita mortẽ intulit 245.1
Turonum Galliæ ciuitas à Nordmannis ſuccenditur 22.50
Tyrolis obſidio 437.19
Tyrſach vir probus & fortis ſit Rex Græciæ 20.248. *à toto Senatu & populo eligitur ibid. 20. & ſeq.*

V.

Valentiniani Imp. corpus Anturnaco inuentum 245.20
Varia Eccleſia conſecratur 76.1
Vaſalli Eccleſiæ Lauresh. 79.10
Vdalricus Abbas XXV. Laureshamenſ. 76.10
Vdo Treuerenſ. Archiepiſcop. in lecto mortuus inuenitur 131.1.138.50
Venetia Niciphoro Imp. à Carlo Imp. redditur 11.40
Verbum Dei non eſt alligatum 158.50.173.30
Verbum Dei nulla virtute conuellitur 159.40.173.30
Veritas quid 172.50
Verodunum Galliæ ciuitas diripitur 43.1
Vetus Roma ſedes Apoſtolici 155.40
Victor Papa obiit 240.30
Victoria inſignis Hludouici Regis nepotis de Nordmannis 44.30
Victoria & triumphus Friderici Imper. ſuper Mediolano 236.50
Vigilius Papa 200.10
Villa quædam pagi Nitenſis Aſgabrunni ſubita imbrium inundatione deletur 30.20
Villæ 23. in Saxonia igne cæleſti exardent 14.20
Vini penuria maxima 51.50

Vinum Eucharisticum visibiliter in sanguinem conuersum 113.40
Virgæ Episcoporum pastorales humiditate attingentium manus opplent 113.30
Vrnheim 68.30
Vngari Italiam perdunt 55.30
Vngari exploratores mittunt in Baioariam 55.30
Vngari Baioariam igne ferroque infestant 55.30
Vnitas peruersos corroborat 209.1
Vnstrad, Elstrad 149.40
Vodo Comes Aurilianensium, & Theodo, Abbas S. Martini Turonensis bello cadunt 16.40
Vollehen, 7. principalia beneficia 88.20
Volmarus iussu Papæ fit Episcopus Treuirensis Anno 1184. 20.249
Ex Voluntatis praua vitio vitiatur bonũ 184.40.211.20
Vosogus saltus 58.20
Vrbes aliquot Italicæ terræ motu conciderunt 9.30

W.

Walah Mettensis Episcopus occiditur 45.1
Waldimarus rex Danor. coronatur ab Imp. Frider. 239.40
Waldrada concubina Hlutharii regis dimissa reuocatur 31.50
Walharius abbas 9. Lauresham. 67.1
Wapharius Pipinum aduersus se irritat 4.50
Wapharius Aquitaniæ Dux Ecclesias Dei durissime molestat 4.40
Wartberg castellum 146.50
Wascones, & Nauarri à Carlo subacti 6.20
Wascones à Pipino filio Hludouici victi 13.30
Weinheim castrum restauratur 89.10
Weinheim ad Nazarium quomodo venit 67.172.19
Weinsperg munitio 211.40
Welffo dux Bauariæ 88.20
Welpho minor dux obit 242.30
Wenceslaus Imperator nascitur 451.38
Wenceslaus Rex Bohemiæ 340.15
Wezelinus Magdeburg Archiepisc. in fuga occiditur 194.40
Werinharius Comes honoribus suis priuatur 31.10
Werinherus Merseburg Episc. bello despoliatus nudus in patriam reuertitur 137.1.194.40
Werinherus Pius, Abbas, 16 Lauresh. 72.10
Werinherus 11. Abbas 16. Lauresh. 72.10
Geroldus Abbas 18. Lauresh. 72.20
Wernherus Archiepiscopus Magdeburg. 108.30
Wernherus Magdaburg. Episcop. misere occiditur 137.1.138.10
Wernero Magdeburg. Archiepisc. puluis pigmentarius, contra multas agritudines salubris ab Henrico IV. Imper. mittitur dono 113.10
Wido Tyrannus Italiam vexat 51.50
Wido Cremensis Episcop. Pontifex ordinatus Paschalis dicitur 240.30
Wigbertus, alias Clemens Papa 200.1
Wigoltus Augustens. Episcop. moritur 219.30.50
Wihingus Alamannus Episcop. reiicitur 55.10
Wilhelmus Episc. Traiectensis Tragicus obitus 130.30
Wilhelmi Regis cædes & sepultura 378.50
Wilhelmus dux Pictauiæ 112.40
Wilhelmus rex Angliæ 112.130
Wilhelmus rex de Lotheslowi 105.30
Willehelmus, Geronis comitis filius, captus, liberatur 137.40
Willihelmus, filius Patruelis, Engelschalchi, maiestatis reus decollatur 51.40
Willisuuinda mater Cancoris Comitis Rhenensis, vidua Ruperti Comitis 56.20
Wiltomarius Britto in domo propria occisus 15.1
Winfridus, Anglus, D. Catholicus Franciæ concionator constituitur 1.50
Winigisus à Grimaldo redditur suis 9.50
Winigisus dux Spoletanus à Grimaldo capitur 9.40
Wintherus abbas 27. Lauresh. 80.30
Wirceburg obsessa à rege Rudolpho 136.1
Wirziburg castrum, & Eihstat sedes Episcopales constituuntur 3.30
Wiztrachi ducis ciuitas occupatur 24.20
Wisara fluuius 150.40 *vbi conuentus habetur principum* ibid.
Wisseloch & Steine cum publico mercatu S. Nazario traduntur 72.1
Witla emporium à Normannis incenditur 17.1
Witto Spoletanorum dux reus maiestatis accusatus suscipitur à rege Carlo 48.1
Witto Comes Tuscianorum reus Maiestatis accusatur 46.10
Wituhind Saxo Attiniaci ad Carli fidem venit, vbi & baptizatus est 7.10
Witzan dux Abrodritorum à Saxonibus occiditur 8.10

Wormacense palatium incendio consumitur 7.30
Wrotizlaus dux Bohemiæ ab Henr. IV. Imp. in auxilium vocatur 112.20

Z.

Zentobolchus puer, filius ducis Zvventobolchi cum suo populo captiuitate liberatur 55.1
Zuentibald contumeliam sibi illatam à Carlmanno vlcisci nititur 35.10
Zuentibald pacem petit à Ludouico Imp. 38.50
Zuentibald Rastici nepos Karlmano deditur 33.30
Zuentibaldi nepotis Rastici regnum vastatur 33.10
Zuentibaldus Rastici nepos vinculis mancipatur 34.40 liberatur 35.1
Zundeboldus occiditur 68.10
Zuentibalds ducis Maranorum infinita exercitus multitudo in Pannonia sæuientis 47.30
Zvventibaldi ducis Maranorum sæua tyrannis 47.1
Zvventiboldus bello perit. 55.20
Zvventiboldus, frater Ludovvici Imp. Rotpodo Treuerensi Archiepisc. baculo caput percussit 55.20

FINIS.

APPEN-

APPENDIX FRAGMENTORVM QVORVNDAM NON ASPERNANDA: QVÆ SVPERIORIBVS EXCVSIS DEMVM NACTI, hoc loco adiicere operæ precium censuimus, annotatis foliis Operis, ad quæ singula referenda sunt.

DE LAVRISHAMENSIS COENOBII IN ALIVM STATVM CONuersione, sub Friderico II. Imp.

Referenda ad fol. 98.

Ex IOANNIS TRITHEMII Abbatis Chronico Spanheimensi nondum edito.

Anno Dominicæ incarnationis MCCXXXII.

EODEM quoque anno Fridericus Imperator secundus principatum monasterii nostri ordinis non longe ab Heidelberga, quod dicitur Lauriſſa, cum omni honore, vasallis ministerialibus, castris, oppidis, prouentibus, iuribus, & pertinentiis suis, quem Abbas eiusdem cœnobii semper hucusq; habuit, abstulit ab eodem monasterio, & donauit eum Sifrido Archiepiscopo Moguntino, & Ecclesiæ eius, vt patet ex litteris quæ sequuntur. *Principatus monasterii Lors auferuntur ab eo.*

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Fridericus secundus, diuina fauente clementia Romanorum Imperator, semper Augustus, Ierusalem & Siciliæ Rex. Romani Principis decus extollitur, & augusta sedes Imperii decoratur, cum principatus (in quibus consistit & viget Imperium in sua dignitate) congrua prouisione reparat & conseruat, & illos ad eorum reparationem & conseruationem personas eligit & præponit, quæ cum prærogatiua commissarum sibi animarum, cum suæ merito dignitatis, sufficientes ad id & acceptæ fore censentur. Vniuersis igitur Imperii fidelibus tam modernis quam posteris volumus esse notum, quod nos considerantes tenuem statum Ecclesiæ Lauriſſensis, ab honore & nomine Principatus processu temporis collabentem, vt non minus Imperio quam sibi deficere videatur: attendentes insuper quod per dilectum Principem nostrum Sifridum venerabilem Archiepiscopum Moguntinum, cuius grata seruitia quotidie Imperio præstita nostro conspectui multa gratitudine se præsentat, & non per eandem sedem Mogũtinam, velut obsequiosam semper Imperio & nostris honoribus efficacem, seruitium eiusdem principatus Imperio debitum, quod propter eiusdem Ecclesiæ impotentiam nobis hactenus est subtractum, integre potuerit exhiberi. Assistente nobis & appropinquante dilecto filio nostro, Henrico illustri Rege Romanorum semper Augusto, super his prouidere volentes, vna cum deliberatione & consilio Principum, de innata prouidentia & nostræ gratia maiestatis, eundem principatum Ecclesiæ Lauriſſensis cum omni honore, vasallis, ministerialibus, castris, oppidis, prouentibus, iuribus & pertinentiis suis, sicut ad nos & Imperium noscitur pertinere, eidẽ Moguntinæ Ecclesiæ, dicto Moguntino Archiepiscopo & suis successoribus, imperiali authori- *Copia donationis.*

tate in perpetuum donauimus & conceſsimus, & nominatum Principem noſtrum venerabilem Archiepiſcopum Moguntinum præſentibus Principibus ſolenniter inueſtiuimus, vt eadem Eccleſia Moguntina, idem Archiepiſcopus Moguntinus, & ſucceſſores eius amodo principatum ipſum teneant & poſsideant, & ad honorem noſtrum & Imperii illum foueant & conſeruent, ſaluo iure quod inde debetur Imperio: Præſentis priuilegii autoritate mandãtes, quatenus nullus Princeps, Dux, Marchio, Comes, ſculsetus, aduocatus, miniſterialis, nulla perſona ſublimis vel humilis, Eccleſiaſtica ſeu mundana, contra præſentis donationis & conceſsionis noſtræ paginam auſu temerario venire præſumat. Quod qui præſumpſerit, ſciat ſe præter indignationem noſtram (cui ſe nouerit ſubiacere) in ſuæ temeritatis vindictam, centum libras auri puri compoſiturum, quarum medietas curiæ noſtræ, & reliqua parti paſſæ iniuriam perſoluetur. Ad huius itaq; donationis & conceſsionis noſtræ memoriam & ſtabilem firmitatẽ præſens priuilegiũ fieri fecimus, aureo typario noſtræ maieſtatis impreſſo iuſſimus communiri. Cuius rei teſtes ſunt, B. patriarcha Aquilegienſis, & cæteri. Signũ Domini Friderici II. Dei gratia inuictiſſimi Romani Imperatoris ſemper Auguſti Ieruſalẽ & Siciliæ regis &c. Ego Sifridus Ratiſpon. Epiſcopus Imperialis aulæ Cancellarius, vice prædicti Sifridi Archiepiſc. Mogunt. in Germania Archicancellarii, recognoui. Acta hæc ſunt anno Dominicæ incarnationis MCCXXXII. *menſe Aprili, Indictione quinta imperante Domino noſtro Friderico II. Dei gratia inuictiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto Ieruſalem & Siciliæ rege glorioſiſſimo, Anno Imperii eius* XII. *regni Ieruſalem* VII. *regni vero Siciliæ* XXXIV. *feliciter. Amen. Datum Aquilegiæ.*

Henricum Rex confirmat donationẽ patris.

Hanc donationem ſeu alienationem principatus à monaſterio Lauriſſenſi, tunc adhuc ordinis noſtri, per Fridericum Imperatorem factam Rex Henricus filius eius ſic confirmauit.

Copia confirmationis.

Henricus Romanorum rex, Dei gratia, ſemper Auguſtus, vniuerſis Imperii fidelibus, paginam hanc viſuris, gratiam ſuam & omne bonum. Regali munificentiæ cedit ad gloriam, ſi dignis extollitur honoribus, ſi rerum amplificat incrementis ſui cultores lateris, & ſuorum conſcios ſecretorum. Hinc enim deuotio pullulat in ſubiectis, & augetur numerus in deuotis, multiplicante munificentia per exemplum quicquid potuit per gratiam contuliſſe. Inde eſt quod notum eſſe volumus vniuerſis noſtris fidelibus, tam præſentibus quam futuris, quod cõſtitutus in præſentia noſtra dilectus Princeps noſter Sifridus Archiepiſcopus Moguntinus, Celſitudini noſtræ ſupplicauit attente, donationem & conceſsionem principatus Lauriſſenſis Eccleſiæ cũ omni honore, vaſallis, miniſterialibus, caſtris, oppidis, prouentibus, iuribus & pertinẽtiis ſuis à Domino & patre noſtro Friderico, inuictiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, Ieruſalem & Siciliæ rege, nobis præſentibus & conſentientibus laudabiliter ſibi factam, & Eccleſiæ Moguntinæ, denuo ratam habere & conſeruare inuiolabiliter debere-mus. Nos igitur attendentes gratæ exſequia quæ dicta Eccleſia Moguntina nobis & progenitoribus noſtris noſcitur impendiſſe, conſiderantes etiam ſeruitia debita Imperio, quæ per impotẽtiam Monaſterii memorati et hactenus ſunt ſubtracta, per dictũ Archiepiſcopum & ſucceſſores eius poſſe congrue exhiberi, conceſsionem & donationem prædictam, tanquam de aſſenſu noſtro factam, ratam habentes, præſentis regalis paginæ ſenſimus edicto, quatenus nulla perſona, alta vel humilis, Eccleſiaſtica vel mundana ei auſu temerario cõtraire præſumat. Quod ſi quis attentauerit, præter indignationem, quam ex hoc incidet, quinquaginta libras auri ſe nouerit compoſiturum quarum medietatem curiæ noſtræ, alteram vero parti paſſæ iniuriam volumus applicari. Teſtes huius confirmationis noſtræ ſunt B. patriarcha Aquilegienſis. Datum apud Chindacum, Anno Domini MCCXXXII. *quinto Calendas Maii, Indictione 5.*

Archiepiſcopus dolo inducit monachos Lauriſſenſes vt Papa ſcribant.

Huiuſmodi donatione Imperiali, ſimul & regali confirmatione principatus prædicti monaſterii Lauriſſenſis ſuſceptis, Sifridus Archiepiſcopus Moguntinus, quo ſibi & ſucceſſoribus ſuis eundem principatum perpetua firmitate ſtabiliret, Monachos ipſius cœnobii callida perſuaſione induxit, magna promittens, vt litteras ſummo Pontifici Gregorio nono dirigerent, & monaſterium ſuum vniri cum Eccleſia Moguntina poſtularent. Igitur Monachi de ſua expulſione nullã ſuſpicionem habentes, firmiter autem ſperantes ſe cum monaſterio ſuo per Archiepiſcopum in ſtatum priſtinum quantocyus reformandos, ita ſcripſerunt:

Copia litterarum.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri ac Domino, D. Gregorio, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ

ſummo

summo Pontifici, Decanus cum deuoto fratrum collegio quamuis paruo, & ministerialium Ecclesiæ Lauriſſenſis, continuas orationes ad Chriſtum cum ſubiectione filiali. Ad Apoſtolatus veſtri gratiam referendum duximus, quod cum ad mandatum examen iudicium a ſede Apoſtolica delegatorum, Dominus Conradus, quondam Abbas noſter ſententialiter fuiſſet depoſitus, pro dilapidatione & aliis enormitatibus ſuis quas commiſerat: Nos ſentientes, tam dictæ Eccleſiæ noſtræ reformationem, in alio nõ poſſe conſiſtere, ſicut nec reuera potuit nec poteſt, memoratos iudices noſtros, de benignitate veſtra conſiſi, de conſilio & conſenſu Principũ, qui tunc Imperium gubernabant, petiuimus, Eccleſiæ Moguntinæ eandem Eccleſiam noſtram vniri, præſertim cum Eccleſia noſtra ſine adiutorio Eccleſiæ Moguntinæ (quæ hactenus nos fouit) non poſſet aliquatenus reſurgere, cum etiam iam dictam Eccleſiam noſtram in multis reformauerit, redimendo caſtrum ipſius Eccleſiæ proinde de manu fortiorum, in quo caſtro multa pars Eccleſiæ noſtræ conſiſtit, præterea multas alias poſſeſſiones eiuſdem Eccleſiæ noſtræ per potentiam ſuam recuperauit. Cum igitur pater pie & clemens, hoc deliberatione & prouidentia prudentium virorum factum eſſe ſit manifeſtum, ſanctitatis veſtræ pedibus prouoluti, humiliter & attente ſupplicamus, quatenus noſtram neceſsitatem vtiliter reſpicientes, factum noſtrum & vnionem noſtram circa ſæpe dictam Eccleſiam Moguntinam ratam habentes, auctoritate & miſericordia ſedis Apoſtolicæ dignemini confirmare, &c.

Petunt cum Eccleſia Moguntina vniri.

Quibus quidem litteris Gregorius Papa ſuſceptis, Sifrido Archiepiſcopo Moguntino ſic incontinenti prohac cauſa reſcripſit, vt ſequitur.

Copia litterarum Papalium ad Archiepiſcopum Moguntinum. Bulla prima.

Gregorius ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Archiepiſcopo Moguntino ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Inſinuantibus nobis dilectis filiis Decano & conuentu Lauriſſenſis Eccleſiæ & monaſterii, innotuit, quod cum Abbas de Wermweiler, ac eius collega, eidem monaſterio de mandato Apoſtolico viſitationis officium impendentes, Abbatem ipſius ab eius regimine amouiſſent, procurationem & defenſionem & reformationem ipſius, cum adeo in ſpiritualibus & temporalibus lapſum eſſet, quod vix poſſe reſurgere, niſi per tuum auxilium crederetur, tibi in cuius conſiſtit diœceſi commiſerunt: Tu vero eam circa reformationem ipſius ſolicitudinem impẽdiſti, quod præter alia grata commoda, quæ tua diligentia iam ſuſcepit, caſtrum quoddam non modica ſumma pecunia renocaſti. Nos ergo prudentiam tuã ſuper hoc in Domino recommendantes, firmitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus circa commiſſam tibi procurationem, defenſionem & reformationem ipſius, ſicut laudabiliter incepiſti, inuigilans, ſic illud foueas, manu teneas, & defendas, quod per tuum ſtudium ad ſtatum debitum reducatur, & exinde recipere à Domino retributionem, & à nobis debeas commendari. Datum Peruſii 1 v. *Nonas Maii, Pontificatus noſtri anno ſexto.*

His litteris Apoſtolicis receptis Archiepiſcopus Sifridus Moguntinus non ſolum principatũ monaſterii Lauriſſenſis, dominia, caſtra, oppida, vaſallos & mãcipia, Eccleſiæ ſuæ Moguntinæ cum authoritate mancipauit, ſed vitã Monachorum ipſius cœnobii reformare ad obſeruantiam regularis diſciplinæ laborabat. Verum cum Monachi cernerent omnem ſibi libertatem ademptam, ipſumque monaſterium nõ ſibi ſed Eccleſiæ Moguntinæ cum omni honore & dominio relictum, ſero myſterium intelligentes, & non parum ſe circumuentos conſpicientes, doluerunt, ſeq; auxilio quorundam nobilium Archiepiſcopi mandatis cœperunt opponere. Quod cernens Sifridus priuatus Archiepiſcopus, impetrauit à ſummo Pontifice denuo fieri viſitationis & inquiſitionis officium per Epiſcopum Hildesheimenſem, qui vſitatione peracta Pontificem Romanũ informauit, quod in Monachis ipſius monaſterii, qui erant ordinis S. Benedicti, nõ eſſet aliqua ſpes emendationis, eo quod loci ſtatus nunquam poſſet reſurgere, niſi alterius ordinis introducerentur. Sunt autem qui dicant, ipſum Archiepiſcopum monachos ordinis S. Benedicti vehemẽter habuiſſe ſuſpectos, ne forte in futurum ſibi aſſignatum principatum dicti monaſterii, tanquam iniuſte ablatum, aut iure, aut potentia repeterent amicorum: & ob id omni laboraſſe ſtudio, vt expulſis Monachis loci alterius profeſſionis viri, qui dominia & principatum non curarẽt, reponerentur. Egit ergo modis quibus potuit apud ſedẽ Apoſtolicã quatenus expellerentur monachi S. Benedicti: & Ciſtertienſes (quibus principatum & dominia temporalia habere ſtatuta eorum non permittunt) in locum quantocius introducerentur. Vnde poſt biennium ſic Papa ſcripſit ad eundem Archiepiſcopum Mogũtinum:

Archiepiſcopus & monachi diſcordare incipiunt.

Monachos S. Benedicti Archiepiſcopus ſuſpectos habuit.

Gregorius Episcopus, seruus seruorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Moguntino salutem & Apostolicam benedictionem.

Secunda bulla, qua monachi subentur expelli Lauriſſa.

Lauriſſensis monasterii vinea, diutius exspectata vt vuas faceret, ecce in mediũ dicitur produxisse labruscas, dum monasterium ipsum, in quo Mariæ officiũ per contemplationis speciem florere consueuerat, & in rerum affluentia temporalium Marthæ officiosa solicitudo vigebat, malitia inhabitantium faciente, adeo in vtroq; (venerabili fratre nostro Hildesheimensi Episcopo, cuius prouidentiæ super hoc commisimus inquisitionem, referente) didicimus esse collapsum, quod loco Mariæ Iezabela, ac loco Marthæ prodigalitate succedẽtibus nulla spes est vlterius, vt in suo possit ordine reformari. Monachi enim eiusdem monasterii exteriori & interiori nigredine denigrati, adeo se mundi delitiis inuoluerunt, substantiam monasterii cum filio prodigo dissipantes, quod eorum ficulnea immissis stercoribus diutius exspectata, non solum fructibus, sed etiam foliis dicitur aruisse: quod nihil aliud expetit & exspectat nisi radices ficus fatuæ, quæ terram inutiliter occupãt, abscindantur. Sane sicut medici periti, solertia, vulnera quæ fomentorum non sentiunt medicinam, abscindenda censentur, vt exclusa putredine vinum & oleum infundantur vulneribus, & tandem sanetur ægrotus. Ne vero fideles, qui bona eidem Monasterio contulerunt, orationum sperantes suffragiis mihi habitantium releuari, spe præconcepta frustrentur: iuxta Episcopi præfati consilium, quod suis nobis litteris innotuit, te qui loci Diœcesanus exsistis, decet & expedit, maxime cum tempus messis aduenerit, zizania monachorum exsistentium in eodem sarculis correptionis euellere, ac triticum in horrea congregare. Compatiatur igitur tua fraternitas, quia & nos compatimur, Monasterio sic collapso, & ad ipsum personaliter accedens, omnino virtutibus destitutũ, Cistertiensem ordinem plantes in ipso: vt ordo, de nigro conuersus in album, purgetur vitiis, & virtutibus augeatur, & sic in architriclini nuptiis aquain vinum summi artificis operatione conuersa, florem honoris & honestatis educet, & fructum boni operis non relinquet: ex quo spes fidelium reuiuiscet, & irrigando tanti nominis & religionis de nouo plantata plantulam suauioris dulcedine deuotius & libentius confouebunt. Si quos autem de Monachis inuenies, quos amor Cistertiensis ordinis accendat, illos ibidem retinere poteris, dum tamen de illis nulla opinio sinistra apud bonos & graues facile oriatur. Alios vero per diuersa loca sui ordinis in tua diœcesi adeo caute disponas, ne ouis morbida gregem commaculet; sed deperdita potius reducatur ad caulas: prouisurus attentius ne possessiones & bona, quæ idem monasterium quondam noscitur habuisse, à plantatione nouella aliquatenus excludantur.

Monachi S. Benedicti de Lauriſſa expellũtur.

His itaq; litteris summi Pontificis acceptis Sifridus Archiepiscopus omnes monachos S. Benedicti de præfato monasterio Lauriſſensi contra eorum voluntatem eiecit, & conuentum cum Abbate Cistertiensis ordinis iuxta mandatum Apostolicum introduxit. Quod factum in circuitu nobilibus non parum displicuit, licet obsistere tantæ authoritati penitus nequirent. Introducti autem Monachi Cistertienses, possessiones monasterii, quæ relictæ fuerãt, Archiepiscopo tradente, præter vasallos, ministeriales, castra, oppida, prædia, quæ pertinebãt ad honorem principatus, arripiunt, & fructus earum in suum vsum vnde viuerent conuertunt. Interea Monachi priores grauiter dolentes se expulsos, & in suo monasterio alterius ordinis professores collocatos, statuunt tantam iniuriam nullatenus esse sine vltione ferendam. Conueniẽtes igitur quadam nocte, cum auxilio quorundam amicorum suorum, monasterium suum Lorſ violenter cum potentia intrant, Abbatem cum Monachis conuersis & tota familia inuadentes eiiciunt, quosdam capiunt, & locum abiurare compellunt, alios percutientes vulnerant, omnesq; simul de monasterio fugant. Expulsi autem Monachi ordinis Cistertiensis querelam ad Archiepiscopum Moguntinũ deferunt, se manere in tantis peticulis non posse profitentes. Interea Monachi priores monasterium recuperatum possidentes, quæ sibi vtiliora videbantur, inter amicos consultant. Verũ nõ post multum temporis cum Archiepiscopum cum potentia venturum audissent, locum deserentes non sine spoliis ad tutiora sese recipiunt: & quid agere velit Episcopus, latentes exspectant. Itaq; Cistertiensis ordinis Monachi, qui expulsi fuerãt, persuasione Episcopi animati ad monasterium Lauriſſensis religionis sunt reuersi, & incœptum viuendi modum continuant. Et ecce non post multum tẽporis cum se Cistertienses in Lauriſſa constituti iam crederent esse securos: an-

Cistertienſes introducuntur.

Antiqui monachi nouos de Lauriſſa fugant.

tiqui

tiqui Monachi cum amicis ſuis nocte monaſterium cum potentia ingreſſi eos aggrediuntur, cædunt, percutiunt, & denuo expellunt, proteſtantes ſe omnes interempturos ſi denuo ad monaſterium Lauriſſenſe fuerint reuerſi. Vnde ab hac die non amplius Ciſtertienſes poterant induci, vt ad Lauriſſam manſuri inibi, reuerterentur. Vacat ergo aliquandiu cœnobium, dum nec iſti, nec illi tuto ſe in illo cernerent poſſe conſiſtere. Tandem Sifridus Archiepiſcopus negocium ad examen ſedis Apoſtolicæ, cui tum præerat Innocentius Papa IV. renunciat, à quo tale reſponſum per litteras recepit ſuper ordinatione ipſius monaſterii Lauriſſenſis, vt ſequitur:

Ciſtertienſes iterum Lauriſſa pelluntur.

Ciſtertienſes nolunt redire Lauriſſam.

Lauriſſa Gà cua aliquã diu monachis.

Innocentius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Sifrido Archiepiſcopo Moguntino ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum (ſicut nobis exponere curauiſti) felicis recordationis Gregorius Papa, prædeceſſor noſter, intellecto, quod monaſterium Lauriſſenſe, ordinis S. Benedicti, Moguntinæ diœceſis, erat in ſpiritualibus & temporalibus non modicum diminutum propter malitiam inhabitantium, in eodem tibi dediſſet ſuis litteris in mandatis, vt Monachis prorſus ab eo amotis, illud de Ciſtertienſi ordine reformares; tu mandatorum ipſius diligens exſequutor, in eo conuentum Ciſtertienſem introduxiſti. Sed nonnulli perditionis filii, qui in reprobum ſenſum dati Dei filios eo ferociores perſequuntur, quo magis habentur diſſimiles actibus eorundem, prædictos Ciſtertienſes à præfato monaſterio ſemel & ſecũdo per violentiam eiecerunt: ex quo monaſterio ipſo (non ſine iniuria Ieſu Chriſti) dato pene in vaſtitatem, penitus in eo laudis non reſonat vox diuina. Quia vero noſtræ ſolicitudinis dignoſcitur intereſſe in Eccleſiis, quarum vaſtitatem peruerſorum immanitas procurauit, feſtino remedio, ne pereant totaliter, ſuccurramus, inſtituendi in eodem monaſterio conuentum regularium, ſeu etiam Canonicos ſeculares, prout tua prouidentia magis loco & patriæ nouerit expedire, eis prioris conuentus reditibus aſſignatis, liberam tibi, authoritate præſentium, concedimus facultatem. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Datum Lugduni, tertio Nonas Maii, Pontificatus noſtri anno 11.

Papa permittit Archiepiſcopo vt collocet Lauriſſam quos vult monachos.

Narrat biſnam expulſionem Ciſtertienſium.

Harum authoritate litterarum præmunitus Archiepiſcopus Moguntinus Præmonſtratenſes de monaſterio omnium ſanctorum, Argentinenſis diœceſis, aſſumpſit, & conuentum in præfato cœnobio inſtituit, præficiens eis non Abbatem, ſed Præpoſitum, præfecitq; poſt eum Priorem, ſecundum illius ordinis conſuetudinem. Hanc autem inſtitutionem Præmonſtratenſis ordinis in ſæpe dicto monaſterio Lauriſſenſi litteris ſuis confirmauit, quarum Datum eſt Anno Domini MCCXLVIII. ſexto Idus Ianuarii, Pontificatus ſui anno XVIII. quæ quoniam nimis ſunt prolixæ, nec propoſito noſtro conducunt, copiam earum rationabiliter obmiſimus. Introducti autem Præmonſtratenſes in Lauriſſam, ad inſtantiam Archiepiſcopi renunciauerunt omni iuri principatus dicti monaſterii, vt patet in his litteris:

Præmonſtratenſes Lauriſſam introducũtur.

Vniuerſis Chriſti fidelibus tam præſentibus quam futuris: Præpoſitus & Conuentus monaſterii Lauriſſenſis, Præmonſtratenſis ordinis, Moguntinenſis diœceſis, denotas orationes in Chriſto. Quoniam venerabilis Pater Dominus Sifridus Moguntinæ ſedis Archiepiſcopus, de conſilio & conſenſu Capituli Moguntini, authoritate Apoſtolica nos inſtituit in monaſterio Lauriſſenſi, aſſignatis nobis prouentibus competentibus & honeſtis, quibus & contenti ſumus; videlicet prioris conuentus reditibus vniuerſis & officiorum eiuſdem. Ratione inſtitutionis huiuſmodi, ac ideo quia locus noſter in diœceſi Moguntina conſiſtit, nos, & locum noſtrum ſubiicimus, & ſubiectos recognoſcimus Eccleſiæ Moguntinæ, dicto Domino Archiepiſcopo & ſuis ſucceſſoribus vniuerſis, iuxta quod inſtitutionis noſtræ priuilegio continetur. Porro cum Imperialis authoritas, pariter & Regalis de conſilio & aſſenſu Principũ, Lauriſſenſis Eccleſiæ principatum cum omni honore, vaſallis, miniſterialibus, caſtris, oppidis, prouentibus, iuribus & pertinentiis ſuis, Eccleſiæ Moguntinæ ex certis & legitimis cauſſis duxerit vniendũ, ſecundum in Imperiali & Regali priuilegiis proſpexerimus contineri: Nos in principatu ipſo & cunctis pertinentiis recognoſcimus Eccleſiam Moguntinam, Dominum Sifridum Archiepiſcopum & ſucceſſores eiuſdem, ius firmum & ſtabile obtinere, & ſuper his nunquam mouebimus, vel alii ſucceſſores noſtri mouebũt aliquatenus quæſtionem. Sin autẽ ex inſtitutione noſtra, ratione monaſterii Lauriſſenſis, nobis vel ſucceſſoribus noſtris

Præpoſitus & conuentus Lauriſſenſis recognoſcunt ſe ſubiectos Eccleſiæ Moguntinæ, & principatui renunciãt.

in principatu ipso vel præscriptis bonis & iuribus attinentibus Abbatiæ esset iuris aliquid acquisitum, illi renunciamus, & damus & concedimus id eidem Ecclesiæ Moguntinæ Archiepiscopis, qui cum tempore fuerint, obtinendum, cum ad reformandum & manutenendum principatum eundem in suis iuribus & honore simus penitus impotentes, nosq; talia possidere ordinis nostri prohibeant instituta. In cuius facti memoriam & perpetuam firmitatem præsentes litteras conscribi fecimus, & Ecclesiarum S. Petri & S. Stephani Moguntinensium, nostroq; & de omnibus sanctis Argentinensis diœcesis sigillorum munimine roborari. Actum Moguntiæ, anno Domini MCCXLVIII.

Et sic nobilis illa Lauriſſenſis monaſterii quõdam famoſa & potẽtiſſima Abbatia ſacro Ordini noſtro ablata, in manus aliorũ data eſt & principatus eius minus iuſte (vt multis viſum fuit) Moguntinæ Eccleſiæ mancipatus: cũ bene fuiſſent inuenti noſtri ordinis viri prudentes & religioſi, nobiles ac potentes, qui ipſum cœnobium in vtroq; ſtatu reformaſſent. Hoc monaſterium Dux Bauarię Taſſilo, tempore Caroli Imperatoris Magni, circa annum Domini CCLXX. conſtruxit, ac magnifice dotauit, in quo & poſtea monachus factus, cum Theodone filio ſuo in magna religione vitam finiuit.

Quis fundauerit Lauriſſam.

Nunc autem poſtquam excidium Lauriſſenſis cœnobii lamẽtabile deſcripſimus, quod in ſedecim annis peractum eſt, ad noſtrum propoſitum nobis eſt redeundum. *Hæc Trithemius.*

TAGENONIS DECANI PATAVIENSIS, DESCRIPTIO EXPEDITIONIS ASIATICÆ IN TVRCAS FRIDERICI Imp.

Debet author Vide Auentin. lib. 7. fol. 523.

Inſerta de eadem Dietpoldi Patauienſis Epiſcopi ad Luipoldum Auſtriæ Ducem epiſtola: & aliis.

Refer ad fol. 254. ſup.

ANno Chriſti MCLXXXIX. Fridericus Imperator Ratisbonam intrauit, ibi cum XVII. Epiſcopis & omnibus Principibus maximum concilium celebrauit, totam Quadrageſimam & Paſcha ibi mãſit. Poſt Paſchæ dies tranſactos (quod euenerat v. Id. April.) ex Ratiſpona mouit, nauali itinere Batauiam deſcendit, cũ eo filius eius Fridericus Dux Alemaniæ, Bertoldus Dux Meraniæ ex Bauaria de caſtro Andechs natus, Hermannus Marchio Badenſis, Epiſcopi Herbipolenſis, Monaſterienſis, Diethpoldus Bathauenſis, Oſſeburgẽſis, Miſſenenſis, cum multis regni Comitibus, cum magna multitudine populi per Vngariam & Græciam iter ſuum direxernnt. In prima die Rogationum, hoc eſt, in Idibus Maii, Epiſcopus Bathauẽſis Dietpoldus, cum quibuſdam fratribus ſuis canonicis, huic viæ ac labori Imperatoris ſtrenue ſe coniunxit. Eodem anno miſit dominus Epiſcopus iam dictus litteras de Græcia, quarum exemplum hoc eſt.

** Paſſauienſis.*

DIETPOLDVS Dei gratia Bathauenſis* Eccleſiæ humilis miniſter, dilecto amico ſuo Luipoldo Illuſtri Duci Auſtriæ ſalutem & ſincerum amorem. Sicut iucunda & dulcia cordis noſtri vobis deſideramus communicare, ſic ea quæ minus proſpere exercitui noſtro ſucceſſerunt induſtriæ veſtræ duximus ſignificãda. Scire itaq; velitis, quod IV. Kal. Iunii Bulgariam intrauimus, maximas à Bulgaris ſuſtinuimus aduerſitates, multos ex noſtris iaculis ſauciarunt, nos quoſcunque ex illis deprehendimus laqueo ſuſpendimus.

X. Kal.

X. Kal. Auguſt. venimus ad ciuitatem Niſſeam, ibi magnus Comes Seruiæ cum magno apparatu obuiam nobis venit, quẽ dominus Imperator honeſte excepit, & multa cum eo pertractans honeſta ei donaria dedit, ſicut & ipſe magna ab eo recepit. Similiter omnes Principes à prædicto Comite vino, medone, & animalibus multum honorati fuerunt.

III. Kal. Auguſti inde tranſiuimus ad primam clauſuram, maximam ibi rerum iacturam ſuſtinuimus. Quidam honeſtus miles de Hals ibi occiſus fuit, maior pars exercitus in illis partibus ægrotare cœpit, quidam tertiana, alii quartana, quidam dyſenteria laborauerunt. Pridie Non. Auguſti ad ſecundam clauſuram venimus, quæ lapidibus, lignis, loci natura multum munita fuit, ibi magnam prædonum, & latronum turbam collectam offendimus, ſicut Dux Brunduſii qui nos fraudulenter præceſſerat, ordinauit. Illi ſocietatem Ducis Sueuiæ, qui primam tenebat aciem, multum moleſtauerunt: deinde aciem noſtram & Ducis Meraniæ, quæ media fuit, inuadentes quoſdam vulnerauerunt, rebus eorum ex magna parte ſublatis. Circa horam vero veſpertinam nos cum duce Meraniæ extremos ſocietatis cuſtodientes, vix cum 12. loricis proceſſimus, ſed ſubito duo filii Comitis eiuſdem prouinciæ cum centum ſociis nos viriliter & audacter inuaſerunt, nobiſcum diu iaculis & gladiis pugnauerunt, & nos Deo auxiliante ipſos in fugam vertimus, ita vt plus quam XL. vulnerati in abditis latitarent, & nos ex eis XXIIII. ad caudas equorum ligatos ad caſtra noſtra traximus, & eos ibidem pedibus ſuſpendimus. Apud Straliten. III. Id. Auguſti nullum fere hominem inuenimus. Præcepto ducis Brunduſii homines illius prouinciæ montana conſcenderant, & victualia ſecum detulerant, ibi exercitus noſter propter penuriam vini valde cœpit debilitari.

XVII. Kal. Septemb. ad tertiam clauſuram deuenimus, quæ ita munita fuit, vt difficilem nobis minaretur trãſitum, nihil aduerſitatis iniunctum nobis eſt, exploratores Ducis Sueuiæ plus quam D. armatos Græcos ibi viderant. Græci viſis Imperatoris noſtri militibus, & ducis Sueuorum filii ipſius, continuo in fugã verſi ſunt, in illo loco debilitas exercitus ex nimia abundantia panis, vini, nouorum fructuum optime recreata fuit, ibi ſocietas domini Imperatoris nobis iuncta fuit. Apud Circuicen* quidam Comes Vngariæ nomine Lectophorus, qui in legatione domini Imperatoris Conſtantinopolin præceſſerat, cum Legato Regis Græcorũ ad nos reuerſus eſt.

XII. Kal. Septembr. Rex Græcorum ſuperbe & arroganter, *Angelum Dei, & Originem noſtræ fidei, & Romanum Imperatorem* ſe nominans, domino noſtro Imperatori gratiam ſuam mandauit, dicens relatione Regum Franciæ & Angliæ, & Ducis Brunduſii ſe accepiſſe, quod noſter Dominus ea intentione Græciam intraſſet, vt extirpatis & extinctis Græcis regnum illud in poteſtatem filii ſui Ducis Sueuiæ transfundat. Præterea dixit Græcorum Rex, amicitiam quam inter dominum Imperatorem & magnum Comitem conflatam audierit, ſibi valde grauem & ſuſpectam eſſe: addidit deinde, ſi Fridericus Imperator noſter obſides pro voluntate Græci de exercitu mitteret, tranſitum per brachium ſiue ſinum S. Georgii daturum, ſicut iuratum fuit, & forum conceſſurum. Vltimo Græci poſtulabant medietatem terræ Saracenorum, quam noſter exercitus caperet. Iſtis auditis dominus Imperator & Principes, tametſi commoti erant, tamen pro tempore & loco blande & ſapienter reſponderunt, dicentes: *Quando nuncios ſuos rehaberent, qui rebus ſpoliati eo tempore ad inſultationem & deriſionem nunciorum Saladini turpiter & inhumane tractati, ſqualoribus carcerum mancipati Conſtantinopoli cruciarentur, ſe ſecundum honorem Dei & Imperii ad voluntatem Græciæ Regis benignos poſſe inueniri.*

Inde procedimus & VIII. Kal. Septemb. ad ciuitatem Philippopolin venimus, vacuam hominibus, ſed plenam vino & frumento, aliiſq; diuitiis. Eadẽ tempeſtate IV. Kal. Septemb. frater Regis Græcorum cũ magno exercitu ad ſex miliaria à nobis cõſedit. Ad hunc noſtri quodam die minus prouide accedentes, tamen in fugam Græcos verterunt, ita vt in poſterum his regionibus & locis nunquam amplius Græci apparerent. Poſtea Rex Græcorum & frater eius cum ex-

ercitu semper nobis infesti nos circumuenire tentabant, diu nos detinuerunt, tamen per gratiam Dei multo labore, multoq; ingenio nuncios nostros seminudos recepimus, & tunc primum Rex Græcus nobis transitum hyemali tempore promisit, si obsides ei daremus, vt pax terræ obseruaretur, & alia, sicut apud Nurenberg iuratum fuerat. Dominus Imperator videns hæc omnia fraudulenter fieri, nequaquam acquiescere voluit, eo quod nuncii sui valde inhumane & inhoneste tractati fuerant: & nulla ratione se & exercitũ sanctæ peregrinationis iniquis Græcorum iuramentis cõmittere voluit: & sicut prius humiliter (vt reciperet nuncios suos) locutus fuit, ita receptis nunciis imperiali more dixit: *Si Rex Græcorum filium suum, & fratrem suum, & auunculum suum* (in quo consilium suum & totius Græciæ pendet) *& Cancellarium, & Marschalcum, & Dapiferum suum nobis obsides dabit, vt cum pace & securitate, & bono foro per terram & brachium atq; mare S. Georgii transitum præbere velit, ipse vicissim quoscunque de exercitu nostro elegerit, iurare faciam, nos nulla mala intentione nec regni ambitione Græciam adisse.* Quid ad hoc Rex Græcorum responsurus sit, adhuc ignoramus. Quantum vero gaudium ea die, qua nuncios nostros recepimus, apud nos fuerit, vobis vix explicare possumus, plus quam 3000. electissimorum militum cum lanceis & scutis, equos in gyrum vertentes crebro, sex pene milliaria nostris nunciis occurrerunt, ita vt Cancellarius Græcorũ & alii Græcorũ optimates multũ terrerentur; timebant insidias sibi paratas fuisse. Quod cũ audisset Dux Sueuiæ & alii proceres, statim depositis scutis Græcos benigne exceperunt, dicebant talem esse consuetudinem Teutonicorum, & factum fuisse ad lætitiam & honorem excipiendorum, & gloriam Græcorum. Deinde nunciis Græcorum in hospitiis collocatis, nuncii nostri ad Imperatorem vsque magno tripudio deducuntur, quibusdam cantantibus, *Aduenisti desiderabiles*, & etiam quibusdam clamantibus, *Hutte ist herre din tach**. Dominus vero Imperator de domo sua exiens in amplexus Episcopi & Comitis irruit, cum multis lachrymis eos suscepit, dicens: *Gratias ago Deo, quia filii mei mortui fuerant, & reuixerunt: perierant & inuenti sunt.* Sequenti vero die Episcopus lachrymabiliter ærumnas captiuitatis suæ Principibus exposuit, ita quod & ipsi lachrymas commouerentur. Nuncii vero Græcorum Legationem suam peregerunt, & dominus Imperator (sicut supra dictum est) breuiter eis respondit, se nihil aliud velle quam supra dictos obsides. Quamobrem Græci valde perturbati & pauefacti fuerunt. Quia autem Rex Græcorum in litteris, quas ter Domino Imperatori misit, nomen huius tacuit, nec ipsum Imperatorem vocauit, in præsentia Græcorum & nostrorum Principum, Fridericus Imperiali fretus habitu & lingua dixit: *Non possumus satis mirari, & indignum valde gerimus, quod frater noster nomen nostrum, quod multis Regibus & Principibus & Prouinciis notum est (quod Fridericus est) in litteris suis ponere non consueuit. Antecessor vero ipsius piæ recordationis Emanuel, & quando inimici eramus, nomen nostrum expresse posuit in litteris suis, nec in aliquo dignitatibus nostræ maiestatis derogauit, quod & nos vicissim erga eundem fecimus. Siquidem Carolus victoria felix præcessor noster diuæ memoriæ monarchiam vrbis Romæ obtinuit, & plus quam 500. annis sine interruptione ad tempora nostra vsque derivata est, & nos authore Deo & Principum libera electione, celsitudine Sacri Romani Imperii iam ferme triginta octo annis potestatiue gloriamur. In vrbe enim Roma (quæ domina & caput orbis dicitur) coronam & Imperium totius Christianitatis de altari B. Petri Apostolorum principis accepimus, ab Hadriano Papa successore Petri solenniter vncti oleo exultationis pra participibus nostris sumus, & nomen nostrum celebre & gloriosum in ea habetur. Hæc idcirco diximus, si forsitan dominus noster nomen & dignitatem vestram ignorat. Nos de cætero (vt scias) litteras eius non recipiemus, nisi solennitas nominis & maiestatis nostræ expresse in iis contineatur. Nos enim cum suo nomine appellauimus & appellamus. Dominus vester sanctum se appellat, mirabilis est sanctitas, quæ sanctos viros, honestos, religiosos, benigne, vtpote fideles nuncios in oscula pacis exceptos, in quorum ore non est inuentum mendacium, nec iniquitas, subito consueuit incarcerare, & fame ac nuditate vsque ad mortem macerare. Longe faciat à nobis Deus talem sanctitatem.* Istis auditis

Græci

Græci receſſerunt. Quid plura? tota Macedonia & Thracia vſq; ad muros Conſtantinopolis nobis ſubiecta eſt, & ad voluntatem noſtram ſeruit, vrbes & caſtella in manu noſtra ſunt. Armeni fideles noſtri ſunt, dominus noſter Imperator apud Philippopolin intendit hyemare, Dux Sueuiæ Vereæ*. Exercitus in tres locos ſe recepit. Græci Hæreticos nos appellant, Clerici & Monachi dictis & factis, maxime nos perſequuntur: bonis omnibus abundamus, commilitones noſtri omnes adhuc ſani & incolumes ſunt. * Berea.

Tertio Kal. Octobr. in maximo fœtore fuerunt peregrini noſtri propter innumerabilia cadaueta apud Philippopolin.

Nonis Nouembribus Dominus Imperator receſſit à Philippopoli, & iuit Hadrianopolin, qui apud Philippopolin remanſerunt in maxima abundantia rerum venalium eſſe cœperunt. Exercitus itaque Friderici plenus integer & ſalubris (Clementia Dei) euaſit perfidiam Græcorum, qui promiſſa non ſeruarunt, velut ſperatum & promiſſum fuerat. Quod ſanctus Imperator & Principes videntes, Nicopolim, Argonopolin, *cæteras Metropolitanas vrbes fugatis ciuibus potenter ingreſſi ſunt, debellatis quoq; quibuſdam caſtris, præcipue Demotege (quod fuit egregium caſtrum) circa maritima innumerabiles ciuitates debellarunt, quouſq; coactus Græcus Rex DCCCC c. obſides dedit. Hadrianopoli Imperator Fridericus hyemauit, vnde has litteras in Germaniam miſit: * Andronopolim.

FRIDERICVS *Dei gratia Rom. Imp. & ſemper Auguſtus, dilecto conſanguineo Luipoldo Duci Auſtriæ gratiam ſuam & omne bonum. Significandum duximus dilectioni Tuæ, quod frater noſter Conſtantinopolitanus, iure nudatus fraterno, vniuerſa quæ à Cancellario ſuo apud Nurenberg præſentibus Imperii Principibus de ſecuro tranſitu noſtro, foro atque concambio noſcuntur iurata, prima fronte infregit, inſuper & Legatos noſtros Monaſterienſem Epiſcopum, Comitem Rupertum Marquardum Camerarium noſtrum, cum vniuerſo ipſorum Comitatu (quos viuificæ crucis pro pacifico tranſitu noſtro & pace confirmanda deſtinaueramus) captiuauit, atq; ignominioſe in carcerem detruſit. Tandem autem poſt multas legationes in hyemis aſperitatem tranſitum noſtrum doloſe producens, prædictos legatos noſtros, quaſi rebus bene geſtis in feſto Simonis & Iudæ noſtræ remiſit Excellentiæ; iterato forum bonum & concambium conſuetum, atque nauium abundantiam nobis pollicens. Verum quod vſtus timet vri, verbis & iuramentis Græcorum de cætero nullam poſſumus adhibere fidem, ſed hyemalem declinantes inclementiam Philippopoli atque Hadrianopoli tendimus hyemare, opportuno tempore verſus Conſtantinopolin tranſituri. Itaq; quamuis copioſo gaudeamus exercitu, in orationibus tamen ad diuinum eſt recurrendum præſidium. Ea propter tuam rogantes commonemus dilectionem, quatenus orationibus piæ deuotionis ſtudio nos vna cum crucis exercitu velis commendare Deo. Ad hæc T. prudentiam rogamus, vt litteras quas Papæ dirigimus, ad ipſum tua induſtria & labore perueniant, quia per te competentius, quam per alium id poterit ordinari.*

Sibylla regina Hieruſalem hanc epiſtolam Friderico Imp. mittit.

Domino ſuo venerabili, atq; illuſtriſſimo Friderico Dei gratia Rom. Imp. victorioſiſſimo atq; S. crucis triumphatori amiciſſimo, Sibylla Regina quondam Hieroſolymitana, ſua humillima, propter nomen Dei magnum humiliata. Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos. Ego humillima ancilla veſtra (vt præfata ſum) totius vrbis dolorem, & ſanctorum Chriſtianorum opprobrium Celſitudinis veſtræ maximæ Excellentiæ ſignificare compellor. Imperator enim Conſtantinopolitanus Eccleſiæ Dei perſecutor, aduerſus nomen domini noſtri Ieſu Chriſti cum Saladino ſeductore & ſancti nominis extinctore coniurationem iniit. Hoc ſiquidem notum facio, quod ſine lachrymis dicere nequeo. Saladinus hoſtis Chriſti, præfatus Imperatori Græco & ſancti nominis perſecutori, ad prauam concordiam & recõciliationem faciendam multa munera terrenis valde placentia præmiſit, ad necem & deſtructionẽ Chriſtianorum nomẽ Dei exaltare volentiũ DC. modiorum farina intoxicata, adiunxit vas maximum vini plenum toxico ad malum efficaciſſimo, quod venenum cum ipſe probare intenderet de mali efficacia, vocauit hominem qui pyxide aperta ſolo odore interfectus eſt. Aliud quoq; cum cæteris domino meo dicere compellor. Quia præfatus Imperator ad malorum cumulum & aggregationẽ deſtructionis Chriſtianorũ, nec triticũ nec alia neceſſaria ad victum* cæteris

Hierosolymorum de terra sua transportari permittit. Vnde quoque triticum, quod ab ipso & aliis circumuenire potest, in ciuitate Constantinopolitana intercluditur. Tandem velut in fine lachrymosæ epistolæ hoc vobis fideliter dico, quod huic latori præsentium fidelissimo credere debetis. Ipse enim qua propriis oculis vidit, & auribus audiuit, testatur. Inde est quod Magnificentiam vestram rogo humiliato capite vsq; ad terram, & flexis genubus, vt nuncius Imperatoris Græci (sicut caput mundi estis, & murus pro domo Israel) nunquam credatis. Hucusque Epistola Sibyllæ.

Anno Christi MCXC. pars illa exercitus nostri quæ hyemauerat apud Philippopolin, secuta est dominum Imperatorem Hadrianopolin versus 18. Kal. Feb. conuenit Constantinam ea die, qua cantabatur, *Circumdederunt me gemitus mortis*, hoc est 12. Kal. Febr. venit ad Imperatorem Hadrianopolim 8. Id. Febr.

XVI. Kal. Martii venit nuncius Imperatoris Græcorum, ferens finalem & præcisam pacis compositionem cum domino nostro Imperatore.

XIII. Kal. Martii venerunt nuncii Soldani Turcorum & filii eius ad dominum Imperatorem apud Hadrianopolin morantem, bonam portantes legationẽ.

VI. Kal. Martii habuerunt peregrini nostri ventum intolerabilem, & frigus asperrimum apud Hadrianopolin, inde tunc missi nuncii, qui explorarent securitatem transitus ad sinum maris S. Georgii Hellespontum antiqui vocant.

III. Kal. Martii venerunt Imperatori obsides Græcorum, quos postularat Fridericus Imperator.

Kal. Mart. Dux Sueuiæ exiuit Hadrianopoli cum suo agmine, sequenti die dominus Imp. cum suo exercitu IV. Non. Martii transierunt Rima * flumen cum magno labore, & eo die cantabatur *Lætare Hierusalem.*

VIII. Id. Mar. audita sunt tonitrua horribilia, & imbres insoliti ruentes fecerunt viam laboriosam hominibus & equis.

XV. Kal. Apr. in die Palmarum fuimus in fletu & tristitia magna, quia equi penuria pabuli laborabant. In cœna domini obiit Ainbicus de Haganaue, sepultus apud Abrusiam. Inde venimus Calliopolin ad traiectum freti. Græcus Imp. gratis nauigium coactus misit, naues MD. galeas XXVII. misit. Septem diebus traducti sumus per brachium D. Georgii, omnes incolumes, vna cum Imperatore nostro, ne vnus quidem periit. Inde Legati Soldani Turcorum Regis Iconium reuersi.

X. Kal. Apr. in Parasceue transfretauit sinum dux Sueuiæ primus cum suo agmine. VII. Kal. Apr. transiuit dominus Dietpoldus Episcopus Bathauensis, & Dux Meraniæ, cum societate sua, & primas partes Romaniæ intrauerunt. V. Kal. Apr. quod erat quarta feria, transiuit dominus Imperator post transitum omnium peregrinorum.

IV. Kal. Apr. relictis bigis & quadrigis iter cũ Sagmis * aggressi sumus, & per duos dies valde laboriosam & penuriosam viam habuimus. Tertia die intrauimus vallem quandam, vbi homines vino & cibariis, & equi gramine optime reficiebantur.

* Saumis.

IV. Non. Apr. transiuimus Digam fluuium, sequenti die Anelonicam fluuium cum magno labore & rerum iactura, lutosam & vallosam viam habuimus.

VII. Id. Apr. intrauimus stratam quæ venit de Constantinopoli, & Tragonium & Iconium tendit. Tunc transituri per quædam deserta Romaniæ præparauimus equis & hominibus necessaria ad septem dies. V. Id. Apr. * intrauimus vallem Ascaratanã. ibi exercitus ex maxima parte cœpit murmurare propter forũ.

XVIII. Kal. Maii venimus ad castellum Coloniora, quod vacuum inuenimus, inde Thyatyram venimus, cuius fit mentio in Apocalypsi.

XI. Kalend. Maii venimus Philadelphiam, inde quendam montem transiuimus maximo labore. Equi ex maxima parte defecerant, & omnia nobis necessaria præter panem nobis consumpta erant. Inde minorem Tripolin venimus, inde Hierapolin, vbi passus sanctus Philippus Apostolus, venimus. Ipsa erat deserta à Turcis ob metum nostrum. Ibi flumen (quod Mænander minor vocabatur) traiecimus, & Turcorum ditionem intrauimus, qui omni humani-

manitate & hilari vultu nos exceperunt, forum pro posse nostro exercitui administrarunt. Tunc accessimus ad campos Laodiceæ, quæ sita est in pede cuiusdam montis altissimi, vltra quem Ephesus est. bonum hic forum habuimus. Dicebatur Rex Francorum Ludouicus ibi deuictus fuisse à Turcis, & Dominus Otho Frisingensis Episcopus in expeditione Conradi Regis. Inde intrauimus desertissima loca Turciæ, descendentes iuxta lacum Salinarum in terra horrorum & salsuginis: ibidem inuenimus greges ouium, caprarum, agnorum & hœdorum, boum, equorum, camelorum, asinorum circiter 5000. Quæ omnia fuerunt agrestium Turcorum, qui in aduentu nostro exterriti relictis tentoriis & filtris * montana profugi ascenderãt. Sed quia arbitrabamur Turcos nobis pacificos & amicos esse, nihil eorum, quæ nobis desiderabilia & necessaria erant, attigimus. Nocte illa in capite loci nec gramen, nec herbas, nec frondes inuenimus. Sequenti mane inuenerunt nos mille mala seculis inaudita. Nam Soldanus Rex regionis illius misit non paucas copias contra nos, Turci equites & pedites sine intermissione quotidie nobis insidiando, more canum circumlatrando, iaculis & incursitationibus nos vexarunt fatigaruntq;.

Kalen. Maii remisit Dominus indignationem, quæ peccatis nostris exigentibus valde super nos incanduerat, volens respirare populum suum. Dum enim prædicti Turci castra nostra, quæ exieramus, mane intrarent, vt colligerent, quæ populus noster cum propter lassitudinem ferre non poterat, dereliquerat, Imperator noster de industria fumum fieri præcepit, & Turci sicut obcæcati subito à nostris occupantur, CCC. Turcorum occisi sunt, reliqui vero se in montanis continentes Susopolin vsq; per valde laboriosam viam insecuti sunt.

VI. Non. Maii iterum persecutores Crucis CCC. fere à nostris interfecti sunt, & nos omnes in maximo rerum defectu fuimus.

V. Non. Maii plus quam 30000. Turcorum in quadam arctissima clausura conuenerant, per quam nos transituri eramus. Vbi rex Græcorum Emanuel cum magno exercitu à Turcis superatus fuerat, eodem modo nos delere volebãt Turci: sed infatuauit Deus consilium Achitophel, quia Imperator noster spiritu Dei præmonitus iussit exercitum transire per quendam altissimum montem, vbi plus quam mille equi perierunt. In mente habete omnes diem illum, in quo altum & laboriosum istum montem transiuimus. In descensu montis spaciosam terram & maximam copiam gregum inuenimus, sequenti die Turci circumuallarunt nos, & die ac nocte sagittis & incursionibus acriter infestauerunt.

IIII. Non. Maii validissima fames cœpit esse in exercitu, & nuncii Soldani recesserunt fraudulenter à nobis, captiuato Gotefrido. Tunc liquido cognouimus, quod aurum Soldani & amicitia sit versum nobis in scoriam, & quod ipse, & Turci, & Græci in hoc conspirarint, vt fraudulenter nos, quoniam vi non poterant, interimerent. Sed de his omnibus eripuit nos Deus omnipotens.

Non. Maii Turci existimantes nostros omnes inedia extabuisse, hora vespertina castra nostra fundis, iaculis, lanceis potenter inuaserunt, sed exercitus viuificę Crucis incursitationibus Turcorum viriliter occurrit, ita vt duo nostratium fugarent x. millia hostium, auctoribus Duce Sueuiæ, & Duce Meraniæ ex Bauaria, de castro Andechs. Sex fere millia Turcorum interfecta sunt, & nisi nox & montana Turcos saluassent, omnes Turci gladiis nostris periissent.

VI. Id. Maii audierunt nostri tubam Soldani, & vexillum eius viderunt, sicut referebat Turcus captiuus, qui nos ducebat.

V. Id. Maii omnis fortitudo Turcorum occurrit, montes & valles impleuerunt: Nostri timorem & fugam simulant. Turci illecti magnis clamoribus impetum in nos faciunt. Nostri subito se regirantes CC. occiderunt Turcos, & in monte circa ciuitatem Sirma plus quam L.

III. Id. Maii, quæ erat Pentecoste, quies à Deo nobis data est. Sequenti die, id est, pridie Id. Maii & feria secunda Pentecostes, filii Soldani collectis trecentis millibus equitum, acies instruxerunt, vt nobiscum dimicarent. Imperator noster primam aciem ordinat, & viriliter occurrit, Turcos in fugã vertit. Cuidam etiam

religioso laico apparuit angelus, hasta prosternens Turcos. In descensu itaq; montis, vnde primam aciem Turcorum fugerant nostri, acies Imperatoris plus quam x. millia militum electissimorum Turcorum strauit, & alium montem, quem dicti filii Soldani cum copiosa multitudine Turcorum, & regia buccina occupauerant, Imperator lente ascendit, continuo Turci illi terga dant, & quia de nacta victoria Deo hymnum non cantauimus, dignas soluimus pœnas. Nam post nimium laborem, & calorem, & occasum Solis, exercitus in deserto arenoso diuisus, & puluerosa nebula fuit, & sicut oues palantes inimicis circumgirantibus hinc inde errauit, tandem signa exercitus reperit, & castra absque gramine & aqua metati sunt, fame & labore viæ nimium defatigati sumus, vsque Iconium venimus.

Sequenti mane, hoc est, Idib. Maii, sicut præmortui itinerantes, aquam in præclustribus locis inuenimus, & in illis equi aliquantulum refocillati sunt, ibi magnus Melach Satrapa Soldani misso Legato dixit: Si Imp. noster & exercitus darent CCC. centenarios auri, & terram Armeniorum, velint Turci transitum concedere, & post tres dies forum exhibere. Imperator noster (vt solet) mansuete respondit: *Non est Imperij nostri & Christianorum militiæ vinificæ Crucis, viam auro & argento emere, auxilio itaq; Domini nostri Iesu Christi, cuius nos milites sumus, iter ferro est aperiendum.* Nuncius Turcarum igitur recedens: dixit: *Si hac nocte non reuertar, certi sitis, quod cras ante horam tertiam Turci cum omnibus copiis vobiscum pugnabunt.* Sed quia exercitus noster & equi confecti inedia & fame erant, cœpimus valde tristari & mœsti esse. Deus tamen adiutor in tempore, qui mauult parcere quam flagellare, inspirauit in corda Episcoporum, & ipsi populum excitarunt, & hortati sunt ad implorandum Deum, & S. Georgium, qui cum S. Victore visus est aliquoties cum agminibus Angelorum nos comitari & adiuuare. Laudibus igitur, hymnis, ieiuniis, multis suspiriis & lachrymis opem diuinam implorauimus. Imperator itaque, licet clam angebatur de castris crastinæ diei, quæ habere proposuit in ferali horto & viridario Soldani, dixit amicis suis: *Si cras (Deo iuuante) prospere tentoria figere poterimus, maximum erit argumentum tranquillitatis futuræ.*

Mane facto XVI. Kalend. Iun. audita sacra Missa, communione accepta, pedetentim (ita vt infirmi sustinere possent) processimus. Turci innumerabiles in modum Lunæ corniculatæ nos circumdederunt, & clamoribus & incursitationibus, non tamen multum nobis nocuerunt. Ita simul absque detrimento ad castrorum locum peruentum est: ex Turcis XXX. occubuerunt. Ingressi itaque hortum regium, vbi castra locauimus, inuenimus ibi abundantiam aquæ & graminis. Nocte illa tonitrua & imbres insoliti nos vexarunt. Mane facto Imper. duas acies ordinat, primam committit filio suo Duci Sueuiæ, secundam ipse gubernat: in medio sacerdotes, milites inermes, vulgusque cum sarcinis & impedimentis procedere iussit, edicitque, ne quisquam de præda aliquid contingat, donec hostes strati, & Iconium ciuitas capta & subdita sit. Dum itaq; in procinctu sumus, Legati Soldani & filii eius adsunt, pacem petentes. Imperator respondit: *Si Legatum meum, quem captiuum detinetis, mihi reddideritis, & prudentes miseritis viros, qui id negotium componere sciant, pacem vobis Dominoq; vestro dabo.* Nuncii Turcorum his dictis ab Imperatore discedunt. Imperator post discessum nunciorum, quum intelligeret omnia fraude agi & differri, iubet filium procedere, qui vt iussus à patre, ad portam ciuitatis Iconiensis accedit. Ibi occurrit Gótefridus de captiuitate liberatus, dixitque: *Benedicti vos Domini, procedite confidenter, tradidit Dominus ciuitatem & terram hanc in manus vestras.* Soldanus igitur cum 600000. *dubium an fraude obuiam venit exercitui, visa prima acie terga cum suis vertit, in castrum, quod supereminet ciuitati, fugit; quo etiam confugerunt pene omnes ciues diuites & pauperes, cum pretiosa supellectile auri & argenti, vestium, annonæ, equos, asinos, armenta, locis munitis includunt. Dux itaque Sueuiæ vsque ad portam castri munitissimi persecutus fugientes Turcos, ciuitatem cum Turcis velut vna acie intrauit, omnes quos reperit ferro occidit pueros & mulieres. Interim acies

Impera-

Imperatoris, quæ extra portas ciuitatis adhuc longe fuit, hoc ignorabat, ipsa circumdata innumeris Turcorum copiis, & tanto impetu lassata mortem imminentem expectabat. Episcopi & sacerdotes plurimi stolis colla circumdederunt, quasi iam morituri, pari voto cupientes sanguinem pro Christo fundere, ita & milites parati fuerunt pro Christo mori. In medio erat Imperator inuictissimus, qui lacrymis suffusus dixit: *St exercitus integer esset Antiochia, maxime meo periculo hoc vellem.* Et cum hoc dixisset, cunctis lachrymantibus subiunxit: *Sed quid moramur? quid tristes sumus? Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat: Hæc est merces militum Domini, sic enim peruenitur ad regnum. Venite commilitones mei, qui regnum cælorum comparare sanguine vestro existis de terra vestra.* Hæc dicens, licet multo esset defatigatus labore, animi tamen nobilitate maior Machabæo, ipse primus in gyrum verso equo, cæteris audacter subsequentibus, irruit vt leo in hostes. Nec mora, hostes terga vertunt, ne vnus quidem manum contra leuat, decem fere millia Turci amiserunt, & nisi debilitas militum nostrorum obstitisset, castrum ea nocte fuisset expugnatum. Milites enim nostri per XL. dies incredibili & inaudita laborabãt inedia & fame. Post victoriam Imperator cum exercitu ciuitatem ingreditur, magnifice à filio & sociis excipitur, ibi de præda fames nostra extincta est, inuentæ sunt foueæ cum tritico & hordeo, aurum & argentum plus quam 100000. marcarum inuenta in domo magni Meloch, thesaurus maximus, qui à Soldano cum filia illi dos datus erat.

Sequenti die XIV. Kal. Iun. gratias egimus Deo, Missa *Charitas Dei diffusa*, & epistola, in qua Iconii mentio fit, lecta est. Soldanus & filius eius, & Almurati, licet castrum fortissimum retinerent, mittunt supplices legatos, pacem petunt, misericordiam implorant, ne malum pro malo reddatur, orant, se omnem honorem exhibituros, & mulctam quam Imperator vellet passuros offerunt, ad mitigandum Imperatoris animum. At quia Imperatori nõ erat animus inducias dare, communicato consilio cum Principibus ita respondet: *Soldanus Dominus vester iuxta amicitiam diu cum Imperio nostro habitam legatos suos ad nos misit, & ad terram suam inuitauit, securum iter & commeatum nobis pollicitus. Præterea alij nuncij & filij sui nos Adrianopoli adierunt, longe plura prioribus offerentes, qui etiam nobiscum terram istam ingressi, viderunt nobis pro securitate viæ arcus, tela, gladios, lanceas, omne genus armorum, crebras incursitationes, insolitos clamores exhiberi pro bono foro, magnus Meloch cum omnibus copiis, hostili animo sicut aper nos circumdedit, & exarsit in nos, sicut ignis in spinis, & tamen in nomine Domini nostri Iesu Christi Romanus Imperator, aduocatus peculiaris terræ Palæstinæ, hostes penetrauit securus, & fugata multitudine hostium tradidit Deus ciuitatem. Sed quia Romanus Imperator (cui semper adesse debent misericordia & veritas) nouit magis parcere, quam ferire, pacem Dominus vestris damus, dummodo detis obsides ad arbitrium nostrum, & iter securum, & commeatum per terram vestram.* Talibus auditis nuncii cum magno gaudio Soldano & filiis eius hæc retulerunt, & breui postulata fecerunt Turci, dati obsides decem Almurati, & alii decem magni Barones, quos nobiscum filios, senes, nobiles, Antiochiam captiuos duximus.

X. Kalend. Iun. exercitus exiit Iconium iuxta regium hortum, vbi prius castra locata sunt, ibi forum & caro ad sufficientiam erant, ibi inter equos & mulos plus quam 6000. exceptis asinis, vendita, exercitus satis refectus carne, butyro, caseo.

VII. Kalend. Iun. inde mouimus per spaciosissima & plana loca, ad XI. fontes venimus. Sequenti die venimus ad quandam magnam & potabilem aquam, ibi agrestes Turci non penitus cessabant nos persequi. Imperator obsidibus ait: *Si Turci vestri non cessabunt nos persequi, forumq; ex condicto non exhibebitur, capitalem subibitis pœnam.* Post parum mali intulerunt nobis. Inde venimus ad magnam villam, vbi vineta multa fuerunt, & parum aquæ. Laborioso deinde itinere ad aliam villam Pyrgos nomine venimus, vbi bonum forum habuimus, quieuimus vna die.

Postera luce III. Kal. Iun. venimus in ciuitatem Larandam, quæ diuidit Ciliciam, id est, Armeniã à Lycaonia. Iconiũ enim caput est Lycaoniæ. Nemo referre potest famẽ, sitim, perfidias, fraudes, insultationẽ, clamores die noctẽq; sine inter-

termissione, quæ pertulit hilari animo Imperator & exercitus pro Christo. Dum igitur exercitus noster castra mouisset à Laranda, vbi vires aliquantulum receperat, ad quandam villam Armeniorum venimus, vbi in campis cruces fixas vidimus, ingens gaudium oritur, diu enim nihil, quod ad decorem religionis Christianæ pertineret, videramus aut audieramus. Progressi inde montana ascendimus vix Solis obicibus peruia, maximo labore transiuimus, ibi regionem Turcorum reliquimus. Obsides constanter ex cõdicto postulabant dimitti domum, sed frustra, arctiore inde custodia à nobis obseruati sunt. Dum itaq; summitatem asperrimi montis cum supremo labore attigissemus, occurrit Imperatori Princeps Sibiliæ vir potens & honoratus, cum omni deuotione Imp. excepit, & forum propositum exhibuit. Est autem Sibilia castrum munitissimum, & Marchia Christianorum à crebris Turcorum insultibus per ipsum præfatum Principem defensatur. Descendendo de monte castra metati sumus iuxta quandam magnam aquam & inuadosam, vbi equi nostri gramine refecti sunt, deinde recepti in quodam campo, vbi plurimum graminis erat, duos dies quieuimus, ibi inedia laboratum est: quidam equos vt prius comedebant, Principes & proceres tenues mensas per abrupta montium quæsitas habuerunt. Descendentes igitur iuxta prædictam aquam Selephica nomine iuxta lapideum pontem castra metati sumus. Occurrerunt ibi nobis honorabiles nuncii domini Leonis de Montanis (quæ Armenia dicitur) VII. Id. Iun. & more gentis inclinati præcipiendi, ordinandi de populo, de terra, omnem potestatem Imperatori offerunt. Imperator sex viros prudentes apud se retinuit, & consilio ipsorum vsus, de itinere audiuit ab eis, valde difficilem & asperam viam restare. Piissimus Imperator condolens vt pater peregrinis suis celari iussit hoc, ne tædio viæ & penuria rerum opprimerentur tristitia, si tantos sibi imminere audirent labores. Indies enim læta iucundaq; boni fori exuberantia nobis promittebantur, in contrarium tamen omnia cesserunt.

Sibilia.

Sequenti die, VII. Id. Iun. maximo labore ad hospitium venimus, & exercitus propter incredibilem viæ difficultatem, non seruata constitutione progressionum, nec expectatis Principum & societatum vexillis sine ordine ruit, vnusquisq; pro posse suo, alius alium anteire tentabat. Nocte illa maior pars exercitus quondam altissimum montem in littore præfatæ aquæ protensum transiuit, obscuritas noctis impediuit, quod multum præruptæ semitæ, pericula videri non poterant, quæ in die iter nostrum sequentes multum terruerant, hi in maximis angustiis fuerunt, ad lachrymasq; coacti sunt. Deferebantur Episcopi in lecticis ob ægritudines, & in angustiis semitarum prior equus, interdum posterior Domini & famuli miserabilem minabatur ruinam. Scutiferi Dominos suos debiles per montem illum portabant. In descensu montis herbarum reperta abundantia, prandium sumsimus, aliquandiu quieuimus. Imperator, & qui cum illo erant, iuxta consilium incolarum vitarunt periculum montis in aurora in littore fluminis supradicti, non minori labore quam illi, qui per iuga montium descenderunt. Nam quidam Episcopi, Principes & potentes relictis equis in quibusdam locis, vbi aqua à dextris præcipitium montis à sinistris periculum exitiale minabantur, manibus & pedibus sicut quadrupedes reptabant, læto tamen animo amore Christi. Exercitus qui nocte præcesserat, ea die, id est, IV. Id. Iun. in campis Seleuciæ castra metatus est. Magna lætitia in campis Seleuciæ conuenimus. iam enim omnia pericula euaseramus, sed gaudium nostrum in luctum maximum versum est. Nam IIII. Id. Iunii, qui erat tunc dies Solis, circa vesperam Seleuciæ subito Imperator obiit. Exercitus tristitia dissipatus est. Maior pars exercitus Ducem Sueuiæ, filium Imperatoris & alios Principes post luctum secuta est, milites sacramento adacti in verba filii Imperatoris iurarunt.

XVIII. Kal. Iul. Curcam venimus, ibi quidam naues ascenderunt, mareq; intrarunt. XII. Kal. Iul. ad portam S. Simeonis venimus. XI. Kal. Iul. exercitus incolumis cum omni integritate Antiochiam intrauit, vbi ossa Imperatoris primum humata sunt à filio in templo ante aram S. Petri. Antiochiæ calamitas oppressit exercitum, subito cadebant, nec erat, qui sepeliret.

Dietpol-

Dietpoldus Bathauensis * Episcopus III. Non. Nouemb. obiit, apud Accaron sepultus est, sex antea Canonici eius mortui, Burchardus liber de Chame Archipresbyter, Vlricus præpositus de Ardachat & Archipresbyter, Marquardus Præpositus de S. Andrea, Rudigerus de Ahaim, Chunradus Prior inter eos & maior. * Passauiensis.

Tangeno Decanus Bathauensis, qui singula diligenter hæc scripsit, & annotauit, à prima egressione à Bathania, quæ facta est 17. Kalen. Iunii, vsque dum exercitus venit Antiochiam sequenti anno 11. Kal. Iul. & in Germaniam misit, ipse obiit apud Tripolim, ibiq; sepultus est. Dietpoldus (qui & Theodovvalda) ille Episcopus Bathauensis, Sueuus fuit, a Berga oriundus, pater eius Theodovvalda, mater Gisala ab Andechisio Boiaria oriunda, filia Bertholds. Fratres eius Hildericus Bergensis regulus, Manegoldus Abbas Tigurinus, & Chremsminster, & itidem Episcopus Batauensis, Otto Episcopus Fruxinensis, Henricus Episcopus Viridoburgensis. Auentini verba.

DE IMPER. HEINRICI VII. OBITV: QVEM F. PAVLINVS ORDINIS PRÆDICATORVM, INSTINCTV FLORENTINORUM, in Eucharistia intoxicauit, Rhythmi in vetustissimo libro reperti.

IN anno quo millesimum
Ante, & trecentesimum
Adfuit, ac duodenum,
Præcinctum stricta fascia
Cœleste verbum, gratia
Et veritate plenum:
Vt serpens liuidissimus,
Leuiathan turpissimus
Aspis inuidiosa,
Successibus victricibus
Et actibus felicibus,
Non fauens, sortuosa:
Gens fremens in Florentia
(Quam tangat pestilentia,
Quam dictat in Monarcham:
Vt corruat pestifere,
Intereat mortifere)
Thesauri pandens arcam,
Paulinum quendam variis
Corrumpit cum denariis,
Quam pluribus florenis:
Vt Principem piissimum
Monarcham potentissimum
Inficiat venenis.
Paulinus non scientia
Industus, nec clementia,
Sed spiritu furoris,
Ad nefas minus pauidus,
Sed auri nimis auidus,
Et prodigus honoris.
Thesauri capto stemate, Ad fol. 407. in fine.
Sed mortis anathemate,
Inique pollicetur,
Quod tuum Cæsar magnanime
Corpus fiet exanime,
Guelfusq; liberetur.
Hac turpis colligatio,
Quam Florentina natio
Sic colligat nefanda,
Heu minime dissoluitur,
Qua Principis resoluitur
Humanitas laudanda.
Augustus horum nescius,
(Cum homo non sit præscius,
Sed Deus futurorum)
Enarrans sub spe gratiæ
Cuncta cordis acie
Commissa delictorum.
Reponens confidentiam
In Deo, pœnitentiam
Pro viribus implere
Promittit Cæsar præpotens,
Vt Dominus omnipotens
Dignetur abolere.
Quæcunq; gessit crimina,
Sic purgans cordis limina,
Scopa confessionis.
Vt fiat Apostolicæ
Sic particeps catholicæ
Sacræ communionis.

Paulinus non intrinſecus
Paratus, ſed extrinſecus,
Solennia Miſſarum
Dicturus ſub oramine,
Vt Principem libamine
Communicet præclarum.
Sed ſimulata veritas,
Hîc venenoſa feritas
Sub vngue occultatur,
Qua Princeps ſereniſſimus,
Fide Chriſtianiſſimus
Clandeſtine vocatur.
Sic Sathanæ archangelus,
Transformans ſe ſic angelus.
Infector luculentus,
Poſt vitæ alimoniam
Dans mortis acrimoniam
Amicus fraudulentus.
Venena Princeps ſentiens,
Vindictæ non conſentiens,
Sic ait: O mi frater,
Amicum cur interficis,
Quem commendauit mater?
Amicum tibi creditum,
Pro nato tibi deditum,
Cur necas per venena?
Cur triſtes reddis populos,
Quot vdos facis oculos?
Quam cuncta pallet gena?
Hæc Princeps, & ſimilia
Dum profert, ſupercilia
Hypocrita deponit.
Sic dominator gentium
Venefico ſilentium
Benignus imponit.
Nec tradit hunc tortoribus,
Sed iubet vt à foribus
Clandeſtine recedat:
Sic pro perſecutoribus
Precatur, Chriſti moribus,
Ne iudex manus ladat.
Paulinus frenum rapiens,
Clam fugam cito capiens
Lateribus equinis
Punctatis cum calcaribus,
Tam fœminis, quam maribus
Exponit Florentinis
Totius facti ſeriam,
Proceſſus & materiam
Intoxicationis,
Qua plebis ex feruentia
Auditur in Florentia
Vox exultationis.
Dum Cæſaris conſulibus
Suisq; contribulibus
Commiſſa propalantur,
Fit ingens vlulatio,
Nobilium turbatio,
Magnates lachrymantur.
In grandi ſtat triſtitia
Exercitus militia,
De Principis ruina
Quam feritas damnabilis
Manusq; deteſtabilis
Coagulat Paulina.
Dum ſentit vir catholicus
Quod humor melancholicus
Se arctius extendit,
Magnates cito conuocat,
Ad lachrymas quos prouocat,
Sic dicens: Mors tetendit
Iam artum ſuum acrius,
Imperium alacrius
Defendite fideles:
Ne meum per diſpendium
Latentur, & compendium
Percipiant crudeles.
In circumciſi moribus,
Rebelles præceptoribus,
Ne amplius exultent:
Nec viris vt exterritus,
Famoſis, imperterritis
Militibus inſultent.
O nobiles Imperij,
Victores improperij,
Nunc memores eſtote,
Quod Mathathias commodo
Priuatus vitæ, quomodo
Præmonuit deuote.
Gentes æquanimes
Pro teſtamento animas
Et legibus paternis
Viriliter exponite:
Formidinem deponite
Pro præmijs ſupernis.
Vt Iudas vir fortiſſimus
In populo mitiſſimus,
Illuſtris Machabæus,
Qui hoſtem non abhorruit,
In bello quando corruit,
Exultat Philiſtæus.
Quem plebs Iſraelitica
Deplangit & Leuitica,
Et vitæ celebratis
Lugubribus exequiis,
Et gentium reliquiis
Et Principum legatis.
Tyrannus quicquid reprobus
Pro ſacris & pro legibus
Vlterius luctatur,

Et victrix

Et victrix plebs Iudaica,
O bella Machabaica!
Huc vsq; veneratur.
Vos inclyti similiter
Luctamini viriliter
Cum plebe tam incesta,
Vt celebris cum gloria
Vestrorum sit memoria
Per orbem manifesta.
His dictis cum auxilio
Et Principum consilio
Nobilium prudentum,
Imperium vt à modo
Fruatur pacis commodo
Disponit testamentum:
Constituens vicarium,
Fidelem commissarium,
Canem de Verona,
Munitum legum stemmate,
Armorum fretum schemate,
Virilitatis zona.
Ornatum, virum bellicum
Veracèm, fidum, mellicum,
Verbisq; serioſum,
Amicis satis placidum,
Sed inimicis acidum,
Triumphis glorioſum.
Scriptis inuentariis
A publicis notariis,
Factisq; codicillis,
Signatis curioſius,
Munitis studioſius
Cæsareis sigillis.
Hortatur instantißime
Vt Cæsaris nouißima
Aßistat voluntati:
Et testamentum editum
Honori suo creditum
Suæq; probitati,
Vt miles carens vitio,
Fideli exercitio
Fidelis exequatur.
Quod minus sit sufficiens,
Et viribus deficiens,
Se Canis arbitratur.
Sed victus à nobilibus,
Virisq; spectabilibus
Cum fletibus admittit
Augusti desiderium,
Quod proteget Imperium,
Pro viribus, promittit.
His factis, nec theoricum
Accersit, nec chirurgicum
Carnis infirmitati:
Sed animarum medicum,
Commendans diem tetricum
Diuinæ voluntati.
Vt fidei consocius
Precatur hic quam ocyus,
Diuinis Sacramentis
Vt muniatur, parcius
Cum mors non agat, arctius
Sed stimulet tormentis.
Viatico dum fungitur,
Et oleo inungitur,
In fide roboratur,
Renunciansq; seculo
In Crucifixi speculo
Se Princeps speculatur.
Sic vale dicens populis
Turbatis, clausis oculis
Hunc spirtum emittit,
In Trinitatis nomine,
In manus tuas Domine
Quem amplius committit.
O quantus luctus omnium
Ob diram mortis somnium,
Quam plurium lamenta.
Audaces turbant animos,
Sollicitant magnanimos,
Conturbant elementa.
Virilis sexus eiulat,
Plebs muliebris vlulat,
Gens clamitat per castra,
Auditur planctus vndique,
Qui præ dolore vtique
Extollitur ad astra.
Perfusis genis fletibus,
Plebs militum cum cœtibus
Extrahit capillos:
Ingemiscendo clamitat
Mors illi quare percitat
Qui facit nos pupillos?
Sic hominem maleficum
Condemnant, & venesicum
Tam magni quam pusilli,
Et imputantes illico
Iniquitatis villico,
Sic aiunt pupilli:
O traditor blandißime,
O proditor vilißime,
O pessime mercator,
Hæresiarcha pallide,
Insidiator callide,
O archicriminator!
O venenosa scabies,
O belluina rabies,
O fera truculenta,
O bellua sæuißima,
O vipera nequißima,

O tabes virulenta!
Grassaris cur in Dominum?
Cur Regem necas hominum?
Cur mundi demis florem?
Cur tantum Ledis apicem,
Magnalium opificem,
Imperij decorem?
Cur mundi turbas gaudium,
Detestatorem fraudium,
Bonorum sectatorem?
Insontem quare decipis,
Quotidie quo recipis
Res largas & honorem?
Benignum cur interimis?
Mansuetum quare perimis?
Cur inficis modestum?
Cur simplicem insequeris?
Cur opprimis honestum?
O nequam cunctis nequior!
Quo nemo vixit aquior,
Cur per te venenatur?
O Satana malignior,
Thesauro, gemmis dignior
Cur per te trucidatur?
Impensis beneficiis
Respondes veneficiis.
O canis impudice,
Qui totus tibi credidit,
Arcana quæuis edidit,
Cur fraudas inimice?
Horrores gentibus irruunt,
Et aures ambæ tinniunt,
O facinus horrendum!
Fit mentis trepidatio,
Stupor, horripilatio,
Ob nefas contremendum.
Immanior es pecude,
Tu durior es incude,
Tu malleo veneni,
Tu fabricator funeris,
Te cæcum cæci muneris
Præcipitant floreni.
Tu degener ab homine,
Nec belluino nomine,
Es dignus nuncupari,
Cum Dathan & cum Abiron,
Quos deglutiuit Acheron,
Vix dignus nuncupari.
Funestis tuis manibus
Hoc opto, ne à canibus
Vel auibus rodantur:
Ne ex veneno vitio
Communicent exitio,
In rabiem ferantur.
Senex ad sacerdotium
Te sibi fore socium,
Tu frater prædicator
Nec es nec esse diceris,
Fuisse, sed coniiceris
Ater prauaricator.
Te cleri congregatio
Religionum statio
Cruente detestatur:
Societas crudelium
Conuentus infidelium
Te ducem aspernatur.
Tu perfide considera,
Sol, Luna, cœlum, sidera,
Cum aere nigrescunt,
Arbusta, saltus, gramina,
Telluris flores, germina
Ob scelus exarescunt.
Est enim execrabile,
Nefasq; detestabile,
Res prorsus impudica,
Quod Aquila mirificus
Pergrandis & magnificus
Occiditur à pica.
Per orbis cuncta spacia
Sit nulla tibi gratia
O bestia cruenta:
Sed turpi pro audacia
Surripiant solatia
Bis duo elementa.
Oremus dilectissimi,
Fideles, deuotissimi,
Pro Principe gementes,
Vt tibi sit auxilio
Qui proprio nec filio
Pepercit. Sic dicentes:
Extensus more platani,
Heli Lama Zabathani
Qui clamitat in cruce,
Sit Principi propitius:
Et eruat hunc citius
A perfidorum Duce.
Ne damnatorum maxima
Reorum neq; proxima
Catena hunc constringat,
Nec Tartari dispendium
Gehennæ vel incendium
Seuerius attingat.
Sed data sibi venia
Ad Paradisi mœnia
Per manus angelorum
Ducatur è militia,
Fruatur & lætitia
In patris vinorum,
Qua Deus non per speciem
Sed facie ad faciem

Quam

Quam pulchre reuelatur,
Quem omnis ordo cælicus
Conuentus & angelicus
Cum laude veneratur.
Vbi dolor, nec tristitia,
Nec languor, nec mœstitia,
Nec labor neq; planctus:
Sed iugi cum frequentia
Sunt Cherubin canentia,
Sanctus, sanctus, sanctus.
Quod summa præstet Trinitas
Et vna diuinitas
Cunctorum moderamen,
Quam decet virtus, gloria,
Laus, honor, & victoria,
In sempiternum, Amen.

LVDOVICI IIII. IMP. BAVARIÆ DVCIS, CONTRA IOHANNIS XXII. PAPÆ BVLlam Responsio, concernens iura regni & Imperii.

Ad fol. 419. 40. & fol. 426. Extat. m.f.

LVDOVICVS Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, vniuersis & singulis regibus Christianorum, ac Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, presbyteris, Diaconibus, quocunq; honoris culmine præfulgeant, & cæteris Ecclesiarum prælatis: nec nõ secularibus Principibus, Marchionibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, capitaneis, dominis, potestatibus, rectoribus, iudicibus, & officialibus prouinciarum, ciuitatum, & terrarum Romano imperio subiectarum, & ipsarum quibuscunq; incolis & habitatoribus, ac omnibus & singulis Christi fidelibus, tam ecclesiasticis, quã secularibus, ad quos præsentes literæ peruenerint, gratiam suam & omne bonũ. Fidẽ catholicam, quã sancta mater Ecclesia catholica (extra quam nullus omnino saluatur) in symbolis, cõsiliis, & traditionibus ipsius Ecclesię sacrosanctæ, docet & tenet, firmiter credẽtes, ac fideliter & firmiter cõfitentes, & ipsius Ecclesiæ sanctæ doctrinam in sacris canonibus traditã, sequi volentes: quibusdam allegationibus, impugnationibus, & oppositionibus, quæ contra nos, & electionem ac promotionem de nobis factam ad culmen dignitatis imperialis, & contra imperialem auctoritatem, potestatem, & dignitatem opponuntur, ne simplicium corda possint inficere, secundum sacrorum canonum & legum tenorem in his scriptis duximus respondere, & contra ipsos impugnantes & opponentes, & corũ dicta, procedimus, prout inferius continetur. In primis cõtra nos & imperialem auctoritatem, & ius imperii allegatur & obiicitur, quod potestas & auctoritas Imperialis est à Papa: & quod electus in regem Rom. ex sola electione nõ est, nec dici potest verus Imp. nec habet potestatem, iurisdictionem, & auctoritatẽ, antequam inungatur, consecretur, & coronetur à Papa: qui (vt dicunt) tã in tẽporalibus, quã in spiritualibus habet plenitudinẽ potestatis. Ad quę respõdemus, hãc opinionem sacris canonibus, ac iuri & rationi pariter obuiare, sicut expresse patet in Decret. *96. distin. c. cum ad verum, & Can. duo sunt, & c. Imperator*, vbi expresse habetur in hæc verba: *Duo sunt quippe, quibus principaliter hic mundus regitur, scilicet auctoritas sacra Pontificũ, & regalis potestas. Habet quippe Imp. priuilegiũ potestatis suæ, quã administrãdis legib. publicis diuinitus est cõsecutus. Nec Imp. iura põtificata, nec Põtifex iura imperatoria vsurpat.* hæc ibi. vbi glossæ ordinariæ dicũt, q; istæ potestates sunt diuersæ, & quod neutra dependet ab altera, & quod Imperator non habet potestatem siue impe-

rium niſi à ſolo Deo, 93. *diſtinct. cap. legimus*, vbi in textu dicitur, quod exercitus facit Imperatorem: & gloſſa ſuper verbo *Imperatorem*, dicit ſic: *Ex ſola enim electione Principum dico eum verum Imperatorem, antequam à Papa confirmetur, vt dixi*, 73. *diſtin. cap. quamuis*. hæc gloſſa. Et hoc etiam probatur in Canone 10. diſtinct. vbi de poteſtate Imperiali & Pontificali loquitur in hæc verba: *Quoniam mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus ſic actibus proprijs & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis vtriuſque diſcernit, vt Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium rerum imperialibus legibus vterentur: quatenus ſpiritualis actio à carnalibus incurſibus diſtaret, & Deo militans* (ſcilicet Papa) *minime ſe negotijs ſecularibus implicaret: ac viciſſim ille* (ſcilicet Imperator) *non videretur diuinis rebus præſidere, qui eſſet ſecularibus negotijs implicatus*. Hæc ibi. Vbi gloſſa ordinaria de vtraq; poteſtate loquens, dicit ſic: *Dum ergo poteſtates iſtæ diſtinctæ ſint, eſt hoc argumentum, quod Imperium non habetur à Papa: & quod Papa non habet vtrumq; gladium. Nam exercitus facit Imperatorem*, 45. *diſt. c. legimus: & imperium à ſolo Deo habetur*, 23. *q. 4. c. quamuis. Alioquin ſi imperium haberetur à Papa, poſſet in temporalibus ad Papam appellari, quod prohibet Alexander Papa IV. quod illa* (ſcilicet temporalia) *ſuam* (ſcilicet Papæ) *iuriſdictionem non attingunt, ext. de appellationib. c. ſi duobus: &, Qui filij ſint legitim. c. cauſam quæ inter. Et ita ego credo iſtas poteſtates eſſe diſtinctas*. hęc gloſſa. Et 8. *diſtinct. c. quo iure*, dicitur, quod iura humana per Imperatores, reges ſeculi, Deus humano generi diſtribuit. Et lex dicit, quod imperium & ſacerdotium ab eodem principio proceſſerunt in actum, *authen. quomodo oportet epiſc. & cler. ad ord. perduci, in prin. collat. 1.* Nec Imper. iuriſdictionem Papæ, nec Papa iuriſdictionem Imp. perturbare debet, *ext. de iud. c. nouit.* Ex quibus & aliis pluribus, quæ breuitatis cauſa dimittuntur, clare patet, quod poteſtas & auctoritas imperialis eſt immediate à ſolo Deo, & non à Papa. Et quod electus in Imp. ex ſola electione eſt Rex Roman. & habet auctoritatem, iuriſdictionem, & poteſtatem imperialē, etiam antequā inungatur, cōſecretur, & coronetur à Papa: & quod Papa in temporalibus nō habet dictā plenitudinem poteſtatis. Sed obiicitur, quod ille, qui ſe Iohannē Papam XXII. appellabat, per ſuos proceſſus de facto caſſauit, ſiue nullā, caſſam, & irritā pronūciauit, electionē de nobis in regem Rom. factā: aſſerēs in ſuis proceſſibus, nos adminiſtrare non poſſe iura Imperij, & quod adminiſtratio Imperij ad ipſum Ioannem pertinebat de iure: & alia plura in ipſis proceſſib. aſſerēs, & de facto attētans contra nos & iura & libertates Principū Alemāniæ & ſubditorū imperij, & cōtra conſuetudines antiquitus rationabiliter introductas & obſeruatas, prout in ipſis proceſſibus, imo verius exceſſib. cōtinetur. Inſuper poſt dictos proceſſus, quaſdam litteras ſub bulla ſua dicitur feciſſe, & per mundū publice tranſmiſiſſe, in quib. aſſerit, ſe totā Italiā ab Imperio & regno Alemāniæ ſeparaſſe: inſinuās per ſua ſcripta & dicta, quod Papa tanquā dominus vniuerſalis, non ſolū in ſpiritualibus, ſed etiā in temporalib. totius mundi poſſit ad ſuū libitū diſponere & ordinare. Ad quę omnia duximus reſpondendū, q; dicti omnes proceſſus, aſſertiones, & literæ, & omnia, & ſingula, quæ per dictū Ioannē in prædictis, & cōtra prædicta geſta ſeu attētata fuiſſe dicuntur, fuerunt & ſunt nulla, & nullius valoris & momēti, rationibus infra ſcriptis. Prima ratio eſt, quoniam Papa quantumcunq; catholicus & legitimus, non habet talem poteſtatē nec auctoritatē, aut iuriſdictionē in temporalibus, & maxime ſupra imperij, quod eſt immediate à ſolo Deo, vt euidēter probāt canones, & iura ſuperius allegata. Vnde quicquid prædictus Ioannes fecit in prædictis, tanquā à nō ſuo iudice factū, nullius fuit momēti, vt probāt aperte canones, 11. *q. 1. c. pen. & 2. q. 1. c. in primis, iuxta fin. & 6. q. 1. c. frater noſter, & ext. de iud. c. at ſi clerici, & ext. de conſuetud. c. ad noſtram, & c. ſi à non compet. iud. l. 2. & 3. & vlt. cum ſimilib.* Secunda ratio eſt ex eo, quod dicti proceſſus, imo verius exceſſus, fuerunt per dictū Iohannem contra nos, & in præiudiciū enorme noſtrū, & illorū qui nos elegerunt in Regem Rom. & aliorū Principū Imperij & Alemanniæ, ex notorie falſis cauſis, & nullo fori ordine ſeruato, nobisq; & aliis, quorū intererat, abſentibus, & nullo modo legitime monitis & citatis. Vnde cum ſacri Canones, & iura diuina & humana decernant ſententias & proceſſus quoſcunq; promulgatos, abſentibus iis, quorum cauſa agitur ſiue ventilatur, & eis legi-

time

time non monitis & citatis, nullius existere firmitatis, *3.q.4.per tot.* vbi etiam legitur, sanctos Pontifices definiuisse in hæc verba: *Omnia quæ aduersus absentes in omni negotio aut loco aguntur, aut indicantur, irrita erunt, & euacuãtur omnino, nec aliquam obtinent firmitatem, quia diuina & humana leges hoc fieri prohibent, vt ext. de testib. c. in nomine Domini, & in authen. de testib. §. hæc vero, collat. 7. & ff. quæ sent. sine appel. resc. l. 1. §. ex hoc edicto: & C. quomodo & quãdo iudex, l. ea quæ. Et maxime in causis, quæ summi Pontificis iudicio diciduntur, ordo iuris & vigor æquitatis, est subtiliter obseruandus, vt ext. de sent. & re iud. c. in causis.* Sequitur quid prædicti processus, imo verius excessus fuerunt nulli, & nullius valoris penitus, & momenti. Nec obuiat, si dicatur, quod prædictus Ioannes in ciuitate Auinionis prouinciæ existẽs cum sua curia per suas literas, quas dicitur ad fores Ecclesiæ maioris Auinionis appẽdi fecisse, nos absentem citauit, quoniã talis citatio (esto quod appareret) nullatenus fuit, nec est dicẽda legitima, rationib. infra scriptis. Prima ratio, quia sunt canones & iura ad hoc. Quod censeatur & dici possit citatio firma, necesse est, quod qui citandus est, citetur aut personaliter, si inueniri potest, aut si nõ potest inueniri, publice citetur ad domum suam, alias nisi sic citetur, nõ potest cõtra ipsum procedi, vt aperte probatur *4.q.5.c. quicquis. & ext. de dol. & contumac. c. causam, in tex. & in glos. & in c. venerabilis in fin. & de cleric. non residen. c. ex tua, & ext. qui matr. accus. pos. c. 1. & de eo qui mittitur in possess. causa rei ser. c. vlt. & ff. ex quib. caus. maiores. l. item aut. §. hoc autẽ, cum similib.* Etsi procedatur, processus nullius est momẽti, vt dicitur in superius allegatis iurib. *3.q.9.c. caueant: & ff. quæ sent. sine appellat. rescind. l. 1. & C. quomodo & quando iudex. l. ea quæ.* Ex quibus iuribus clare patet, dato sine præiudicio, quod talis citatio per literas in ciuitate Auinioni appensas reperiretur facta fuisse, quod nihilominus processus per ipsum Ioannem factus fuisset irritus & inanis. Secunda ratio est, quia ad hoc vt citatio de iure legitima cẽseatur, & arctet citatum ad veniendũ, necessum est, quod assignetur illi, qui citandus est, terminus & locus ad comparendum securus, prout manifeste probant iura. *ext. de appell. c. ex parte tua. 33.q.2.c. sine de coniugij. vbi prouidendus est locus, in quo nulla vis formidetur multitudinis, nec sit difficile testes producere, vel cæteras personas, quæ tam à sanctis canonibus, quam à venerandis Romanis legibus in huiusmodi controuersiis requiruntur:* hæc ibi, *& 3.q.9.c. hortamur, & ext. vt lite non contestata, c. accedens: & ff. de iudiciis. l. sed locus.* Sed notorium est, & indubitatum existit, quod dictus Ioannes tam nos, quã imperii nostri fideles & amicos odio capitali, & etiam hostili exercitu persequebatur de facto, & ciuitates & iura imperii sibi vsurpare & subiugare quantũ poterat, conabatur. Ciuitas quoq; Auinionis, in qua idem Ioannes cũ suo cõsistorio morabatur, & ad quã nos per suas literas euocabat, & ille, qui illius ciuitatis dominiũ detinebat, nos & Romanũ imperiũ habebat odio notorio & antiquo: vnde patet, q; deciperet, qui diceret vel sentiret, talẽ citationem nos ad cõparendũ modo aliquo coarctasse. Quis n. auderet dicere, q; talis cõsistorii in tali loco periculoso teneremur subire iudiciũ, & in hostiũ nostrorũ nos ponere sinũ, & mortis periculo vltroneo nos offerre? Patet igitur, quod talis citatio, si facta reperiretur de nobis, foret irrita & inanis. Tertia ratio sumitur ex eo, quod in sacris Canonibus & Legibus statuitur, quod nullus in propria causa possit iudicare, vel ius sibi dicere, vt probatur *23.quæst.4.cap. inter querelas: & quæst.5. de occident. & 4. quæst. 4. cap. 1. & C. ne quis in cau. prop. ind. vel ius sibi dicat.* Sed manifestum adeo est & notorium, vt nulla tergiuersatione possit negari, quod prædictus Iohannes de facto contendebat, scilicet quod ipse non solum in spiritualibus, sed & in temporalibus, & in nos, & in totum Imperium, ac iura Imperii habeat plenitudinem potestatis: & quod super hoc contra nos controuersiam & litigium de facto mouebat, & iura Imperii etiam hostiliter sibi pro viribus vsurpare conabatur, & nos & Imperii nostri fideles, quantum poterat, tanquam aduersarius, hostis & inimicus noster & Imperii, persequi nitebatur. Vnde etiam contra eum tanquam contra aduersarium, inimicum & hostem nostrum, & etiam Imperii, pro defensione nostra, & etiam fidelium nostrorum, & iuris imperialis ac fidei, appellamus ad futurum generale Concilium, in loco tuto & securo modo debito, & secundum formam sacrorum Canonum congregandum. Ex quibus sequitur manifeste,

quod dicti processus, immo verius dicti excessus, per dictum Iohannem contra nos, & contra fideles nostros, & iura Imperii, facti fuerunt in propria causa, & temere & perperam attentati: & quod ipse in ipsis processibus se iudicem simul & partem effecit: ac per consequens, quod fuerunt irriti, & nullius penitus firmitatis.

Tertio obiicitur contra nos, quod dictus Iohannes tam in nos, quam in omnes sequaces ac fideles nostros, habentes & tenentes nos pro Imperatore, nomine & honore, & nobis tanquam Imperatori obedientes & reuerentiam exhibentes, & in omnibus admittentes nos ad diuina, seu nobiscum participantes in diuinis, aut diuina officia celebrantes coram nobis, & præbentes nobis auxilium, consilium & fauorem, de facto excommunicationis sententiam fulminauit: & Ecclesias & Vniuersitates, quæ contra facerent, Ecclesiastico supposuit iudicio. Vnde dicitur, quod sententia pastoris, siue iusta, siue iniusta, seruanda est & timenda. Ad quæ respondemus & dicimus, quod secundum sacros canones & iura, huius sententiæ & processus, fuerunt & sunt nullæ ac nullius firmitatis, nullius q; valoris penitus & momenti: nec sunt aliquo modo timendæ nec seruandæ, nec timendi, nec seruandi: quod euidenter ostenditur & probatur, rationibus infra scriptis. Prima ratio sic sumitur. Certum est, quod cum prælatus Ecclesiæ in suo mandato excedit formam & potestatem à sacris canonibus sibi traditam, & in contra mandatum huius facientes, excommunicationis in singulares personas & in Ecclesias, & vniuersitates, sententias interdicti promulgat, talem sententiam non tenere, sed nullam ipso iure fore, nullatenusq; obseruandam, vt probatur per id, quod legitur & notatur, *ext. de excess. prælat. c. cum ad quorundam.* Temerarium enim est & indignum, aliquem sibi sua auctoritate vsurpare, quod Romana catholica Ecclesia nõ concedit, *ext. de priuil. c. sane.* Sed (vt supra probatum est, euidenter) sancta Romana Ecclesia catholica & Apostolica non concedit, sed prohibet Papæ, ius Imperii & potestatem in temporalibus vsurpare. Quia, vt dictum est, ista Papæ iurisdictionem, quæ solum est in spiritualibus, non contingunt, vt in superius allegato *text. de appell. c. si duobus.* Et manifestum est, quod dictus Iohannes per suas antedictas sententias, excessit formam & potestatem Papæ traditam. Quia ius Imperii & potestatem in temporalibus sibi vsurpare conatus est, cõtra sacrorum canonum constituta. Ergo huius sententiæ sunt & fuerunt nullæ, & nullatenus obseruandæ. Et hic est vnus de casibus expressis, in quibus sententia de excommunicatione nullatenus est obseruanda. Secunda ratio sic sumitur. Certum est de iure, quod vbi est error expressus in sententia vel in mandato præsidentis, puta quia præcipit, quod non obediat suo superiori, vel præcipit aliquid contra Deum, vel contra sacram scripturam: talis sententia ipso iure nullius est momenti, nec est timenda, nec aliquatenus obseruanda, vt probatur per illud quod legitur *extra de sentent. excomm. c. venerabilib. iuxta finem in gloss. & ii. q. 3. c. si quis præsb. cum duobus c. seq.* Et idem est, vbicunq; sententia est ipso iure nulla, vt probatur aperte per illud quod legitur & notatur *extra de senten. excomm. c. per tuas: & ext. de procurat. c. in nostra præsentia, in fine: & extra de crimine falsi. c. super eo, & ext. de sentent. & re iud.* Sed manifestũ est, quod dictus Ioannes in dictis suis processibus & sententiis expressit, quod non obediatur nobis, cui omnes imperio subiecti obedire, & reuerentiam exhibere secundum diuina & humana iura sunt astricti: & quod hoc fecit volendo sibi ius imperii, & potestatem omnimodam in temporalibus contra dominum & contra iustitiam vsurpare, ad quæ non extenditur (vt dictum est) eius auctoritas & potestas. Ergo ipsæ sententiæ sunt & fuerunt nullæ, & nullius penitus firmitatis, nec fuerunt, nec sunt quomodolibet obseruandæ. Tertia ratio sic sumitur: Manifestum est, quod quando sententia excommunicationis vel interdicti, quæ prolata est post appellationem legitimam, nulla est, nec aliquatenus est timenda, nec seruanda, vt aperte probatur *ext. de off. & potest. ind. del. c. cum olim, in fine: & de sent. excom. c. venerabilibus, in fine: & ext. de appellat. c. ad hoc, quod & habetur & notatur extra de sent. excomm. c. per tuas, in gloss. ord. & per dominum Hostiensem in apparatu super c. solet, & in summa, quam per alios doctores.* Sed manifestum & notorium est, quod nos

dudum

dudum contra dictum Iohannem, & processus, quos ipse de facto fecit cõtra nos, ac potestatem & auctoritatem imperialem, & præiudicium & derogationem fidei catholicæ, quam sancta Romana Ecclesia firmiter hactenus docuit & credidit, & docet & credit, & tenet, appellauimus ad futurum generale concilium, in loco securo & congruo cõgregandum, & ad sanctam matrem Ecclesiam Catholicam. Quæ appellatio fuit ad ipsius Iohannis notitiam deducta, prout notorium est & manifestum: & constat etiam per legitima documenta. Et quia ipse Iohannes post & contra dictam appellationem promulgauit, & protulit de facto contra nos & fideles nostros, & nos sequentes, & nobis præbentes consilium, auxilium, & fauorẽ, dictas excommunicationis & interdicti sentẽtias (si sic dici possunt) ergo fuerunt & sunt nullæ, & nullius valoris & momenti, nec sunt aliquo modo timendæ nec obseruandæ. Nec obstat quod dicitur, quod Papa non habet superiorem, vnde (vt aliqui garriunt) non potest ab ipso quomodolibet appellari. Et vere non obstat: quoniam manifestum est secundum doctrinam catholicam, & sacrorum canonum, quod Papa, vbi de fide siue de iure diuino agitur, subest conciliis, vt patet expresse, & legitur & notatur 15. *dist. c. sicut sancti, in textu & glossa, & 25. q. 1. c. sunt quidam, cum capitibus sequentib. & 19. dist. c. Anastasius, vbi dicit glossa ordinaria super verbo, Concilio dicitur: Videtur ergo quod Papa teneatur requirere concilium Episcoporum, quod verum est, vbi de fide agitur: & tunc synodus maior est quam Papa, 15. dist. c. sicut sancti mei.* Ita dicit gloss. ord. Et quod Papa, vbi de fide agitur, habet superiorem in terris, à quo possit iudicari, & per consequens, ad ipsum superiorem valeat appellari, probatur etiam notanter per illud, quod legitur & notatur 40. *dist. c. si Papa.* Vbi expresse definitur, quod Papa à nemine iudicari potest, *nisi deuiet à fide catholica.* Ergo si Papa deuiat à fide, habet superiorem interius, à quo potest iudicari, & per consequens ad ipsum potest appellari. Hoc ẽt patet per hoc, quod dicit Augustinus in Epistola ad Glorium & Eleusium, & reliquos Donatistas, vbi de Cõcilio Papæ, & collegii Cardinalium scribit dominus sic: *Quasi non ei dici possit, & adhuc iustissime dici: Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos fuisse. Restabat adhuc vniuersalis Ecclesiæ plenarium iudicium, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, vt si male iudicasse conuicti essent, eorum sententia solueretur*: hęc Augustinus. Ex quibus & aliis pluribus auctoritatibus quæ breuitatis causa dimittuntur, euidenter patet: quod consilium vniuersale ecclesiæ catholicæ, vbi de iure diuino, aut de fide agitur, maius & superius est concilio Papæ & Cardinalium, & ipsum tollit & soluit, si ipsi repugnent. Cum ergo pro defensione iuris imperii, quod est à iure diuino, & fidei catholicæ, appellamus ad generale concilium, in loco tuto & securo congregandum: sequitur, quod appellatio nostra fuit interposita ad superiorem, ad quem legitime potuit appellari. Plures quoq; aliæ rationes & causę sunt, ex quibus cernitur euidenter, quod prædictæ sententiæ fuerint & sunt nullæ, ac nullius valoris siue momenti, nec fuerunt nec sunt timendæ, nec aliquatenus obseruandæ. Quæ rationes & causæ in appellationibus & prouocationibus, contra aduersantes nobis, & nos, & imperium, & fidem catholicam, quam sancta Romana tenet Ecclesia impugnantes, solenniter interiectis, serioſius explicãtur, quas omnes seriatim præsentibus literis explicare, prolixum nimium videretur. Quamobrem denunciamus & dicimus processus & sententias, de quibus superius dictum est, fuisse & esse nullas, & nullos, & nullius valoris & momenti, & nullarenus obseruandas: ac vniuersis & singulis sub nostro imperio degentibus, cuiuscunq; status, dignitatis ac conditionis existant, discrete præcipimus & mandamus, quatenus nulla persona singularis, aut communitas vel vniuersitas, dictas excommunicationis & interdicti sententias præsumat obseruare, vel facere ac sustinere quomodolibet obseruari. Quicunq; autem contra hoc nostrum mandatum præsumpserit facere, vel venire, eum omnibus feudis, quæ ab Imperio tenet, ac omnibus iurisdictionibus, gratiis, & priuilegiis, libertatibus & immunitatibus à nobis, vel prædecessoribus nostris, ei concessis, ex nunc priuamus. In quorum omnium testimonium & fidem præsentes literas fieri fecimus, & nostræ imperialis Maiestatis bulla iussimus & fecimus communiri. Et vt ipsæ literæ ad communẽ omnium

Naucler 3t nerat. 45. fol. 886.

notitiam deducantur, eas maioris ecclesiæ de Franckenfurt ostiis appendi siue affigi faciemus, quæ hunc processum nostrum quasi sonoro præconio publicabunt, ita quod nullus possit prætendere, vel ignorantiam allegare, quod ad eum prædicta non peruenerint, siue quod ea ignorauerit: cum non sit verisimile occultum & incognitum, remanere, quod tam patenter fuit omnibus publicatum. Datum in oppido nostro de Franckenfurt, die VIII. mensis Augusti. Anno Domini MCCCXXXVIII.

Huic conuenit, quod in Chronico Francofordensi Iohannis Lætomi scriptum inuenitur, his verbis:

ANNO MCCCXXXVIII. Capella pontis V. Kal. Octobris est completa in honorem S. Catharinæ dedicata.

Eodem anno in curia fratrum Teutonicorum VIII. Augusti hora prima, Ludouicus Imp. ornatu & sedibus imperialibus edidit legem talem: *Electus Francofordiæ in regem Romanorum a Principibus electoribus, administrationem Imperij ante confirmationem habet plenam.* Et eodem die responsiones Ludouici prædicti ad obiecta Papæ Iohannis XXII. sigillo imperiali sigillatæ foribus Mariæ ecclesiæ S. Bartholomæi (quæ ita vocatur ab imagine B. Virginis adhuc ibi extante) sunt affixæ. Habebat autem Romanus Pontifex hic suos quoq; commissarios, qui ad VIII. Aug. affigebant ad eandem Ecclesiæ ianuam anathema & processus contra Ludouicum, cum seuerissimis commination ibus in omnes qui illi communicarent. Quare cum Canonici illic summo Pontifici obedientiam (vt tenentur) præstarent, Ludouicus superbiæ eos insimulans, paulo post pessimis prædiis, villis, & decimis spoliauit: Dominicanos postridie oppido eiecit, qui XXIV. annis exclusi fuerunt. Carmelitæ ab Henrico de Fürnberg Archiepiscopo Moguntino in gratiam Imperatoris quoque sunt pulsi. A Teutonicis & Franciscanis similiter diuina officia sunt suspensa vsque ad depositionem Episcopi. Præpositus S. Bartholomæi D. Iohannes de Constantia cognomento Vnderschaff, Decanus Moguntinus, Ludouici partes sequens omnibus suis reditibus frui potuit. Collegium S. Leonardi applaudens quoque Principi, auctum est decima in Pfraunheim: atque talis status fuit non solum Francofordiæ, sed per totum Rheni tractum & in Sueuia.

ALIA INFORMATIO
DE NVLLITATE PROCESSVVM PAPÆ IOHANNIS XXII. CONTRA LVDOVICVM BAVARVM MARSILIO (vt videtur) vel Ockamo auctore.

IN nomine Domini, Amen. Pro informatione simplicium iura ignorantium, processus domini Iohannis Papæ XXII. contra Dominum Ludevvicũ Romanorum tunc regem factus zelo conscientiæ, sed erroneæ: supra dictorum quasdam rationes breues & claras ponere decreui quibus luciде poterit informari volentibus: Quod iidem processus, imo verius excessus, nulli sunt ipso iure, & a nullo timendi nec obseruandi: etiamsi pro aliquo tempore sint seruati, nihilominus depositа erronea conscientia modo & deinceps penitus refutandi, tãquam nulli, & ab omni veritatis entitate alieni. Quarum rationum prima hæc est. Papa quantumcunque Katholicus ac legitimus sit, non habet potestatẽ, nec auctoritatem, aut iurisdictionem in temporalibus, & maxime supra iura Imperii, quod est immediate à Deo, vt probatur XCVI. *dist. c. cum ad verum. & c. duo sunt. & c. si Imperator.* vbi expresse diffinitur & dicitur in hæc verba: *Duo quippe sunt, quibus principaliter hic mũdus regitur, scilicet auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas: Habet quippe Imperator priuilegia potestatis suæ, quam administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est. Nec Imperator iura Pontificatus, nec Pontifex iura Imperatoris sibi vsurpet.* hæc ibi in textu. vbi etiam glossæ ordinariæ dicunt, quod istæ duæ potestates sunt distinctæ, & quod neutra dependet ab altera, & quod Imperator non habet potestatem siue imperium a

Papa,

Papa, sed à solo Deo. Et *dist.* XXIII. *c. legimus*, vbi in textu dicitur, *quod exercitus facit Imperatorem*, & glossa super illo verbo, *Imperatorem*, dicit sic: *Ex sola electione Principum dico eum verum Imperatorem, antequam à Papa confirmetur.* Et hoc etiam probatur in *c. quoniam. Dist.* X. vbi de potestate Pontificali & Imperiali loquens definit in hæc verba: *Quoniam mediator Dei & hominum Iesus Christus sic artibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusq; discreuit, vt Christiani Imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium rerum Imperialibus legibus vterentur: quatenus spiritualis actio à carnalibus incursibus distaret, & Deo militans (scilicet Papa) minime se negociis secularibus implicaret: ac vicissim ille (scilicet Imperator) nõ videretur diuinis rebus præsidere, qui esset secularibus negotiis implicatus.* Hęc ibi in textu, vbi glossa de vtraq; potestate loquens dicit sic: *Cum ergo potestates iste distinctæ sint, est hoc argumentum, quod Imperium non habetur à Papa, & quod Papa non habet vtrumq; gladiũ: aliquin si Imperium haberetur à Papa, posset in temporalib. ad illum appellari, quod prohibuit Alexander Papa dicens: Quod illa (scilicet temporalia) suam iurisdictionem non contingunt. Ex. de appellat. c. si duobus. & Ex. qui fil. sint legit. c. causam.* Et infra, *Ergo credo istas potestates esse distinctas.* hæc glossa. Et dist. VIII. *c. quo iure*, dicitur, *Quod ius humanum per Imperatores & reges seculi Deus distribuit generi humano.* Et lex dicit, quod Imperium & sacerdotium ab eodem principio processerunt, *in Auth. Quomodo oporteat Episcopos & clericos ad ordinem produci, in princip. Collat.* I. nec Imperator Papæ iurisdictionem, nec Papa iurisdictionem Imperatoris perturbare debet. *Ex. de de iudic. c. nouit.* Ex quibus omnib. & aliis multis, quæ causa breuitatis omittuntur, clare patet: quod potestas Imperialis est immediate à solo Deo, & non à Papa: & quod electus in Imperatorem ex sola electione est rex Romanorum, & habet auctoritatem, iurisdictionem, potestatem Imperialem, etiam antequam inũgatur, & consecretur, vel coronetur à Papa: & quod Papa non habet in temporalibus dictam plenitudinẽ potestatis: & quod processus quibus de facto cassauit, siue nullam, cassam & irritam pronunciauit electionẽ de domino Ludevvico Duce quõdam Bauariæ in Regem Romanorum factam, asserendo in iisdem suis processibus, eum administrare post electionem de se factam non potuisse iura Imperii, & quod administratio Imperii ad ipsum Iohannem Papam pertinebat de iure, nullius omnino sunt roboris vel valoris, & à veritate penitus alieni. Vnde quodcunque dictus Iohannes Papa fecit in prædictis, tanquam à non suo Iudice factum nullius fuit momenti, vt aperte probant Canones, *X I. q. I. c. placuit. & II. q. I. inprimis iux. fin. & XVI. q. I. c. frater noster. & Ex. de iudicis. c. at si clerici. & Ex. de consuet. c. ad nostram. & c. si non à compet. iud. I. 2. 3. & vlt. cum simil.*

Secunda ratio est ex eo, quod dicti processus imo verius excessus fuerũt facti per dictum Iohannem contra Ludevvicum Imperatorem, & in enorme præiudicium sui, & eorum qui eum elegerunt in regem Romanorum, & aliorum Principum Alemanniæ, & totius Imperii, ex notorie falsis causis, & nullo iuris ordine seruato, ipsoq; domino Ludevvico, & aliis quorum intererat, absentibus, & nullo modo legitime monitis nec citatis. Vnde cum sacri Canones, & iura diuina & humana determinant, sententias & processus quoscunque promulgatos absentibus his, quorum causa agitur, siue ventilatur, eis legitime non monitis & citatis, nullius existere firmitatis, III. *q.* IV. *per fol.* vbi etiam legitur, sanctos Pontifices diffinisse in hæc verba: *Omnia quæ aduersus absentes in omni negocio vel loco aguntur aut iudicantur, irrita erunt, & euacuantur omnino, nec aliquam obtinent firmitatem; quia diuina & humana leges hoc fieri prohibent.* Et *ex. de testib. c. in nomine Domini. & in fine de testib. scil. ex C. hoc verbo: Collat. 7. & D. quæ sentent. sine appell. rescind. l. I. §. ex hoc Edicto. & C. quom. & quan. Iudex. l. ea quæ.* Et maxime in causis, quæ summi Pontificis iudicio deciduntur, ordo iuris & vigor æquitatis est subtiliter obseruandus. *Ex. de sentent. & re iudic. c. in causis.* Sequitur quod prædicti proceſſus, imo excessus, fuerunt nulli, & nullius valoris penitus & momenti. Nec obuiat, si dicatur, quod dictus Iohannes Papa in ciuitate Auinionis prouinciæ existens cum sua curia, per litteras suas, quas dicitur ad fores Ecclesiæ maioris Auinionensis appendi fecisse, dominum Ludevvicum absentem citauit. Quoniam talis citatio, esto etiam quod appareret,

nullatenus fuit nec est dicenda legitima citatio, rationibus infra scriptis. Quarum prima est, quia scilicet Canones & iura ad hoc vt censeatur & dici possit citatio legitima, necesse est vt ille qui citandus est, citetur aut personaliter si inueniri potest, aut si non inueniri potest, citetur publice ad domum suam, alias nisi sic citetur, nō potest contra ipsum procedere, vt aperte probatur IV. *q.* I. *c. si quis. & Ex. de dolo & contumac. c. tamen. quæ in tex. & glo. de clericis non resid. c. ex tuo. Et Ex. à quib. matrim. accus. pot. c.* I. *& de eò qui mitt. in poss. cau. rei seruan. c. vlt. & ff. ex quib. caus. maior. l. item ait. §. hoc autem. Cum allegatis iurib.* III. *q.* IX. *c. canerant. & ff. quæ sent. sine appell. rescind. l.* I. *& C. quom. & quando iudex, si ea quæ.* Ex quibus iuribus clare patet, dato sine præiudicio, quòd talis citatio per litteras in ciuitate Auinionis appensas reperiretur fuisse facta, quod nihilominus processus per ipsum Iohannem factus fuisset irritus & inanis. Secunda ratio ad hoc est, quod ad hoc vt citatio de iure legitima censeatur, & arctet citatum ad veniendum, necessarium est quod assignetur illi, qui citatus est, terminus & locus ad comparendum securus, prout manifeste probant iura, *Ex. de appell. cap. ex parte tua. &* XXXIII. *q.* II. *c. de coniugii. vbi dicitur, prouidendus est locus, in quo nulla vis multitudinis formidetur, nec sit difficile testes producere vel cæteras personas, quæ tam à sanctis canonibus quam à venerandis Romanis legibus in huiusmodi concursu requiruntur.* Hæc ibi & III *q.* 9. *Hortamur & ext. Vt lite non contest. c. accedens. & D. de iudic. l. si locum.* Sed notoriū & indubitatum existit, q̄ dictus Iohānes Papa tam ipsum dominū Ludouicum Imperatorē, quam imperii sui fideles & amicos odio capitali, & etiam hostili exercitu persequebatur facto, & ciuitates & iura Imperii sibi vsurpare & subiugare quantum poterat conabatur. Ciuitas quoque Auinionis in qua idem Iohannes Papa cum suo consistorio morabatur, & ad quam (vt dictum est) dictum Ludouicum Imperatorem per suas litteras euocauerat, & ille qui illius ciuitatis dominium detinebat, dominum Imperatorem Ludouicum & Romanum Imperium habebat odio notorio & antiquo. Vnde paret, quod desiperet, qui diceret vel sentiret talem citationem prædictum dominum Ludouicum Imp. ad comparendum modo aliquo coarctasse. Quis enim auderet dicere, quod tempore talis consistorii in tali loco periculoso teneretur subire iudicium, & in hostium suorum se ponere sinu, & ad mortis periculum se offerre. Præterea in *tan. Pastoralis. De sentent. & re iudic.* in constitutionibus Clementis Papæ quinti, quas idem Papa Iohannes prosequendo publicauit, probatur, quod sententia quondam Henrici Imperatoris tum lata in regem Rubertum nulla fuit, ex eo quod ipsum citauit ad locum sibi non tutum. Sic quod pro se ibi allegat, hoc contra se recipiat, iuxta dictum Sapientis, *Patere legem quam ipse tulerus. Ex. de constitut. cum omnis.* Sed locus Auinionis tunc non fuit tutus, nec etiam tūc accessibilis, & clare patet quia ipse Iohannes Papa, Rex Franciæ, Rex Rupertus, Duces Austriæ, cum eorum fautoribus, ipsum dominum Ludeuicum tunc impotentem, imo Imperium persequebantur odio capitali. Hoc idem probat captiuitas militis & Ambassatorum Regis Angliæ perfecta in Auinione, post asseruationem domini Papæ Benedicti ipsi militi factam. Vnde si hoc malum factum fuit in milite, propter secreta quędam inuestiganda, vel legationem impediendam: quanto magis propter destructionem & discerptionem Imperii, cuius iura auidissime sitiunt, in verum Imperii protectorem siue administratorem, & mala exciuissent eius æmuli, si potuissent, & si possent, adhuc excitarent?

Item quod reuera contra mentem & intentionem delegantis & committentis Papæ vices suas, scilicet Christi præfati, processus sunt facti: quod sicut ipse Christus commisit Petro claues ligandi & soluendi in hunc finem, vt Petrus dimitteret, & animas purgaret ad salutem: non autem ei commisit temporalium regnorum administrationem. Quod etiam scribit S. Bernhardus primo libro considerationis Eugenio Papæ. Sed Papa Iohannes sententias prædictas fulminauit propter administrationem regni regnorum: quod à Christo in mandatis aut ex commissione clauium non accepit. Ergo sententiæ illæ sunt nullæ iure. *Ex. de rescript. c. super litteris.* quod ibi delegans non esset iurisdictionem concessurus, ibi delegatus non debet iurisdictionem exercere. Quod autem Christus Petro

non

non commiserit temporalium iurisdictionem, vel eorum curam aut administrationem, patet quia ipse nihil proprii habuit: imo paupertatem & temporalium renunciationem seruauit & docuit. Luc. XIV. *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et Marci XIX. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Quomodo enim pauper post temporalium alienationem sequeretur Christum, nisi & Christus temporalia deposuisset, imo prius posuisset? Hoc idem patet expresse Luc. XI. *Quod quidam archisynagogus Christo dixit, Magister, dic fratri meo vt mecum diuidat paternas possessiones.* Sed Christus nolens esse iudex temporalium, respondit ei quasi dedignatus: *Et quis me constituit iudicem inter vos, vt diuidam vestram hereditatem?* ac si dicat: Non veni possessiones temporales diuidere, sed salutem animabus dare, sicut ibidem notauit Albertus in gl. Possessionum enim earum diuisio & ius diuidendi est à iure Imperatorum & regum mundi, quibus à Deo temporalia sunt commissa, vt patet *in Can. dist.* VIII. *cum quo iure.* Cui concordat Bernhardus libro considerat. sic scribens Eugenio Papæ: *Si non vis recognoscere Imperatorem, dimitte possessiones.* Vnde etiam apparet, quod hæ sententiæ latæ sunt à non suo iudice: cum Papa non sit iudex Imperatoris in temporalibus, quantominus in causa Imperii, à quo temporalia dependent, sicut patet per plura iura Canonica & ciuilia superius allegata. Item quod Christus temporalia Imperatori dimiserit administranda, & sibi eorum curam & administrationem non assumpserit, patet quia tributum Cæsari dari iussit, vt scribit Matthæus XXII. & etiam ipse soluit, vt patet Matth. XVII. Item Iohannis XIX. interrogatus à Pilato, an esset Rex, respondit: *Tu dicis quod Rex sum ego: sed tamen regnum meum non est de hoc mundo.* ac si diceret, spiritualibus vel animabus impero, & in eis meum est regnum, non in mundo, nec in mundanis & transitoriis: sed in spiritibus æternis & animabus fidelibus, se de mundanis ad cœlestia & æterna erigentibus. Sed textuales clerici & pseudomonachi, falsi scilicet religiosi, qui se dicunt Iudæos esse & non sunt, sed potius sunt synagogæ Satanæ (sicut apostolus & euangelista iussus est scribere episcopo Smyrnæ, Apocal. 2.) se credentes esse sapientes, cum sint desipientes, omnia præmissa vna superficiali solutione conantes euadere, dicunt: Quod sententia Pastoris siue iusta siue iniusta timenda sit, cum Christus dixerit Petro: *Quæcunque ligaueris, &c.* nullum excipiens: Ad quam solutionem respondeo, quod aliud est sententia iniusta & aliud nulla. sicut aliud est quando pastor fert sententiam iniustam, forte ex ignorantia, seruato tamen ordine iuris. Sed præfatæ sententiæ latæ fuerunt scienter malitiose, & ex iniustis notorie causis, imo falsis, & claue errante, & in finem indebitum & iniustum, vt Imperii iura sibi vsurparet, contra ius diuinum & humanum: & sic concupiscens, imo hostiliter inuadens alienum, peccauit mortaliter faciens contra præceptum Dominicum: *Ne furtum facias.* In quo præcepto prohibetur omnis illicita contrectatio rei alienæ. Item, *Non concupisces rem proximi tui*, in quo prohibetur non solum contrectatio, sed etiam inordinatus appetitus rei alienæ. Qui ergo sibi in illo peccato consentit, nonne etiam mortaliter peccat, cum delinquentem & consentientem par pœna constringat? *Ex. de offic. deleg. c. 1. & de sent. excommun. c. nuper. & c. quanta. &* XI. *q. 3. C. qui consentit. & c. seq.* vbi dicitur: *Si quis alterius errori consentit, sciat se cum illo similis modo culpabilem iudicandum.* Debet ergo quilibet patri & matri in peccatum trahere conantibus dicere: *Non noui vos*, id est, non approbo quod iubetis in hoc. *Can. 33. q. 8. C. diaconi.* Veritati enim & iustitiæ est insistendum, etiam contra parentes carnales & spirituales. *4. q. 3. c. parentes. & ex. de iureiur. c. litteras.* vnde Actor. *4. plus oportet obedire Deo quam hominibus.* & in eodem: Si in conspectu Dei iustum est nos potius audire quam hominum, ipsi iudicate. *&* XI. *qu. 3. c. Iulianus.* Non semper malum est non obedire præcepto. cum enim dominus iubet quæ Deo contraria sunt, tunc ei obediendum non est. Vnde ad id quod ipsi literales clerici allegant: *Quæcunque ligaueris, &c.* respondeo, quod illa auctoritas intelligitur de ligatione vera, non ficta vel falsa. quodque per Augustinum illud verbum exponentem, qui ait: *Christus non dixit: Quod putatis ligare & soluere. Sed in quos opus iustitiæ vel misericordiæ exercetis, hoc ego Deus, & omnes cœlestis militiæ ordines laudant*

vobiſcum & confirmant : aliter autem opera veſtra in peccatores non cognoſco. Etſi Deus non approbat ſententias latas iniuſte etiam in peccatores, quanto minus ſententias Iohannis Papæ latas contra iura diuina & humana, & iuris ordine non ſeruato, & pro cauſis notorie iniuſtis & falſis. Item ſuper verbo Marci x v i. *tibi dabo claues regni cælorum*, dicit, *Quidam hunc locum non intelligentes aliquid ſumunt de ſupercilio philoſophorum, vt damnare innoxios. Cum apud Deum non ſententia ſacerdotum, ſed vita eorum quæratur.* ad idem x i. *qu.* 3. *cap. ipſe.* vbi dicitur: *Ipſe ligandi & ſoluendi poteſtate ſe priuat, qui hanc pro ſuis voluptatibus, & non pro ſubditorum moribus exercet:* & cap. ſeq. dicitur: *Iudicare de ſubditis nequeunt, qui in ſubditorum cauſis odia vel guerram quærunt.*

Demum veniunt inſenſati dicentes: Etſi Papa in omnibus præmiſſis male geſſit, hoc non habemus iudicare. Hi, vt beneagant, nolunt intelligere, videlicet quod duplex eſt iudicium, vnum iuriſdictionis: hoc non habet homo ſuper Papam, vt eum pro ſuis exceſſibus iudicialiter corrigat. Aliud eſt iudicium rationis vel diſcretionis: & hoc iudicio quilibet habet iudicare de factis, & maxime de præceptis ſui ſuperioris, an ſint iuſta vel iniuſta, an bona vel mala, aut in quem finem ſint facta: alias enim ſemper eſſet obediendum cuilibet præcepto quandocunque contra diuinum præceptum facto, quod ex præmiſſis patet fore falſum. Alias etiam Pſalmiſta de peccatore non dixiſſet: *Noluit intelligere vt bene ageret*, ſcilicet diſcernendo inter bonum & malum, licitum & illicitum. & alibi: *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat, ſi eſt intelligens aut requirens Dominum.* id eſt, ſi intelligat verum, ſecundum intellectum: & requirat Dominum, operando bonum ſecundum affectum, propter Dominum tanquam propter finem. Hæc ſufficiant pro directione ſimplicium.

DE CAS-

DE CASRVCIO DVCE LVCÆ, RESCRIPTA ET DIPLOMATA QVÆDAM LVDOVICI BAuariæ Imp.

Ad fol. 423. refutanda.

Desumpta ex eius vita, per Aldum Manutium edita Romæ anno 1590.

Concessio vicariatus in ciuitate & districtu Lucæ, &c.

LOdovicvs Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus magnifico viro, Castrucio de Antelminellis, vicario Liuanorum, suo & Imperii fideli dilecto, gratiam suam & omne bonũ. Regiæ liberalitatis clementia in suis fidelibus gratiarum dona multiplicãs, illis præcipue consueuit assurgere larga manu, qui per pugnam continuam in rebelles pro exaltatione coronæ singulares triumphos & nomen laudabile sunt sortiti. Sane cum veraciter sciamus, te præcipuum in partibus Italiæ pro sacro Imperio pugilem extitisse, nulli parcendo periculo, oneri, vel labori, ac iustitia tua & animi probitate victos de hostibus deuotos pro Imperio tenuisse, ac deuios infideles ad fidem gratiosis meritis inuitasse: volentes prẽmissorum obtentu extollere nomen tuum, & te prærogatiua speciali magnifice honorare, vicariatum ciuitatis Lucanæ, eiusque districtum sex milliariorum, & suburbanorum vel quasi, & prouinciarum Vallis Nebulæ, Arianæ, & Lunæ, & terris ciuium Garfagnanæ, terris quæ dicuntur Plancorum, Verrucula, Bossorum, & eius curiæ, Pontremulo, eius districtu Lunegiana, & omnibus terris sitis citra & vltra aquam Magræ, in Lunensi diœcesi, Massa & Versilia, & Valletina, auctoritate Regia, nostro & Sacri Imperii vice & nomine vsq; ad nostrum, vel successoris nostri Romani Imperatoris vel Regis beneplacitum & voluntatem, tibi committimus, & in ipsis ciuitate, terris & locis & aliis ante dictis, pro nobis & sacro Imperio, te vicarium constituimus & facimus generalem. Concedentes tibi plenariam iurisdictionem in omnibus prædictis, ciuitate, terris & locis, vt possis inquirere & punire, & iurisdictionem sanguinis cum mero & mixto Imperio exercere, in genere & in specie, per te vel alium, aut alios, cui vel quibus ipsam iurisdictionem commiseris exercendam: recepto primitus à te iuramento, quod ipsam iurisdictionem fideliter exerceas, nulli parcendo, vel contra iustitiam offendendo, sed ius suum vnicuiq; tribuendo, volentes per hanc concessionem nostram in præmissis omnia & singula tibi esse concessa, quorum specialem commissionem fieri oporteret, & quæ in generali commissione non intelligerentur commissa, nisi de ipsis fieret mentio specialis. In cuius rei testimonium præsentes tibi dirigimus, tradimus, appensione sigilli Regii communitas. Datum in Regali oppido nostro Franckfort. I v. Kalend. Iunii. anno Domini MCCCXXIV. Regni vero nostri X.

RECONCILIATIO CONCESSA ciuitati Lucæ.

NOs Lodovicvs Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Etsi honor Regis iudicium diligat, tamen Augustalis Clementia misericordiam nõ refutat, quin nonnunquam per iustitiam condemnatos reddat per gratiam absolutos. sic quippe fideles nostros & Imperii intime diligimus, quod lõge carius par-

cimus reuertentibus, quam pœnam reſiſtentibus infligamus. Sane dudum claræ memoriæ dominus Henricus, quondam Romanus Imperator VII. prædeceſſor noſter, contra ciuitatem Lucanam & eius diſtrictum, & contra commune & ciues & ſpeciales perſonas eiuſdem, quaſdam condemnationis ſentẽtias promulgauit, proſcriptiones, mulctas, priuationes & pœnas alias infligentes pro eo quod tunc ipſi à fidelitate receſſerant, & ſacro Imperio rebellabant. Nunc vero quia ciuitas, diſtrictus, commune, & ciues præfati ad fidelitatem & deuotionem reuerſi, ſacro ſe Imperio in puritate & integritate fidei reddiderunt, & in hoc propoſito fidei ſe firmos & ſtabiles opere comprobant & effectu: Nos qui eiſdem pium & beneuolum affectum gerimus, & tãquam filios peramamus, culpam præteritam, quam ipſi ſtudent deuotis & fidelibus actibus expiare, remittentes eiſdem de gratia ſpeciali omnes ſententias per dictum D. Heinricum contra ipſos prolatas de plenitudine poteſtatis regiæ relaxamus & reuocamus, quicquid ex eis vel ab eis factum vel ſecutum exiſtit: reſtituentes eoſdem eadem poteſtate contra ipſas ſententias in integrum, & in ſtatum priſtinum, ac ſi ipſæ ſententiæ non fuiſſent ab initio promulgatæ. Ad quas ſpecialiter nos induxit prædictorum fidelium noſtrorum noua, creſcens, & firma deuotio: & fideliſſima ſtrenui viri Caſtrucii de Antelminellis, ſui vicarii, pro ipſis interpellantis ſupplex petitio, & fauor multus quem ipſis gerimus ex affectu. Verum tamen prædictas ſententias non intelligimus relaxatas ad illos de ciuibus prædictis, qui in rebellione perſiſtentes nobis, & Imperio, vel dicto vicario noſtro nomine non obediunt, nec intendunt, niſi forte ad requiſitionem dicti Caſtrucii, intra terminum quem præfixerit, ad fidelitatem redierint, & eius beneplacitis paruerint & mandatis. In cuius noſtræ remiſſionis, relaxationis, reuocationis & reſtitutionis teſtimonium præſentes damus, litteras, ſigilli noſtri robore communitas. Datum in Franckfort. IV. Kalend. Iunii, anno Domini MCCCXXIV. Regni vero noſtri anno X.

CONCESSIO VICARIATVS *Piſtorienſis.*

LODOVICVS Dei gratia, Romanorum Rex ſemper Auguſtus, magnifico viro Caſtrucio de Antelminellis, Vicario Lucanorum, ſuo & Imperii fideli dilecto gratiam ſuam, & omne bonum. Regiæ liberalitatis clementia in ſuos fideles gratiarum dona multiplicans, illis præcipue conſueuit aſſurgere larga manu, qui per pugnam continuam in rebelles, pro exaltatione Coronæ ſingulares triumphos & nomen laudabile ſunt fortiti. Sane cum veraciter ſciamus te præcipuum in partibus Italiæ pro ſacro Imperio pugilem extitiſſe, nulli pareendo periculo, oneri, vel labori, ac iuſtitia tua & animi probitate victos de hoſtibus deuotos pro Imperio tenuiſſe, ac deuios infideles ad fidem gratioſis meritis inuitaſſe: volentes præmiſſorum obtentu, extollere nomen tuum, & te prærogatiua ſpeciali magnifice honorare, vicariatum ciuitatis Piſtorii, & totius Comitatus & diſtrictus eiuſdem, ac in omnibus aliis terris ſitis infra confinia ſupradicta, & in diœceſi Lucana Piſtorienſi & Lunenſi auctoritate Regia, noſtro, & ſacri Imperii vice & nomine, vſque ad noſtrum vel ſucceſſoris noſtri Romanorum Imperatoris aut Regis beneplacitum & voluntatem, tibi committimus, & in ipſis ciuitate & comitatu ac diſtrictu, terris, & locis, ac omnibus antedictis pro nobis ac ſacro Imperio te vicarium conſtituimus, & facimus generalem. Concedentes tibi plenariam iuriſdictionem in omnibus prædictis, ciuitate, terra, & locis, poſtquam eas acquiſieris, & pro nobis & ſacro Imperio tenendas tibi ſubiugaueris, vt poſſis inquirere & punire, & iuriſdictionem ſanguinis cum mero & mixto Imperio exercere, in genere & in ſpecie, per te vel per alium, aut alios, cui vel quibus ipſam iuriſdictionem commiſeris exercendam: recepto primitus à te iuramento, quod ipſam iuriſdictionem fideliter exerceas, nulli pareendo, vel contra iuſtitiam offendendo, ſed ius vnicuique tribuendo. Volentes per hanc conceſſionem noſtram omnia & ſingula tibi eſſe conceſſa, quorum ſpecialem commiſſionem

sionem fieri oporteret, & quæ in generali commissione non intelligerentur commissa, nisi de ipsis fieret mentio specialis. In cuius rei testimonium præsentes tibi dirigimus & tradimus, appensione sigilli Regii communitas. Datum in Regali oppido nostro Franckfort. IV. Kalendas Iunii. Anno Domini MCCCXXIV. Regni vero Nostri Anno X.

SVBLIMATIO CASTRVCII IN *Ducem Luca, &c.*

LODOVICVS, Dei gratia, Romanorum Imperator semper Augustus, Illustri Castruccio de Antelminellis, Duci Lucano, Comiti sacri Lateranensis Palatii, & vexillifero Imperii, suo & Imperii fideli dilecto, gratiam suam & omne bonum. Principalis liberalitatis Clementia, in suis fidelibus dona multiplicans, illis præcipue consueuit assurgere larga manu, qui per pugnam continuam in rebelles pro exaltatione Coronæ singulares triumphos & nomen laudabile sunt sortiti: Sane cum veraciter sciamus, experientia nobis existente magistra, te præcipuum & strenuum in partibus Italiæ pro sacro Imperio pugilem extitisse, nulli parcendo oneri, periculo vel labori: ac iustitia tua & animi probitate victos, de hostibus deuotos pro Imperio tenuisse, & deuios infideles ad fidem gratiosis meritis inuitasse: tantoq; magis Imperiale sceptrũ extollitur: Tanto cura regiminis à solicitudinib. & laboribus releuatur, quanto fideles in circuitu Imperii circũspicit digniores, & de fulgore throni Cęsarei velut ex sole radii, sic cæterę prodeunt dignitates, vt primæ lucis integritas minorati luminis non sentiat detrimentũ. Hac igitur cõsideratione cõmoniti, qui cœlesti prouidẽtia Romani Imperii moderamur habenas, ac solii nostri decus tã veterum dignitatũ ornatibus confouemus, quã nouis honorib. ampliamus: Volentes præmissorũ obtentu extollere nomen tuũ, & te prærogatiua speciali magnifice honorare, de plenitudine potestatis, & de certa scientia, & de consilio nostrorũ Principũ & Baronum, ciuitatis Lucæ, Pistorii, Volaterrarum, & Lunæ, cum omnib. & singulis castris, villis, & locis sitis in diœcesibus ipsarum, & cum omnibus earum, & cuiusque earum pertinentiis, territoriis & iurisdictionibus quibuscunque, ad ius, honorem & nomen Ducatus pertinentibus transferentes, & volentes sub vno dignitatis vocabulo contineri Ducatus Lucani: te pro te & successorib. tuis & te per lineam masculinã natis & nascituris in perpetuum ipsius ducatus Ducem, & vexilliferum nostrum & sacri Romani Imperii vbilibet, de præmissæ nostræ potestatis plenitudine & principali munificentia promouemus: eisdem libertatibus, immunitatibus, & iuribus prædictum Ducatum tuum præsentium auctoritate donantes, quæ Ducalem deceant dignitatem, præfataque ciuitates & quamlibet earum, & omnes terras, castra, territoria atque loca, quæ in diœcesibus seu Episcopatibus, & territoriis, & pertinentiarum ipsarum ciuitatum, seu cuiuslibet earum, seu intra confines diœcesium Episcopatuum, pertinẽtiarum & territoriorum præfatarum ciuitatum, & cuiuslibet earum sitæ sunt, seu sita, in perpetuum tibi, & legitimis successoribus tuis, ex te descendentibus natis & nascituris per lineam masculinam, ex certa scientia damus, concedimus & donamus: cum omnibus & singulis villis, castris, terris, fortalitiis, casalibus, vasallis, hominibus, possessionibus, honoribus, vsibus, derittis, demaniis, feudis, homagiis, patronatibus vacantium & non vacantium Ecclesiarum & locorum ad nos & sacrum Romanum Imperium spectantibus, seu pertinentibus, & cum terris cultis & incultis, siluis, pascuis, nemoribus, salinis, balneis, stagnis, lacubus, atq; quibuscunq; aquis & aquarum decursibus, molendinis, piscariis, piscationibus, venationibus, montibus, planis, vallibus, & omnibus & singulis locis, iuribus & pertinentiis, tam maris quam terræ præfatarum ciuitatum, terrarum, & locorum, & cuiuscunque ipsarum, & ipsorum existentium infra prædictas diœceses, confines & loca, quæ in huiusmodi nostra concessione & donatione sub speciali aut generali vocabulo possunt intelligi, siue comprehendi, & quæ ad nos & Romanum Imperium spectare noscuntur. Et sic te & successores tuos prædictos in Ducem & Duces prædicti ducatus cum dignitate illustri eligimus, con-

ſtituimus, præficimus, & creamus, dantes & concedentes tibi & ſucceſſoribus tuis prædictis in præmiſſo ducatu pleniſſimam iuriſdictionem, & liberam auctoritatem & poteſtatem iuris dicendi per te, & per alios, ac etiam merum & mixtum Imperium, vt exercere valeas & valeant gladii poteſtatem ad animaduertendum in facinoroſos & malos. Et vt ipſius Ducatus dignitate te & præfatos tuos ſucceſſores cognoſcas amplius & fauorabilius ab Imperiali eminentia ſublimari, tibi & ſucceſſoribus tuis prædictis ex ipſa dignitate ducatus perpetuo decreuit competere noſtra ſerenitas, auctoritatem & poteſtatem creandi & ordinandi, perpetuo & ad tempus (prout vobis placuerit) in ſingulis ciuitatibus, caſtris, oppidis, villis, terris, dicti ducatus, vicarios, capitaneos, poteſtates, Iudices, ſeu Rectores, & quoslibet ordinarios magiſtratus, vel etiam delegatos, & quoſcunq; honores, & dignitates, atque honorum & dignitatum officia cum auctoritate & poteſtate iuriſdicendi, & mero & mixto Imperio, ſtatuta municipalia condendi, iuri diuino & naturali non contraria, prout vtilitati & pacifico ſtatui expedire videritis ſubiectorum. Adhæc quoque in prædicto tuo ducatu flumina nauigabilia, & ex quibus nauigabiles fuerint portus, plageas (ſicut & nunc dinoſceris poſſidere) ripas & ripatica, necnon vectigalia, telonea auri & argenti, & metallorum omnium quæſtuum, nunc nobis & Imperio pertinentes, tibi tuiſq; ſucceſſoribus memoratis concedimus & donamus. Ac monetæ tam auri, quam argenti & æris cudendi, iuſti & recti ponderis, in ipſo tuo ducatu, tibi prædictiſq; tuis ſucceſſoribus, præſenti priuilegio facultatem liberam indulgemus, & feuda antiqua & noua, & recta, & regalia conferendi, & infeudandi vaſallos Imperii de feudis, quæ manu vel ore, aut quocunque alio modo fuerint conferenda, & recipiendum à vaſallis Imperii fidelitatis & homagii ſacramenta, & mulctarum ſeu pœnarum compendia, & confiſcationes bonorum, & cætera quæ dicuntur regalia, in ipſo ducatu, ad tuum & prædictorum tuorum ſucceſſorum compendium volumus pertinere. Milites quoq; in dicto ducatu & extra conſtituendi, & militari cingulo decorandi, & Iudices ordinarios & Notarios publicos creandi & ordinandi, ac conficiendi: filios & filias naturales, tam ſpurios quam vulgo quæſitos, ex damnabili coitu natos, legitimandi, & cum ipſis ſuper natalium defectu, & alio quolibet diſpenſandi tibi & ipſis auctoritatem & poteſtatem plenariam indulgemus. Vt tamen pro honore, quem tibi libenter adiicimus, nullum ius ſubtrahatur obedientibus vel obedituris nobis & Imperio, in eorum bonis, feudis, iura tamen Imperii remaneant ducatui ſupradicto. Volumus inſuper, quod in præmiſſis ducatu & vexilliferata ſemper maior natu ſeu ſenior ex generatione tua, ex te & ſucceſſoribus tuis legitime deſcendentibus, excluſis aliis filiis ſeu hæredibus minoribus, ſolus & in totum ſuccedat. Et propter præmiſſa omnia te pro te ipſo, & prædictis ſucceſſoribus tuis, nobis pro nobis ipſis ſucceſſoribusq; noſtris homagium & debitæ fidelitatis iuramentum præſtantem, de præmiſſis ducatu & vexilliferatu, per ſceptrum (quod in manu tenemus) præſentialiter inueſtimus & infeudamus. Porro omnia & ſingula ſupradicta valere & tenere volumus & firmamus, non obſtante aliqua lege, conſuetudine, aut iure, quibus contrarium caueretur. Quibus omnibus & ſingulis, ſpecialiter & expreſſe, tanquam nominatim de illis in præſenti priuilegio fieret mentio, intendimus vt eſſe debeat derogatum, & potiſſime iuri & conſuetudini, quo & qua cauetur, ſeu cautum diceretur, quod hæres in Ducatu, Comitatu, vel Marchia, nullo modo ſuccedat, niſi ab Imperatore acquiſierit per inueſtituram, quantum ad caſum præſentem: in aliis vero caſibus in ſuo robore ſemper durent. Volumus tamen, quod tu & ſucceſſores tui à nobis & ſucceſſoribus noſtris, & ſacro Romano Imperio requiſitus, & requiſiti, perpetuo teneatis & teneantur, plenam & liberam obedientiam facere, & in omnibus noſtris mandatis, ſucceſſorumque noſtrorum, & ſacri Romani Imperii, libere intendere & parere, & omnia noſtra mandata obſeruare, & efficaciter adimplere iuxta poſſe, & executioni mandare. Meminit quoq; noſtra ſerenitas, de prædictis ante noſtræ coronationis ſolennia tibi & prædictis tuis ſucceſſoribus priuilegium ſimile indulſiſſe. Quæ & omnia in ipſo contenta, ex certa ſcientia, & de poteſtatis plenitudine, ac de conſilio & aſſen-

ſu proce-

ſu procerum,& Baronum Imperialis aulæ ratificamus,approbamus,& confirmamus. Statuimus etiam & mandamus,quatenus nulla ciuitas,nulla communitas,& generaliter nulla perſona,cuiuſcunq; conditionis ſeu ſtatus & præeminentiæ exiſtat, huic noſtræ paginæ audeat in aliquo contra facere vel venire, ſeu ſe aut prædictos tuos ſucceſſores in aliquo moleſtare, de his quæ ſupra tibi, & eis à noſtra clementia liberaliter ſunt collata. Si quis autem temerario auſu præſumſerit contrauenire, mille marcharum auri pœnam incurrat, pro dimidia Cameræ noſtræ perſoluẽdam,& pro alia dimidia Cameræ dicti Ducatus & vexilliferatus, in quorum pręiudicium aliquando extiterit attentatum. Quibus omnibus & ſingulis ſupradictis teſtes fuerunt infra ſcripti, videlicet Rudolphus Dux Bauariæ, Princeps & patruus noſter chariſſimus, venerabilis Iacobus Epiſcopus Caſtellanus, venerabilis frater Bonifacius Epiſcopus Chironenſis, Hermannus de Lithelberg, cancellarius noſter, Henricus Dux Brunſuicenſis, Lodouicus Dux de Tech, Albertus de Lithelberg Mareſchalcus noſter, Henricus Landgrauius Alſatiæ, Fredericus de Nuremberg, Menchardus Comes de Hortemburg. Otho Comes de Truhendingen, Iohannes Comes dictus de Claramonte, necnon nobiles viri Iacobus Sciara de Columna, Iacobus de Sabellis, ſenatores vrbis, Manfredus de Vito, Olmæ vrbis præfectus, Thebaldus de ſancto Conſtacchio. Et ad prædictorum omnium teſtimonium,& corroborationem præſentes conſcribi,& ſigilli Maieſtatis noſtræ robore iuſſimus communiri. Datum Romæ apud S. Petrum, XV. die menſis Febr. Indictione XI. anno Dominicæ incarnationis MCCCXXIIX. Regni noſtri anno XIV. Imperii vero primo.

PROVISIO FACTA VIDVAE & liberis Caſtrucij.

LODOVICVS Dei gratia, Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, nobili & magnificæ mulieri Pinæ, relictæ olim Caſtrucii Ducis Lucani, necnon nobilibus viris Valerano & Ioanni fratribus, natis quondam dicti Ducis Lucani, ſuis & Imperii fidelibus dilectis, gratiam ſuam & omne bonum. Merita probitatis præfati Caſtrucii, & grata & accepta ſeruitia per eum nobis & Imperio exhibita, & deuotionis & fidei feruor, quem ad nos ſemper habuit, fauorabiliter nos inducunt, vt nos ipſum intuitu ſpecialibus gratiis & beneficiis proſequamur, vt remuneratio præmiſſorum præſentis ætatis hominibus ſit nota, & poſteris tranſeat in exemplum. Ob quam rem ad perſonarum veſtratum tutelam & gubernationem noſtræ mentis aciem conuertentes, vobis veſtrisq; hæredibus & ſucceſſoribus legitimis, gubernationem & cuſtodiam caſtri de Monteggiori cum fructibus & prouentibus caſtri prædicti, & omnibus pertinentiis ſuis, Imperiali auctoritate committimus, concedimus atq; damus, volentes vt ex reditibus & prouentibus dicti caſtri,& prouentibus & gabellis vicariæ Petra ſanctæ, ſingulis annis quatuor millia florenorum habere & percipere debeatis in prædicti caſtri dicti Monteggiori fructibus & prouentibus computatis. Et ſi dicti caſtri Monteggiori & vicaria Petra ſanctæ prouentus & fructus ad prædictam ſummam non aſcenderent, & nunc volumus & intendimus vſq; ad completam ſummam prædictam, de Camera noſtra integraliter erogare. Si quid vero ſuperfluum vel reſiduum erit, illud totum noſtræ Cameræ reſeruatum. Et ne in prædictis fraus aliqua committatur, volumus vt fructus & prouentus caſtri prædicti de Monteggiori & vicariæ Petra ſanctæ, vicarius noſter Lucanus, qui nunc eſt, aut pro tempore erit, recolligat & conſcribat, qui ex dictis fructibus & reditibus quantitatem prædictam quatuor millium florenorum abſq; dilatione aliqua vobis integraliter ſoluat. Auctoritate præſentium decernentes, vt in prædictis à Maieſtate noſtra vobis conceſſis ab aliqua perſona, loco, vel vniuerſitate pro cauſa alicuius debiti, per dictum quondam patrem veſtrum conſtructi non poſſitis vel valeatis aliqualiter moleſtari. Et ſi dicta quatuor millia florenorum vobis de noſtra Camera ſoluere nos contingat ſingulis annis (vt ſuperius eſt expreſſum) & non volumus fructus & prouen-

Ad fol. 424.42.

tus castri prædicti Monteggiori, & vicariæ Petra sanctæ prædictæ ad nos & nostram Cameram libere pertinere. Ad hæc quoq; volentes vos & Henricũ fratrem vestrum vberioris gratiæ dono prosequi, vos, & quemlibet vestrum, ac Hẽricum præfatum, auctoritate præsentium, ab omnibus angariis, & muneribus, oneribus, functionibus, collectis, datiis, præstantiis, obsequiis, realibus & personalibus, atq; mixtis, imperiali auctoritate, & ex certa scientia liberos esse volumus & immunes: ab aliqua persona, loco, vel vniuersitate, quacunq; occasione vel causa grauari siue molestari minime valeatis. Non obstantibus in præmissis vel aliquo præmissorum, aliquibus priuilegiis, gratiis, seu iuribus à quocunq; sub quacunq; verborum forma concessis, per quæ effectus huiusmodi in aliquo valeat impediri seu aliqualiter retardari: quibus quantum ad præmissa (etiam si de ipsis esset specialis mentio facienda) ex certa scientia derogamus. Nulli ergo hominum liceat hanc nostræ commissionis & concessionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Quod qui facere præsumserit, grauem indignationem nostram se nouerit incursurum. In cuius rei testimonium præsentes literas fieri, & Maiestatis nostræ sigilli iussimus munimine roborari. Datum Pisis, anno Domini MCCCXXVIII. Indictione XII. die XVII. Decemb. Regni nostri anno XV. Imperii vero primo.

AD EANDEM REM.

LODOVICVS Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, prouidis viris, potestati seu vicario, Rectoribus, Officialibus, consiliariis de Petra sancta, & ipsis vicariæ hominibus & personis, suis & imperii fidelibus dilectis, gratiam & omne bonum. Volentes nos specialiter, ex certa scientia concessisse pro eorum sustentatione, Ducissæ collaterali & filiis olim Lucani Ducis, gabellas dictæ terræ Petra sanctæ, & vicariæ ipsius, vsq; in quantitatem florenorum quatuor millium auri annuatim: & intellecto, aliquos impedire conari, ac etiam dictas gabellas intercipi, & fraudari, & alias dictis gabellis abuti, in detractionem iuris Ducissæ & filiorum prædictorum, & non intendentes nec volentes contra nostram permissionẽ talia acceptari, vobis & vniuersitati vestræ, cæterisq; de vicaria prædicta, & aliis præsentes literas inspecturis, per hæc scripta stricte committimus & mandamus sub pœna indignationis nostræ gratiæ, & quinquaginta marcharum argenti, pro quolibet, & qualibet vice, qua fuit contra factum, pro dimidia fisco nostro, & pro alia dimidia passo iniuriam applicanda, quatenus de dictis gabellis dictæ Ducissæ, cum filiis Lucani Ducis, ipsorumq; nunciis & procuratoribus iuxta præmissa nostra pure, integre respondeatis, & libere ipsas gabellas non fraudando, nec fraudari faciendo, consentiendo, vel permittendo: & fraudatores ipsarum impedientes, & interceptores iuris & facti remediis reprimendo & stricte arcendo, cum coercione qualibet refrenando, sic quod dicta Ducissa & filii dictis gabellis nullatenus decipi valeant, vel fraudari, turbari, inquietari, vel molestari, quoquo modo directe vel indirecte aliquo colore quæsito, vt nostra promissio firma proditet, nullo mandato, præcepto vel inquisitione, prohibitione, comminatione, vel inhibitione, seu sequestratione Lucani vicarii vel Rectoris, seu alterius in aliquo obstitura. Quæ omnia in præsenti & futuro cassamus & irritamus, & in ipsius Ducissæ & filiorum & iuris ipsius præiudicium volumus non valere vsq; ad nostræ beneplacitum voluntatis, quod dicti nobis & Imperio fideles extant. In quorum certitudinem, prædictorum euidens testimonium, præsentes literas fieri iussimus nostro sigillo muniri. Datæ Pisis die X. mensis April. XII. Indictionis. Regni nostri anno XV. Imperii nostri secundo.

FINIS.

Bayerische Staatsbibliothek München